

LEONIS AB AITZEMA

HISTORIA PACIS,

A

FOEDERATIS BELGIS

AB

Anno cIɔ Iɔc xxi. ad hoc usque tempus

TRACTATÆ.







LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ JOANNIS & DANIELIS ELSEVIER,
Academiæ Typographorum.

cIɔ Iɔc LIV.





Benevolo Lectori.



I verum eſt, non ſuſcipi unquam debere bellum, niſi cum intentione pacem firmiorem honeſtioremque quærendi; prudentiſsimè Proceres cum arma reſumere cogerentur, de modis tamen ad tranquillitatem publicam tendentibus ſolliciti fuere. Fœdera cum vicinis facta teſtimonium Iuſtitiæ præbuerunt: quæ niſi adſit, Excutit arma pudor. *Et exitus tandem ipſe, imò ipſi adverſarii, ſignatis, qualia ab initio petita fuere, pactis, acta & cauſam approbarunt.*

Varios belli caſus plurimi ſunt qui ſcripſere. Conſilia de pace habita nemo quod ſciam; quippe minus obvia: præſertim exteris: quibus ut innoteſcat quam rite & feliciter, amicis inimiciſque ipſis atteſtantibus, pertractatum fuerit, Reip. intereſt. Qua in re quid, verè potius quam ornatè, in hoc opere præſtitum ſit, Lector, ipſe vide & boni conſule.

LEO-



Leonis ab Aitzma

HISTORIA TRACTATUUM PACIS BELGICÆ.



MNIBUS, qui Confœderati Belgii ſtatum cognitum perſpectumque habent, judicare neceſſe eſt, libertati atque incolumitati ſuæ intentum, magis in armis & in negotio, quam in toga atque otio verſari debere. Nihilominus tamen nunquam ſe honeſtæ fidæque pacis præbuerunt hoſtes. Sed quo pacto, loco ac tempore ejuſmodi conditiones obtinere potuerunt, quidve Tractatibus commodo vel incommodo fuerit, id omne ex ſequentibus ſatis innoteſcet.

Expirantibus jam jam induciis Anni milleſimi, ſexcenteſimi & viceſimi primi, decimo octavo Martii die, Graphiarius Dominus Aarſſen, Præpotentes D. D. Ordines Generales certiores fecit, traditas ſibi horâ nonâ matutinâ litteras ab Audientiario Vereycken, Archiducum nomine exaratas per tabellarium quendam ca de cauſa miſſum à Concilio ſecreto, quod eſt Bruxellis: cujus quidem argumentum tale eſt:

Nobilissime Domine,

Celſitudo ſua per me certiorem te fieri voluit, Dominum Brabantiæ Cancellarium intra biduum aut triduum Haga-Com. affuturum eſſe, ut cum fœderâti Belgii D. D. Ordinib. de negotio quodam, quod Celſitudini ſuæ ipſemet pollicitus eſt, ageret, id ut Ordinibus indicares. Quare, quod reliquum eſt, me tibi officioſiſſimum majorem in modum commendo, Teque fidei Altiſſimi committo. Datum Bruxellis, ſexto & decimo die Martii. Anno 1621. Signatum H. Vereycken. Eædemque decimo & octavo die Martii, Anno 1621. traditæ fuerunt.

Quibus perpenſis, iiſdemque cum Arauſionenſium Principe communicatis, per Dominos, D. Hollandiæ Deputatos ædes Domini Helmontii in plateâ (vulgo de Vlaming-ſtraat) ſunt apparatæ in Brabantiæ Cancellarii hoſpitium: quæſtiunculis deinceps ultro citroque habitis, ſumptibuſne exciperetur publicis, tandem ſententiarum multitudine decretum eſt, Dominum Mortaigne aulæ præfectum Delphos

delegatum iri, ut navigia ibi quædam velis obtecta curaret, iisque D. Cancellarium ad pontem (dictum de Hoorn-Brugge) deduceret, ac postmodum à Mauritio Arausionensium Principe ibidem loci exciperetur, & carrucarum satis magno numero ad præparatum usque hospitium deduceretur, integro tamen Arausionensium Principi relicto, utrum per se ipsum, per Principem Henricum, per Principem Portugalliæ, utrum per alium quempiam hanc exceptionem fieri vellet. Non autem consultum fuit, per quenquam ex Ordinum Concilio iri exceptum, nisi postquam hospitium intrasset ad ceremonias præstandas; Eundemque hoc biduo piscium ferculis iri exceptum, statutum est.

Die 23. Martii, perpenso ac deliberato, quomodo Brabantiæ Cancellarius ad colloquium admitteretur, Principis judicio decretum est, ut tanquam Legatus exciperetur proindeque ad colloquium adduceretur ac reduceretur per duos ex Ordinum Concilio Deputatos idque duabus carrucis, ac publico sumptu exciperetur, donec aliud constitueretur. Domini itaque de Boetseler & Eussum ea de causa delegati sunt, ut cum prædicto Cancellario, hoc si rogaret, accumberent. Priusquam autem ad colloquium admitteretur, visum consultumque fuit, per Clericum vander Burgh literas credentiæ ab eo exigi, quibus posset pernosci, quo titulo ab Archiducibus Præpotentes Ordines Generales insignirentur; Literas itaque à Cancellario acceptas in Concilio Clericus tradidit; Inscriptio ejus hæc est:

ARCHIDUCES.

Carissimi ac dilectissimi, Misimus ad Vos D. Petrum Peckium, Equitem, Bouchautæ &c. Dominum, in Concilio nostro Ordinum Consiliarium, Brabantiæ Cancellarium, ac præsentium latorem, ut Vobiscum de quodam negotio, quod propositurus est, agat. Iccirco hac ad Vos eo dedimus, quo ipsum non tantum exaudiatis, verum in iis etiam, quæ nomine locoque nostro dicturus est, plenissimam ei fidem faciatis. Vos, quod reliquum est, Charissimi ac dilectissimi, Dei Optimi curis committimus. Bruxellis, 16. Martii, Anno 1621. Subsignatum erat, E. Albertus, A. Isabella, pauloque infra, Vereycken.

Quibus lectis perceptisque decretum fuit, ut prænominati Domini de Boetseler & Eussum D. Cancellarium ad Concilium adducerent; ad quod cum Mauritius Arausionensium Princeps accessisset, paulo post supradictus Cancellarius præsto fuit. At nullo honore exhibito, nulla ve salute dicta, Cancellarius proposuit ea, quæ postmodum exarata tradidit; quibus similiter absque ullis ceremoniis responsum est; D. Ordines videlicet ad ejus proposita animum adversuros, atque ea, quæ in commodum Reip. fore existimabunt, decreturos.

NOBILISSIMI, POTENTISSIMIQUE DOMINI,

Postremi hi duodecim annorum Belgii Induciarum dies, Patriæ quidem nostræ
" communis, ob oculos nobis ponunt miserrimam ac deplorandam rerum com-
" mutationem, post ejusmodi pactiones temporarias plerumque sequi solitam, ac
" cujus initia jam jam ab utraque parte præparantur. Quapropter Celsissimis Ar-
" chiducibus, vultu in gravissima maximaque incommoda, mutatione isthac uni-
" verso Belgio rursus oboritura, commiseranti fixo, visum fuit ejusmodi excogi-
tare

tare atque invenire remedia, quibus tot tantisque calamitatibus posset præcaveri: imprimis vero ad salutare hoc consilium naturali sua inclinatione atque in pacem voluntate summoque studio ac benevolentiâ qua bonum amplectuntur publicum, impulsis: quæ quidem ad præmemoratas inducias ineundas primaria fuerunt causæ, ceu principium exoptatum ad totius belli incendium ex votis restinguendum, quo adventu suo primo omnes hasce regiones flagrantes viderunt neutiquam dubitantes, quin universo induciarum tempore acta factaque sua animi ac benevolentiæ certitudinis haud obscurum dederint judicium. Neque impræsentiarum Archiducibus minus cordi est, nullique rei magis hoc tempore incumbunt, quam ut Belgii universi commune promoveatur atque efficiatur commodum: quod quidem in eo consistere videtur, *si omnes Provinciarum omnium partes ac membra sub unum corpus unumque caput summum redigerentur*, quo etiam fieri posset, ut, quemadmodum ante temporis nostri calamitates tempestatesque pacifica fruebantur concordia, unanimitate ac prosperitate quieta, iisdem magis magisque fruantur, quod si harum partium Provinciæ ad firmiss. confœderationem, sub agnitione Dominorum Principumque legitimorum adduci possent. Hoc summum est ab Archiducibus mihi demandatum, Præpotentibus proponendum, ac benignè humaniterque offerendum; utpote qui suum esse existimarunt, ut ante novas recentesque belli calamitates Optimorum Principum præstarent officium, perpetuo vestro consulentes commodo; eo quidem fine huic ut incumbatur, consilium aliquod reperiatur, quo sanguinis profusioni, immensi tributo aliisque insuper miseriis atque incommodis, quibus universum Belgium hactenus fuit obrutum, tandem præcaveri iisque finis imponi possit. Atque ubi secundum propositum hoc Præpotentibus visum consultumque fuerit inire conciliationem, Archiduces similiter conditiones quascunque honestas justasque accepturi sunt; adeo, ut satisfactionis omnimodæ causam Præpotentes habituri, neque benevolentiæ duntaxat effecta voluntatisque Archiducum, verum etiam sinceritatis atque integritatis experturi sint; quas equidem perpetuò sibi atque unicè commendatas habuerunt; ac quarum in hunc usque diem accurata semper & religiosa pactorum omnium promissionumque observatio (si quidem id ipsis credatur) maximum indicium fecit. Vobis præterea spondentes promittentes, animique Catholicæ suæ Majestatis synceri fidem facientes; quicquid in universo hoc negotio egerint atque transegerint Archiduces, id omne à Cath. sua Maj. firmiter constanter atque inviolabiter observatum iri. Erat subsignatum,

P. Peckius.

Eodem etiam die recitata ac repetita propositio, Arausionensium Principi fuit tradita, ut quid ad eam responderi posset, cognosceretur, in quem etiam finem ad Hollandiæ Deputatos eadem propositio missa fuit, ad sententiam suam super hac in consessu suo formandam. At postero die responsionis conceptum in supradictam propositionem formatum tradiderunt, addentes, Nobiles ac Potentes eum approbasse, sibiq; in concilio Præpotentium *sententiæ loco tradendum* ut perspici ac perpendi possit, demandasse; utque super eodem communi deliberaretur consilio, quæcunque ad summæ absolutæque libertatis commodum, legum

 jurum

jurum & privilegiorum defensionem, atque universi Confœderati Belgii propugnationem plurimum pertinere existimabunt. Cognito itaque & perpenso conceptu prædicto, reliquæ Provinciæ suas in eum sententias dixerunt: eo simul omnes redeuntes, Cancellarii scilicet propositionem, *de membrorum partiumque omnium sub unum aliquod summumque caput congregatione, una cum legitimorum Principum agnitione* intolerabilem, ac non ferendam; proindeque terminis validis firmisque refutandam esse.

Die 24. tempore pomeridiano Arausionensium Princeps in concilium venit, & prædicto responsionis conceptu lecto perlectoque, ac Principis in eundem sententiâ cognitâ, omnibus denique deliberato consilio perspectis, visum fuit prædictum responsionis conceptum in ordinem redactum posteroque die hora septima matutina concilium iri habitum, ut digestus repeteretur, ac supra dicta responsio tandem approbaretur.

Die 25. juxta decretum hesternum Mauritio Arausionensium Principe ad concilium reverso ac responsionis conceptu in habitam Brabantiæ Cancellarii propositionem perlecto, secundum Provinciarum sententias præcedentis diei super eodem latas, consilio deliberato, sententiarum insuper collectione habita, tandem, cujusmodi inferius exprimitur, responsio approbata ac ratihabita est; Eademque per D. D de Boetseler & D. Eussum post meridiem Domino Cancellario tradita est; ad quam ille quidem nihil speciatim regessit, præterquam quod Præpotentibus pro hospitio tam commodo tamque liberali exceptione summas gratias ageret. Sed quoniam primo adventu Delphos vulgus hominum, servos ejusque Nobiles cœno sannisque exceperant, in discessu à Principe Mauritio ejusdemque civitatis senatu tantæ nequitiæ provisum cautumque fuit.

Argumentum Responsionis.

„ CONfœderati Belgii Provinciarum Ordines Generales, audita perpensaque
„ Celsissimorum in Brabantia Archiducum propositione in Præpotentium D.D.
„ Ordinum Concilio die 23. Martii primum recitata, dein scripta atque per D. Pe-
„ trum Peckium Eq. Dominum Bouchoutæ, Brabantiæ Cancellarium tradita, vi
„ literarũ credentiæ à Celsissimis Archiducibus 16. Martii die Bruxellis datarum, de-
„ clarant atq; indicant *absolutum summumq; Confœderati Belgii imperium, omni dubio procul,*
„ *esse penes Ordines Præpotent. Generales ejusdemque Belgii Provinciarum* Ordines; quod re-
„ ligiosè semper ac perpetuo adversus eos omnes defenderunt acriterque propu-
„ gnarunt, quicunque hoc in dubium vocare, aut quicquam adversus id conari, aut
„ Regibus Principibusvè exteris adscribere unquam ausi fuêre: Proindeque nec
„ contractibus nec confœderationibus se unquam admiscere voluerunt ejusmodi,
„ quibus vel absoluta eorum potestas vel imperium summum in dubium vocari
„ posset. Cujus quidem haud obscurum Præpotentes indicium fecerunt Cæsariæ
„ Majestati, Electoribus & Principibus Imperii cæterisque Imperatoribus exteris;
„ quinimo ipsismet summe dictis Archiducibus. Præpotentium videlicet Ordi-
„ num Generalium Statum *absolutum*, ejusdemque Status Provincias liberas ac
„ nemini subjectas à Monarchis, Potentiss. Regibus, Imperatoribus ac Rebusp. haberi

beri

beri à quibus omnibus & singulis istoc titulo & qualitate cum Præpotentibus Ordinibus varii ac insignes contractus initi, amicitia atque societas conflatæ fuerunt. Idque ipsum adeo urgentes, ut neque cum Archiducibus neque *Hispaniarum Rege* Præpotentes Ord. ullo modo agere voluerint, antequam declarassent ejusque per memoriam publicam indicium fecissent, se cum Præpotentibus Ordinibus ceu cum *liberis agere Provinciis, in quas sibi juris potestatisque nihil quicquam vendicarent.* Quæ, cum luce clariora sint, atque universo terrarum Orbi cognita, tanquam novum quid & inauditum visum fuit Præpotentibus Ordinibus, quod à D. Peckio, Cancell. propositum ac traditum perceperunt, asserente Provinciarum Confœderatarum commodum maximum in eo potissimum consistere, si nimirum *sub unum corpus unumque caput summum congregarentur sibique confœderationem bonam firmamque sub legitimorum Principum agnitione ineundam persuaderi paterentur; Atque ea conditione, si Provinciæ confœderationem tractatusve occipiant, Archiduces itidem æquas justasque conditiones accepturos.* Hæc, quum ad mala atque ea depellanda incommoda, in quæ sequuturo bello Provinciæ inciderent, neutiquam prodesse valeant, in quem tamen finem habita videntur ac proposita, sed multò magis obesse, quin imo belli incendium ac rabiem majora exinde, quam dudum, incrementa capere queat, quum ea *absolutam Provinciarum potestatem Orbi universo comprobatam agnitamque & summum jus summumque imperium funditus evertant*, quod Præpotentes Ordines in hunc usque diem tantis laudibus belloque tam difficili acriterque propugnarunt, & vita desuper fortunisque (Propitio Deo) propugnare ac defendere constituerunt; Propositio insuper *erronea* Reique publicæ *noxia* quum sit, utpote quæ contra leges hujus Status fundamentales *Reip. imperium* in dubium vocat; Quocirca Præpotentes Ord. Generales tam *inexpectatam, iniquam tamque inhumanam propositionem* admittere neutiquam potuerunt; quum eadem involvat atque implicet intolerabilem adversus Remp. atrocitatem, ac summam Monarcharum, Principum, Regum aliarumque Rerump. infamiam, qui universi ac singuli cum Præpotent. Ord. ceu cum *libera Rep.* egerunt atque tractarunt; Contra vero declarare debuerunt, quemadmodum etiam per præsentes declarant, *Omnes eos, quicunque tandem propositionibus aliisve modis aut pactis absolutum hujusce Reip. imperium in dubium vocare, impugnare exterisve Principibus adscribere, aut simile quid conantur, incongruos prorsusque ineptos iri habitos ad contractus cum Præpotentibus Ord. quoscunque ineundos:* Idque prænominato D. Peckio in responsum dare voluerunt; hoc unicum adjungendo, D. Archiduces *ex diversis ac multimodis querelis, ipsismet exhibitis ac demonstratis (absque ulla tamen satisfactione)* haud ignaros esse, quo modo ac sensu Præpotentes Ord. intelligant Induciarum articulos ab Archid. & Rege Hispaniarum ex omni parte religiose observatos fuisse. Datum Hagæ-Com. in Præpotentium D. D. Ord. General. Concilio 25. Martii die, Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo & primo. Signatum erat, Henricus ter Coulen vidit: Eratque subsignatum, Ex auctoritate & jussu Præpotentium D.D. Ordin. Generalium. Ac subscriptum erat C. Aarssen. Atque omnia hæc eodem die sub consilio secreto acta sunt.

In Concilio Præpotentium D. D. Ord. Generalium, præter decretum de responsione D. Cancellario Peckio danda, perpenso perceptoque quod in propositione

 sitione

ſitione præfati Cancell. Peekii animadverteretur *jura ac ſupremam Belgii Confœderati poteſtatem* in dubium ab ipſo vocari, cumque ad id operam dare, quo ad Archiducis ceu Principis Legitimi agnitionem adduceret, ac ſi Provinciæ aliquo ſaltem prætextu (quod quidem eſt contra ipſum Ordinibus Generalibus omnibus & ſingulis Provinciis jus competens) etiamnum Archiducem hunc Principem ſuum legitimum agnoſcere quadantenus tenerentur; Quocirca Præpotentes Ord. Gen. unanimiter conſtituerunt ac decreverunt, prædictum Peekium ad nullum aliud de hinc admittere colloquium, niſi ea prius Celſiſſ. Arauſianenſium Principi Mauritio ordine omnia expoſuiſſet, quorum cauſa ſibi colloquium poſtularet; ut à Præpotentibus, in rem ne an non Patriæ foret ipſum ad colloquium de hinc admittere, deliberari, quodque bonum ſpectaret publicum, decerni poſſet.

Die 26. bini delegabantur, Quorum alter Gelriæ alter vero Hollandiæ Provinciæ erat Deputatus, ad Galliæ, Magnæ Britanniæ & Daniæ Legatis, itemque Suriano Reſidenti, & propoſitionis & reſponſionis exemplar exhibendum.

Propoſitioni atque ejuſmodi petitioni neve reſponſio, neve expeditio alia obtingere poterat: quare mirum videri neutiquam debet, ſi vel in primo etiam actu hujuſmodi tractatio ſuffocaretur, finiſque propemodum initium anteverteret. Quin & alias hiſce rationibus quibus eadem hæc Peekii tam ſubito præcidebatur delegatio, ſuperadditas fuiſſe haud ægre conceſſero: quippe Mauritius Princeps Anno milleſimo ſexcenteſimo octavo, ubi de induciis actum eſt, jam tum animum ab induciis averſum ac prorſus alienum oſtendit; cujus quidem ſtudia ſeria tum verbis tum litteris Provinciarum membris exhibita, plus ſatis indicabant. Subactis enim jam *Remonſtrantium factionibus* univerſum conſequutus imperium, ne minimam quidem ad pacem propenſionem voluntatemque variis de cauſis oſtendit: *Primo*, ne conatibus eorum, qui præteritas obtruſerant inducias, ac quibus jam tum ipſe adverſatus fuerat, aliqua ex parte annuere videretur: *Secundo*, quia officium ejus munuſque maxima ex parte militare cum eſſet, nonnihil ſibi infamiæ verteretur, ſi pacis, aut compoſitionis aliquam feciſſet mentionem: *Tertio*, quia belli quam pacis tempore ipſius imperium atque autoritatem majorem eſſe neceſſe erat: *Quarto*, quia rebus Germanicis, quarum auctorem ſe ac fautorem ſummum præbuerat, plus inde boni atque commodi eventurum exiſtimabat, quod ſi ab Hiſpanis Confœderati diſſolverenrur, quam ſi perpetua inter ſe amicitia ac pace conjuncti manerent: Quin etiam æſtate jam præterlapſa, quum Spinola cum plurimis Hiſpanorum exercitus copiis Palatinatum invaſiſſet, ſi belli, non induciarum fuiſſet tempus, plus boni ſe ac commodi adverſus Hiſpanos conſequi potuiſſe credebat: Eo pacto, expoſitis jam bello Provinciis, atque ad majorem Equitum peditumque numerum devinctis, plus inde damni Hiſpanis, Proteſtantibus autem Germaniæ Principibus, imprimis vero Bohemiæ Regi, Sororis Filio (cui regni ſceptrique primarius fuerat auctor) auxilii atque ſubſidii eſſe apportaturum: *Quinto*, Zelandi Vliſſinga ſc. & Vera, quarum urbium nomine ac titulo Arauſionenſium Princeps Equeſtrem & Nobilium Zelandiæ ordinem repræſentat, magnâ ex parte ab eo dependentes, armis inſuper quam induciis hactenus feliciores, induciarum diſſolutionem promovebant: *Sexto*, accedebat etiam *univerſa Remonſtrantium factio*, bellum induciis præferens, ad inclinationem

duntaxat,

duntaxat, quam anno millesimo sexcentesimo & octavo pars sibi adversa ostenderat, condemnandam; Omnibus interim hoc sic habentibus, tam *Politicas*, quam *Ecclesiasticas* in hisce Provinciis dissensiones ex induciis tantummodo promanasse, juxta vulgare illud, *Quiescens rubiginem contraho*. *Septimo*, illud etiam verissimum erat, Belgas Confœderatos armis semper prosperiores, mercaturæ Oceanique evasisse Dominos; atque eorum primarios, Nobiles, Cives, Maritimos Nautasque bello adscitos eodem promotos, honore ac divitiis adauctos, summa insuper disciplina atque unanimitate fuisse contentos, quibus etiam exterorum metu majorem in modum tenebantur devincti quæ otio collapsuræ certò erant: *Octavo*, denique accedebat propositum, & decretum ad Indiam Occidentalem Societatis instituendæ, qua vitalem Regi Hispaniarum arteriam succidi, opesque ipsi primarias eripi, Incolas autem ac Provinciarum Confœderatarum subditos fortunis divitiisque majorem in modum accumulari posse sperabant. Quapropter neque Mauritio Arausionensium Principi, neque ab eo dependentibus Ordinibus inducias prorogandi unquam incidit postulatio. Etenim Albertus Archidux Austriæ, è Principibus Belgii, & Infans fœmina ut clementiores multò, ita pacem magis amplectebantur: quamvis tamen Hispani variis in Germaniâ successibus cæterisque in locis rebus feliciter gestis, elatiores magna sibi in hisce Provinciis (protracto bello) persuaserant; utpote qui *præteritas dissensiones civiles deque religione disceptationes* suppressas ac sopitas quidem, at nondum deletas extinctasque probè noverant; multa deinde è status nostri, facultatum atq; incolarum ingenii conditione, multa insuper ex oppidorum, arcium & propugnaculorum, multa se è fluviorum & Portuum nostrorum situ, quorum omnium pristino bello fuerant inscii, jam percepisse arbitrabantur. Ipsimet itaque ad induciarum dissolutionem propensiores, in causa fuerunt, quod tam inhumana atque horrenda propositione exornatus Peckius delegaretur; cujus illico repulsam laturum non ignorabant. Nam alioquin plus satis causæ supererat, ob quam à parte Nostra tractatum tam subito atque inopinato succisum non oportebat; Peckio licet iniqua petente: quippe injusta plerorumque tractatuum initio postulantur; secundum vulgare hoc; *Iniquum petitur, ut æquum obtineatur*. Quin imo Ipsimet Britanni (*Philippo de Comines referente*) quovis cum Gallis tractatuum initio, universum Galliæ regnum petere consueverant. Utramque tamen & *propositionem iniquam ac duram & responsionem expeditam atque animosam* sagaces plerique ac providæ mentis homines ingenuam parum ac prudentem habebant: primo, quod Hispani præteritarum induciarum beneficio, rebus plerisque feliciter gestis, haud parum evicerant, insuperque plura earundem prorogatione sperare poterant; quum contra, sumptuoso se huic bello admiscentes apertos ac latè patentes aditus in Italia ac Flandria sui invadendi, & Gallis & Brittannis pararent; præsertim, maximas Gallorum vires, veteres insuper ac graves eorundem in Hispanos inimicitias non ignorantes; quemadmodũ etiam paulo post Gallorum, & paucorum annorum spatio interjecto, Britannorum dissolutione premebantur. Quod nequidem ipsis evenisset, si æquiores Confœderatis atque honestiores obtulissent conditiones; quales tandem Anno millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & octavo, offerre coacti fuerunt. Secundo autem, morandum magis, idque producendum fuisse negotium, neque tam subito prorogandarum

induciа-

induciarum propositionem fuisse dissolvendam plerique arbitrabantur; quod si eo tantum fine factum fuisset, ut etiam Gallia Angliaque huic negotio admisceri potuissent; quippe magni utriusque intererat, si per Nos Hispani distraherentur. Quod si igitur novos induciarum contractus Præpotentes Ord. se inituros tantummodo assimulassent, Galli Britannique amicitiam atque auxilium Ordinibus ultro obtulissent; quæ, postquam omnem cum Hispanis contractum præcisum atque interruptum perceperunt, distulerunt, nosque neglectos habuerunt: adeò ut nostræ ad ipsos legationes, finitis induciis, ea de causa institutæ, exiguo nobis commodo fuerint. Quinimo, nunquam magis quam tum temporis aversum à Statu nostro animum Galli ostenderunt, nonnihil adhuc propter *res adversus Remonstrantes judicatas* succensentes; quam etiam Gallorum Rex occasionem captavit (Hispanis jam nunc Confœderatisque bello invicem disjunctis) reformatæ religionis confessores (quibus alioquin non ab hisce duntaxat Provinciis, verum ab Hispanis etiam posset subveniri) opprimendi ac plurima *salvorum conductuum loca* iisdem eripiendi. Confœderati itaque aperto huic bello involuti, Hispanicis & Austriacis adversum euntes successibus paulatim ab his illisque in eodem adjutabantur.

Qui Status nostri confœderationem atque amicitiam post induciarum expirationem primus postulavit, fuit Rex Daniæ; qui decimo & quarto die Maii per Regni sui Cancellarium D. Ulefeldium cum Præpotent. Ordinib. sequentia concludi jussit.

Argumentum literarum auctoritatis, ad concludendam cum Daniæ Majestate amicitiam, Dominis Deputatis concessarum.

„ ORdines Generales Confœderatarum Belgii Provinciarum, universis & singu-
„ lis, quibus continget has videre audireve salutem; Constare volumus, quo-
„ niam Serenissimus ac Potentiss. Dominus Christianus Quartus, Daniæ, Norvegiæ,
„ Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmar-
„ siæ, Comes in Oldenborg ac Delmenhorst &c.

„ Et Nos in rem esse duximus, ut juxta tractatus, inter supra memoratæ Majesta-
„ tis Regiæ Deputatum, Regni Cancellarium & Consiliarium, Dominum Jacobum
„ Ulefeldium in Urup arcis Niburgensis Præfectum, & Nostros similiter Delegatos,
„ decimo & quarto die Maii initos, utriusque partis Deputatorum secundo habe-
„ retur conventus; atque ad id negotium Bremæ à Dicta Regia Majest. sint designa-
„ tæ, ut de infectis quibusdam articulis porro conveniretur, ad fœdus firmum atque
„ amicitiam perpetuam stabiliendam; Quocirca prudentia, fide, industria & longa
„ rerum experientia freti Nobilissimorum, Strenuiss. Amplissimorum, atque Erudi-
„ tiss. Dominorum, D. Regneri Pauw, Ex-Consulis atque è Consiliis civitatis Am-
„ stelodamensium, D. Marci à Lijcklama in Niholt, Grietmanni in Stellingwerf &
„ Ostende, D. Swerii ab Harshold in Haarst, Quæstori Zalandiæ Generalis,
„ D. Goosseni Schaffer, Toparchæ in Uithuse, civitatis Groningensium Consiliarii,
„ quos è Concilio Nostro Deputatos delegavimus, ut pro Nobis & Nostro loco
„ cum iisdem Regiæ Majest. Daniæ Deputatis super infectis & omissis quibusdam
articulis

articulis agerent, constituerent ac decernerent, quæcunque cum præmemorato Regiæ Majest. Deputato ad syncerae & perpetuæ amicitiæ fœderisque promotionem pertinere existimabunt.

In quem etiam finem auctoritatem ipsis potestatemque per præsentes facimus, bonâ fide spondentes, promittentes, quicquid à Nostris Legatis in isthoc negotio actum & transactum fuerit, Nos constanter, firmiter atque inviolabiliter observaturos. In quorum testimonium, præsentes hasce literas magno nostro sigillo muniri, atque à Graphiario nostro signari curavimus. Hagæ-Com. nono die Augusti, Anno millesimo, sexcent. primo & vicesimo.

Argumentum Ratihabitionis Confœderationis initæ cum Serenissimo Rege Daniæ.

ORdines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum, Omnibus & Singulis, quibus obtinget præsentes hasce literas videre audireve, Salutem. Constare volumus, decimo & quarto die Maii, proxime elapsi anni hujus millesi. sexcent. vicesimi & primi, à Nobilissimo & Strenuissimo Domino Jacobo Ulefeldio in Urup Præfecto, Serenissimi & Potentissimi Regis, ac Domini, D. Christiani Quarti Regis Daniæ, Norvegiæ &c. Cancellario & Consiliario, ab una, & Nostris Deputatis ab alterâ parte, *syncera mutuaeque amicitiæ, societatis ac confœderationis*, articulos aliquot propositos decretosque esse, præmemoratæ tamen Majestatis Regiæ Nostroque consensu salvo.

Quoniam Serenissimus, Potentissimus Rex ac Dominus, D. Christianus Quartus, Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Slesvici Dux, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, Comes in Oldenborgh & Delmenhorst &c. Et Fœderatarum Provinc. Præpotentes D.D. Ordines Gen. jam ab aliquot retrò annis *syncera ac mutua inter Nos amicitiâ & societate degimus*; Vtrique jam aliquamdiu tempus præsens sedulò considerantes, simul autem, *quo in loco res & fortuna Totius Orbis Christiani jam nunc forent, perpendentes, propriumque spectantes commodum; quum unius Salus, incolumitas, ac fortuna ab alterius omnino dependeant*, diligentius paulo considerarunt penitiusque perpenderunt, quò arctius inter se devincirentur atque obstringerentur, syncero ad id impulsi zelo, Christiano proposito atque *universi corporis Euangelici*, & utriusque Status incolumitatis studio, etiam atque etiam inter se convenire, componere ac decernere cupientes amicitiam aliquam veram, societatem ac confœderationem ad Status utriusque defensionem ac subditorum incolumitatem. Adeo, ut summè præmemoratæ partes utræque post acriorem perpensionem ac pleniorem deliberationem, auctoritatem potestatemque fecerint, summè dicta Majestas Regia ab unâ, Nobilissimo Strenuissimoque Domino Jacobo Ulefeldio in Urup, ejusdem Majestatis Regiæ Cancellario & Consiliario, Arcis Niburgensis Præfecto, vi procurationis traditæ, decimo autem elapsi Februarii die exaratæ, & Celsissimi ac Præpotentes Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum ab alterâ parte, Nobilissimis, Strenuissimis Amplissimisque Dominis, D. Gisberto de Boetseler, Dapifero Hæreditario Ducatus Cliviæ, & Præfecto aggerum Mosam inter & Vahalem, D. Jacobo de Wassenaar & Duivenvoorden,

„ Domino in Oppijck, Heynsbroeck, Spierdijck, Suitvico,&c. Hollandiæ & West-„ Frisiæ Vicario Archithalasso, D. Hugoni Muys ab Holy Equiti, Prætori aggerumque Stryæ præfecto, D. Regnero Pauw, Ex-Consuli civitatis Amstelodamensium,& Consiliario, D. Jacobo Magno, Equiti, Domino in Berg-Ambagto & Melisant, D. Arnoldo van Zuilen à Nivelt, Domino de Geresteyn & Reckop, D. Marco à Lijcklama, Domino de Niholt, Griet-Manno in Stelling-werf, & Ostende, D. Baldovino Sloeth, regionis Vlevensis & Cunardi Quæstori Generali, D. Goossenio Schaffer, Toparchæ in Uithusen, civitatis Groningensium Consiliario, Delegatis suis, universis & singulis, in Celsissimorum & Præpotent. D. D. Ord. Concilio Deputatis, eum in finem, ut ipsis integrum sit conferre, communicare ac deliberare super eâdem propositione & mediis, quibuscunque negotii *cæptique tam salutaris* institutioni ac promotioni plurimum inservire, ac quibus ad finem exoptatum perduci queant. Quapropter etiam supradictus Legatus & partium utrarumque Deputati, ut se fideles in omnibus præbeant, decreverunt & concluserunt, Summè præmemoratæ tamen Majestatis Regiæ, ac Præpotentium D. D. Ordinum Gen. consensu, correctione, dispositione & confirmatione salvis, qui sequuntur, articulos.

„ 1. Firma, bona ac perpetua coletur pax, amicitia societasque inter Serenissimum, Potentissimumq; Regem Daniæ, Norvegiæ, &c. Atque inter Celsissimos & Præpot. D. D. Ord. Gener. Celeberrimi confœderati Belgii, in omnibus & singulis eorundem Provinciis, interque subditos, tam præsentes quam futuros, terra marique syncerè, omni dolo & fraude exceptis.

„ 2. Utrique utriusque commodo, saluti atque incolumitati, quibuscunque rebus possunt, obnixè fideliterque incumbent, expetent & promovebunt; atque ad id omnem operam, curam, diligentiam, quoad ejus fieri poterit, conferent.

„ 3. Nihil vel ipsi, vel per alios clam aut palam tractabunt, constituent, agent concedentve, quo alteri Confœderatorum parti *periculum, damnum aut quomodolibet jactura aliqua* possit evenire; quin potius ejusmodi consilia, machinationes conatusve, si à quopiam in alterius damnum vel incommodum proponantur, atque instituantur, in tempore & quamprimum cognita fuerint, Confœderatis indicabunt, atque ea omni studio, labore ac diligentia prævertere atque amoliri conabuntur.

„ 4. Neutra insuper fœderatorum pars, sive clam, sive palam, aut quocunq; modo illud evenire possit, alterius hostibus, qui aut nunc sunt, aut deinceps esse possunt, quicunque tandem vel summè præmemoratam Regiam Majestatem, vel Præpotentes D. D. Ordines Generales terrâ marive bello animoque hostili aggressi fuerint, in *suis regionibus, Dominiis, Provinciisque, milite, navi, pecunia, commeatu, subsidio ullisve rebus aliis aut modis succurret vel adjutabit*; neque permittet alterius fœderatorum partis hostes in suis Dominiis, Provinciis aut Regionibus, tum publicè tum privatim, auxilium ullumve subsidium consequi, quin potius Confœderatorum alteram partem ad finem exoptatiorem rerumque meliorem exitum admonebit, juvabit ac promovebit.

„ 5. Nullas Confœderationes, Ligas, aut contractus quosvis pars altera inibit, constituet, vel cum aliquo *adversus alteram* urgebit, unde vel suspicionis, periculi, vel

vel jacturæ quicquam evenire possit; aut si ante id tempus fœdera contractusve „ cum quopiam inierit ac constituerit, vel in posterum inibit constituetque, nulla „ eorum vel *damno, periculo vel jactura futura sunt*; Quinimo omnibus ex partibus syn- „ cera, firma ac perpetua amicitia societasque omni diffidentiæ suspicione, omni- „ que dolo & fraude exceptis, inviolabiliter observabitur. Atque insuper contractus „ hujus fœderisque vi concessum est, eas omnino Confœderationes à Regia Ma- „ jestate Daniæ, à finitimis sociisque populis, & Celsissimis ac Præpotent. D. D. Or- „ dinib. General. antehac initas, confirmatas ac constitutas, imprimis autem Anno „ millesimo, sexcentes. & decimo tertio, ac nonnullis subsequentibus annis, aut „ quæcunque dehinc iniri, confirmari ac constitui poterunt, Majestatis Regiæ, Re- „ gnique Daniæ, privilegiis, libertatibus, Dominiis aut Regalibus tam mari quam „ terra, Oceano, mari Balthico aut Septentrionali, sive aliis quibuscunque Regiæ „ Majestatis juribus, libertatibus, privilegiis, Dominiis aut Regalibus nihil quic- „ quam derogaturas. „

6. Quod si quis utriusque Confœderatæ Partis subditus, de re quacunque hone- „ sta, justas instituerit querelas, tum eædem ex jure justoque modo peragentur, ex- „ pedientur, atque ab utraque parte justitia sedulo ac gnaviter administrabitur. Qui- „ bus tandem fiet, ut amicitia societasque firma atque inviolabilis sit permansura. „

7. Confœderatio præterea sive contractus præsens fœderibus atque utriusque „ partis ante id tempus contractibus cum Regibus, Principibus, & Rebuspublicis „ initis ac constitutis neutiquam derogabit; sed vigorem & vim suam retinebit, „ *salvo tamen præsenti fœdere.* „

8. Contractus denique & Confœderatio præsens, à summè præmemoratâ „ Majestate Regiâ, atque à Celsissimis & Præpotent. D. D. Ord. Gener. trium Men „ sium spatio, aut, si illud fieri poterit, maturius confirmabitur: atque utriusque Con- „ fœderatorum partis Legati quamprimum, quo loco aut quo pacto, Regiæ Maje- „ stati vel per alium fuerit visum, ad pleniorem contractum ineundum revertentur, „ quo sciri possit, *quibus auxiliis, quibusve copiis* utræque partes sibi invicem succurrere „ debeant; quum vel in Regionibus, Provinciis vel Dominiis bello infestantur; aut „ quo denique modo, quanta militum copiâ, quo tempore accipient, deque resti- „ tutione eorundem, an, vel quousque fieri debeat pernoscatur ac decernatur. At „ quoniam in tractatione *portuum quorundam*, in quibus negotia commerciaque ante „ hunc diem exerceri non consueverunt, facta est mentio, de iis omnibus in con- „ ventu proximo agetur, simul autem ab utrisque Confœderatorum partibus con- „ stituetur ac decernetur, quicquid utriusque commodo inservire posse existimabi- „ tur. De *navigationibus ad utramque, tum Orientalem, tum Occidentalem Indiam, ejusque commerciis*, de quibus supradictus Legatus nonnihil exposuit, futuro similiter con- „ ventu, &, quoad ejus fieri poterit, cum utriusque satisfactione plenius latiusque „ agetur. Quibus actis, constitutis ac decretis, manu nostrâ subscripsimus & sub- „ signavimus, Hagæ-Comit. decimo & quarto die Maii, Anno millesi. sexcent. vices. „ & primo. Quocirca præsentem contractum ejusque articulos gratos ratosque „ habentes, confirmavimus ac rati habuimus, eosdemque per præsentes confirma- „ mus ac rati habemus: spondentes & promittentes, eos nos esse observaturos, „ neque ulla, quacunque tandem ratione, sive directâ sive indirectâ, contraventuros.

„ In cujus rei testimonium præsentem hanc Confœderationem magni sigilli nostri
„ appendice, solitâ confirmationis notâ muniri eamque Graphiarii nostri subscri-
„ ptione confirmari curavimus. Datum in Concilio nostro Ordinum, Hagæ-Com. die Augusti nono, Anno, millesimo. sexcentes. vicesimo & primo.

Anno proximo Serenissimus Princeps Elector Brandenburgicus per Comitem Swartsenburgensem sequentem Confœderationem cum Præpotentibus Ordinibus General. Hagæ-Com. decimo die Martii, Anno 1622. iniit. Ac deinde Anno 1624. tertio & vicesimo die Octobris, per eundem Comitem Swartsenburgensem.

Argumentum Contractus initi cum Principe Electore Brandenburgico.

„ FOederatarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus, quibus
„ præsentes has literas continget legere audireve, Salutem. Constare volumus,
„ inter Celsissimi & Serenissimi Principis Electoris, Domini D. Georgii Wil-
„ helmi, Marchionis Brandenburgensis, S. Romani Imperii Archi-Camerarii,
„ & Electoris, *Borussiæ* & Cliviæ, Juliaci, Montium Ducis &c. arcani Con-
„ silii Senatorem, Archicamerarium & Legatum, Per-Illustrem Dominum, D. A-
„ damum Comitem in Swartsenburg, Dominum in Hogenlandtsberg & Gimborn,
„ Equitem Regii Ordinis S. Michaëlis in Gallia, ab unâ, atque inter Deputatos No-
„ stros ab alterâ parte, decimo die Martii proximè elapsi, contractum quendã arctio-
„ ris fœderis ac societatis, utriusque tamen partis D. Deputantium consensu ac con-
„ firmatione salvis, ab eis initum decretumque esse; cujus quidem argumentũ à verbo
„ ad verbum tale est: Quoniam à plurimis retrò annis, inter celeberrimam Domum
„ Brandenburgicam ac Præpotentes Ordines Generales Provinciarum Belgii unita-
„ rum, bona & firma amicitia ac societas mutua culta fuerit, quæ quidem eousque se
„ extenderit, ut summè præmemorati Ordines Generales, post obitum Celsissimi
„ ac Serenissimi Principis D. Johannis Guilielmi, Cliviæ, Juliaci, & Montium Du-
„ cis, Comitis Marcæ, Ravensbergi, & Ravensteinii &c. Se, cum utraque Galliæ
„ Brittanniæque Regiâ Majestate, ac cæteris Imperii Principibus Electoribus, con-
„ junxerint, ad Illustrissimum Imperii Electorem Brandenburgensem, & Neo-
„ burgensem Principem in suis jam possessis Principatibus, ac dominiis à summè
„ præmemorato D. Johanne Guilielmo relictis, defendendos ac protegendos, do-
„ nec, cui Dominia ac Principatus ex jure competant, statutum ac dijudicatum fue-
„ rit. In quo negotio, quandoquidẽ, propter casuum quorundam extraordinariorum
„ interventum, hactenus nihil quicquam agi potuerit, secundum contractus inter
„ summè præmemoratos Imperii Electores, Celsissimos ac Serenissimos Principes, ea
„ de causa initos, nonnulla vero loca subinde ab aliis occupata fuerint, qui ad supra-
„ dictos Principes tuendos neutiquam fuerant rogati, ac Serenissimus Princeps Im-
„ periique Elector D. Georgius Wilhelmus Marchio Brandenburgensis, S. Ro-
„ mani Imperii Archi-Camerarius atque Elector, *Borussiæ*, Cliviæ, Juliaci & Mon-
„ tium Dux &c. per Suæ Celsitudinis arcani Consilii Senatorem & Archi-Came-
„ rarium, Per-Illustrem Dominum, D. Adamum Swartsenburgensem Comitem,

D. in

D. in Hoogenlandsberg, & Gimborg, Regii Ordinis in Gallia S. Michaëlis Equitem &c. ad ejusmodi occupationes porro præveniendas, ac Serenissimi Principis Imperiique Electoris jus notissimum conservandum, arctioris fœderis ac societatis contractum principatus ac dominia primario spectantem inter Celsitudinem Suam & summè præmemoratos Ordines Gener. in eundem consentientes, ad societatis amicitiæque continuationem concludi mandarit. Quocirca à prædicto D. Swartsenburgensi Comite ac Præpotentium D. D. Ordin. Gen. Deputatis sequentes articuli sunt instituti, salvo tamen utriusque partis D. Deputant. consensu ac ratihabitione, à quibus eorundem articulorum tabulæ consignatæ, abhinc trium mensium spatio, debitâ formâ institutæ tradentur. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

Primò: Fœdus hoc præsens defensionis duntaxat futurum est, videlicet ad Celsissimum Principem, Imperiique Electorem in jure notissimo, quod Celsitudini suæ in Dominia, Cliviæ, Juliaci, Montium, Marcæ, Ravensbergi, & Ravensteinii &c. competit, defendendum; ne eodem disturbetur ac privetur. „ „ „ „

2. Minime tamen per præsentem Confœderationem ejusmodi defensionem intelligi volunt Præpot. Ord. G. cujusmodi summè præmemoratæ Galliæ Britaniæque Majestates Principi Brandenburgico Imperiique Electori, ac Comiti Palatino Neoburgensi, sive utrique, sive eorum singulo, promiserint; neutiquam dubitantes, quin Majestates Supradictæ eandem defensionem sint præstituræ ad recuperationem juris ac Dominiorum, quibus Celsissimus Princeps Brandenburgicus Imperiique Elector hactenus plurimâ ex parte fuit privatus atque etiamnum magnâ ex parte privatur. „ „ „ „ „ „ „ „

3. Fœdus itidem præsens tantisper durabit, donec Serenissimus Princeps Elector ad plenam perfectamque legitimi juris, quod Celsitudini suæ in supra dicta Dominia competit, possessionem pervenerit, sive negotium universum transactum sive cum ejusdem competitoribus fuerit compositum. „ „ „ „

4. Illud vero, si vivâ Celsitudine Suâ componi vel transigi negotium haud potuerit, ad ejusdem Celsitudinis suæ hæredes aut successores præsens etiam fœdus se extendet. „ „ „

5. Quod si quis aliqua, jam nunc à Celsitudine Suâ possessa, loca hostiliter aggrediatur, in casu ejusmodi pro Status sui facultatibus Præpotentes Ordines Generales malum hoc propulsare conabuntur. „ „ „

6. Ac quibuscunque insuper mediis fieri poterit, Præpotentes Ord. Serenissimum Principem Electorem adjutabunt ac subvenient, quo, si eveniat, *tributa, vectigalia, bona publica aliaque insuper exactiones, pro rei necessitate, in Dominiis Cliviæ, Iuliaci, Montium, Marcæ, Ravesteinii &c.* imperentur, quamdiu milites non dimittentur. „ „ „

7. Contra vero Serenissimus Princeps Elector sub Præpotentium D. D. Ord. Gener. signis habebit, proprioque satisfaciet ære *legioni mille peditum, in octo distributa cohortes*, quarum prima, Tribuni scilicet, *centum & sexaginta milites*, reliquæ autem *centum & viginti numero*; vel si plures è prædictis tributis, vectigalibus, bonis publicis cæterisque exactionibus quæ vel commodè excogitari vel imperari poterunt, persolventur; idque tanto stipendio, tali solutionis atque armaturæ modo, quanto Præpotentes Ordines suos vel exsolvent, seu quali milites suos adarmabunt, ad fœderis usque expirationem. „ „ „ „ „ „ „ „

„ 8. Atque insuper Serenissimus Princeps Elector, per universum abhinc annum, „ sub signis continebit *quingentos pedites* per easdem cohortes distributos, per Tribuni „ cohortem sc. sexaginta & sex, per reliquas autem sexaginta ac duos milites; ac sub „ cujusque cohortis signo, itidem satelles & tympanotriba unus, continebuntur.

„ 9. Ejusmodi videlicet ordo bonus instituetur, quo appareat, quod *supra dicta* „ *tributa, bona publica, reliquaeque exactiones* in nullum alium adhibebuntur neve impen- „ dentur finem, praeterquam in militum stipendium: pront supra dictum est.

„ 10. Quemadmodum etiam Praepotentes Ordines pro Status sui facultatibus in „ id incumbent, quò Serenissimus Princeps Elector omnium ditionum, fructuum „ ac singulorum quaestoratuum mediam partem tradat; nullique insuper praefecti, „ vel cohortium duces, absque consensu & beneplacito Serenissimi Principis Electoris legentur.

„ 11. Nullis prorsus utriusque D. D. contrahentium partis subditis vel emere „ vel vendere integrum erit, quascunque actiones, quae cum alterius partis subdi- „ torum damno, praeterquam jure possibili, exigi queant, locis tamen ejusmodi, „ quibus illud conveniat, idque sub annihilationis damno ejusdem emptionis: neque „ ulla Confoederatorum pars vim, ac fraudem quamcunque admittet, neve aliqua „ ad id concedet represalia, ut vocant, neve justitiae solitae cursum impediet.

„ 12. Sin autem, ejusmodi aliasve ob causas, dissensiones nonnullae inter utriusque „ Partis subditos oboriantur, ad decisionem earundem ab utraque parte tres Ordi- „ ne locoque insignes viri delegabuntur, qui litem hanc dirimant, rem conficiant, „ ac sententiarum multitudine componant. At vero in hoc negotio, si convenire „ nequeant, summum sibi electuri sunt Arbitrum, qui rem omnem ex sententiarum „ multitudine expediat, quod ratum firmumque utrique parti habebitur.

„ 13. Serenissimi Principis Electoris ditiones ac dominia ab omni itinere mili- „ tari, castrorum metatis militumque hospitio, quoad ejus fieri poterit, excusa- „ buntur.

„ 14. Cum vero aliqua castrorum metata obvenerint, ea optimâ instituentur „ disciplinâ, qualem Praepotentes in suis Provinciis atque inter suos exercere con- „ sueverunt.

„ 15. Quod si quis militum disciplinam atque à Praepotentibus institutum ordi- „ nem infestando fuerit transgressus, in eum, prout decet, animadvertetur.

„ 16. Postquam vero ad pacificam dominiorum suorum possessionem Sereniss. „ Princeps Elector sive jure, recuperatione, sive contractu pervenerit, sive ob cau- „ sas aliquas tradiderit, vim ac robur suum haec Confoederatio retinebit, quò videli- „ cet Sereniss. Princeps Elector, ejusdemque Haeredes ac Successores postmodum „ tria militum millia, in binas legiones distributa, proprio aere persolvere tenebuntur. „ idque viginti annorum spatium. Sed si cum competitoribus suis Sereniss. Princeps „ Elector composuerit, dominiorum sibi partem aliquam retinendo, tum militum „ stipendii supradicti pars aequalis exigetur, secundum ejusmodi dominiorum par- „ tem, quam sibi Sereniss. Princeps Elector retinebit.

„ 17. Quod si Praepotentibus Ord. pro temporis ac rationis opportunitate visum „ fuerit, locum quendam in Regionibus Cliviae, Juliaci, Montium &c. obsidere, „ quem jam nunc recuperandi Serenissimo Principi vires desunt, eundem proprio

milite

milite oppugnare Præpotentibus Ord. integrum erit, absque ulla tamen Serenissimi Principis Electoris ope sumptibusve.

18. Veruntamen Sereniss. Princeps Elector, summè præmemoratis Ordinibus Generalibus, extraordinariorum sumptuum, in obsidione locique oppugnatione impensorum, tertiam restituere partem tenebitur, ordinario tamen equitum peditumque stipendio excepto, quod extraordinariis sumptibus neutiquam annumerabitur, verum à Præpotentibus Ordinibus solis exsolvetur.

Quæ omnia prædictorum Deputatorum subsignatione sunt confirmata Hagæ-Com. Anno millesimo, sexcentesimo & vicesimo secundo, stylo novo. Subsignatum erat, Adamus, Comes Swartsenburgensis; Gisbertus de Boetseler; Nicolaus à Bouchorst; H. Muys ab Holy; Albertus Joachimi. Cum prædictorum Dominorum sigillis in cerâ rubeâ impressis.

Quocirca nos prædictum arctioris Confœderationis contractum, lectum perpensumque, ita approbamus, ratihabemus ac confirmamus, omni meliori fide spondentes, promittentes, pro nobis, ac nostris Successoribus, nos omnes & singulos ejusdem articulos, puncta & clausulas, firmiter, constanter & inviolabiliter observaturos, nullâque ratione, vel directâ vel indirectâ ut contraveniatur passuros. In cujus rei testimonium hunc Confœderationis contractum Magni nostri sigilli appendice & Graphiarii nostri subscriptione muniri fecimus. Datum Hagæ-Com. quarto die Junii, Anno, millesimo, sexcentesimo, vicesimo & secundo.

Argumentum propioris declarationis à Comite Swartsenburgensi, in prædictum Confœderationis contractum, tradita.

Posteaquam Fœderati Belgii Ordines Generales Me infra nominatum, aliquoties rogârunt, ut ex articulis Confœderationis decimo Martii die hujus anni ratihabitæ confirmatæque inter, Serenissimi Principis ac Domini, D. Georgii Gulielmi, Marchionis Brandenburgensis, Sacri R. Imp. Archi-Camerarii, Electoris Borussiæ, Cliviæ, Juliaci & Montium Ducis, Domini nostri Clementissimi, Me Delegatum, atque inter Præpotentium D.D. Ord. Gen. Deputatos, aliæ quædam Confœderationes, cum Celsitudine sua ejusdemve D. Parente, gloriosissimæ memoriæ, sive cum reliquis Electoribus Principibusque fœderatis unanimi consensu initæ ac conflatæ, excluderentur. Ad quod transigendum, cum nulla me auctoritate à Serenissimo Principe D. Nostro Clementissimo instructum munitumque scirem, simul etiam supramemoratæ Confœderationis articuli, decimo die Martii initi, *Cliviam* duntaxat *Iuliamque* concernerent: Quapropter etiam summè memoratos D. D. Ordines majorem in modum rogavi, ne quam hujusce rei mentionem jam nunc facerent, verum omnes illas ante hunc diem vel in lucem editas, vel ratihabitas Confœderationes pristinam suam vim ac robur obtinere velint, addita declaratione, nullum dictarum Confœderationum articulum quidquam Ordinibus Generalibus esse derogaturum, sed eorundem prætensiones atque exceptiones vim suam roburque secundum dictæ Confœderationis decimo die Martii initæ, articulos, servaturas. Iccirco Præpotentibus D.D. Ord. hac decla-

„ declaratione contentis, eandem in sequentem & commodiorem hujus inspectio-
„ nem per præsentes atteſtari volui. Datum Hagæ-Com. decimo die Martii, Anno
„ 1622. Signatum erat. Adamus Comes in Swartſenburg.

Subſequitur Anni 1624. Contractus.

Argumentum Confœderationis initæ cum Swartſenburgenſi Comite Sereniſſimi Principis Electoris Brandenburgici Deputato.

„ QUandoquidem poſt arctiorem Confœderationem initam ac conſtitutam,
„ inter Sereniſſ. ac Celſiſſimum Principem D. Georgium Wilhelmum,
„ Marchionem Brandenburgenſem, Electorem ab unâ, & Fœderati Belgii Præ-
„ potentes Ordin. Generales ab alterâ parte, nonnullæ contentiones ſint obortæ,
„ quæ peroptatum Confœderationis fructum ac commodum nonnihil ſunt remo-
„ ratæ, neque parum interſit, ad bonæ firmæque fidei, Sereniſſimum Principem Ele-
„ ctorem inter & Præpotentes Ord. Gener. obſervationem, ut ſupra dicta amovean-
„ tur penituſq; deleantur incommoda, & ab utraque parte exoptatus Confœderatio-
„ nis uſus percipiatur, inſuperque Sereniſſ. Princeps Elector non diutius à jure ſuo
„ (quod apud omnes in confeſſo eſt) in ditiones Juliaci, Cliviæ &c. earumque poſ-
„ ſeſſione diſturbetur, ac tributorum facultates opeſque, quæ ſecundum prædictam
„ Confœderationem ante hac ſunt conſtitutæ, minime negligantur, aut temere con-
„ ſumantur, ſubditiq; ſummè præmemorati Principis Electoris in nominatis Prin-
„ cipatibus cæteriſque ditionibus non nimis gravi executione afficiantur, ac mili-
„ tes nihilominus ſub ſignis contineantur, prout contractu proximo præfinitum
„ decretumque eſt: in quem etiam finem conventus nonnulli fuerunt habiti, ſc.
„ Embrici primùm, ac deinde per Dominum Winterſfeldium, Sereniſſimi Prin-
„ cipis Electoris Legatum, ac Præpotentium D. D. Ord. Deputatos Hagæ-Com.
„ Quo tempore ſupradicto D. Winterſfeldio quidam articuli conſcripti fuerunt tra-
„ diti, Sereniſſimo Principi Electori exhibendi, qui, iiſdem in concilio ſuo exami-
„ natis perpenſiſque, delegavit Per-Illuſtrem D. Adamum Swartſenburgenſem
„ Comitem, & Hogenlandſbergi & Gimborniæ Dominum, Equitem Ordinis S. Mi-
„ chaelis in Galliâ, Sereniſſimi Principis Electoris è Conſiliis intimum & Archica-
„ merarium, cum mandato ac poteſtate ſumma, ut ſuper iiſdem articulis plenius
„ cum Præpotentibus Ord. ageret ac ſtatueret. Quocirca, multis ac variis communi-
„ cationibus & contentionibus habitis, inter ſummè memoratum Comitem Swart-
„ ſenburgenſem, ab unâ, & D. Nicolaum de Bouchorſt Dominum Nort-Vici, Præ-
„ torem aggerumque Rhenolandiæ Præfectum, D. Joachimi Equitem, Dominum
„ in Oſtende & Oedekenskercke, D. Rienkium à Burmania, Grietmannum in
„ Ferwerderadeel, D. Swerium ab Haarsholte, Dominum in Haarſt, Regionis
„ Salandiæ Quæſtorem, D. Goeſſenium Schaffer, Toparcham in Uithuſen, D. Jo-
„ docum de Bye, Dominum in Albrantſweert, Fœderati Belgii Quæſtorem Gene-
„ ralem, univerſos & ſingulos Præpotentium D.D. Ord. Deputatos, ab altera parte,
„ ad bonam firmamque fidem conſervandam, inter Sereniſſ. Principem Electo-
„ rem ac Præpotentes Ord. atque ad commodiorem proximæ confœderationis ef-
„ fectum

fectum consequendum à Per-Illustri Comite, nomine locoque Serenissimi Principis Electoris Brandenburgici, atque à Præpotentibus D. D. Ord. Gen. per modum plenioris supradicti contractus Explicationis sequentes Articuli conclusi confirmatique sunt.

Primò itaque Præpotentes Ordines asseverarunt, se pristinâ benevolentiâ præstituros ea omnia, quibus, vi supradictæ Confœderationis, obstricti obligatique tenentur; imprimis vero ea, quæ & sexto & decimo Articulo continentur, quantum in se est, effecturos, ut Serenissimus Princeps Elector eorundem effectum consequatur, *Eidemque insuper, quoad fieri poterit, pro temporis opportunitate subventuros*, ut tributa ac vectigalia à Sereniss. Principe Electore juxta contractum proximum imperata aut adhuc imperanda, itemque pars media ditionum Cliviæ, Juliaci &c. quæ omnia decimo Articulo referuntur, effectum suum sortiantur, ac Serenissimi Principis Electoris nomine exigantur, non obstante tamen neutralitate, quam vocant, Cliviæ, Juliaci, Montium cæterisque iis adjacentibus Dominiis ditionibusque datâ ac renovatâ, quæ quidem omnibus iis, in quæ jus atque imperium Sereniss. Princeps Elector obtinet, dominiis neutiquam profutura est. Quocirca etiam in posterum nulla hujusmodi neutralitas, nullus insuper Salvus Conductus, si supra memoratis obsint, ditionibus Subditisve concedentur.

2. Ad contentiones & dissensiones omnimodas in observationem Articuli noni prædictæ Confœderationis, *omniumque tributorum eò pertinentium*, obortas prorsus amovendas, constitutū decretumq; est, ut bini Seren. Principis Electoris nomine, insignes Ordine locoque Viri delegarentur, qui tributorum nummos & recepturi & erogaturi, quique id munus juxta præscriptum, cujus exemplar prænominatus Swartsenburgensis Comes Præpotentibus Ordinibus exhibuit, administraturi sunt: secundum quod etiam juramento obstringentur, idque Præpotentibus indicabitur. A juramento tamen prædicti Receptores, insciis Præpotentibus, non absolventur: ac proinde etiam à Serenissimo Principe Electore bini mittentur Consiliarii, qui Receptorum totiusque negotii curam gerent; quorum operâ ad muneris officiique directionem & meliorem administrationem ipsi quoque Receptores, si opus fuerit, utentur. Atque iidem insuper Commissarii curabunt efficientque, ut Mensibus singulis Præpotentibus Ordinibus Generalibus perfectus fidusque pecuniarum, tum receptarum, tum erogatarum atque omnium eodem spectantium Status à Receptoribus subsignatus tradatur, ac quotannis plena perfectaque & receptarum & erogatarum pecuniarum ratio, secundùm præscriptum Receptoribus exhibitum, ab iisdem instituatur ac tradatur.

3. Milites insuper, quibus vi supradicti fœderis stipendium exsolvetur, ac quorum opera atque auxilium extra Serenissimi Principis Electoris ditiones *in ejusdem detrimentum* neutiquam adhibebitur, & Serenissimo Principi & Præpotentibus Ordinibus, juxta formulam in eam rem institutam, juramento præstito, quocunque loco visum fuerit lustrabuntur, altero Serenissimi Principis Electoris, altero Præpotentium Ord. Commissario præsente, quibus albo militari subsignare integrum erit. Eum admodum etiam in locis ejusmodi, quæ Serenissimi Principis ac Præpotentium Ordinum præsidiario milite sunt munita, Præpotentium milites à Præpotentium aliquo Commissario lustrabuntur, præsente tamen Serenissimi Princi-

pis Electoris Deputato aliquo, cujus quidem præsentia, si libitum Eidem fuerit, postulabitur, cui catalogo cum Præpotentium Commissario altero subsignare, licebit, ut isthoc pacto utrinque numeri servetur æqualitas. Insuper etiam placuit in iis locis, quæ & Serenissimi Principis Electoris & Præpotentium Ordinum milite præsidiario proteguntur, omnium ac singularum utriusque partis cohortium Duces Præfectósque ad judicium, in quo causæ militares cognoscuntur, pariter admissos iri.

4. Atque è tributorum pecuniis *trecenti equites, cohortesque peditum duodecim* assiduè persolventur, juxta supradictum Receptorum ordinem, Tribuni sc. cohorte ad centum & quinquaginta milites, reliquis autem ad centum & viginti, sub ducibus suis, redactis. Insuperque Kalendis Januarii, Anno 1625. binæ cohortes conscribentur, quarum quæque centum supra viginti milites continebit.

5. Ut denique omnes errores tollantur, qui oboriri potuissent, propter *centena imperialium millia*, à Præpotentibus Ordinibus Gen. Anno 1621. Juliaci, & Montium ditionibus imperata, per retorsionem, ut vocant, propter subsidium atque auxilium Marchioni Spinolæ latum; quorum summa postmodum ad centena & quinquaginta florenorum millia redacta est, cautum ac decretum Serenissimo Principi Electori propterea redditum iri chirographum, spectans *ducentena quadraginta & octo florenorum millia*, fide ac nomine Præpotentium D. D Ordinum Generalium ex privatorum ære conflata, Anno 1616. insuperque Serenissimum Principem Electorem liberatum iri versurâ illius temporis, quæ ultimo die Augusti proximè elapsi effluxit, cujus summa conficit centena & unum supra decem millia, & quatuor supra ducentos florenos, duos solidos, obulos octo, florenis singulis quadraginta grossorum pretio æstimatis, quemadmodum etiam obligantes literæ eam in rem prædicto D. Legato traditæ fuerunt, atque isthoc pacto Serenissimus Princeps Elector ab omni onere omnino liberatur. Quapropter etiam Præpotentibus Ordinibus attribuentur atque persolventur *ducentena quadraginta octo florenorum millia*, ac insuper *undecim supra centena florenorum millia, & quatuor supra ducentos florenos, bini solidi & obuli octo.* quorum omnium summa conficit, *ter centena, nonaginta novem florenor. millia, & quatuor supra ducentos florenos, duos solidos & obulos octo, florenis singulis quadraginta grossorum pretio æstimatis*, juxta cum iis, quæ versuræ nomine debentur, quorum in persolvendo ratio habebitur ab ultimo Augusti, ad omnimodam prædictæ summæ persolutionem, & reliqua omnia ditionis Juliaci & partem mediam Serenissimi Principis eorum quæ debentur in debitis & adhuc debendis reditibus ditionum Juliaci Montium & Ravensbergi, donec supradictæ summæ omni ex parte satisfiat, ad eam exigendam per ejusmodi Receptorem, quem exactioni præficere Præpotentibus Ordinibus fuerit visum, quique tributorum exactionem in prædictis ditionibus Juliaci &c. administraturus (loco tamen ac nomine Serenissimi Principis Electoris, atque cum partis utriusque Commissariorum consensu optimo) atque ab eodem, qui pecunias tributorum è ditionibus Juliaci, Montium & Ravensbergi provenientium recepturus erit, prout exigentur, Serenissimi Principis tamen Deputato aliquo præsente, aut tributorum ab eodem Præfecto, aut Quæstore Generali exsolventes absolvet atque à Præpotentium Ordinum Receptore, in dictæ summæ deductionem, chirographum recipient

recipient; quæ summa conficit *ter centena quinquaginta novem florenor. millia, ducentos supra quatuor florenos, duos insuper solidos, & obulos octo*, cum eorundem effluente versurâ. Insuper autem neque Celsitudo Sua, neque ejusdem Præfecti aut Commissarii prædictam assignationem, quam vocant, exactionemque pecuniarum Præpotentibus quicquam remorabuntur. Utque tantò certiores de prædictâ assignatione ejusdemque ratihabitione, à Serenissimo Principe Electore Præpotentes Ordines reddantur, summè prædictus Comes se suaque omnia tantisper obstrinxit, donec horum omnium confirmationem ac ratihabitionem tradiderit.

6. Denique, quò omnis lis ac contentio super militum hospitiis, igne facibusq; in excubiarum statione Ravensteinii arcisq; Gennapæ persolvendis, tantò faciliùs evitetur, conventum ac constitutum est, Præpotentes eadem omnia esse procuraturos. Quapropter etiam Serenissimus Princeps Elector *tolerabiles onerum modos* Ravensteinio imperaturus, quæ civib. una cum milit. imperabuntur, quem in modum ea cæteris adjacentium ditionum locis, quæ Præpotentium milite præsidiario muniuntur, imperata fuêre, adeo ut nunc quamprimum, ac deinceps, pro temporis opportunitate, quotannis singulisve semestribus à Serenissimo Principe Electore per ejusdem Celsitudinis Suæ Commissarium elocanda sint; præsente tamen Receptore aliquo eam in rem à Præpotentibus delegato, cui onerum Redemptores pecunias annumerabunt, atque à Præpotentium D.D. Ordin. Gen. Quæstore, debitis conscriptum formulis chirographum accipient, idemque veluti præsentis ac solutæ pecuniæ loco Serenissimi Principis Receptoribus exhibebunt. Atque ex iis primò omnium Religionis Reformatæ Pastori quadringenti floreni, Hypodidascalo autem floreni centum quotannis exsolventur; qui utrique dehinc à Serenissimo Principe Electore constituti, Celsitudinis Suæ imperio obtemperabunt, eo modo, quo præsentes Pastores, ditiones & quæcunque ad Cliviensem Synodum pertinent, subjiciuntur. Quod autem pecuniæ reliquum fuerit, militum hospitiis, igni facibusque, ac, si pro temporis opportunitate quicquam superTerit, id omne Serenissimi Principis Electoris militiæ impendetur: Sic tamen, ut per hæc neque Celsitudini Suæ neque juri Ejusdem quicquam derogetur. Quin etiam onera, prout ea à Serenissimo Principe Elect. jam nunc sunt imperata, civibus uti & militibus imperata erunt; eâ lege tamen, ut in Serenissimi Principis Electoris commodum cedant. Quod autem ad ignem facesque arcis Gennapæ attinet, ut à civibus aut alio aliquo modo de iis satis prospectum sit, Serenissimus Princeps Elector curabit. Qui quidem universi & singuli Articuli, jam supra memorati, ab utraque parte fideliter, firmiter & inviolabiliter observabuntur. Quocirca etiam in eorundem certitudinem majorem, bina hisce similia exempla composita atque exarata sunt, quorum alterum Serenissimi Principis Electoris ad Præp. Ordines Deputato D. Præsidentis signatione ac Præpotentium Ordinum Graphiarii subscriptione, Eorundemque sigillo: alterum verò summè præmemoratis Ordinibus Generalibus sigillo ac subsignatione Serenissimi Principis Electoris Deputati muniri, partis utriusque Commissarii curarunt.

Anno 1624. majorem ad bellum animum addebant Præpotentibus Ordinibus Galliæ Britanniæque Reges. Quippe Rex Galliæ sequentem cum Præpotentibus Confœderationem (dictam Compendii, sive Compiegne) inibat.

QVandoquidem Serenissimus ac Potentissimus Princeps, Ludovicus, Eo nomine Decimus Tertius, Dei Gratiâ Galliæ & Navarræ Rex Christianissimus, à Fœderati Belgii Præpotentibus D. D. Ordinibus General: Sociis Suis charissimis ac fidissimis, jam ante tempus aliquod benevolè invitatus fuit, operam hac in re ut daret suam, qua per Legatos Majestati Regiæ rerum & fortunarum suarum statum exhiberent, simul autem mala atque incommoda, universo Orbi Christiano exinde, ab iis maxime, qui eadem in lucrum suum deputant, oboritura demonstrarent. Iccirco Summe præmemorata Majestas, quò Fœderati Belgii Ordinibus Sociis charissimis ac dilectissimis ostenderet, etiam atque etiam cupere se recordari semper memoriam voluntatis summæque benevolentiæ, cujus Serenissimus Rex, Henricus Magnus, Majestatis Suæ defunctus Parens (cujus quidem animæ Deus propitius sit!) sæpenumero Fœderati Belgii Ordinibus in Ipsorum, civium ac Subditorum incolumitatem & tranquillitatem, haud obscurum fecerat indicium: Insuper autem, quò Patris benevolentiam atque in Fœderati Belgii Ordines singularem animum se retinere innotesceret, quoniam Majestati Suæ liquido liceat, se majorem semper in modum assidueque universalem, imprimis autem Belgii pacem, utpote universi Orbis Christiani pacis columen ac fundamentum, expetivisse, prout Regem Christianissimum, qualem à Summo Numine constitutum se profitetur, decet. Quapropter Summe præmemorata Majestas nominavit ac deputavit Celsissimum Ducem de Lesdiguires, *Parem & Comitem-Stabili Galliæ, Dominum Marchionem* de la Verville, *Regiæ Majestatis Ordinis Equitem, in Concilio Ordinum Regni Consiliarium, copiarum exercituumque suorum Marescallum, in ditione Campaniæ Vicariorum Vnum, Supremum Ærarii Regni Curatorem, eum in finem, ut cum Nobilissimis Dominis, D. ab Essen, Gelriæ Zutphaniæque Consiliario, D. Nicolao de Bouckhorst, Noort-Vici Domino, D. Adriano Pauvv, Domino in Heemstede, & D. Gideone de Boetseler, in Asperen Domino, & Langerack, S. Romani Imperii Barone, Extraordinariorum à Præpotentibus Ordinibus Deputatorum qualitate, de optimis quibuscunque ac præsenti negotio mediis inservientibus agerent: Qui tandem vi literarum suarum credentiæ (quarum sub finem exemplum inseretur) plurimis conventibus colloquiisque habitis, in sequentes Articulos convenerunt:*

Primò itaque Majestas Sua Ordinibus Generalibus hoc vertente Anno 1624. mutuo dabit duodecies centena librarum millia; Annisque vicesimo quinto & vicesimo sexto singulis librarum millionem, quæ Annis singulis supradictis Ordinibus in Amstelodamensium civitate, in manus Petri Reaal, Quæstori Hollandiæ Generali, annumerabitur, Ejusdem pars altera sub finem Junii, altera sub finem Octobris.

2. Ordines insuper Generales optimâ legitimâq; formâ semetipsos obstringent ad dictam nummorũ summã Majestati Suæ, Ejusdem vel heredibus aut successoribus Regibus restituendam *tertio ab induciarum pacisve anno*; Et dictam quidem cujusque Annui stipendii summam, duorum sive Pacis sive induciarum Annorum spatio, restituent: videlicet, primi anni stipendium duorum, secundi item, & sic deinceps tertii, duorum similiter annorum spatio, adeo ut universam nummorum summam

novem

novem ſequentium Annorum ſpatio, poſt pacem induciaſve impetratas, exſoluturi ſint.

3. Quum autem Majeſtati Suæ præter *univerſi Orbis Chriſtiani pacem ac tranquillitatem* nihil potius ſit, ſupramemorati Ordines fidem dabunt, ſe ad omnia conſilia, quæ ſaluti atque incolumitati ſuæ inſervire plurimum poſſint, animum adverſuros ſedulò, quæ eâm in rem à Majeſtate ipſis præſcribentur; inſuperque promittent, ſe, neque *inducias*, neque *pacem cum quopiam inituros*, *abſque conſilio ſive Majeſtatis dicta interventu.*

4. Ordines Generales, ſi in ipſorum fuerit poteſtate, *mediâ ſupradicta ſummæ parte* primo hujus contractus Articulo comprehenſæ, Regi aut indigenti, aut bellum gerenti ſubvenient; idque eo tempore ac conditione ſupra relatis, *ſive copiis ſive navibus*, ad memoratum annuum ſtipendium, prout illud Majeſtas ſua elegerit; ſolitum tamen ſtipendii pretium exſolvendo. Sin autem Ipſis in armis eſſe neceſſe ſit, tantum, *quantum Eorundem permiſerit incolumitas*, copiarum, navium vel jam ſæpius dictæ ſummæ partis Regi auxilium portabunt.

5. De utriuſque Orientalis & Occidentalis Indiæ negotiis ac commerciis, per Majeſtatis ſuæ Legatum, ſecundum ipſi datam inſtructionem, agetur.

6. Ordines Generales intra ſex Menſium ſpatium cum Majeſtate Sua convenient, ad partem maris Mediterranei Occidentalem, Algeriæ & Thuneti Piratis liberandam; ac ſi in Fœderati Belgii portibus naves quædam Gallicæ merceſque à dictis piratis in mari Mediterraneo interceptæ reperiantur, quam primum id à Legatis ſubditiſve Majeſtatis rogatum fuerit, reſtituentur.

7. Ordines inſuper curabunt, atque ad id operam dabunt, ut Subditorum Majeſtatis lites ad ſummum Menſium intervallo trium per Senatus Archithalaſſi Commiſſarios expediantur penituſque conficiantur, poſtquam Majeſtatis Suæ Legatus, ſive ab Eadem Majeſtate ad eam rem Deputatus, exauditus fuerit. Veruntamen per ejuſmodi dicti Senatus Commiſſarios lites abſolventur, *ad quos nihil commodi, nihil utilitatis è navibus bellicis, aut bonis interceptis, quæque Eorundem judicio ſubmittentur, evenire queat.* Aut ſi quis dictarum partium ſententiæ à Senatus Archithalaſſi Judice prolatæ reviſionem (ut vocant) expetierit, jam tum Ordines alios Commiſſarios ordine locoque inſignes, ac quorum nihil intereſt, deputabunt, qui cum dicti Senatus Archithalaſſi Commiſſariis idem negotium cauſamque, omni provocatione ulteriore exceptâ, conficient. Interim tamen naves captæ ac bona ejuſmodi à Piratis prædaſque agentibus intercepta, ſalvæ ſecuræque committentur cuſtodiæ, adeo ut eadem vendi minimè liceat, antequam cum Legato in tempore de venditione conventum fuerit: Idem etiam Majeſtas Sua Ordinum ſubditis, ob cauſas rationeſque ſupra memoratas, concedet.

8. In Legionum Tribunis, cohortium ducibus aliiſque Præfectis eligendis, mos ſolitus ſervabitur.

9. Quod ſi Majeſtati Suæ trecentorum aut quadringentorum vehium navibus ad bellum exornatis apparatiſque opus fuerit, eas ſive vendendo, ſive pretio mediocri locando, Ordines curabunt.

10. Si Rex bello impeditus legiones Gallicas ex Hollandiâ revocare neceſſe habeat, Caletum vel Diepam uſque Ordines navibus ſuis transjici cura-

bunt eâ tamen lege ac conditione, si inducias pacemque fuerint consequuti.

11. *Ius Aubanitii* utrique parti cessabit: atque utrinque auxilium copiæque adducentur, quibus adversus eam instituta oppugnatio prorsus conficiatur.

12. De *commerciorum ac navigationum*, in utriusque partis commodum, à supra dictis Legatis propositione habitâ, privatim per Majestatis Suæ Legatum agetur: nihilominus tamen utrinque commercia ac navigationes liberè secureque instituentur.

13. Præsentes Articuli ad trium Annorum spatium, quod si eousque bellum protrahatur, à dictis Ordinibus intra tres Menses formâ debitâ confirmabuntur, Eidemque cum legitimâ confirmatione per Generalium Ordinum Legatum in Gallia residentem tradentur; ut eo pacto memorati Articuli gestaque omnia à Rege diebus quindecim post confirmentur, ac deinceps Ordinibus reddantur.

Argumentum auctoritatis à Rege Galliæ Commissariis suis datæ concessæque.

LUdovicus Dei Gratia Galliæ & Navarræ Rex, prædilecto ac præcharo Nepoti Nostro, Duci de Lesdiguieres, Pari & Comiti-Stabili Galliæ, Et Dominis D. Marchioni de la Veuville, Ordinis Nostri Equiti, Consiliario in Regni Ordinum Concilio, exercituum armorumque Nostrorum Mareschallo, Vicariorum Regni in Campania Uni, atque Regni ærarii supremo Curatori ac Bullionio Domino de Bonnelles, Consiliario itidem in Concilio Ordinum Regni Nostri, atque ærarii Curatori, Salutem:

Considerantes sedulo, quàm religiosè sanctèque Rex defunctus, Dominus Noster ac Venerandus Parens (cujus animæ Deus propitius sit!) ad extremum usque fati diem servaverit atque observaverit Confœderationem cum Ordinibus Unitarum Provinciarum initam, ac sæpenumero per contractus alios renovatam; quam Nos deinde, post Imperii Nostri auspicia, die Iunii vicesimo, Anno 1610. per literas, ut vocant, declarationis, confirmavimus: & quam liberaliter summè memoratus Rex, Ordinibus Generalibus, cum id maxime ad sui propugnationem atque ab omni injuria vindicationem opus haberent, suppetias tulerit, donec tandem inducias, quas ipsemet contrectando effectas reddebat, impetrarent; quo se non tantum Fœderati Belgii, sed universi insuper Christiani Orbis pacem amplecti ostenderet. Quocirca Nos, defuncti Parentis Optimi sanctissima prementes vestigia, æquum justumque esse duximus, quam humanissimè excipere Legatos, qui Ordinum Generalium loco ac nomine ad Nos pervenerunt, rerum & fortunarum suarum statum exhibituri, quò à Nobis, quantum poterit, adjuventur, sive eorundem propugnationem, sive pacem, uti etiam Christiano Orbi universo, perpetuam firmamque impetrando, prout Principem Christianissimum, atque Ecclesiæ Filium natu Maximum decet. Cum itaque, idoneos aliquot Nostri Concilii Viros delegare necesse sit, qui privatim Ordinum Legatos ad Nos missos exaudiant, atque ea, quæ propositvri, quæque insuper in sui auxilium petituri sunt, cognoscant, deque omnibus ejusmodi cum ipsis agant, ac nullorum, qui tali in negotio modestius se fideliusque gerere sciant, quam Vestra ad id opera inveniri queat, utpote qui rerum Nostrarum Maximarum atque intimarum cognitionem haud exiguam consequuti estis; Iccirco ob has aliasque causas, ac fiduciam quam in vobis summam habemus, Vos delegavimus, ac per præsentes propria Nostra manu signatas literas, deputavimus cum plenissima, quam Vobis eam in rem damus & concedimus, auctoritate ac potestate, ut cum supradictis Ordinum Legatis, quo loco ac tempore Vobis visum fuerit, conve-

conveniatis, propositiones eorundem excipiatis, & quid petant pernoscatis; omnia denique & singula cum ipsis perpendatis, consilium ineatis, atque ut Vobis, pro fide vestraque conscientia aequum justumque esse videbitur, in Regni Nostri commodum concludatis; insuperque eorum omnium, quae à Vobis acta & transacta fuerint, instrumenta, acta promissaque pro rei necessitate, excipiatis, approbetis; Nos Nostrosque haeredes & Successores Reges rerum promissarum ac conclusarum observationibus devinciatis, idque talibus terminis, quales optimos ac commodissimos esse existimabitis, atque in omnibus supradictis, in circumstantiis, iisque universis & singulis eodem pertinentibus, quae à Nobis, si praesentes adessemus, aut fierent aut fieri possent, negotio licet auctoritatem ac potestatem ulteriorem, quam quidem praesentibus expressisse videremur, exigente. Quibus omnibus Nos fide optimâ & verbo Regio spondemus ac promittimus, grata rataque habituros, atque omni loco & tempore inviolabiliter firmiterque servaturos, quaecunque à Vobis in tali negotio transacta, promissa & concessa fuerint; eaque Nos esse confirmaturos, quoties id à Nobis petetur; neque ulla ratione sive directa sive indirecta contraventuros. Quae ut transigatis, dedimus ac per praesentes plenissimam potestatem, atque auctoritatem summam, quoniam ita placuit, damus. Actum Compendii, octavo & decimo Aprilis die, Anno 1624. ac Regni Nostri quarto & decimo. Notatum erat, Ludovicus, pauloque infra, Per Regem, Potier. & flavâ cera obsignatum.

Argumentum Procurationis sive auctoritatis ab Ordinibus Generalibus Legatis suis concessæ.

VNitarum Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & singulis, quibus praesentes literas contingет legere audireve, Salutem. Quandoquidem ad Reipublicae Nostrae incolumitatem & tranquillitatem necesse esse duximus, Legatos aliquot ad Christianissimum Regem mittere, ad deliberandum, agendum & cum dicta Majestate Regia foedus defendendi vel offendendi ergo, sive defendendi duntaxat ineundum, multaque alia quae offerentur atque in utriusque commodum proponentur, transigenda. Idcircò plenissime Nobis persuadentes aptitudinem, fidelitatem & providam animi circumspectionem Dominorum, D. Henrici ab Essen, Gelriae Zutphaniaeque Consiliarii, D. Nicolai à Bouckhorst, Noort-Vici Domini, & Domini Adriani Pauvv, Equitis atque Heemstedae Domini, Quos ea de causa deputavimus, ut Nostro nomine locoque, & Legatorum Extra-Ordinariorum qualitate, juxta Dominum de Langerack, Ordinarium Nostrum Legatum, cum dicta Majestate, sive cum iis, quos praesenti negotio pares esse arbitrabitur, convenirent atque agerent. Sed quum ad rem praesentem ex sententia conficiendam, potestate atque auctoritate à Nobis praemuniri opus habeant; quapropter ad omnem super eorundem potestate contentionem ac dubitationem prorsus dirimendam, omnibus Eorumque singulis (si forte unius vel alterius morbo impediti, tres simul negotio interesse nequeant) vi praesentium literarum omnimodam ac plenissimam potestatem facimus, agendi, transigendi, & cum Summe praememorata Majestate, seu qui ab Eadem negotio praeficientur, concludendi Ligam Foedusque defendendi, & offendendi, vel solummodo defendendi; atque contractum talem, qualem utrique haud inutilem esse existimabunt; Insuperque eorum omnium, quae hoc modo agentur atque efficientur, acta, instrumenta & promissa excipiendi atque annuendi, in omnibus & singulis suis punctis, circumstantiis, iisque omnibus, quae eundem finem spectabunt. haud aliter, ac si Nosmet ipsi faceremus, aut praesentes facere possemus, negotio licet ulteriorem auctoritatem aliaque mandata postulante, quam quidem praesentibus expressa videntur. Quibus omnibus fide optima spondemus

demus, ac promittimus, quaecunque à Nostris Ea qualitate, acta, gesta, promissa & conclusa fuerint, Nos omnia grata, rata firmaque habituros, atque inviolabiliter observaturos, neque ulla ratione sive directa sive indirecta contraventuros: verum omnia Eorumque singula ratihabituros, ac quotiescunque opus fuerit confirmaturos, deque iis instrumenta, literas actaque forma debita, quo Maiestati suae satisfiat, tradituros. Datum Haga-Com. in concilio Nostro Ordinum Gener. Magni Nostri Sigilli in cera rubea appendice & Graphiarii Nostri subscriptione munitum, decimo octavo die Martii, Anno 1624. Notatum erat, Henricus ter Ceulen vidit, ac paulo infra, jussu & mandato Ordinum Generalium. Signatum I. van Goch. cum Magni Ordinum Sigilli in rubea cera, ex albi serici filo appendice. In cujus rei testimonium, Nos praefati Commissarii ac quorum nomina subscripta sunt, Legati, praesentem Confoederationem summe praememoratorum utriusque partis Dominorum loco ac nomine, propriis sigillis obsignavimus. Datum Compendii, decimo hujus Mensis Iunii, Anno 1624. Subscriptum, de Lesdiguieres, la Veuville, Bullion, Henricus ab Essen, Nicolaus à Bouckhorst, Adrianus Pauvv, & G. de Boetseler & Asperen. Intra nomina debito ordine expressa habebantur Sigille praefatorum D. D. Comissariorum, & Legatorum.

Argumentum Articuli privati inter dictos Majestatis Commissarios, atque Ordinum Legatos initi.

QVandoquidem Majestas Sua etiam atque etiam voluit exercitium Catholicae Religionis Subditis Suis liberum & securum dari, supradicti Legati promiserunt & polliciti sunt idem in aedibus Legati Majestatis praefectis, ducibus, militibus caeterisque Regis Subditis, ad praedictas Legati aedes se recipientibus, securum liberumque futurum, Subditis tamen Ordinum exceptis. In cujus Articuli privati observationem dicti Legati eundem debita forma ac modo ab Ordinibus Generalibus duorum ab hinc Mensium spatio ratihabitum eumque intra tempus constitutum Majestati Suae confirmatum traditum iri promiserunt, confirmatione tamen & ratihabitione reliquorum Compendii Articulorum, de quibus decimo & octavo die Iunii, Anno 1624. conventum est, exceptis. Notatum erat, Lesdiguieres, Eques Veuville, Boullionius H. ab Essen, Nic. à Bouckhorst, Adrianus Pauvv, G. de Boetseler. Subscriptio autem supradictorum Commissariorum & Legatorum Sigillis obsignata erat.

Porro inter dicta Majestatis Commissarios, & Foederati Belgii Ordinum Generalium Legatos Extraordinarios conventum ac conclusum est, de nummis à Majestate Regia Ordinibus Generalibus, hoc Anno, insuperque 1625. & vicesimo sexto mutuo datis, triginta supra octo librarum millia singulis annis detracta iri, quibus Ordines Praefectos & Gallicarum legionum duces, quas sub signis habebunt, exsolvent, juxta ordinem eam in rem institutum; ea tamen lege ac conditione, ut supra memorati Ordines dictos nummos neutiquam restituere obstringantur, quorum summa, triennii spatio, conficit centum supra quatuordecim librarum millia: horum itaque exsolutione dicti Ordines Gener. à Majestate Sua prorsus liberantur. Actum & confirmatum Compendii, decimo die Iunii, Anno 1624. Notatum erat Lesdiguieres, Eques de la Veuville, Bullionius, H. ab Essen, Nicolaus à Bouckhorst, Adrianus Pauvv, G. de Boetseler. Infra Commissariorum Majestatis subscriptionem, Annulo signatorio Ducis de Lesdiguicres, atque infra Ordinum Legatorum subscriptionem Annulo signatorio Domini ab Essen signatum erat.

Argu-

Argumentum Ratihabitionis Ordinum Generalium supradictæ Fœderationis.

Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & Singulis, quibus literas præsentes continget legere audireve, Salutem: Quandoquidem decimo die Iunii, Anno 1624. defensiva Confœderatio Compendii inter D. D. Commissarios Christianissimi Galliæ & Navarræ Regis ab unâ, atque inter D. Legatos ad dictam Maiestatem missos ab altera parte, constituta atque inita est, cujus initium: Quoniam Serenissimus ac Potentissimus Princeps, Ludovicus, eo nomine decimus tertius, Dei Gratiâ Galliæ & Navarræ, Rex Christianissimus, &c. *Nos itaque dictam Confœderationem in omnibus ac singulis ejusdem punctis, cum privatis superadditis Articulis punctisque approbamus, confirmamus ac ratihabemus, Spondentes & promittentes, Nos omnia & singula Confœderationis dicta puncta Articulosq; firmiter atque inviolabiliter esse observaturos; neque ullâ, quacunque tandem ratione, sive directa sive indirectâ contraventuros; sub omnium & Singulorum Fœderati Belgii bonorum, redituum fructuumque præsentium & futurorum tam publicorum quam privatorum hominum obstrictione, obligatione, & quasi oppignoratione.*

In cujus rei testimonium præsentes has ratihabitionis ac Confirmationis literas Magno Nostro Sigillo & Graphiarii subscriptione muniri fecimus. Hage-Com. duodecimo die Iulii, Anno 1624. Notatum erat, I. van Bronckhoven, subsignatum, ex auctoritate & jussu D. D. Ordinum Generalium. Subscriptum erat, I. van Goch. Magni Ordinum Generalium Sigilli, in cera rubeâ ex serico filo, appendice obsignatum.

Argumentum Ratihabitionis Regis Christianissimi dictæ Fœderationis.

Ludovicus Dei Gratia Galliæ & Navarræ Rex, Omnibus & Singulis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Salutem. Commissarii à Nobis missi, ac Fœderati Belgii Ordinum Generalium Charissimorum Nostrorum Legati, vi Auctoritatis & Potestatis sibi datæ, Nostro atque Ordinum Gener. Nomine locoque, decimo die Iunii, proxime elapsi, contractum quendam inierunt ac concluserunt, cujus principium tale est. Quandoquidem Serenissimus ac Potentissimus Princeps Ludovicus, Eo Nomine Decimus Tertius, Dei Gratiâ Galliæ & Navarræ Rex Christianissimus, &c. *Quæ postquam sedulo perpendi curavimus, ut à Nostrâ parte, iis, quæ requirebantur, satisfieret, Supra dicta omnia ac singula eorum rata, grata firmaque habuimus; quæque supramemoratis Articulis continentur, tam generatim quam sigillatim, tam Nobis, quam Hæredibus & Successoribus, Regibus, Imperiis, Ditionibus ac Subditis Nostris accipimus, approbamus ac ratihabemus: fide optima & verbo Regio spondentes, cum omnium tam præsentium quam futurorum bonorum, & publicorum & privatorum hominum devinctione & quasi oppignoratione, Nos supradictæ Confœderationis Articulos & puncta omnia fideliter & constanter esse observaturos, neque ulla, quacunque tandem ratione, sive directa sive indirectâ contraventuros: quippe Nobis sic placuit. In cujus rei testimonium has quoque literas, propria manu signatas, Sigilli Nostri appendice muniri fecimus. Datum, in Fano S. Germani, in Laye, quarto die Septembris, Anno 1624. & Regni Nostri quinto & decimo. Notatum erat, Ludovicus, paulo infra, Per Regem, ac subsignatum, Potier.*

D At

At vero, quò majus inde ad Hispanos detrimentum rediret, bellique studium magis promoveretur, exiguum icciro Rex Contractum per Baronem *de Coupet* Hagæ-Com. concludi mandavit, videlicet, de classe quadam navium viginti numero, sub auspiciis Admiralli Haultainii, apparandâ atque in mare educendâ: cujus institutum propositumque foret Genuam ad oras maritimas magis magisq; compescendi, dum Comes-Stabili *de Lesdiguieres* eam terrâ obsideret. Sed Contractus hic per aliud quiddam intercidebatur; qui cum duodecimo die Aprilis, Anno 1624. per Dominum *de Soubize* adversus Rupellanos iniretur, qui sub id tempus contra Regem se movere cœperant, rebellionis illius causa Reformatis imputata fuit, propterea quod Regis in Italia cœptis adversum ivisse perperam dicebantur. Ac quamvis operâ atque auxilio supradictæ classis Rex strenuè fortiterque adjutabatur, Rupellam expugnando atque universam Hugenotarum factionem ubique opprimendo defendoque, nihilominus tamen pro tantis beneficiis perexiguam Ordines gratiam inierunt naviumque suarum exsolutionem ægrè receperunt. Namq; haud longo post, sive Rege sive Cardinali mandante, haud exiguus mercenariarum ex Hollandia navium numerus in Gallorum portibus vi detentus fuit; atque universus, nonnullis adhuc mercibus, anchoris funibusque oneratis navibus, in canali Rupellensi submersus est: earumque navium tam exornationis sumptus, quam submersionis damnum, longo temporis intervallo, vix dum etiam particulatim, multisque muneribus datis, resarcitum fuit.

Argumentum Ratihabitionis Regis Galliæ cum insertione Contractus initi cum Barone de Couper, die quarto & decimo Decembris, Anno 1624.

L*Vdovicus Dei Gratia Galliæ & Navarræ Rex, Omnibus & Singulis, ad quod præsentes literæ pervenerint, Salutem. Dominus Boullionius, Deputatus à præcharo & prædilecto Nostro Nepote Duce de Lesdiguieres, Pare, & Comite-Stabili Galliæ, ad charissimos Nostros & dilectissimos Socios, Amicosque D.D. Ordines Fœderati Belgii Generales, vi potestatis atque Auctoritatis sibi à supradicto Nostro Nepote Comite-Stabili concessæ datæque, iniit ac conclusit Hagæ-Com. die quarto & vicesimo Decembris proximè elapsi, & supra memorato Comite-Stabili, & Arausionensium Principe Nepote Nostro dilectissimo præsentibus, Contractum quendam Articulosque sequentes.*

Vnitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales postquam ad ea, quæ nomine locoque Perillustris D. Comitis-Stabili à Domino Boullionio, in Concilio suo proposita sunt, quibusdam è dicto Ordinum Concilio delegatis ut cum supra memorato D. Bullionio agerent, sedulo animadvertissent, dictique Domini Bullionii mandati seu instructionis argumentum perpendissent, præsente Celsissimo Arausionensium Principe, in sequentes Articulos convenerunt:

1. *Quo ad bonam fidamque Majestatis utriusque Galliæ & Britanniæ voluntatem major cumulus accederet,* Veneti, *Dux Sabaudiæ, cæterique Principes atque Imperatores (quamvis ingentes bellorum sumptus, quibus Hispanorum copiis terra marique resistendum atque occurrendum est, ad quæ gerenda, neque sua omnia, neque Confœderatorum bona opesque sufficiunt, impendere necesse habeant) nihilominus tamen, viginti naves optimas maximeque bello apparatas in auxilium mittere decreverunt, quæ, ut decet, velis, anchoris, funibus cæterisque rebus ne-*

cessariis

cessariis exornabuntur, idque ad mensium angustè sex spatium. Quæ omnes, debito modo velis, anchoris, funibus cæterisque, ut supra commemoratum, rebus necessariis instructæ exornatæque sufficiente militum sociorumque navalium numero munientur; deque Admirallo insuper, Præfectis, Ducibus, stipendio, optimâ denique disciplinâ, pro consueto Ejusdem Imperii more, prospicientur.

2. *Quoniam vero omnes naves hujus Status defensioni sunt intentæ, ad utriusque Indiæ Societatis capta magis magisque promovenda ac succurrenda, in hisce regionibus promissæ naves sumptibus extraordinariis apparabuntur, quarum uniuscujusque sumptus Menstruus quinque librarum millia æstimatione conficiunt. Earumque exornatio & pro Imperii ejusdem more solito, & quam fieri poterit parcè instituetur.*

3. *Dictarum navium classis quamprimum, & quam poterit celerrimè, promovebitur, adeo ut (cœlo ventoque adspirantibus) Mense Martio proximè venturo, vel si maturius id fieri queat, in mare educatur, ad angustias Gibraltarias per navigandum, atq; ad portum Nissæum* (Ville France *dictum) appellendum, sive ad quem locum portumque Admirallus jussus fuerit appellere, vel à Duce Subaudiæ, vel à Domino Comite-Stabili, vel iis absentibus, à Celsissimo Domino ac Principe de Piedmont, vel à Marescallo de Crequii, ad quorum mandata navigationis cursus instituetur.*

4. *Stipendium, commeatus & quæ ad dictæ classis exornationem spectant, simul cum nostrâ initium capiet; idque quam primum milites Sociique navales navibus fuerint impositi. Conventum autem est, ut Ordines Generales Trium Mensium stipendium proprio ære exsoluturi sint: ea lege tamen ac conditione ut, si omnia ex sententia evenerint, atque hactenus proposita nunc vero incœpta dicta classis fuerit consequuta, supramemorata Trium Mensium stipendia, commeatus, aliaque, juxta quinque librarum millia singulis Mensibus navium cuique impendenda,* D. D. *Ordinibus reddantur.*

5. *Reliqui autem temporis, quod in itinere atque expeditione prædicta classis futura est, stipendia sumptusque Ducis Sabaudiæ, & Domini Comitis-Stabili ære proprio exsolventur: adeo ut Fœderati Belgii Ordinibus singulo Mense centum librarum millia, monetâ Francis receptâ, videlicet, Domino Philiberto ac Domino Lucæ, Ordinum Collibistis, Lugduni in Galliâ residentibus, sive aliis, quibus id negotii ab Ordinibus demandatum fuerit, annumeranda veniant: adeo ut quarti Mensis expirati stipendia sumptusque primo Iulii, quinti primo Augusti, sexti autem Mensis primo Septembris proxime venturi & sic per universum navigationis tempus, quod Mensium ad summum octo futurum est, supramemoratis Collybistis annumeranda sint.*

6. *Quod si autem eveniat, ut inter supradictæ classis exornationem, seu inter ejusdem expeditionem, Dux Sabaudiæ ac Comes-Stabili animum consiliumque suum mutarint, continuo id Ordinibus Generalibus indicare tenebuntur, cum omnimodâ stipendiorum sumptuumque exsolutione, ad dictam quinque librarum millium summam Menstruam, quorum à militum sociorumque navalium lustratione ac discessu habebitur ratio.*

7. *Insuper autem conventum est, dictam viginti navium classem, ut supra commemoratum est, apparatam exstructamque à peritis atque ad id juramento devinctis hominibus æstimatam iri, prout in talibus solet, omni dolo ac fraude exceptis. At si quædam è dictis navibus sive prælio, sive expeditioni cuicunque hostili intentæ pereat vel ab hostibus intercipiatur, ejusdem jactura è dictâ æstimatione resarcietur.*

8. *In rem esse quinetiam duximus, ad Consiliis cœptisque in D. Bullionii instructione com-*

comprehensis succurrendum ac promovendum, concedere atque potestatem huic classi facere, ubi in itinere Hispanorum littora portusque meârit ac remeârit, quocunque tandem modo poterit, iisdem damnum ac cladem omnimodam, absque tamen instituti cursus morâ, inferendi; ac quicquid bonorum in Oceano magno, aut mari Mediterraneo ab hostibus interceptum captumque fuerit, partem utrique æqualem dividendi.

9. *Quamprimum vero memorata classis in Fœderati Belgii portus reversa fuerit, stipendii, commeatus omnisque sumptus ratio instituetur, ad quinque librarum millia, singulis Mensibus dictæ classi impensa, prout Articulo secundo exprimitur; eidemque rationi detrahentur sumptus omnes, quos Celsissimus Dux Sabaudiæ ac Dominus Comes-Stabili collubo impenderunt, vel quicquid in reditu pecuniæ, commeatus aliarumque rerum necessariarum retulerunt. At quoscunque Ordines Generales sumptus impendisse comperietur, plenissimè certissimeque Supradicto Legato aliisque ad id missis persolventur, idque sex Septimanarum, à quibus instituta ratio est, intervallo.*

10. *In cujus pecuniæ exsolutionem, præsentisque contractus plenissimam observationem, dictus Dominus Bullionius vi Auctoritatis ac potestatis sibi datæ, atque, ut supra dictum est, obsignatæ, omnia Summè præmemorati Domini Comitis-Stabili bona coram Tribunalibus omniumque Iudicum in Galliâ Consessibus obstrinxit atque obligavit; quem in modum etiam supramemorati Domini Legati Nomine locoque D. D. Ordinum Generalium vi Auctoritatis sibi concessæ, eorundem bona obstrinxerunt atque obligarunt, ad dictum contractum, quantum ad se attinet, fide, quæ est optima, constanter observandum.*

11. *Denique supramemoratus Dominus Bullionius promisit se curaturum atque effecturum, ut præsentis contractus Articuli à Duce Sabaudiæ, ac Domino Comite-Stabili confirmentur atque approbentur, qui pro se mutuo pollicentur: quorum tamen acta, solennibus formulis confirmata, tradentur Domino de Langerack, Ordinario Parisiis D. D. Ordinum Legato; idque duorum Mensium spatio.*

In quorum omnium, jam memoratorum observationem ac confirmationem, Celsissimus Arausionensium Princeps majorem in modum rogatus fuit, ut dictis Articulis juxtà Dominos Legatos subscriberet, quem in modum etiam D. Boullionius simul cum aliis subsignarunt sigillisque ordinariis obsignarunt: quorum bina (ut vulgò vocant) Originalia, utrique Parti reservanda curarunt. Datum, Haga-Com. die quarto & vicesimo Decembris, Anno 1624. Atque in hunc modum signatum, Mauritius Nassovius, Arnoldus à Randwijck, Nicolaus à Boekhorst, Noort-Vici Dominus, Ballivus, aggerumque Rhenolandiæ Præfectus, Antonius Duick, Hollandiæ Consiliarius-Syndicus, Iacobus Magnus, Dominus in Berg-Ambagto & Melissandt, Anthonius de Rhode, Rienckius de Burmania, Griet-Mannus in Eeuwerderadeel, Swerius ab Haarsholte, Dominus in Haarst, & Pavo Broersma, Dominus in Suithorn, Nomine locoque D. D. Ordinum Generalium; Ac D. Boullionius, Nomine locoque dicti D. Comitis-Stabili.

Nos itaque, postquam præsentem Contractum in Consilio Nostro perlegimus ac perpendimus, neque immemores eorum, quæ in eam rem Nepoti Nostro Duci de Lesdiguieres præcepimus, in omnibus ejusdem Articulis punctisque rata, grata & firma habemus, dictumque Contractum, Nostro, Nostrorumque Heredum & Successorum Regum toto ac nomine concludimus & confirmamus, verbo Regio spondentes ac promittentes, cum omnium bonorum Nostrorum præsentium & futurorum obstrictione atque obligatione, cum Nos cum omnibus & singulis suis Articulis punctisque firmiter & constanter esse observaturos, nullâque ratione

sive

sive directâ, sive indirectâ contraventuros. In quorum rerum testimonium, præsentibus propriâ manu subscripsimus, & Sigilli Nostri appendice muniri fecimus. Datum, Parisiis, die quinto & vicesimo Februarii, Anno recuperatæ salutis, 1624. ac Regni Nostri decimo quinto. Notatum erat, Ludovicus, pauloque infra, Per Regem, Signatumque, Potier.

Argumentum Contractus initi cum D. Legato d'Espesses, super proposito cœptoque classis dictæ, sub auspiciis Archithalassi Haultainii.

QVoniam Regi Christianissimo placuit Domino d'Espesses Ordinario Majestatis Suæ apud Fœderati Belgii Ordines Legato præcipere, ut unicè peteret, quo supradictæ naves, quæ vi ac lege Contractûs initi cum D. Boullionio apparantur, quamprimum in mare evehantur, atque ex iis duodecim, sub auspiciis tamen Archithalassi Haultainii, Galli Duces præficiantur: ac quamvis D. D. Ordines Majestati Suæ commodius esse ducebant, si navium dictarum imperium Belgii ducibus permittatur, Rege tamen iterum iterumque petente, visum est D. D. Ordinibus delegare Nobilissimos D. D. ab Essen, Noort-Vici Dominum & D. de Boetseler, qui cum dicto Regis Legato agerent ac convenirent: qui tandem, plurimis eam in rem communicationibus ultro citroque habitis, in sequentes Articulos consenserunt.

1. Vt dictæ naves quam primum solverent, utque Archithalassus Haultainius, cujus imperio ductuque hoc iter suscepturæ sunt, ubi Caleti ac Doveræ attigerit altitudinem, copias Majestatis Suæ in portu Gratiæ (vulgò hable de grace) commorantes, adventus sui quamprimum faceret certiores, ut cursum postquam navibus impositæ Classique adjunctæ fuerint, simul ad Vectam insulam instituerent; aut quibus se in locis Dominus de Zoubise contineat, quemve exercitum ducat, si exploratum habuerint, aut quâ viâ, quove modo oppugnari commodè possit ubi consilium ceperint, tum Gallorum pedites navibus duodecim supradictis ut imponerentur, Gallique duces præficerentur sub imperio supramemorati Archithalassi Haultainii, manentibus tamen in iisdem navibus Fœderati Belgii Ordinum præfectis sociisque navalibus. At verò si ibidem loci cognitum atque exploratum fuerit, Dominum de Zoubise submisisse se, ac naves duodecim in supplementum appulisse, memoratarum navium viginti imperium pristinis Ordinum ducibus præfectisque permitteretur; ac duodecim postremò advectis Galli Duces imperarent; dein navibus dictis viginti, secundum Contractus Articulos, istoc loco solvere licitum foret: hac lege tamen, ut Regi integrum esset, duodecim è navibus viginti suorum, reliquas verò Belgarum Ducum imperio committere, ad iter propositum simul suscipiendum.

2. Cum autem naves priores adversus maris ad Orientem fluctus conduplicatæ sint, ac duodecim posteriores adversus nostrorum marium fluctus sint firmiores, ut Majestas Sua unicè rogaretur, quò posteriores in oris Gallicis remanere ac priores duodecim cum reliquis octo eò, quò Mense Decembri proximè elapsi conventum est, cursum instituere sinat.

3. Quum verò in priori Contractu expressum sit, D. D. Ordines trium Mensium priorum stipendia, commeatum, cæteraque omnia dictæ Classi impensâ propriâ ære exsoluturos, dictaque naves, propter turbas quas Dominus de Zoubise concitavit, ex Regis petitione adversus dictum Dominum de Zoubise ducendæ sint; conventum est, quamdiu adversus Dominum de Zoubise in itinere atque expeditione futuræ sunt, ut Regiis sumptibus stipendia, commeatus cæteraque

 omnia

omnia persolverentur, quorum itidem, à primo militum sociorumque navalium lustrationis, atque impositionis die, ratio haberetur.

4. *Quod si navium quadam prælio vel cuicunque adversus Dominum de Zoubise expeditioni intenta periret, caperetur, vel submergeretur, ejusdem detrimentum à Rege resarciretur, juxtà æstimationem eorum, qui periti ad id juramento obstricti obligatique erunt.*

5. *Insuper autem conventum est, ut dictarum duodecim navium posteriorum conductio universa Regio ære persolveretur, ac supra memoratus Legatus navium conductarum nautis satisfaceret, eâ lege ac conditione tamen, ut D. D. Ordines vi Contractus Compendii initi adjuvarent operamque darent, ut dictæ naves minimo pretio conducerentur.*

6. *Denique, ut omnia hæc ea lege ac conditione concederentur, quò Majestas Sua curaret, ut navium dictarum mora à Celsitudine Sua Sabaudiæ grata ac rata haberetur; utpote propter turbas à Domino de Zoubise datas oborta; ac proinde in Majestatis Suæ officium commodumque: absque ullâ tamen derogatione atque omissione eorum, quæ ab utraque parte proposita promissaque sunt, propter sumptuum omnium restitutionem.*

7. *Quorum omnium respectu Majestas Sua itidem polliceretur, ac fidem daret, se vi Contractus cum D. Boullionio initi, summe præmemoratis D. D. Ord. sumptus omnes exsoluturam.*

8. *Ut hos insuper Articulos omnes ac singulos dictus Legatus à Rege confirmari curaret; cujus quidem Confirmationis ac ratihabitionis Acta solennibus formulis confirmata, duorum Mensium intervallo, Domino de Langerack, D. D. Ordinum in Galliâ Legato Ordinario traderentur. In quorum jam memoratorum testimonium, supradictus Legatus ac Deputati præsentibus subsignarunt. Datum Hagæ-Com. duodecimo die Aprilis, Anno 1625. Notatum erat, d'Espesses, Henricus ab Essen, Nicolaus à Bouckhorst, Gisbertus de Boetseler.*

Argumentum Instructionis Domino Haultainio Vicario Archithalasso datæ, secundum quam Gallorum copias per duodecim, è viginti navibus imperio suo mandatis, naves distribueret.

" FOederati Belgii Ordines Generales, Domino Haultainio Vicario Architha-
" lasso, ut Supremo viginti navium ad Occidentem ordinatarum Duci per præ-
" sentes Auctoritatem ac potestatem faciunt, tantum Gallorum militum numerum
" per duodecim dictæ classis naves distribuendi, quantum Ordines Generales Maje-
" stati Suæ Galliæ distribuendum concesserunt. Quapropter omnibus & singulis
" ejusdem classis ducibus, præfectis, atque iis, quorum interest, vel aliquâ ex parte
" interesse potest, per præsentes Auctoritatis literas expressè mandant atque impe-
" rant, ut dictum Gallorum militum numerum navibus suis recipiant, prout à Vi-
" cario Archithalasso præcipietur, absque ullâ mandati præceptique negatione sive
" recusatione; eâ lege atque omine, ut contrafacientes loco atque ordine suo mo-
" veantur, ac pro judicum arbitrio judicioque castigentur. Actum, &c. decimo
" septimo die Aprilis, Anno 1625.

Quam cautè ac providenter *induciarum pacisve tractatio* instituta sit, haud obscurè videri potest tertio Contractus initi Compendii Articulo: quippe Legatis præceptum erat, quantum in hoc negotio fieri posset, *hujus Reip. obligationem evitarent:* iis tamen ab Ordinibus clam concessum erat, quod si Rex nullam ejusmodi excusationem acciperet; *fidem darent, se curaturos atque effecturos, ab Ordinibus sc. confirmatum ac rati-*

acratihabitum iri, ne quisspiam induciarum pacisve contractus absque prævia Regis cognitione ineatur; Rege *scilicet auxilium atque subsidium duodecim supra centum millia florenorum, angustè, singulis annis continuante.*

Initâ autem atque institutâ in Galliis tractatione, postquam Legati percepissent, Majestatem Suam præter octo supra centum florenorum millia, singulis Annis mutuò dare recusasse, atque à Præpotentibus ex Hollandia mandata ulteriora requisiissent, ejusmodi ipsis Auctoritas ac potestas missa fuit, ut non obstante præoptatâ nummorum diminutione, tamen liceret ipsis fidem dare ***nullum se, Rege inscio atque invito, vel induciarum vel pacis Contractum*** inituros atque instituturos esse.

E Contractu igitur apparet Legatos Ordinum majora idque verbis minus obstringentibus atque devincientibus, quam quidem secundum mandata potuissent, impetrasse; quippe verba (*absque consilio sive Majestatis dicta interventu*) tertio Articulo comprehensa, Præpotentibus tamen pacem induciasve componere neutiquam prohibebant, quamvis Regis Ministri (absque Regis consensu) expressa malebant. Interim tamen Agentes in rebus locum securitatis, qualem Britanni olim obtinuerant, majorem in modum urgebant. Utrumque autem sapienter ac providenter evitatum est. Nam neque Mauritio Arausionensium Principi, tunc etiam in vitâ commoranti, neque Fœderati Belgii Moderatoribus, consultum videbatur, ubi ***honestissimam, optimam firmissimamque pacem*** consequendi copia daretur, manus sibimetipsis obstringere ne eam acciperent. Ac muniti cujusdam oppidi, pignoris & securitatis loco, petitioni eò minus annuebant, quò adhuc in memoriâ habebant, quantis curis, sollicitudine, largitionibus animique providentiâ oppositâ pignori oppida è Britannorum manibus fuerant erepta, non ignorantes quin & Galli eundem cum Hispanis morem ingeniumque obtinerent, ac fidei respectu juxta æstimandi forent.

Ex iis autem, quæ hactenus commemoravimus, liquet, quanti Gallorum intererat nostros in armis contineri, quò tanto faciliùs molestiæ, atque incommoda Hispanis parari possent. Inter hos quidem Britannorum Rex posteriores non tulit; ad hæc præsertim impulsus atque incitatus injuriis contumeliisque Regi Bohemiæ tam immeritò illatis; qui non solum Regno Suo Electorali, verum etiam Principatibus hæreditariis, ditionibus atque omni prorsus dignitate destitutus semotusque existebat: huc accedebant etiam simultates atque invidia summa adversus nimium Hispanicæ atque Austriacæ Domus opum viriumque incrementum.

Iisdem fermè causis Rex Daniæ impulsus, per Regni Sui Cancellarium D. Ulefeldium jam quarto & decimo Martii die, Anno 1621. Hagæ-Com. cum Ordinibus Generalibus Confœderationem, qualis pag. nonâ proposita fuit, inierat.

Anno autem 1625. Britanni, Dani, & Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Generales arctius sese mutuò devinxerunt. Primo quidem Fœdus Anno 1625 septimo die Septembris Zuidt-Hamptoniæ Britanni Ordinesque Fœderati Belgii Generales inierunt. Deinde autem Buckinghamiæ Dux, atque Hollandiæ Comes ex Angliâ, ac Domini, D. Ulefeldius; D. Tomesonius è Daniâ Hagam-Com. eâ de causa pervenerunt, atque Confœderationem longè arctiorem inter se conflârunt.

Per

Per priorem omnis quidem induciarum pacisve Contractus interdicebatur, per posteriorem similiter, at non tam per Confœderationem principalem, quam per singulare quoddam eâ de causâ subsignatum memoriale. Cui Confœderationi Gallos etiam illigatos majorem in modum petebant. Duce autem Bavariæ ad Electoralem dignitatem consilio atque auxilio Regis evecto, Ejusdemque favore atque benevolentiâ plurimum adaucto, Legatus Regis silebat, nec quicquam mandati accipiebat. Utraque tamen Confœderatio nullum aut saltem perexiguum effectum sortita est. Quippe Britanni, haud multò post, adversus Gallos arma parantes, quicquid superiori Fœdere & Danis & Belgii Ordinibus fuerant polliciti, præstare neutiquam poterant: adeò ut jam exinde nostris similiter Ordinibus cum Hispanis pacisci datum concessumque foret; non obstante tamen fœdere Zuidt-Hamptoniæ conflato; utpote, quod per ipsosmet Britannos solutum jam ac violatum existebat. Dani insuper, Ordinibus insciis, jam bellum pace mutârant. Dictas autem inter Britannos, Danos, ac Nostros Ordines Confœderationes eò commemorare in rem esse duxi, quò vel Maximos Europæ Principes Regesque per suos contractus Unitarum Provinciarum arma legitima agnovisse testatosque fuisse ostenderem; & quibuscunque cum Hispanis induciis pacisque moras injecisse demonstrarem: Idque eos non tam benevolentiâ, quâ Nos nostrasque fortunas amplecti viderentur, fecisse, (*Plerique enim Monarchæ, Reges & Principes, quarumcunque Rerumpublicarum summo odio tenentur*) quam quidem invidiâ, quâ Hispanos prosequebantur, eorumque opes viresque comminutas gestiebant.

Contractus quidam præparatorius (quem vocant) offendendi & defendendi ergò instituebatur, cum Rege Jacobo, die quinto Junii, Anno 1624. At vero Anno 1625. die septimo Septembris Zuidt-Hamptoniæ offendendi: Ac postremo omnium, inter Angliæ, Daniæ Reges atque Ordines Gener. Hagæ-Com. die nono Decemb. Anno 1625. quam diximus Confœderationem, inita ac conflata est. Hanc superioribus addere constitui, quò rerum, sub id tempus in Europâ gestarum, locum statumque vobis ob oculos ponerem.

Argumentum Confœderationis initæ cum Jacobo Rege Angliæ, quinto die Junii, Anno 1624.

Quandoquidem, Serenissimus ac Potentissimus Princeps, Iacobus, Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex &c. jam aliquoties à Fœderati Belgii Ordinibus, amicis summis sociisque fidissimis, benevolè invitatus fuit, ac nuperrimè à Francisco Aarssens Graphiario, Domino in Sommelsdijck, & de la Plate, &c. D. Alberto Ioachimi, Equite, & Oedekenskercka, Oostendaque Domino, D. Noële de Caron, Equite & Schonewalliæ Domino, Ordinariis atque Extra-Ordinariis Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis unicè rogatus, ut Ligam defendendi ergò jam à multis annis initam observatamque continuare, simul autem in majorem Fœderati Belgii securitatem atque incolumitatem Præpotentibus Ordinibus quandam militum in Regno Suo conscriptionem permittere vellet. Iccircò Majestas Sua, quò & pristinam majorum suorum benevolentiam, quâ hactenus Fœderati Belgii Ordines Subditosque prosequuti sunt, & suam ergâ Eosdem voluntatem animumq; singularem ostenderet, in Regni Sui atque Vnitarum

rum Provinciarum salutem, utque tantò commodius generum suum charissimum & dilectissimum, quibus semotus ac deturbatus est honoribus, dignitatibus atque hæreditariis principatibus redderet, eundemque in integrum restitueret locum, *in Regni Ordinum Concilio utile esse duxit, ut suo Nomine & loco cum Præpotentibus super dictâ Confœderatione militumque conscriptione ageretur: Quapropter etiam Majestas Sua elegit ac deputavit Celsissimos Dominos, D. Georgium Buckinghamiæ Ducem, Supremum Angliæ Admirallum, &c. D. Iacobum, Hamiltoniæ Marchionem, Aulæ Suæ Præfectum Generalem, &c. D. Gulielmum Comitem Pembrociæ ac dictæ aulæ Camerarium, &c. Dominum Eduardum Conwey, è præcipuis Status Sui Secretariis unum, D. Richardum VVestonium, Ludi sui Schachorum Cancellarium, Omnes & singulos è Concilio Regni Ordinum atque à Secretis Consiliarios, Majestatis Suæ Commissarios; quibus plenissimam potestatem atque auctoritatem fecit deditque, ut cum præmemoratis Dominis & Ordinariis & Extra-Ordinariis Legatis agerent, transigerent ac confirmarent, quæcunque finibus supradictis inservire existimarent. Qui tandem unà cum Præpotentium D.D. Ordinum Legatis, vi Auctoritatis ac potestatis sibi datæ concessæque (cujus quidem sub horum finem exemplum inseretur) post multas ac sæpius repetitas deliberationes conventusque, sequentes Articulos concluserunt.*

Primò, *firma ac perpetua defensionis Liga* futura est inter summè præmemoratam Majestatem atque inter Præpotentes Fœderati Belgii Ordines Generales, *ad Regni Majestatis, Provinciarumque Fœderati Belgii securitatem atque incolumitatem.*

2. Majestas Sua Præpotentibus Ordinibus concedet copiamque dabit *militum sex millia* suo nomine conscribendi, dictumque insuper numerum voluntariis è regnis suis, assiduè supplendi, quantisper præfata Confœderatio vim suam obtinebit; Eum etiam conscriptorum militum numerum Majestas in regnis suis armis muniri, atque in Fœderati Belgii Provincias sex Septimanarum spatio, aut si maturius id queat, post Fœderis præsentis conclusionem ac confirmationem transjici curabit, ut in quatuor ibi legiones distribuantur, quarum unaquæque duodecim cohortes continebit, atque unius Tribuni imperio permittetur.

3. Majestas Sua permittet, Ejusmodi Subditis Suis, qui sese offerent, sive quibus tribunatus, cæteræque præfecturæ conferentur, in dictâ militum conscriptione eadem dignitate frui; atque ubi conscripti milites in Fœderati Belgii Provincias pervenerint, & dicti tribunatus, cæteræque præfecturæ vacârint, secundùm Fœderati Belgii institutum, ac consuetudinem aliis conferentur, juxta reliquas è Majestatis Suæ subditis conscriptis legiones.

4. Insuper autem dicta militum conscriptio in Fœderati Belgii Provinciis administrabitur atque exsolvetur, eâ quidem auctoritate, conditione, legibus atque institutis, quibus reliquæ è Subditis Majestatis Suæ conscriptæ legiones administrantur atque exsolvuntur.

5. Tribuni legionum eorumque Vicarii-Tribuni, præfecti vigiliarum legionis, cohortium duces, militesque quibus universum conscriptorum corpus conficitur, secundum ordinem atque institutum Provinciarum exsolventur.

6. Majestas Sua singulis Annis *integram nummorum summam in quatuor partes æqualiter divisam quæque plenariam sex millium militum exsolutionem conficiet*, Amstelodami, Delphis, sive alio Fœderati Belgii loco, dictamque nummorum summam singulis Mensibus tribus, primo ab hujus Contractus subscriptionis die annumerari curabit.

E 7. Quin

7. Quin etiam supramemorata summa, monetâ ac valore Fœderati Belgii Provinciis receptis, dicto ac constituto tempore exsolutionis Commissario mittetur, quem Majestas Sua exsolutioni præficiet, atque in Hollandiâ commorari præcipiet, ut per eundem, secundùm Præpotentium Instituta, atque secundùm Commissariorum Album militare persolvatur.

8. Supradictus insuper Commissarius tenebitur secundùm Ordinum Præpotentium Instituta singulis Mensibus tribus, omne quod ex lustratione infectâ atque incompletâ fuerit reliquum, Præpotentium Commissariis tradere; atque hic pro tali munere, mille supra quingentos florenos, omni ulteriore petitione exceptâ, singulis Annis recipiet.

9. Dicti milites conscripti unâ cum reliquis Subditorum Majestatis legionibus conscriptis Ordinibus jam nunc stipendia merentibus, ubique loci atque omni ex parte privilegiis, prærogativis, omnibusque beneficiis fruentur.

10. Omnes & singuli legionum Tribuni, Eorumque Vicarii, omnes quin etiam cohortium Duces, Præfecti militesque conscripti, in manus Præpotentium, Supremi Gubernatoris sive aliorum, quibus id competit, ejusmodi terminis, formulis ac devinctionibus, quibus reliqui Tribuni, Eorum Vicarii legionum, cohortium duces militesque Britanni sunt obstricti, jurabunt.

11. Eâ tamen lege ac conditione Majestas Sua supradictam Præpotentibus conscriptionem admittet, ut bello cum pace induciisve octo, decem aut duodecim Annorum mutato, consimili Annorum spatio, quo dictam nummorum summam acceperint, restituant: primo scilicet Induciarum pacisve Anno Majestati Suæ reddent, Anno hujus Confœderationis primo annumeratos nummos Eorumque versuram, (vulgò avanciam) & sic deinceps, per singulos Annos, ad plenissimam nummorum exsolutionem. In cujus rei testimonium ac securitatem Acta Majestati Suæ ad formam obligationis conscripta, ac Præpotentium Ordinum Sigillo obsignata reddentur.

12. In cujus Regis benevolentiæ animique singularis agnitionem summè præmemorati Ordines Generales promittent, se annis singulis Majestati Suæ militum quatuor millibus, sive tanto militum stipendio, prout ipsi placuerit, subventuros, tam propter præsentis Confœderationis vim, quam propter alias rationes, aut si forte adversus Regnum Suum arma pararentur.

13. Dictum autem militum stipendium, quatuor similiter Anni partibus à Præpotentibus Londini exsolvetur, cujus annumeratio singulo triennio futura est, quam primum Rex palam ab hostibus suis impetitus fuerit, ac Præpotentibus indicium fecerit, ut milites adducantur, Eorumve stipendium annumeretur.

14. Idque militum aut stipendii subsidium eâ lege ac conditione feretur, ut Rex promittat ac polliceatur, se annumeratas pecunias, ubi ab armis discessum fuerit, æqualibus partibus, similique versurâ, sive avanciâ, ut vocant, quibus à Præpotentibus Ordinibus annumeratæ fuerint, exsoluturum.

15. Præsens Contractus ad minimum, per biennii spatium vim suam obtinebit. Facto initio eo die, quo dicti milites in Belgii Provincias trajecerint aut recensiti fuerint: ac tamdiu, donec vel Regi, vel Præpotentibus Ordinibus aut simul aut seorsim ulteriorem Confœderationem inire visum fuerit: quo casu renuntiaturo,

sex

ſex Menſes, ante Contractus præſentis expirationem, indicium faciendum erit.

16. Quos Contractus præſentis defendendi ergò conflati Articulos ſupradicti Commiſſarii, ac Legati promittunt ſpondentque, ſe Regis & Præpotentium Ordinum Generalium Nomine locoque obſervaturos utque fideliter atque inviolabiliter, convenienter tenori ſuo, obſerventur effecturos, itemque ſi opus fuerit, confirmentur ac ratihabeantur, ſedulo curaturos. In cujus rei teſtimonium, præſenti Contractui ſubſignarunt, & ſolitis ſigillis obſignarunt. Actum Londini, quinto die Junii, Anno 1624.

Sequuntur utriuſque partis literarum Auctoritatis exempla.

Argumentum literarum Auctoritatis à Rege Britanniæ Commiſſariis Suis datarum.

IAcobus Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex &c. Fidei defenſor; Omnibus, ad quos præſentes literæ pervenerint, Salutem. Quum à primo Regni Noſtri die, omni operâ, curâ ac diligentiâ ſimus adnixi, quo ad defunctæ Reginæ Eliſabethæ (Sacræ memoriæ) exemplum, non amicitiam duntaxat atque affinitatem, quam inter Ipſam ac Fœderati Belgii Præpotentes Ordines Generales atque inter utriuſque partis Subditos inſtitutam initamque vidimus, propter ſecuritatem ſalutemque, quam à ſe invicem è propinquâ illâ mutuâq; Affinitate percipiunt, ſervaremus, verum etiam, ut tempore opportuno Societatis atq; Affinitatis hujus priſtinæ vinculum cum ſummè dictis Ordinibus General. firmius arctiuſque redderemus, prout à Nobis ſæpenumero factum eſt, cum propter officiorum Noſtrorum neutiquam obſcura indicia, quæ pro Noſtrâ ſemper voluntate animoque ſingulari ipſis exhibuimus, tum propter Contractus varios Fœderaque plurima inter Nos inita. Neque minori hoc tempore ergâ Præpotentes Ordines Eorùmque ſubditos benevolentiâ impulſi, quâ quamcunque occaſionem honeſtam ſaltem, commodam atque opportunam complectimur, majorem in modum confirmandi, arctiuſque veteris familiaritatis mutuæque Amicitiæ vinculum cum præmemoratis D. D. Ordinibus contrahendi, qui nuperrimè eum in finem ſuos ad Nos Legatos miſerunt, atque auxilium Noſtrum implorantes Nos ad Confœderationis vinculum arctius, quam ante hac, contrahendum invitarunt. Quapropter haud inviti Summè dictorum D. D. Ordinum Generalium petitioni annuimus, inſuperque arctioris Fœderis ineundi copiam dedimus, cum propter veteres cum iiſdem Confœderationes renovandas, tum propter ligas defenſionis mutuæ terrâ marique contrahendas. Quum itaque neceſſe ſit eâ de cauſâ viros delegare, quorum probitatem, induſtriam ac providam animi circumſpectionem cognitam perſpectamque habeamus, ejuſmodi negotium ut cum Summè dictis Præpotentium Ordinum Legatis agant & tranſigant, per præſentes indicamus, Nos pro ſummâ illâ fiduciâ, fidelitate rerumque gerendarum experientiâ, quas cognovimus ſitas eſſe in prædictis & præcharis Conſanguineis Noſtriſque Conſiliariis, D. Georgio, Buckinghamiæ Duce, Supremo Regni Noſtri Admirallo, Iacobo Marchione Hameltoniæ, Aulæ Noſtræ Præfecto, Gulielmo Comite Pembrociæ, Camerario Noſtro, atque in prædilectis Noſtris, Eduardo Conwey, Equite, è præcipuis Regni Secretariis Uno, & Richardo VVeſtonio, Equite, Ludi Noſtri Schachorum Cancellario, omnibus & ſingulis in Concilio Ordinum Regni atque à Secretis Conſiliariis, Eos iccirco deputavimus, ac per præſentes poteſtatem pleniſſimam fecimus, agendi & concludendi cum Summè dictis Ordinum Generalium Legatis (pleniſſimâ itidem ſolemnibus formulis con-

scriptâ Auctoritate munitis) Confœderationem Ligasque mutua terrâ marique defensionis confirmandi, ac veteres ad commerciorum navigationumque conservationem & Status utriusque salutem renovandi; omnia denique talia adhibendi & conferendi, quæcunque negotio præsenti ac mutuo commodo plurimum inservire posse arbitrabuntur; haud secus ac Nos, si coram essemus, ageremus. Quapropter etiam potestatem atque Auctoritatem ipsis per præsentes omnimodam concedimus, negotio licet ulteriora mandata exigente; fide, quæ est optima, promittentes, ac Regio verbo spondentes, cum omnium tam communium quam privatorum, tam præsentium quam futurorum Nostrorum bonorum obligatione, Nos, quæcunque à supra memoratis Commissariis Legatisque acta, transacta & conclusa fuerint, ea omnia grata, rata firmaque habituros esse, neque ullâ ratione sive directâ sive indirectâ contraventuros. In cujus rei testimonium, præsentibus manu propriâ subsignavimus, Nostrique Sigilli appendice muniri fecimus. Datum in Aulâ Nostrâ Thoballiæ, quinto & decimo die Aprilis, Anno 1624.

Argumentum literarum Auctoritatis à Præpotentibus Ordinibus Legatis Suis concessarum.

Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & singulis, quibus continget præsentes legere audireve, Salutem. Quandoquidem in Reip. Nostræ commodum atque incolumitatem necesse habeamus ad Regem Magnæ Britanniæ Legatos mittere, qui cum Majestate Suâ deliberent, agant ac concludant fœdus aliquod offensionis *seu* defensionis *duntaxat, aliaque multa quæ in dictæ Majestatis, & Nostræ Reip. commodum proponentur, transigenda. Nos itaque fidelitate & providâ animi circumspectione in rebus Nostris gerendis, ac sedulitate Dominorum, D. Francisci Aarssenii, Equitis, Domini in Sommelsdyck, & de la Platè, &c. D. Alberti Ioachimi, Equitis, Oostendæ & Oedekenskerckæ Domini, majorem in modum freti, eosdem elegimus ac deputavimus, ut Nostro Nomine locoque Extraordinariorum Legatorum qualitate, juxta Dominum Noëlem de Caron, Equitem ac Schone-VValliæ Dominum, Ordinarium Nostrum in Anglia Legatum, cum Summè præmemoratâ Majestate, sive cum iis, qui ab Eadem præsenti negotio fuerint præfecti, conveniant, deliberent ac concludant. At vero quoniam dictos Legatos, quò rem atque universum negotium ex sententiâ conficiant, Auctoritate ac potestate à Nobis præmunitos esse oporteat; simul autem, quò omnis, qui è potestatis atque Auctoritatis Eorundem sufficientiâ exoriri queat, scrupulus amoveatur, vi præsentium literarum damus ac concedimus iis omnibus & singulis (si fortassis præ morbo omnes simul interesse prohiberentur) omnimodam ac plenissimam potestatem agendi, & transigendi, cum Summè dictâ Majestate, Ejusdemve Commissariis, sive* offensionis *sive* defensionis *duntaxat mutuam Confœderationem, sive ejusmodi Contractum, quem Utriusque commodo potissimum inservire posse arbitrabuntur, atque eorum, quæ inter ipsos in hoc negotio acta & transacta fuerint, ejusmodi acta, instrumenta & promissa debitis formulis instituendi, approbandi ac confirmandi, prout necessitas postulabit; omnia denique in actorum circumstantiis, Clausulis punctisque agendi haud secus, ac Nos, si coram essemus, faceremus: negotio licet ulteriora mandata exigente, quam quidem in supradictis expressa videantur. Quibus omnibus syncerè promittimus ac spondemus, Nos Ea, quæ à Nostris hac in parte atque eâ qualitate transacta fuerint, rata, grata firmaque habituros, neque ratione quâcunque, directâ sive indirectâ, esse contraventuros; verum omnia, si necesse foret, confirmaturos,*

maturos, atque ejusmodi acta, instrumentaq; solennibus conscripta formulis tradituros, quibus Majestati Suæ plenissimè satisfieri queat. Actum Haga-Com. in Concilio Nostro Ordinum, Magnoque Sigillo, in cerâ rubeâ obsignatum atque à Graphiario Nostro subsignatum, die nono Februarii, Anno 1624. *Notatum erat,*

G. Buckingham.	Hamelton.	Franciscus Aarssenius.
Pembroeck.	Ed. Conwey.	Alb. Joachimi.
Richard Weston.	Noël de Caron.	

Quum autem secundo Articulo hujus Fœderis defendendi *ergò, inter Præpotentium D. D. Ordinum Legatos, atque inter Magnæ Britanniæ Regis Commissarios die quinto hujus Mensis Iunii, contractis, expressum sit, licere quidem Præpotentibus Ordinibus Generalibus in dictæ Majestatis Regnis militum sex millia conscribere, eundemque numerum assiduè ex iisdem Regnis supplere, nullâ tamen mentione factâ, cujusnam sumptibus, quâ monetâ, specie ac valore, supplementi nummos esse oporteat; Iccirco supradicti Commissarii, Legatique, quò omnem jam memorati Articuli ambiguitatem prorsus adimant, ejusdemque sensum plenius explicent, per resumptionem, ut vocant, concluserunt, ejusmodi dictorum militum supplementa, quod ex ordine ac mandato Præpotentium D. D. Ordinum Generalium, Eorumque sumptibus solet institui, respectu earum legionum, quas Præpotentes Ordines è Regis Subditis conscriptas sub vexillis habent, eodem plane modo cum novissimis hisce earumque supplementis exsoluta iri; quæ quidem exsolventur iis nummis, qui secundum Articulum octavum superioris Fœderis, è lustratione infectâ atque incompletâ reliqui fuerint: quosve Commissarius Præpotentibus juxta eorundem instituta, tradiderit, si supradictorum militum sex millium supplementis exsolvendis suffecerint, quibus Majestas propriis, sed mutuò datis, nummis satisfaciet, ut iisdem terminis, ac conditionibus, quibus universalis nummorum summa exsolvenda venit, Majestati suæ reddantur.*

Atque, ut superioris Fœderis Articulum undecimum plenius explicent, quò quidem concessum fuerat, Majestati Suæ, in nummorum, ab Eadem conscriptioni impensorum, restitutionis securitatem, Chirographum ad formam Obligationis conscriptum, ac Præpotentium Ordinum Sigillo munitum, redditum iri; *Quocirca dicti Commissarii Legatique disertis verbis declarant atque indicant, ejusmodi se voluisse Chirographum à Præpotentibus D. D. Ordinibus datum iri, quò omnes ac singulæ Fœderati Belgii Provinciæ obligarentur & quasi oppignorarentur, atque iisdem plane formulis, quibus sexti & decimi Septembris, Anno* 1608. *Chirographum fuerat conscriptum. Datum, Londini, quinto & decimo die Iunii, Anno* 1624. *Signatum erat,*

G. Buckingham.	Hamelton.	Franciscus Aarssenius.
Ed. Conwey.	Rich. Weston.	Alb. Joachimi.
Noël de Caron.		

Ac paulò supra subsignationem dictorum Commissariorum & Legatorum Sigilla ordinaria expressa habebantur.

Argumentum Chirographi, à Præpotentibus Ordinibus omnibusque Fœderati Belgii Provinciis, Magnæ Britanniæ Regi, in nummorum restitutionis securitatem, traditi.

Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, atque omnes & singulæ Ejusdem Provinciæ, Gelriæ & Comitatus Zutphanii, Hollandiæ VVest-Frisiæque, Zelandiæ, Trajecti ad Rhenum, Frisiæ, Transisylaniæ, ac Civitatis Groningæ, Omlandiæque Omnibus & Singulis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Salutem. Quandoquidem vi & lege Contractûs initi, cum Serenissimi Potentissimique Regis Magnæ Britanniæ, Franciæ, Hyberniæ, &c. Commissarus, quibus hoc negotium Majestas speciatim dederat, videlicet Nobilissimis D. D. Georgio Buckinghamiæ Duci, Supremo Angliæ Admirallo, D. Iacobo, Hameltoniæ Marchioni, Supremo Aulæ Majestatis Suæ Præfecto, D. Gulielmo, Comiti Pembrociæ, & dictæ Aulæ Camerario, ac D. D. Eduardo Conwey, è primariis Regni Ejusdem Secretariis, Domino Richardo VVestonio, Ludi Scachorum Cancellario, Equitibus, & in Concilio Ordinum Regni Consiliariis atque à secretis, ab unâ; Insuperque Dominis, D. Francisco Aarssenio, Equiti, Domino in Sommelsdijck & de la Plate, &c. D. Alberto Ioachimi, Equiti, Oostendæ & Oedekenskercke Domino, D. Noëli de Caron, Schone-VValliæ Domino, Ordinariis atque Extra-Ordinariis Nostris Legatis, ab alterâ Parte, quinto die Iunii, Stylo veteri, conventum & conclusum est, vi ac lege superioris Contractus Articuli undecimi, ejusdemque Articuli novissimæ explicationis sexto & decimo die Iunii, per ulteriorem quendam Contractum adhibitæ, videlicet, Majestati Suæ, in nummorum, conscriptioni militum sex millium eorumque supplementis impensorum, restitutionis securitatem, Chirographum ad formam Obligationis conscriptum, insuperque omnium & singulorum Nostri Provinciarumque universarum ac singularum subsignatione & Sigillorum appendice munitum, ad modum formamque Chirographi septimo & decimo die Septembris, Anno 1608. confirmati, datum ac concessum iri; *Quapropter, ut à Nostrâ parte, Provinciisque tam universis quam singulis, dicti Fœderis Articulo undecimo, Ejusdemque explicationi, secundum promissa satisfieret promisimus fidemque dedimus, & per præsentes promittimus fidemque damus, Nos pecunias, à Summè præmemorato Rege militum sex millibus conscribendis, iisdemque supplendis impensas atque annumeratas, quaque dehinc à Regis Commissario, exsolutionis Præfecto, ex ordine Nostroque instituto, ac Commissariorum Albo militari, vi dicti Fœderis Articuli undecimi impendentur atque annumerabuntur dictæ Majestati Ejusdemve Ministris, aut Successoribus Regibus, fideliter reddituros, atque ut reddantur effecturos. In cujus rei testimonium, obligamus, atque obstringimus universas & singulas Fœderati Belgii Provincias, Civitates, Earumque incolas, Subditos, tam universos quam singulos, Nostras ipsorumque Personas, & bona mobilia atque immobilia, præsentia ac futura, nullis eorum exceptis. In quem etiam finem atque in Fœderis majorem certitudinem per præsentes renunciamus atque abdicamus omnia, tam universalia quam singularia privilegia, exceptiones, legum jurumque prærogativas,* non numeratæ pecuniæ, non facti aut celebrati Contractus, rei non gestæ, doli mali, fraudis, privilegii fori (*quæ omnia hisce inserta volumus) seu quæ aliquâ saltem ex parte hisce quicquam derogare possent; quin in ipsis etiam privilegiis asserentibus* generalem aliquam renunciationem nullius esse, *nisi singularis præcedat: omni dolo ac fraude exceptis. In cujus rei testimonium, Nos*

supradicti

supradicti Ordines Generales, atque Ordines Gelriæ, Comitatus Zutphanii, Hollandiæ VVest-Frisiæque, Zelandiæ, Trajecti ad Rhenum, Frisiæ, Transisylaniæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque præsentes Magnis Nostris Sigillis obsignari, atque a Graphiario Nostro, & Secretariis subscribi curavimus, insuperque ipsimet Ordines Generales propriis manibus subsignavimus. Actum decimo septimo die Octobris, Anno 1624. Nicolaus à Bouckhorst. Infra, ex auctoritate & jussu D. D. Ordinum Generalium, ac notatum erat I. van Goch. Ex auctoritate & jussu D. D. Ordinum, Ducatus Gelriæ, ac comitatus Zutphanii ac notatum I. Sluisken. Ex Auctoritate & jussu D. D. Ordinum Hollandiæ & VVest-Frisiæ Comitatus, Datum, quarto die Novembris, Anno 1624. ac notatum erat, T. vander VVolf. Ex auctoritate & jussu D. D. Ordinum Zelandiæ, ac notatum I. Boreel. Ex auctoritate & jussu D. D. Ordinum Trajecti ad Rhenum $\frac{2}{12}$ Aprilis, Anno 1625. ac notatum Ant. van Hilten. Ex auctoritate & jussu D. D. Ordinum Frisiæ vicesimo sexto die Aprilis veteri, & sexto die Maii Stylo Novo, Anno 1625. ac notatum A. Aitzma. Ex auctoritate & jussu D. D. Ordinum Transisylaniæ $\frac{14}{24}$ Maii, Anno 1625. ac notatum Rovlinck. Ex auctoritate & jussu D. D. Ordinum Civitatis Groningæ Omlandiæque octavo & vicesimo die Aprilis, Anno 1625. ac notatum, Eissingâ.

Eâ, quæ sequuta est, hyeme, pactum quoddam inter Reges Angliæ & Daniæ, & Fœderati Belgii Ordines Generales initum fuit. At quoniam Rex Daniæ sub idem tempus adversus Cæsarem arma parabat, primo per Dominum Aitzma, hujus Status Residentem apud Hanzeaticas civitates, postremo autem per Dominum Ulefeldium Regni Sui Cancellarium ad certum aliquod tempus subsidium atque auxilium à Præpotentibus D. D. Ordinibus petiit: in quem etiam finem sequens Contractus cum Daniæ Rege fuit initus.

Argumentum Contractus cum Regis Daniæ ac Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis, super legionis, in Daniam mittendæ, auxilio.

QUandoquidem Serenissimus & Potentissimus D. D. Christianus Quartus, Dei Gratiâ, Daniæ, Nor-Vegiæ, Wandalorum Gothorumque Rex, Dux Slesuici, Holsatiæ, Stormariæ, & Ditmarsiæ, Comes in Oldenborg, & Delmenhorst, &c. Fœderatarum Belgii Provinciarum Præpotentes Ordines Generales, primo per D. D. Ordinum Legatum, D. Foppium ab Aitzma, apud Hanze Aticas civitates Residentem Ordinarium, ac deinde per Majestatis Suæ Legatum, D. Jacobum Ulefeldium Regni Sui Cancellarium & Consiliarium, Neoburgensem Præfectum, vi literarum Auctoritatis, Domino Ulefeldio datarum, primò, octavo & decimo die Augusti, secundò, quarto die Septembris, proximè elapsi, unicè rogari jussit, ut hoc tempore Majestati Suæ equitum auxilio subvenirent: quapropter inter dictæ Majestatis Legatum, ac Præpotentium Ordinum Commissarios conventum ac conclusum est, à Præpotentibus scilicet, Regi in auxilium missam iri Legionem Tribuni Hatsfeldii, quæ continet quinque supra decem cohortes, quarum unaquæque ducentos equites conficit, atque eam insuper, trium Mensium spatium à Præpotentibus Ordinibus exsolutam iri, cujus quidem exsolutionis ratio habebi-

" habebitur, quam primum dicta Legio Visurgim, prope de Vegesack, ubi in ter-
" ram poterit exponi, appulerit; Insuperque Præpotentes Ordines naves, quibus
" trajicere possit, commeatum cæteraque omnia, quæ necessaria sunt futura, curatu-
" ros. Quapropter etiam summè præmemorata Majestas, stipendium, commea-
" tum, cæteraque legioni impensa, quamprimum ab armis discessum fuerit, Præpo-
" tentibus plenissimè restituere tenebitur. In cujus rei testimonium, Majestatis di-
" ctæ Legatus, ac Præpotentium D.D. Ordinum Generalium Commissarii, præ-
" senti Contractui subsignarunt, sexto die Octobris, Anno 1625. Notatum erat, loco
" ac Nomine Regiæ Majestatis, Domini nostri Clementissimi Jacobus Ulefeldius,
" Florentius, Cuilenburgensis Comes. A. à Rontwijck, Fredericus de Vry, G. ab
" Hartevelt, Fredericus ab Intema, Simon ab Haarsholte, G. Schaffer.

Præter Contractum decimo quinto die Junii, Anno 1624. Londini initum, cum Carletone insuper Magnæ Britanniæ Regis Legato, sequens, de viginti navibus, Classi Britannicæ octuaginta & duarum navium, conjungendis, quæ ad Gades in Hispaniâ (absque ullo tamen eventu prospero) occupandas, apparabantur, superadditus est.

QVandoquidem Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex apparari atque exornari jussit, octuaginta & duarum navium bellicarum Classem, tormentis aliisque rebus necessariis instructam, ductu atque auspiciis supremi alicujus Archithalassi, ejusdemque Vicarii, aliorumque Præfectorum, cum ingenti terrâ marique militantium numero, cui Præpotentes Ordines Generales aliam insuper, viginti scilicet navium, præfectis, ducibus, militibus, sociis navalibus, commeatu rebusque necessariis instructam atque exornatam classem adjuncturi sunt, ut utraque conjuncta in mare evehatur, ad expeditionem quandam à Majestate Suâ propositam, in communis hostis detrimentum, mutuâ operâ, consilio atque auxilio conficiendam, cumq; dictam expeditionem absq; ullâ partium confusione, optimâq; disciplinâ, quò majus inde commodum percipiatur, institui necesse sit; Iccircò inter Dominum Dudley Carletonem, Equitem, & summè dictæ Majestatis Legatum Ordinarium, atque inter Præpotentium Ordinum Deputatos, plurimis deliberationibus conventibusque ultro citroque habitis, tandem concluserunt:

1. Vt summè præmemoratorum Ordinum Generalium Classis singularem constitueret aciem, Ejusdemque imperium Præpotentium D. D. Ordinum Archithalasso, ipsiusque Vicario & Præfectis sub proprio vexillo permitteretur, secundum ordinem atque institutum cæterarum Angliæ Ordinumque Præpotentium bellicarum Classium: sic tamen, ut Præpotentium Archithalassus Ejusdemque Vicarius, cæterique navium Duces, Regiæ Classis Admiralli imperio subjicerentur.

2. Vt Præpotentium Archithalassus Ejusdemque Vicarius ad Senatum Archithalassum pariter admitterentur, quo res causasque omnes cognoscant, consultent, deliberent, sententiamque ferant; atque in Senatu Præpotentium Archithalassus secundum à Regiæ Classis Admirallo locum, & Præpotentium Archithalassi Vicarius, secundum à Regiæ Classis Vicario Archithalasso locum obtinerent, qualis utrique ex justo fuerit attributus, ubi universus & Regiæ

Regiæ & Præpotentium Classis Senatus Archithalassus convenerit: quin etiam ut Præpotentium Classi omnis præda, navium, earumque rerum necessariarum, mercium, auri, argentique aut similium in Maribus hostiumve Portibus interceptorum, pars quinta competeret. Quæ omnia inter Regis Legatum Ordinumque Deputatos, acta & transacta Haga-Com. atque in eorum testimonium secundo die Augusti, Anno 1625. fuerunt subscripta. Signatum erat, Dudley Carleton. Nic. à Bouckhorst. S. à Beaumont. Gisbertus de Boetseler. S. ab Haarsholte.

Argumentum Præpotentium D.D. Ord. Ratihabitionis Fœderis *offendendi & defendendi* ergò Zuidt-Hamptoniæ septimo die Decembr. Anno 1625. inter Regis Britanniæ Commissarios, atque inter Ordinum Præpotentium Legatos initi.

VNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & singulis, ad quos præsentes pervenerint, Salutem. Constare volumus, septimo die Septembris, hujus Anni 1625. Zuidt-Hamptoniæ, inter Serenissimi & Potentissimi Magnæ Britanniæ Regis Commissarios Nomine Locoque summè dicti Regis ejusdemque Regnorum Ordinum, ab unâ, atque inter Nostros ad Magnæ Britanniæ Majestatem missos Legatos, Nostro & Subditorum Nostrorum Nomine locoque ab alterâ parte, Ligam ac Confœderationem defendendi *&* offendendi *ergò conflatam initamque esse; cujus argumentum tale est:*

Quandoquidem (ad progressibus successibusque illegitimarum usurpationum & postulationum Regis Hispanici, ejusdemque machinationibus ambitiosis satis, *quibus in dies singulos Europæ Principum Regumque, imprimis autem Fœderati Belgii Provinciarum earumque Subditorum, tranquillitatem perturbare ac penitus subvertere obnixè conatur) consilio atque auxilio mutuo occurrendum, Serenissimus & Potentissimus Princeps, Carolus, Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hyberniæ Rex, Fidei defensor, &c. majorem in modum rogatus fuit, à Præpotentib. D. D. Ordin. Gen. per D. Franciscum Aarssenium Equitem, Dominum in Sommelsdijck, & de la Plate, &c. D. Albertum Ioachimi, Equitem, Ostendæ & Oedekenskerkæ Dominum, D. Rienckium à Burmania, à Ferwert, Grietmannum in Ferwerderadeel à Præpotentibus Ordinibus ad dictam Majestatem missos, ad fœdus arctiùs* defendendi *atque* offendendi *adversus Regem Hispanicum ejusdemque Confœderatos, cum ipsis ineundum. Propter quæ dicta Majestas ad ulteriorem continuationem voluntatis & benevolentiæ suæ, quibus Reges ac Reginæ, Majestatis Suæ Antecessores, imprimis autem defunctus Rex (gloriosissimæ memoriæ) Parens dilectissimus antehac Fœderatarum Belgii Provinciarum commodum salutemque adversum Hispanos, sunt prosequuti, atque adversus earundem libertatis hostes quoscunque, Insuper etiam ad continuationem auxilii atque subsidii, quod sæpenumero dictis Provinciis à Serenissimâ Reginâ Elisabetha, atque à Majestatis Suæ defuncto Parente, datum latumque fuit, ad plenissimam restitutionem Charissimi Fratris Sui Frederici, Serenissimi Principis Electoris Palatini ad Rhenum, in pristinum Dominiorum atque Dignitatum omnium locum, quo tam injustè tamque immeritò à dicto Rege Hispaniarum, ejusdemque Confœderatis semotus ac deturbatus est, elegit ac deputavit D. D. Iacobum Baronem Ley, Supremum Angliæ Quæstorem, D. Georgium, Ducem Buckinghamiæ, ac supremum Angliæ Admirallum, D. Gulielmum*

lielmum Pembrociæ Comitem, atque Aulæ suæ Camerarium, D. Iacobum Carlilææ Comitem, D. Henricum, Comitem Hollandiæ, D. Eduardum, Baronem in Conwey, è Secretariis Ordinum Primarium, D. Fulckium, Baronem Brociæ, D. Robbertum Nauntonem Equitem, ac Nobilis Custodiæ Præfectum, D. Albertum Maurtonem, Equitem, atque alterum ex Ordinum Secretariis Primarium, D. Richardum VVestonem, Equitem, ac Ludi Scachorum Cancellarium, sive è supradictis Dominis sex, omnes eorumque singulos in Concilio Ordinum Regni Consiliarios, ac Consilii arcani Senatores; quibus omnibus & singulis plenissimam Auctoritatem ac potestatem dedit concessitque (cujus exemplar sequentibus inseretur) ut cum Præpotentium D. D. Ordinum Legatis, haud dissimili Auctoritate ac potestate, cujus itidem exemplar inserendum erit, munitis, agant, transigant & concludant Confœderationem Ligamque defensionis *atque* offensionis *adversus Hispaniarum Regem, ejusdemque socios, inter summè prænemoratum Regem, ac Præpotentes D. D. Ordines Generales. Qui tandem dictæ Majestatis Commissarii, ac Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Legati, variis plurimisque deliberationibus ac conventibus eâ de causâ ultrò citroque habitis, de sequentibus Articulis convenerunt.*

1. Primo *defensionis* atque *offensionis* Confœderatio inter dictum Britanniæ Regem Ordinesque Generales futura est, ad Hispaniarum Regem in omnibus Regnis, ditionibus, dominiis Subditisque ab utrâque parte Lineæ terrâ marique bello prosequendum.

2. Dictæ Confœderationis Ligæque vis durabit, *quamdiu Hispaniarum Rex armis, hostilitatis actibus, cæterisque machinationibus, aut conatibus quibuscunque injustis libertatem, ac Provinciarum Vnitarum privilegia oppugnabit: ac quamdiu Electorales dignitates, ditiones, atque hæreditarii Comitis Palatini Principatus ejusdemque dominia omnia sive ab ipso, sive ab ejusdem Fœderatis occupata erunt, angustè ad quindecim annorum spatium.*

3. Quin etiam, neque Majestas Sua, neque Ordines Generales quemcunque cum Hispaniarum Rege, ejusdemque fœderatis, sequentium annorum quindecim intervallo, pacis induciarum, sive armorum suspensionis Contractum, sive directè sive indirectè spectantem, inibunt; neque præsentem Confœderationem sine utriusque Partis consensu, renunciabunt: Insuperque Majestas, atque Ordines Generales num præsentem Confœderationem longiùs productam velint, Anno ante subsequentium Annorum quindecim exspirationem indicabunt.

4. Ad Confœderationem hanc Reges, Principes, Respublicæ, ac Civitates, quorum omnium quicquam interest, quique honestis conditionibus petent, admittentur; atque ad eam solenniter communi aut privatâ legatione, trium post Fœderis hujus confirmationem Mensium intervallo, aut si maturius id fieri queat, unicè invitabuntur.

5. Fida ac syncera amicitia, & mutua societas inter summe memoratum Regem atque Ordines Generales futura est, ad mutuam Regnorum, Provinciarum ac Subditorum defensionem; insuperque pro viribus, ac quantum fieri poterit, altera alterius partis commodo, incolumitati & securitati inserviet consuletque; quemadmodum etiam in contrarium, Regem Hispaniarum, utriusque Hostem damno ac detrimento quocunque afficiet.

6. Rex insuper Ordinesque Generales, supradictum Hostem terrâ marique omnibus copiis viribusque aggredientur; in quem etiam finem unam alteramve Classem singulis Annis apparabunt atque exornabunt, quarum ope auxilioque Hispa-

Hispaniarum Regem hostiliter invadent, sive in continentem milites exponendo, sive portus ejusdem Insulasque infestando; idque tanto animi studio, quo marium communio Europæ atque Indiæ utriusque commercia, imprimis autem quo classium ejusdem annui intercursus succidantur atque è faucibus eripiantur.

7. Ac quo fine Regis solius Ordinumve, sed mutuis sumptibus ordine propositum occipiatur, conclusum ac conventum est, Regiis sumptibus Classem ingentem satis, belloque exornatam ad Marium, Insularumque Hispanorum ostia in statione mansuram esse, quâ assiduè, quoad ejus fieri poterit, Vlissibonnæ, S Lucæ, ac Gadium portus occludantur; quemadmodum etiam ab altera parte, Ordines Generales propriis sumptibus exornatâ atque instructâ Classe Flandriæ oras portusque asservabunt; ac quantum fieri poterit, piratas, prædasque agentes arcebunt.

8. Sed si Majestati Suæ atque Ordinibus Generalibus consultum magis videretur, invasione aliquâ ad Hispaniarum Regem magis magisque in Regnis atque Imperiis opprimendum, ingentem apparare Classem, ad ejusmodi expeditionem faciendam, cujusmodi à Rege atque Ordinibus proposita fuerit; Præpotentes D.D Ordines Generales Classis prædictæ, quam Majestas Sua tum exornari atque in mare evehi curabit, quartam adjuncturi sunt partem, æquali formâ, eodemque modo munitam, insuper etiam ad tantum temporis spatium, ad quantum Regia Classis, prospectam.

9. Universæ Classis imperium summum Regi permittetur, sive per Archithalassum, sive per ejusdem Vicarium. Interim tamen concessum est, ut Præpotentium Archithalassus ejusque Vicarius, postquam utriusque Partis naves conjunctæ fuerint, proprium suum vexillum erigerent, cumque Præfectis quibusdam senioribus, & rebus in Senatu proponendis interessent, & de iisdem sententiam ferrent; Interim tamen jussa in Præpotentium navibus data atque imperata, Majestatis Suæ Archithalassus ejusve Vicarius mediatè, ac Præpotentium D.D. Ordinum Archithalassi Vicariique interventu exsequentur, Præpotentium nihilominus Archithalasso Vicarioque in Classis Suæ Præfectos, milites sociosque navales, lite ac contentione obortâ, imperium ac jus summum concedetur. At si inter utriusque Classis milites, Socios navales aliosve Imperantes quicquam jurgii fuerit oblatum; illud ex legibus atque institutis per Majestatis Archithalassum ejusque Vicarium in Senatu & Classis Præfectorum Concilio examinabitur ac decidetur.

10. In expeditione quacunque, in portibus occupandis, fluminibus superandis, hostium navibus capiendis, cæterisque rebus perpetrandis, hujusmodi ordo reservabitur: ut videlicet non plures è supramemoratâ Ordinum Classe naves, quàm è Regia, respectu multitudinis suæ expeditioni adhibeantur; nisi communi utriusque Partis Archithalassorum ac Præfectorum consensu aliter statutum fuerit.

11. Quod si quædam utriusque Partis navis commeatu, armis, velis cæterisque rebus necessariis destituta fuerit, sibi mutuo, *quoad ejus fieri poterit, succurrent*, idque mediocri pretio, sive eâ lege, ut in reditu restituantur, prout is, qui rogaverit, elegerit.

12. Si à Supradictâ Classe hoc modo conjunctâ atque apparatâ quicquam prædæ, sive hominum, navium, auri, argenti, mercium, sive quicquam bonorum mobilium terrâ marique ab hostibus interceptum fuerit, illico istiusmodi bonorum omnium Catalogus instituetur, Præfectis utriusque Classis præsentibus, omni dolo, fraude ac surreptione sive abalienatione exceptis; Eaque postmodum æqualiter secundùm numeri ac magnitudinis navium æqualitatem, quas utraque Pars dictæ Classi adjunxerit, dividentur; licet eveniat, quod quidem est possibile, ut nullæ alterutrius Partis naves direptioni ac consequutioni prædæ intersint: eâ nimirum lege ac conditione, si præda ab aliquibus duntaxat communis Classis navibus intercepta fuerint.

13. At si Regi Magnæ Britanniæ, &c. visum fuerit, exercitum aliquem proprio ære navibus imponere, eundemque in regnum hostium alicubi exponere, qui agros invadat, oppidum aliquod diripiat, seu munimentum, quo copias suas in tuto collocare queat: ejusmodi loca hoc pacto in continenti occupata atque expugnata Majestati propria fore concessum est; licet Præpotentium Ordinum Classis vel interfuerit, vel opem suam contulerit.

14. Eâ lege tamen, si tali Copiarum expositioni, oppidi sive munimenti alicujus expugnationi, Præpotentium D. D. Ordinum milites sociique navales interfuerint atque adjuverint, prædæ ac bonorum quorumcunque mobilium, secundùm navium suarum numerum cum Regiis navibus, cujus immobilia omnia, Insulæ, agri oppidaque propria erunt, æqualiter participes sunt futuri.

15. Iis, quibus à Rege aut Præpotentibus Ordinibus supramemoratæ Classis imperium permissum fuerit, vi præsentis Confœderationis potestas datur hostes persequendi, oppugnandi atque invadendi, capiendi ac convehendi, quocunque tandem loco eos adorti aggressique fuerint; in portibus quinetiam, ostiis, ac fluminibus utrinsque Partis: hac lege tamen, ut cùm hostibus captis eorumque bonis in dictis portibus, ostiis fluminibusque interceptis, navibus alterutrius Partis victricibus ex ejusmodi portibus, fluminibus ostiisque ante vectigalia ac consueta telonia iis, quibus competit, exsoluta, neutiquam discedere liceat: quæ quidem ostia, flumina & portus utrinsque Partis Nautis, Mercatoribus, navibus, omnibus denique appellentibus, commorantibus, atque ex iisdem solventibus, absque ullo impedimento, tuta ac libera futura sunt, legibus tamen, juribus atque institutis dictorum fluminum portuumque observatis.

16. Quodsi maris tempestate, prædantium persequutione, aut quocunque tandem casu, naves quædam mercenariæ ad Regis sive Præpotentium D. D. Ordinum portus appellere cogantur, liberè ex iisdem solvendi dabitur potestas; adeo ut ibidem detineri, merces permutare, vendere, earundem telonia solvere, sive ad terram educi minime opus habeant.

17. Ducibus, & qui à Rege ac Præpotentibus D. D. Ordinibus navibus bellicis fuerint præfecti, atque ab iisdem commeatu aliisve mandatis, præceptisque dictæ Classi, cujus tamen partem non constituunt, in auxiliium missi, eundem in modum licebit prædas navesque hostibus ereptas securè in utriusque Partis flumina, ostia portusque introducere, easdemque pro libitu suo exinde deducere ad loca sibi prædicta; sic tamen, ut nequaquam Portuum Præfectis naves prædasque

dasque direptas indicare, aut quicquam earum causa exsolvere teneantur; literis Auctoritatis, si rogentur, duntaxat exhibitis.

18. Quod si, durante hac Confœderatione, naves quædam tempestate, aut alio quocunque casu in alterutrius terram incidant, naufragium faciant, aliisve miseris modis pereant, dictarum navium fractarum frusta intra Anni spatium, à Dominis vel ejusmodi, quibus rei istius cura demandabitur, repetita, absque ullâ aliâ causâ ac lite prosequendâ, pro more duntaxat mulctis solutis, restituentur.

19. Quod si consimili casu contentionis quicquam inter Partis utriusque Subditos oboriatur, eorundem locorum Præfecti tenebuntur absque ullâ causæ dilatione rem breviter componere, partesque litigantes absolvere.

20. Omnes merces exportari vetitæ, cujusmodi sunt, arma & quæ bellum spectant, commeatus, naves, vela, funes, aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum cæteraque omnia à quocunque tandem Partis alterutrius loco in Hispaniam, easque regiones ac Regna, quæ Regis Hispaniarum ejusdemque Sociorum imperio subjiciuntur, asportantur, viri, naves earumque merces justæ prædæ loco diripientur.

21. Summè præmemorata Majestas apud reliquos Reges, Principes, Status, Civitates Populosque nulli Partium addictos sive Neutrales, ut vocant, instabit atque unicè rogabit, subditis ut interdicant prohibeantque, ne in dicti Regis Hispaniarum ejusdemque Sociorum regnis atque imperiis durante hoc bello negotientur, seu quæcunque cum iisdem commerciâ instituant; ne scienter ac prudenter in damnum aliquod incidant.

22. Hæc si cum bonâ gratiâ ab iis impetrari nequeant, propositum ac statutum est, eas naves, quæcunque in mari obviam dabuntur, quæque in Hispanias, Insulas ac Regna dicti Hispaniarum Regis, ejusque Sociorum & Confœderatorum, cursum dirigere existimabuntur, absque ullâ tamen institutæ navigationis morâ atque injuriâ quacunque inferendâ, detentas exploratasque iri.

23. Navigationes interim ac commercia in omnibus regnorum, Civitatum ac Ditionum, Sociorum, Principum, Amicorumque Neutralium partibus, liberè ac securè instituentur, omni dolo & fraude exceptis.

24. Quocirca etiam supradictæ Majestati, ac Præpotentibus Ordinibus Generalibus in utriusque Partis regnis, imperiis, ac civitatibus apparare atque emere licebit quæcunque arma bellica, commeatum, funes, vela, quibus ad naves apparandas atque exornandas opus est; sic tamen ut neutiquam teneantur empta bona earumque asportationem pluris exsolvere, quam Subditi, quorum in Regnis, Imperiis ac Civitatibus emuntur, exsolvere solent.

25. Præpotentes Ordines Generales à Rege, haud secus ac Amici, Affines Sociique cui arctissimo Fœderis vinculo tenentur devinctissimi, excipientur; ac quantum tormenta bellica globosque grandes attinet, iisdem è Regnis Imperiisque tantam tormentorum bellicorum copiam, haud majori pretio, quàm subditis cæterisque Majestatis Fœderatis veniunt exportandi dabitur copia.

26. Quod si in posterum eveniat, ut vel Majestas, vel Præpotentes Ordines Gener. commodiorem, quam in præsenti Contractu propositus est, excogitarent modum, quo majus Hispaniarum Regi damnum inferri possit, insuperque roga-

rent, ut talia proposita communi consilio instituerentur; per Legatos si consultum fuerit, sive per Deputatos eâ de causa missos, si in rem esse existimabitur, actum iri statutum est.

27. Ac quoniam Regem Hispaniarum aperto bello, omni vi terrâ marique invadere, opprimere atque oppugnare propositum est, Majestas Sua Ordinesque Generales propriis cujusque sumptibus ingentem equitum peditumque numerum, debito modo armatum, conscribent satisque de omnibus ad sustentationem necessariis, ad hostem aggrediendum eumque sive campo aperto, sive munimentis oppidisque obsidione atque oppressione expugnandum, prospicient.

28. Quorum militum à Rege conscriptorum numerus, ad minimum, viginti supra quinque, sive triginta militum millia, insuperque quatuor aut quinque millia cataphractorum equitum conficiet; deque sclopetis, hastis, fistulis, ac necessariis militarium machinarum impedimentis aliisque rebus prospicietur.

29. Summè præmemorati Ordines Generales eundem in modum exercitum, atque æqualem equitum peditumque numerum conscribent, atque ea, quæ spectant tormenta bellica omniaque necessaria adjungent.

30. Supradicta Majestas Sua Ordinesque Generales dehinc tempus aliquod constituent, quo copias suas educant; in quem etiam finem inter sese consulent, ac consilia propositaque indicabunt, quò tanto commodiùs hostium copiæ distrahi, atque in diversas partes dividi queant.

31. Quod, ut tantò facilius efficiatur, uterque se eo modo copias ducturum pollicebitur, quo pro singulari animi providentia, securitati, commoditati atque utrinsque utilitati sit consulturus; quapropter etiam inter utrumque consensus ac societas mutua futura est.

32. Quod si eveniat, ut Majestati Suæ navibus, quibus copias suas trajiciat, opus fuerit, supradicti Ordines easdem medioeri pretio curabunt: eâ lege tamen, ut in tempore à Majestate admoneantur, quò commodiùs cum nautis naviumque dominis de conductione convenire queant.

33. Quæcunque alteruter suis copiis vel ceperit vel expugnaverit oppida, castella arcesque, ea omnia expugnanti propria sunt futura.

34. Majestas Sua ex omni Fœderati Belgii Provinciarum armamentario navibus, armis, commeatu, materiis queiscunque necessariis, pretium exsolvendo, juvabitur.

35. Ante tempus à Rege Ordinibusque constitutum, supradictæ Copiæ in stationibus urbium neutiquà locabuntur, neque sine utriusq; consensu dimittentur: sed earundem duces numerum supplere, ac novas integrasq; accersere tenebuntur.

36. Quod si hostis omnes copias adversus Confœderatorum alterum deducat eumque solum invadat, alter continuò, nisi alicubi castra posuerit, movebit, Copiasque, ubi potissimum opus fuerit, ac majus hosti damnum inferri poterit, adducet, nisi alteri in auxilium venire, hostemque, si fieri queat, inter utriusque Copias interclusum tenere, consultum magis videatur.

37. De tributis, quæ in hostium Regnis agrisque imperabuntur, ab utraque parte post consuletur.

38. Quod si alterutrius copiæ ab hoste premantur, tantas alter copias in auxilium

lium missurus est, quantas ejusdem securitas atque incolumitas patietur.

39. Quæcunque hactenus literæ violentæ repetitionis, seu ut vocant Repressalia, & literæ, quas vocant marcæ, insuperque Detentiones quamcunque ob causam utriusque Partis Subditis datæ concessæque fuere, cessabunt, neque in posterum cuiquam utriusque Partis Subditorum concedentur; sed quodcunq; æquum justumque futurum est, exercebitur.

40. Neque per præsentem Confœderationem neque per ejusdem verba quæcunque expressa, sive universalia sive singularia, indicatur, aliquam saltem *renovationem sive restaurationem, interruptionem sive commutationem factam fuisse in navigationibus commerciisque*, quæ in Majestatis, Ordinum, atque exterorum Regum, Principum, Civitatum, Amicorum Sociorumque neutralium Regnis Imperiisque libere hactenus instituta fuere; insuper neque Legibus Architalassorum Senatuum constitutis, tributorum, onerum, vectigaliumque exsolutionibus, neque utriusque Partis operâ atque officio, privilegiis, juribus, (quæ constituta Anglis dicuntur) quicquam renovatum, instauratum, aut commutatum esse: contra verò disertis verbis conventum ac constitutum est, supradicta privilegia, jura, onera, tributa, vectigalia, leges, constituta, exsolutiones eam vim ac vigorem retentura, quam ante præsentis Fœderis contractum obtinuerunt. Quæ omnia & singula jam memorata, inter dictæ Majestatis Ordinumque Generalium Commissarios Legatosque acta & transacta sunt; promittentes ac spondentes, vi Auctoritatis ac potestatis sibi datæ concessæque (cujus utriusque exemplar sequentibus inseretur) dehinc Mensibus tribus, aut si poterit maturiùs, Dominorum suorum Principalium consensum, seu Fœderis præsentis confirmationem ac ratihabitionem solennibus Formulis conscriptam, Majestatis scilicet Britanniæ Commissarios Dominorum D. Ordinum Gener. Legatis, ac vicissim D. D. Ordinum Legatos Majestatis Suæ Commissariis traditturos esse. In quorum omnium testimonium supra memorati Commissarii Legatique præsentis Confœderationis Articulis subsignarunt, suoque sigillo muniri curarunt. Actum, Zuydt-Hamptoniæ, septimo die Septembris, Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo & quinto, stylo Britannis recepto.

Paulò infra sequebatur Partis utriusque literarum Auctoritatis argumentum. Carolus Dei Gratiâ, &c. Datum TichFeldii, quinto & vicesimo die Augusti, Anno 1625. infra, Carolus Rex. dein, Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Auctoritatis datæ argumentum, Exaratum Hagæ-Com. duodecimo die Junii, Anno 1625. S. Beaumontius vidit, Pauloque infra, ex Auctoritate & jussu supradictorum D. D. Ordinum Generalium. *I. van Goch.* Subscriptum & subsignatum ut sequitur.

Iacobus Ley.	*Franciscus Aarssenius.*
G. Buckingham.	*Albertus Ioachimi.*
Pembroeck.	*R. à Burmania.*
Carlile.	
Hollandt.	
E. Conwey.	
Rich. VVestonius.	

Ratio-

Ratihabitio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium subsignata erat Haga-Com. quarto & decimo die Decembris, Anno 1625. Notatum erat, Varwer vidit, subscriptum ex Auctoritate & jussu D. D. Ordinum Generalium. Notatum, J. van Goch.

Magnæ Britanniæ Regis confirmatio seu ratihabitio signata erat, vicesimo die Decembris, Anno 1625. *Datum, Careno. Infra, Carolus Rex.*

Regis Britanniæ Protestationis, quam vocant, argumentum, super violentarum Repetitionum, vulgo Repressaliorum, adversus Indiæ Orientalis Societatem antehac datorum concessorumque annihilatione.

Q*Vandoquidem hujus Mensis die septimo, Confœderatio quædam inter Nos, atque Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, quo de plurimis, & Nostri Regni, & ipsorum Reip. mutuam defensionem spectantibus, ut latius in dictæ Confœderationis Articulis patet, peragitur, inita ac conclusa est; Omnibus itaque & singulis constare volumus, Nos sæpenumerò rogasse, atque longanimitate maximâ dictorum Ordinum Generalium adversionem in Orientalis Indiæ Socios desiderasse, idque propter proterviam ac petulantiam in iisdem regionibus perpetratam, imprimis autem quam erga Subditos Nostros in Ambona exercuerunt,* quos crudeliter interemptos, bonis mercibusque omnibus destituerunt, *quamvis longe diuque ante supra memoratum Fœdus initum à Præpotentibus Ordinibus correctionem tanti facinoris, uti etiam aliorum damnorum Subditis Nostris illatorum restitutionem petierimus, quorum tamen omnium satisfactionem, non obstantibus justis eorum querelis, consequi nullam potuerunt. Quapropter etiam antehac obtestati sumus, Nos minime contentos esse, minimeque cum dictis Dominis D. Ordinibus Contractum qualemcunque inire velle,* antequam bonorum omnium jacturam resarcivissent, *prout jus & æquum postulat, ac imprimis Socios Confœderatosque tam Nobis Affines & Propinquos decet. Quibus semper Ordinum Generalium Legati se reverentiam ac Majestatem Regiam cæteris ante ferre dixerunt, nullamque rem sibi magis cordi esse, neque quidquam sibi magis commendatum habere, atque ad id omnem operam ac diligentiam conferre, ut ejusmodi remedia excogitarent, quibus hac in re Nobis satisfieret; promittentes se non destituturos, donec perficerent, Nobisque satisfactum esse viderent. Insuperque addiderunt, quicquid hactenus in morâ fuisset, non malitiâ, non pertinaciâ suorum id factum, sed rerum suarum statum ac conditionem aliter fieri prohibuisse. Addito hisce locorum intervallo è quibus Instructiones suas accipere debebant, antequam in hoc negotio quicquam agere liceret; quocirca nos unicè rogabant, ne particulares hæ rationes communis negotii salutem ac promotionem remorarentur, ac, nisi Nobis satisficeret, integrum licitumque fore Nobismet ipsis rationem reddere, ac præfatam Societatem Indiæ Orientalis, ut Nobis satisfaciant, cogere, salvo tamen cum Præpotent: D. D. Ordinibus inito tractatu. His aliisque rationibus prædicto tractatu comprehensis impulsi, Commissarios nonnullos deputavimus, qui cum supramemoratis Legatis agant & concludant: Verumtamen protestati sumus, ac per præsentes litteras coram prædictis Legatis protestamur, quas Præpotent: D. D. Ordinibus tradi oportere, omnibusque indicari oportere in rem esse duximus, nisi Præpotent: D. D. Ordines Nobis, quod æquum justumque est, intra* octodecim *proximè dehinc venturos Menses, præstent, in iis quæ famæ dignitatisque respectu passi sumus,*

sumus, neque damnum Subditis Nostris, quorum bona vitamque tueri ac defendere tenemur, illatum reparari curent, licitum Nobis semper fore, Subditorum Nostrorum vitæ opumque vindictam sumere, &, sive literis (violentæ repetitionis) vulgò Repressaliis, quas Subditis Nostris concedemus, sive immediatè propriis Nostris viribus rationem jacturæ, quam in Amboinâ aut alibi ab utrâque parte Lineæ fecerunt, repetere; non obstantibus vel generalibus vel particularibus quibusdam conditionibus, prædicto Tractatu comprehensis, cujus observatione, ejus respectu, liberos ac solutos Nos esse Deos hominesque testamur. *Eum quoque in finem hanc Nostram Protestationem prædictis D. D. Legatis tradi curavimus, ut per ipsos summè dictis Ordinibus Generalibus exhiberetur, insuperque Legato nostro Ordinario, Equiti Carletoni, idem faceret præcepimus; utque hanc nostram Protestationem tantò firmiorem redderemus eam Regestis Nostris inseri curavimus. Actum Tichfieldti nono die Septemb. 1625. Subsignatum erat* E. Conway.

Argumentum Confœderationis inter Serenissimos Magnæ Britanniæ & Daniæ Reges, atque inter Fœderati Belgii Ordines Generales initæ.

QVandoquidem communi consensu, ac respectu *perniciosarum machinationum, atque oppressionum* quæ jam ab aliquot retro Annis non tantùm minitatæ, verùm aperto quoque bello effectæ fuerunt, adversus Pacificationem variis temporibus factam confirmatamque per Cæsares ipsos, atque adversus reliquas Imperii Constitutiones fundamentales juratasque Capitulationes, quod non tantùm* Principes Electores, Principes, Civitates Germaniæque Ordines, *verùm etiam necessariâ quadam consequentiâ Reges, Principes, Eorumque Ordines finitimos, Socios & Confœderatos spectat; Idque propter commodum quod è prædictæ Pacis, Constitutionum, Capitulationum ac Confirmationum conservatione atque observatione capiunt; Impulsi sunt tempestivè iisdem præcavere atque impedire* nimis violentam minimeque ferendum harum machinationum perniciosarum suppressionumq; progressum, & ad restaurationem ac conservationem dictæ Libertatis, Jurum & Statutorum Imperii, *obsistere tam manifeste minitanti interitum malo omnibus, qui aut impræsentiarum ejusdem Fundatores existunt, aut in posterum exstituri sunt: Eâque de causâ Sereniss. Magnæ Britanniæ Rex Hagam Bat. delegavit Per-Illust. D. D. Georgium, Buckinghamiæ Ducem, supremum Angliæ Admirallum, &c. Henricum, Comitem Hollandiæ, &c. Extraordinarios Suos Legatos, & D. Dudley Carletonem, Equitem, Ordinarium suum apud Vnitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales Legatum; Insuper etiam Serenissimus Rex Daniæ huc delegavit D. D. Iacobum Vlefeldium, Equitem Danum, Gubernatorem Neoburgensem, & Christianum Thomæ in Tomme Rup, Hæreditarios, Extraordinarios Suos Legatos; summeque dicti Fœderati Belgii Ordines Generales deputârunt D. D. Florentium, Comitem Kulenburgensem, Baronem Pallandiæ, VVittæ, VVeerdæ, Dominum Hoedeni, Hiendeni, VVildenburgi, Kenswicleri, Engelsdorpii, Vrechemi, Bachemi, &c. Nicolaum à Boeckhorst, Noortvici Dominum, Balivum aggerumque Rhenolandiæ Præfectum; Antonium Duickium, Præ-Potent. D. D. Ordinum Hollandiæ & VVest-Frisiæ Syndicum supremum, Simonem Beaumontium, Civitatis Medioburgensium Consiliarium Syndicum; Gisbertum Harteveldium, Christianum Oosterzee, Grietmannum in Hemsterlaud, Thomam Verwer, Consulem Daventriæ, Gosenium Schafferum, Toparcham in Vytbuysen & Meden,*

Meden, Commissarios suos: qui postquam sæpius Haga-Batav. de modo ac necessariis mediis, quibus prædictus finis obtineri posset, acturi convenerant, in sequentes Articulos mutuò consenserunt:

1. Ac primò quidem firmum & perpetuum Fœdus inter Serenissimos Magnæ Britanniæ & Daniæ Reges ac Præpotent. D. D. Ordines intercedet.

2. Quò supradictis malis incommodisque occurratur, Majestas Sua Daniæ exercitum viginti supra octo aut triginta millium peditum, insuperque septem aut octo millium equitum in campum educet, si debitè ac sufficienter ipsi à Confœderatis succurratur.

3. Majestas Sua Magnæ Britanniæ ter centenis Florenorum millibus Regi subveniet, quorum exsolutio fiet Hamburgi unoquoque Mense præcisè triginta supra duos dies continente.

4. Majestas Sua Magnæ Britanniæ, juxta Fœdus inter ipsam & summè dictos Ordines Generales initum ejusque argumentum, *aliam Classem* in Mare educet, eâdemque Classi, quæ jam in Mari est, auxiliabitur, quò adversæ Partis vires hoc pacto distrahantur atque enerventur.

5. Summè memorati Ordines Generales Majestati Suæ Daniæ *quinque Florenorum millium, singulis Mensibus* ut suprà computatis, suppetias ferent Præterea etiam, si res ac fortunæ eorum permitterent, hostiumque Copiæ appropinquantes, Regis Daniæ exercitui obviam procederent, in gratiam prædicti exercitus *ingentem equitum numerum educent*, quò supramemoratos hostes distrahant. *Suam partem quoque ad prædictam Regis Magnæ Britanniæ Classem exornandam* conferent atque exsolvent, proximeque venturâ æstate quantum peditum equitumque numerum poterunt in campum educent, quâ *sufficientem exercitum* constituant, &, ne ab hostibus adversus prædictum Regis Daniæ exercitum auxilium mittatur, impediant.

6. Nemini Confœderatorum, *ante prædictæ restaurationis in Germaniâ (annuente Divino Numine) consequutionem, Confœderationem hanc renunciare licebit.*

7. Nemini quoque Confœderatorum *à Parte adversâ explicationes quascumque*, nisi quæ literis commissæ offerentur, *accipere integrum erit,* ad quas etiam essentialiter, antequam omnium Confœderatorum Ministris Hagæ-Batav. commorantibus exhibitæ fuerint, neque *sine communi consensu* respondebitur.

8. Quodsi Confœderatorum quis dehinc semetipsum sive directè sive indirectè infestatum, turbatum vel oppressum in Regnis Suis, Regionibus, Ditionibus Oppidisve terrâ marique deprehenderet, *vi hujus Confœderationis*, reliqui *auxilium ipsi ferre*, terrâ marique tenebuntur, opibus, mediisque, in quæ Confœderati jam consenserant, omnibusve viribus, quò eum à prædictis oppressionibus tueantur ac defendant.

9. Omnia hæc puncta obligantia atque obstringentia sunt & in posterum erunt, etiam respectu Regis Daniæ, *si sufficiens ipsi auxilium certò ac reipsâ præstitum sit.*

10. Quandoquidem autem Christianissimo Regi Galliarum apud Majestatem Suam Daniæ duorum è Ministris suis Delegatione instare placuit, ut ei persuaderet, *quò nefariis conatibus & suppressionibus in S. Romano Imperio remedia adhiberet*, quibus instantiis variæ oblationes auxilii adjunctæ erant, quo onus hoc sufferre queat, Chri-

Christianissima Sua Majestas Regia quamprimùm rogabitur, ut huic sese Tractatui immisceat, vel Regis Daniæ exercitus sustentationi liberali subsidio succurrat, juxta Regias Suas oblationes cæterorumq; Confœderatorum proportionem, qui sese pro Communi Salute devincient atque obstringent.

11. Quum autem Serenissimus Sueciæ Rex varias oblationes ac Declarationes Suæ erga Fœdus hoc voluntatis instituerit; etiam à Majestate Suâ petetur ut idem ineat, atque ex ordine oblationum eidem succurrat.

12. Serenissima Venetorum Respublica Sabaudiæque Dux itidem rogabuntur ut ineant ejusdemque participes fiant.

13. Principes Electores Germaniæ omnesque alii Principes, Status Civitatesque, quarum interest, ut eidem Fœderi subscribant, rogabuntur.

14. Fœdus hoc quoque Principi Transsylvaniæ indicabitur, ut pernoscatur, num Celsitudini Suæ huic se adjungere consultum videatur, utque ea, quæ in rem ejus futura sunt, faciat.

15. Præsens Fœdus nullam *innovationem aut immutationem* afferet Contractibus, quos Majestas Sua Magnæ Britanniæ cum Præpotent. D. D. Ordinibus seorsim iniit, qui robur suum retinebunt, pro modo quo conclusi confirmatique sunt.

Quæ Conventiones, Pactiones & Articuli suprà concepti eorum singuli pertractati, stipulati, concessi ac confirmati sunt à præmemoratis D. D. Legatis Magnæ Britanniæ & Daniæ Regum, salvo Majestatum Suarum consensu, & à Commissariis summè dictorum D. D. Ordinum Generalium, salvo quoque D. D. Deputantium suorum consensu, bonâ fide promittentes sesèque obstringentes, vi literarum suarum Autoritatis, (quæ tractationis hujus fini annectentur) sese intra vigesimum diem Martii proxime venturi, aut, si fieri potest, citius, eos quorum D. D. Deputantes non tam longè hinc absunt, comparaturos ac tradituros esse, nempe D. D. Legatos Regis Magnæ Britanniæ Ministris Regni Daniæ & Status hujus, ac præmemoratos D. D. Legatos Regis Daniæ Ministris Magnæ Britanniæ & Præpotent. D. D. Ordinibus General. ac D. D. Commissarios summè dictorum D. D. Ordinum Ministris Magnæ Britanniæ & Daniæ specialem declarationem voluntatis ac sententiæ D. D. Deputantium suorum de hoc præsenti tractatu, sive literas Ratihabitionis solemnibus formulis conscriptas:

In quorum omnium Actionum, Conventionum & Articulorum testimonium prædicti D. D. Legati & Commissarii tractatui huic subsignârunt, ac Sigillis suis muniri curârunt. Actum Hagæ-Batav. nono die Decembr. Anno 1625.

Argumentum Literarum Auctoritatis D. D. Extraordinariis Legatis Regis Magnæ Britanniæ datæ concessæque.

CArolus Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, &c. Omnibus ad quos præsentes hæ literæ pervenerint, Salutem. Multæ & graves admodũ causæ Nostra pariter & publica spectantes commoda, illa verò præcipuè quæ pro Amicis & Confœderatis Nostris cura Nobis incumbit, quorum Salutem summo Nostro cum luctu periclitantem cernimus, persuasere Nobis, Amicos, Affines & Confœderatos Nostros non solum per literas monere, ut sua publicaque prospiciant saluti atque incolumitati, verum etiam per Legatos & Deputatos Nostros rogare, & ad Fœdus contra communem hostem *Nobiscum ineundum invitare, ut scil. communi auxilio consilioque maturè obviam eatur tam latè grassanti Malo*

& jam Universo Christiano orbi fræna jugumque minitanti: Hac de causâ ac præ summâ illâ fiduciâ, quam in prædilectis ac præcharis consanguineis & Consiliariis Nostris Georgio Buckinghamiæ Duce, Summo Regni Nostri Angliæ Admirallo, &c. & Henrico Comite Hollandiæ, quorum non semel probitatem, industriam, prudentiam & providam animi circumspectionem in Rebus Nostris gerendis experti sumus, Ipsos Nostros veros, certos & indubitatos Legatos, Deputatos & Commissarios Nostros tam ad Sereniss. Fratrem Nostrum præcharissimum Ludovicum Regem Christianiss. & Præpotent. Fœderati Belgii Ordines Generales, Amicos Nostros charissimos, quam ad quoscumque Reges, Principes, Status liberos & quoscumque alios Amicos, Affines & Confœderatos Nostros, hac in parte fecimus, constituimus & ordinavimus per præsentes dantes & concedentes eis plenam, sufficientem & omnimodam potestatem pariter ac facultatem pro Nobis & Nostro Nomine cum summè dictis Serenissimo Rege Christianissimo, Unitarum Belgii Provinciarum Ordinibus, vel cum quolibet Rege, Principe, Statu libero aut aliis cujuscunque Ordinis, Status dignitatisque fuerint, contra Domum Austriacam, Hispaniarum Regem, aut alium quemcumque eis faventem & ab eorum partibus stantem, Fœdus, Ligam & Confœderationem quamcunque offensivam & defensivam ineundi & contrahendi, Ligas aut Confœderationes quascumque antehac initas confirmandi, eas extendendi aut minuendi, Tractatus cum quocumque ineundi, Propositionibus consentiendi, proponendi, stipulandi, conveniendi Nostroque Nomine concedendi, promittendi & concludendi, atque iisdem promissis, stipulationibus & conventionibus subsignandi, omnia denique & singula agendi ac præstandi, quæ præmemorati Legati, Deputati & Commissarii Nostri Nobis Regnisque Nostris utilia, convenientia & necessaria judicaverint, & quæcumque Ipsi agere aut præstare possemus si Ipsi præsentes adessemus; promittentes & verbo Regio spondentes, quæcumque à supramemoratis Legatis, Commissariis & Deputatis Nostris acta, gesta conclusaque in præmissis fuerint, Nos rata grata firmaque habituros & inviolabiliter observaturos & si opus fuerit, Regiâ Nostrâ manu & Sigillo Nostro munituros esse. In quorum testimonium hisce literis Nostris manu Nostrâ subsignavimus & Magno Nostro Sigillo muniri fecimus. Ad Novam Farum decimo septimo die Octobr. Anno Regni Nostri primo, signatum erat Carolus Rex, & obsignatum Sigillo Magno in cerâ flavâ.

Argumentum Literarum Autoritatis D. Dudley Carletoni, Equiti, Legato Ordinario Regis Magnæ Britanniæ datæ concessæque.

Carolus Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, &c. Omnibus, ad quos præsentes literæ pervenerint, Salutem. Cum multæ & graves admodum Causæ Nostra pariter & publica spectantes commoda, persuaserint Nobis Tractatum & deliberationem inire cum Serenissimis Daniæ & Sueciæ Regibus, Electore Brandenburgico & aliis Principibus & Confœderatis Nostris (publicæ utilitatis imprimis studiosis) super iis, quæ in hoc rerum Statu Nostro & communi Christiani Orbis bono utilia videbuntur; cumq; ad id summè dicti Reges, Principes & Confœderati Nostri Legatos, & Deputatos suos Hagam Batavorum missuri & delegaturi sint, aut jam miserint vel deputârint, ut cum Nostro aut Nostris in & de præmissis & omnibus ea concernentibus deliberent, conveniant & concludant, Notum sit, quod Nos de fidelitate & providâ animi circumspectione prædilecti & fidelis Nostri Dudley Carletonis, Equitis Aurati, Oratoris Nostri Ordinarii apud Potentiss. Unitarum Belgii Provinciarum Ordines, apprimè confidentes. Ipsum verum, certum, legitimum & indu-

indubitatum Commissarium & Deputatum hac in parte facimus, constituimus & ordinamus, eidem per præsentes dantes & concedentes plenam & omnimodam potestatem & Autoritatem cum summè dictis Regibus, Principibus & Confœderatis Nostris vel eorum Legatis aut Deputatis, sufficientem ad id Autoritatem habentibus, deliberandi, conveniendi & concludendi pro Nobis & Nostro Nomine, de & super Ligis, Amicitiis & Confœderationibus quibuscunque inter Nos & præfatos Reges, Principes & Confœderatos Nostros auxiliaque mutua concipiendi & concedendi, & pro Nobis Nostroque Nomine promittendi & confirmandi pactionesque quaslibet & conventiones ineundi & contrahendi cæteraque faciendi quæ in præmissis vel eorum reliqua concernentibus utilia aut necessaria judicaverint, promittentes bonâ fide & verbo Regio spondentes quæcumque à prædicto Commissario & Deputato Nostro in iis quæ prædicta sunt aut ea quovis modo concernentibus acta, gesta, promissa conclusaque fuerint Nos ea omnia rata, grata firmaque habituros & inviolabiliter observaturos. In cujus rei testimonium his literis manu Nostrâ subsignavimus, & Sigillo Nostro Magno muniri curavimus. Actum in Palatio Nostro VVestmonasterii vicesimo tertio die Aprilis, Anno Regni Nostri primo. Subsignatum erat, Carolus Rex & obsignatum Magno Sigillo in flavâ cerâ.

Argumentum Literarum Autoritatis D. D. Extraordinariis Legatis Regis Daniæ data concessæque.

CHristianus Quartus, Dei Gratiâ, Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Slesvici, Stormariæ ac Ditmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst, Omnibus & singulis quibus præsentes hasce continget legere audireve; pro Status ac dignitatis ratione, post officii, benevolentiæ, favoris, ac gratiæ Nostræ Regiæ testificationem condignam, amicè, benevolè ac clementissimè significamus: Cum hoc tempore inter præcipuos aliquot Europæ Reges, Principes ac Status Hagæ Batav. per Legatos illuc mittendos, conventus haberi, ac de mediis per quæ afflicta & penè oppressa Germania in pristinum statum ac tranquillitatem restitui possit, matura deliberatio institui debeat. Nos pro eo studio & favore, quo erga bonum publicum tenemur, pio huic & omni laude digno proposito minimè deesse voluisse, & propterea Generosos ac Nobiles Regni Nostri Cancellarium & Senatores, Præfectum Arcis Neoburgensis dilectos Nobis fideles Jacobum Ulefeldium in Urip, & Christianum Thomæ in Tomme Rup, Hæreditarios, quorum prudentiam, fidem ac diligentiam in multis gravissimis rebus experti sumus, illuc Nostro Nomine delegasse, quibus vi Præsentium damus & concedimus plenam ac omnimodam potestatem cum Regibus, Principibus & Statibus prædictis, aut eorum Legatis, sufficienti itidem ad id Auctoritate munitis, conveniendi, deliberandi & Nostro Nomine concludendi ea omnia, quæ ad prædictum finem necessaria aut conducibilia videbuntur, Confœderationes, Contractus aliasque Literas aut Instrumenta super iis ineundi & confirmandi, promittentes & verbo Regio spondentes, Nos ea omnia, quæ præmemorati Legati & Deputati Nostri ita gerent & promittent, rata, grata firmaque habituros esse. In quorum pleniorē fidem præsentibus manu Nostrâ Regiâ subscripsimus & Sigilli Nostri appendice muniri curavimus. Actum Neoburgi trigesimo primo die Octob. Anno 1625. Subsignatum erat, Christianus, & Sigillo obsignatum in cerâ rubeâ.

Argumentum Literarum Auctoritatis D. D. Commissariis Præpotent. D. D. Ordinum Generalium datæ concessæque.

Vnitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & singulis, quibus præsentes hasce continget legere audirevè, Salutem. Quandoquidem ad communi consensu auxilioque progressibus nefariorum ac periculosorũ conatuum, & suppressionum, quæ aperto bello ac de facto exercentur, contra Pacificationem, Leges fundamentales aliasq; Capitulationes S. Romani Imperii ab ipsis Imperatoribus constitutas, obviam eundum, *visum est*, dirigente atque instante *Sereniss. Magna Britannia Rege, ut Haga-Batav. D. D. Legatorum & Commissariorum summè dictorum Regum, Principum ac Statuum, quorum interest, ut & Nostrorum Commissariorum conventus haberetur, ad deliberandum agendum ac concludendum Confœderationem Ligamque firmam defendendi atque offendendi adversus eos omnes, qui aut impræsentiarum existunt aut in posterum exstituri sunt earum machinationum oppressionumque Autores, & quandoquidem in prædictum finem eò loci advenerunt Strenuissimi Domini D. Georgius, Buckinghamiæ Dux, supremus Admirallus, &c. Henricus, Comes Hollandiæ, Extraordinarii Legati Serenissimi ac Potentissimi Regis Magnæ Britanniæ, quemadmodum etiam D. Dudley Carleton, Eques, Ordinarius Legatus summè dictæ Regiæ Majestatis ad id speciali Autoritate instructus est, insuper etiam D. D. Iacobus Vlefeldius in Vrup, Regni Daniæ Cancellarius, Arcis Neoburgensis Gubernator, & Christianus Thomæ in Tomme Rup, Hæreditarii, Extraordinarii Legati Serenissimi ac Potentissimi Regis Daniæ, eò pervenerunt: Nos itaque plenissimè freti sinceritate ac longâ rerum experientiâ, fidelitate ac sufficientibus qualitatibus D. D. Florentii, Comitis Culenburgensis, Baronis Pallandiæ, VVithemiæ, VVeerdæ, Domini Leedæ, Liendeni, VVildenburgi, Kensmieleri, Engelsdorpii, Vrechemi, Bachemi, &c. Nicolai à Boeckhorst, Domini Noortvici, Ballivii aggerumque Rhenolandiæ Præfecti, Antonii Duickii, Præpotent. D. D. Ordinum Hollandiæ & VVest-Frisiæ Syndici Primarii, Symonis Beaumontii, Civitatis Medioburgensium Consiliarii Syndici; Gisberti Harteveldii, Christiani Osterzee, Grietmanni in Leustterlandi, Thomæ Verwer, Civitatis Daventriæ Consulis, & Goosenii Schaffer, Domini in Vythuisen & Meeden, &c. ipsos ordinavimus ac deputavimus & per præsentes ordinamus ac deputamus ut Nostro Nomine Locoq; in Concilio Prædictorum D. D. Extraordinariorum & Ordinariorum Legatorum summe memoratorum Regum, aliorumque Regum, Principum, qui hisce sese adjungent, dantes ac concedentes ipsis plenam atque omnimodam Auctoritatem ac potestatem agendi, conveniendi, & cum eis concludendi* Confœderationem firmam Ligamque offensionis ac defensionis *adversus prædictas machinationes oppressionesque, deque iis omnibus, quæ conventa ac conclusa fuerint ejusmodi Instrumenta, Contractus Pactionesq; necessarias ineundi & confirmandi: generaliter etiam in supradictis agendi, sicut Nosmetipsi, si præsentes essemus, ageremus, negotio licet ulteriora mandata, quam præsentibus expressa sunt, exigente, bonâ fide spondentes, Nos ea omnia, quæ prædicti D. D. Deputati Nostri in suprà memoratis ita gerent & promittent, rata, grata firmaque habituros atque inviolabiliter observaturos, neque ullâ ratione sive directâ sive indirectâ contraventuros, omnia quoque, si opus fuerit in summè dictorum Regum aliorumque, qui hisce sese adjungere volent, satisfactionem, ratihabituros. Actum Haga-Batav. in Concilio Nostro, sub Sigillo Nostro majori signatum, atque à Graphiario Nostro subsignatum, vigesimo octavo die* De-

Decemb. Anno 1625. Subſignatum erat, Gisbertus de Boetſeler, pauloque infra juſſu & Au-ctoritate ſummè dictorum D. D. Ordinum Generalium; Notatum, I. à Goch, obſignatum Sigillo majore in cerâ rubeâ. Subſignatum erat,

D. S. G. Buckingham.
L. S. Hollandes.
L S. Carleton.

L. S. Jac. Ulefeldius.
L. S. Chriſtianus Thomæ.

L. S. Florent. Comes Culenburgenſis.
L. S. Nicolaus à Boeckhorſt.
L. S. Ant. Duickius.
L. S. S. Beaumontius.
L. S. G. Harteveldius.
L. S. C. ab Ooſterzee.
L. S. Thomas Verwer.
L. S. G. Schaffer.

Argumentum Memorialis reſpectu Tractatus Hagæ-Batav. inter Sereniſſimos Magnæ Britanniæ & Daniæ Reges, & Fœderati Belgii Ordines Generales nono die Decemb. Anno 1625. initi.

QVanquam D. D. Legatis & Deputatis qui contraxerunt, generalioribus terminis proponere plurimis graviſsimiſque de cauſis viſum fuit; præſuppouendum eſt Palatinum utrumque cum omnibus ſuis Dignitatibus atque annexis expreſſe retinendum eſſe, Confœderatos mediis quibuſcumque optimis ejus reſtitutionem Principi Electori Comiti Palatino ejuſdemque liberis procurare teneri, quum injuſtè atque immerito inde ejecti ſint, neque Confœderatos ullum cum hoſte Tractatum, niſi Principe Electore incluſo, inituros eſſe.

Nummorum ſubſidium ter centenorum Florenorum millium ſingulis Menſibus, quod Majeſtas Sua Magnæ Britanniæ Copiis Regis Daniæ ſuſtentandis confert ac præſtat, continuabitur, dum egregiâ diverſione, *quam Majeſtas Sua Magnæ Britanniæ alio exercitu terrâ, ut & Claſsibus Suis Mari inſtituet, Rex Daniæ magis ſibi* ſubventum quam prædicto nummorum ſubſidio *reipsâ comperietur, vel Majeſtas Sua aliis ſubſidiis exercitui ſuſtentando par reddetur.*

Quodſi Magnæ Britanniæ Rex è propriis ſuis ſubditis ſex peditum millia equitumque mille *proprio ſuo ære exſolvendos, ſed pro ratione ſtipendii Regis Daniæ, prædicto exercitui addere velit, integrum ipſi fore hæc ita gerere finitis tribus Menſibus, prout conventum eſt, aut convenietur inter Majeſtates Suas Magnæ Britanniæ & Daniæ per Equitem Amſtrutherum, exſolutionem quoque prædictorum militum ſubtractionis medio è promiſſâ tercentenorum Florenorum millium Summâ ſingulis Menſibus inſtitutam iri; è prædictis nummis quod ſupereſt, reliquus exercitus ſumptibus impenſo.*

Copias Comitis Mansfeldi, dum conjunguntur, ſive in diſpoſitione Regis Daniæ futuræ ſunt, (prout jam ſunt, atque eſſe oportet uſque dum Confœderati aliud decernant) militibus tam peditibus quam equitibus, ſecundo hujus Tractatus Articulo expreſſis annumerandas eſſe; eâ lege tamen ne prædictus Articulus ſtrictè explicetur, donec media incrementum cœperint ſubſidiis præmemorato Tractatu necdum expreſſis, quibus ſuſtentandis Regis Daniæ Copiis ſubveniatur.

Cautum quoque eſſe, ne quis Confœderatorum mittat aut directè vel indirectè hoſtibus aut iis qui

iis qui ab eorum Parte stant mitti curet commeatum, instrumenta bellica, malos, funes aut alia quæcumque necessaria *ad bellum, sive ad exstruendas naves, verum ut, quantum fieri potest, id impediant atque interdicant cum Subditis Suis tum aliis queiscumque, sub pœna justæ prædæ.*

Præmemorato Confœderationis Tractatu promissum esse, D. D. Legatos Regum Magnæ Britanniæ & Daniæ ac Deputatos Præpotent. D. D. Ordinum General. D. D. Deputantiam suorum de hoc Tractatu Sententiæ declarationem intra vigesimum diem Martii proximè venturi Haga-Batav. exhibituros esse: promittentes ac spondentes prædicti D. D. Legati ac Deputati sese eodem termino locoque exhibituros esse D. D. Deputantium suorum declarationem super punctis & Articulis hoc Memoriali comprehensis. Subsignatum atque obsignatum erat sequenti modo.

G. Buckingham.	Jacobus Ulefeldius.	Florent. Comes Culenburgensis.
Hollandes.	Christianus Thomæ.	Nicolaus à Boeckhorst.
Dudley Carleton.		Ant. Duyckius.
		S. Beaumontius.
		G. Harteveldius.
		C. ab Osterzee.
		Thomas Verweer.
		G. Schaffer.

Ratihabitio Regis Daniæ super Contractu & Memoriali subsignata erat Wolfenbütel, octavo & vicesimo die Februarii. Anno 1626.

Sincerum insuper optimæque Fidei Confœderationis Specimen Propositorum cum Serenissimo Transylvaniæ Principe iniebatur, cujus Argumentum tale est:

„ QUandoquidem Serenissimus Dominus, D. Gabriel, Sacri Romani Imperii
„ ac Transilvaniæ Princeps, &c. Regni Ungariæ Partium quarundam Dominus, Dux Zicklerensis, Comes in Oppelen, & Ratiborn per Celsitudinis Suæ Legatum Dominum Matthiam Quadt, Wichrodii & Zoppenbrugi Præfectum, vi literarum Suarum Auctoritatis, octavo & decimo die Aprilis proximè elapsi exaratarum, declarari atque indicari jussit se prædictæ Confœderationis participem fieri, eademque comprehendi velle.

„ Idcirco Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales declarant, se cum supradicto Legato, Regiæ utriusque Majestatis *Britanniæ Daniæque* consensu salvo, de sequentibus Articulis convenire, quemadmodum quoque per præsentes provisionaliter, ut vocant, & Salvo utriusque Regiæ Majestatis consensu, de sequentibus conveniunt.

„ Ut summè præmemoratus Princeps supradictæ Confœderationi sese adstringat ac devinciat, quemadmodum per præsentes semetipsum obstringit ac devincit; quâ lege etiam & conditione à Confœderatis adsciscitur atque admittitur, eâ quidem formâ ac si Serenissimus Princeps in ipso Confœderationis initio adfuisset, dictamque Confœderationem ipsemet instituisset.

Sere-

Serenissimus Princeps Exercitum conscribat, eundem ipsemet ducturus, angustè equitum quindecim milliû, ad sigillatim sive cum Fœderatorum Copiis conjunctim eorum agros invadendos ac depopulandos, qui Confœderatis vim aut damnum inferre conabuntur.

Quoniam verò Serenissimus Princeps, ubi ejusmodi agrorum Hostium invasio ac depopulatio instituetur, multo milite præsidiario diversa sua loca limitanea aditusque varios munire ac retinere, quò omnimodam Hostium invasionem propulsare ac depellere queat, proindeque militum quadraginta millia aut plus eo sub signis habere necesse habet;

Idcirco Confœderati singulis Mensibus, triginta supra duos dies continentibus, quibus Serenissimus Princeps Copias prædictas in agro retinebit, quadraginta Imperialium millia in subsidium annumerent; quorum mediam partem Rex Magnæ Britanniæ, quartam Rex Daniæ, concedat: reliquæ autem partis exsolutioni Confœderati sese mutuo devinciant.

Insuper etiam octo decemve millia Peditum, Equitum duo millia Serenissimi Principis Copiis adjungant.

Atque ad id omnem operam, curam ac diligentiam conferant, quò Reges, Principes Ducesque tam intra quam extra Europam Imperantes, sive per Ordinarios in locis Residentes, sive per Extraordinariam eâ de causâ institutam Legationem, prout consultum videbitur, dictâ Confœderatione comprehendantur ac devinciantur.

Reliqui verò Confœderationis Articuli firmi ac rati habeantur, præsentes autem in Confirmationem & Ratihabitionem proximam adjungantur.

Actum Hagæ-Com. salvo tamen Utriusque Majestatis Regiæ præmemoratæ consensu, octavo & decimo die Septembris, Anno 1626. Subscriptum erat, Jussu atque Auctoritate Summè prædictorum D. D. Ordinum Generalium. Ac Notatum, *I. à Goch.*

Per Contractum autem cum Serenissimo Principe Electore Brandenburgensi Anno 1622, & 1624, initum confirmatumque Præpotentes D. D. Ordines Generales, quamvis non directè atque explicitè, indirectè tamen atque explicitè ad bellum contra Hispaniarum Regem gerendum obstricti obligatique tenebantur; Hispanis Austriacis ac Neoburgensibus, Præpotentibus verò D. D. Ordin. Brandeburgensibus commodis majorem in modum inservientibus. In rem autem fore existimavi Contractum quendam Provisionalem, ut vocant, super Dominiorum & Principatuum, de quibus ambigebant, divisione inter Utrumque Principem Neoburgensem atque Electorem Brandenburgensem institutâ, commemorare.

Argumentum Contractus Provisionalis, inter Serenissimum Principem Electorem Brandenburgensem atque inter Serenissimum Principem Neoburgensem, Düsseldorpii, nono die Martii, Anno 1629. initi confirmatique.

QUoniam inter Serenissimum Principem & Electorem, Dominum Georgium Gulielmum, Marchionem Brandenburgensem, Sacri Romani

" Imperii Archicamerarium atque Electorem, Borussiæ, Juliaci, Montium, Cli-
" viæ, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum ac Wendorum, atque in Silesia Crosnæ
" & Jägerndorpii Ducem, Arcis Neoburgensis Comitem, Rugæ Principem, Mar-
" cæ ac Ravensbergii Comitem, Dominum Ravesteinii, &c. atque inter Domi-
" num Wolfgangum Guilielmum, Comitem Palatinum, Bavariæ, Juliaci & Mon-
tium Archiducem, Comitem Veldentzii, Spanheimbii, Marcæ, Ravensbergii, &
" Morsæ, Ravesteinii Dominum, &c. plurimæ diversæque exortæ fuerunt dissen-
" siones, super administratione ac gubernatione, simul etiam super possessione, Di-
" tionum & Ducatuum Juliaci, Montium, Cliviæ, cæterorumque Comitatuum ac
" Dominiorum eòdem pertinentium & subjacentium, quem ad modum ea omnia
" Serenissimus Princeps ac Dominus, D. Johannes Gulielmus, gloriosissimæ memo-
" riæ, Dux Juliaci, Montium, Cliviæ, Marchæ, Ravensbergii & Morsæ Comes, Do-
minus Ravesteinii, dum viveret, possedit.
" . Idcirco summè præmemorati Principes post maturam & diuturnam delibera-
" tionem ob oculos sibi posuerunt, quod si contentiones illæ majorum fertiles ac
" fœcundæ, producantur ac foveantur, non tantùm Celsitudines Suas in per-
" petuâ damnisque plena sollicitudine versari, verùm etiam Territorii Ordines,
" Subditosque in summum vitæ bonorumque discrimen præcipitari, agros & loca
" eorum vastari funditusque everti, ac tandem legitimis Hæredibus suis destitui,
" atque *ab Imperio Romano penitus divelli posse.*

Quibus malis ærumnisque exinde orituris ut succurrerent, tam propter Ami-
" citiam & Consanguinitatem, quâ Celsitudines inter se tam arctè tenentur devin-
" ctæ, quàm propter Amorem quo Subditos suos prosequuntur, Contractum Pro-
" visionalem, quem vocant, Annorum viginti supra quinque (si hæc de jure posses-
" sionis lis & contentio intra dicti temporis spatium, sive jure debito, sive cum bo-
" nâ gratiâ non componeretur) inierunt & confirmarunt.

" 1. Utriusque Partis Celsitudines cavebunt, ne præsens Contractus aut sibi,
" aut aliis, quibus in supradicta Dominia, Comitatus, Ditionesque quidquam juris
" reliquum est, aliquid derogare possit in eo, quod sibi jure optimo competere ar-
bitrabuntur, quodque legitimè ad Eosdem pertinere judicabitur: ac proinde à
" Nullo tertio adversus Celsitudines Suas neque alio quocunque pacto in damnum
" aut detrimentum deputari queat.

" 2. Quapropter etiam Celsitudines Suæ communi consensu Sacri R. Imperii
" Cæsareæ Majestati, utpote Clementissimo Suo Feudi Domino ac Summo Prin-
" cipi eum, quem debent, honorem exhibebunt, Contractumque Provisionalem,
" quam fieri poterit, humillimè indicabunt, idque summâ spe ac fiduciâ, quoniam
" hoc pacto Neutri Celsitudinum Suarum de jure suo quidquam decedit, sed po-
tius Dominia, Comitatus & Ditiones S. Romano Imperio alligantur, insuperque
" Subditorum saluti & tranquillitati consulitur, fore, ut Cæsarea Sua Majestas be-
" nigno animo susceptura sit.

" 3. Celsitudines Suæ supramemoratum Contractum Provisionalem Regi Hi-
" spaniarum, Serenissimæ Infanti & Fœderati Belgii Præpotentibus D. D. Ordi-
" nibus Generalibus exhibebunt, atque ab Iisdem majorem in modum petent, ut
" Copias Suas, propterea quod Celsitudines Suæ jam inter se convenerunt, ex omni-
bus

bus Principatuum, Comitatuum, Dominiorum ditionumque locis educere, neve supra unum Utriusque Celsitudinis locum milite præsidiario obtinere, militibus insuper, ut sese mœnibus contineant neutrive Parti quidquam damni aut detrimenti inferant, præcipere ac demandare velint: sed ut omnimodos hostilitatis actus, Repetitiones violentas, vulgò Repressalia, acta & facta omnia, quo tandem nomine veniant, à Principatibus, Comitatibus, Ditionibus, Dominiis utque ab eorundem Incolarum Subditorumque cervicibus avertere atque amoliri studeant. Ac si quidam Incolarum Subditorumque in Præsidiis & Stationibus militaribus detenti inveniantur, eosdem absque ullo Redemtionis pretio ab Utraque Parte dimittant; & per Scripta solenniter decreta tam Celsitudinibus, quàm ipsæmet Celsitudines sibi mutuò promittant & polliceantur, se præfatos Principatus, Comitatus, Ditiones Dominiaque tam universa quam singula quæcunque Militum metatis excempturas prorsusque liberaturas esse; aut si ejusmodi necessitas immineret, castra ut in dictis Celsitudinum Suarum Comitatibus, Principatibus, &c. metari cogerentur, non diu tamen esse commoraturas; ac si pernoctandum foret, optimâ disciplinâ, & sine Incolarum Subditorumque damno, secundùm S Romani Imperii Constitutiones, transitusque ordinem, cum Prioribus Principibus Electoribus constitutum decretumque omnia administraturas, atque à Contraventoribus supplicium sumpturas, nisi damnum à se illatum resarciverint. Subditi quinetiam nullo prætextu, aut quocunque tandem nomine veniat, exactionibus, aliisve modis molestiâ, damno vel injuriâ afficientur, verum omni loco ac tempore optimâ Neutralitate, quàm vocant, ac libertate fruentur. Ac si quis alterutrius Partis militibus se opposuisse, & Neutralitatem violasse comperietur, in ejusmodi exemplum ut statuatur, damnumque illatum restituatur, à Magistratibus Legitimis, quorum Imperio subsunt, eo quo decet modo postulabitur.

4. Omni quinetiam cura, studio ac diligentia ab Utriusque Partis Copiis auxiliariis inquiretur, ne quis alterius Partis locum Præsidiario milite munire, occupare, sive quascunque in aliquem machinationes clandestinas, aut in Celsitudinum Suarum, sive Ordinis Equestris Personas, in Oppida, Ditiones & Dominia, Subditos, Consiliarios, Præfectos, tam militares quam civiles, sive Administratores & Directores quoscunque ejusmodi quidquam occipiant, neve occipere permittant: Sed si quid Ipsis, Ipsorumque Subditis, Administratoribus aut Directoribus cum Principatibus, Comitatibus, Ditionibus Dominiisque Eorundemque Possessoribus, Subditis, Territorii Auditionis Ordinibus privatim aut publicè fuerit, id omne, hostilitatis actibus & violentis Repetitionibus semotis, cum bonâ gratiâ optimoque jure secundum consuetas Pactiones, ac Conventiones, prout æquum justumque futurum est, decidetur & conficietur.

5. Quapropter etiam asserere minime dubitabunt, se neutrum Possidentium Principum juxta Confœderationis Articulos in Principatibus, Comitatibus, Ditionibus Dominiisque, Eorumque Constitutionibus & Privilegiis, vel denique in alterius reditibus ac Dominiorum fructibus, quo prætextu tandem fieri posset, nihil quidquam molestiæ sive detrimenti illaturos, neque ut per suos inferatur, permissuros.

„ 6. Quem in modum etiam Celsitudines Suæ Utrique Parti militanti sincerè cavebunt, fidemque dabunt, quamvis altera huic, altera illi Parti opem auxiliumque ferat, ut se juxta reliquos Celsitudinum Suarum Subditos adversus se invicem tam privatim quam generatim gerere velint, prout fidos decet finitimos, optimæ & sinceræ Neutralitati operam dare, seque in dissensionibus ac litibus oborituris, ex veterum pactorum præscripto sejunctos habere, omnique prorsus contrarietate abstinere velint.

„ 7. Quicquid ab Utriusque Partis Subditis in hunc usque diem perpetratum, dictumque fuerit, atque dissensionibus causam præbuerit, id omne ab Utraque Parte sincerè condonabitur, nullique dehinc imputabitur.

„ 8. Contra verò Utriusque Partis Celsitudines jam nunc provisionaliter compositæ, fide, quæ est optima Principum, omnia inter se agent, atque ad finem universæ decisionis omnia *ad mutuam Utriusque Dominiorum Conservationem* conferent; quin etiam adversus quascunque hostiles, actuales, & ab omni jure alienas prætensiones se mutuo auxilio sincerè & fideliter propugnabunt.

„ 9. Sin verò inter Serenissimos Principes, Eorundemve Consiliarios, Præfectos, Ministros, Subditosque dissensio nonnulla oboriatur, à quâ tamen omni studio, curâ ac diligentiâ cavendum erit, *non de facto*, sed pro ejusdem rei circumstantiâ agetur; ac primò quidem Præfectorum & Consiliariorum habebitur conventus, ortaque lis & contentio ex æquitate rei decidetur. Sed sitantæ ac tam graves oboriantur difficultates, quæ à Celsitudinum Suarum Præfectis Consiliariisque confici neutiquam poterunt, jam tum Insignes Ordine Locoque Viri, de quorum modestiâ rerumque experientiâ satis constat, æquali numero, rem cum bonâ gratiâ compositiuri deligentur: aut si neque id fieri queat, expeditissimo atque ab omni partium studio alienissimo jure intra Anni spatium decidetur. Eâ lege tamen ac conditione, ut, dum ejusmodi Causa agetur, ac dicetur, non ultra bina cuique Parti Litiganti Scripta adhibere liceat. Ea propter etiam ii, qui ad litem hanc decidendam atque expediendam deligentur, juramento ab Utraque Parte obligabuntur, sese rem omnem absque ullo partium studio confecturos esse. Ac proinde etiam, quicquid ab iisdem in tali negotio per Majora statuetur ac decernetur, id omne ad legitimam totius rei decisionem reservabitur. Verùm enimverò si *paria fuerint suffragia*, Utraque Pars æquum, & cujus animus nullo Partium studio turbatus est, *Arbitrum* eliget, deindeque ex numero hoc binario unus per sortem nominabitur; atque ejusmodi, qui, ut dictum est supra, juramento ad id devinctus tenetur.

„ 10. Quod si quis Serenissimorum Principum jam nunc in vita commorantium, Eorumve Hæredes & Successores ante viginti quinque Annorum spatium supramemoratum, sive ante totius rei vel jure legitimo, vel bonâ gratiâ compositionem ac decisionem (*Deo sic jubente*) naturæ concederet; Ejusdemque Hæres ac Successor horum Principatuum, Comitatuum, Ditionumque Imperium solenniter capesseret, Ille, quotiescunque evenerit, alteri adhuc vitam degenti Principi Ejusdemque Successori, tribus Mensibus ante significare tenebitur, ut is, qui adhuc in vivis est, Legatum suum deputare simul etiam prospiccre queat, ne quidquam in ejusmodi auspicatione Imperii contingat, quod vel huic Contractui,

vel

vel Domino suo obesse possit; verùm ut ad illud animadvertatur, atque Ordines ,,
Subditique id temporis eodem se juramento obstringant ac devinciant, quū ea- ,,
dem Imperii Auspicatio futura est, ac Legatus à Principe, qui Imperium subibit, ,,
eo, quo decet, modo excipietur. ,,

11. Utrique Celsitudini Suæ, Ejusdemque Hæredibus & Successoribus, ad totius rei decisionem, aliumve Contractum perpetuum, sive ad Annorum viginti supra quinque, jam memoratorum expirationem, omnes ac singuli Ducum Juliaci, Montium, Cliviæ, eodemque pertinentium Comitatuum, Dominiorum Ditionumque Tituli & Gentilitia Signa concedentur; iisdemque se mutuo tam in literis quam in Sermonibus insignire tenebuntur; quod, ut à Subditis Suis similiter & Cancellariis observetur, sedulò curabunt. ,,

12. Quod autem ad Provisionalem Comitatuum, Dominiorum & Ditionum divisionem, Administrationem, Possessionem Reditusque annuos attinet, Serenissimo Principi Electori Brandenburgensi concedentur Eidemque attribuentur *Ducatus Cliviæ, uterque Marcæ & Ravensbergii Comitatus*, cum omnibus & singulis Eorundem Regalibus, Jurisdictionibus, Privilegiis Juribusque. ,,

13. Contra verò Serenissimo Principi Neoburgensi uterque Juliaci & Montium Ducatus, atque utraque *Ravesteinii* & *Breskesantii* ditio cum omnibus & singulis Eorundem Regalibus, Jurisdictionibus, Privilegiis Juribusque attribuentur. ,,

14. Quemadmodum etiam Serenissimus Princeps salvum sibi cupit atque integrum jus in executionem Actionis quam habet in reliqua Dominia, Jurisdictiones, ac Dotalitia quæ *Iohannes Gulielmus* Dux Juliacensis, gloriosissimæ memoriæ, vel post vitam suam reliquit, vel unquam in hac vitâ possedit, quæque hoc tempore ab aliis occupata tenentur. ,,

15. Ordinarii ut & Extraordinarii Reditus annui, Fructus, Vectigalia, Tributa, & quidquid eo nomine venit, utriusque *Cliviæ Montiumque Ducatus*, quæ Kalendis Maji proximè venturi exsolvenda venient, communi ærario deponentur, cumque iis, ut sequentibus narrabitur, agetur. ,,

16. Quamvis enim Serenissimo Principi Electori *Ducatus Cliviæ*, cum omni Ejusdem Imperio, Regalibus, Privilegiis Juribusque vi præsentis Contractus assignatus, eodemque modo ac forma *Montium Ducatus* Serenissimo Principi Neoburgensi attributus concessusque est, nihilominus tamen cum Ordinarii tum Extraordinarii Reditus annui, Vectigalia, Tributa, Onera, multæ & Subditorum consensus, inter Utramque Celsitudinem æqualiter dividentur. ,,

17. Quoniam verò Serenissimus Princeps Elector Brandenburgensis certo quodam respectu æquè *Montium, ac Cliviæ Ducatum* sibi assignari cupiat, quumque Celsitudini Suæ Neoburgensi eligere concessum sit, neque tam citò ad alterutrum inclinare queat, Celsitudini Suæ Neoburgensi post hunc Diem universi Anni spatium cogitandi deliberandique dabitur; Eâ lege ac conditione, ubi ante dicti Anni spatium Celsitudo Sua Neoburgensis *Cliviæ Ducatum* eligere sibique retinere, *Montium* verò *Ducatum* renunciare constituerit, tum communionem supradictam tam Ordinariorum quam Extraordinariorum Tributorum, Onerum Redituumq; annuorum cessaturam esse; simpliciterque utrumque Ducatum commutatum, at- ,,

que ab Uttaq; Parte pari modo, sine ullo alio Contractu sive conventu instituendo traditum iri: ubi tum Serenissimo Principi Electori Brandenburgensi *Montium Ducatus*, Serenissimo autem Principi Neoburgensi *Cliviæ Ducatus*, eodemque casu Serenissimo Principi Electori Brandenburgensi *Montium Ducatus* cum utroq; *Marca* & *Ravensbergii Comitatu*, Serenissimo autem Principi Neoburgensi (salvo tamen atque integro jure prætensionis in reliqua Dominia Ditionesque) uterque *Iuliaci Cliviæque Ducatus*, simul cum Utraque *Ravensteinii* & *Breskesantii* ditione, Ejusdemque possessione, Administratione, Annuisque reditibus concedetur atque assignabitur.

18. Et quia collatio *Præpositurarum* cæterorumq; *Ecclesiasticorum* Beneficiorum in *Collegialibus Ecclesiis*, ac insuper *Vicariatuum* in aliis *Ecclesiis* Territorii Principibus eodem modo haud competit, eadem Beneficia in dictis Principatibus & Comitatibus per vices Menstruas ab Utraque Celsitudine Suâ conferentur, ea lege ac conditione, ut queiscunque in Jurisdictionibus, Dominiis & Ditionibus collationes in totum Serenissimo Principi Neoburgensi sint propriæ, Serenissimo Principi Electori Brandenburgico aliis conferre integrum erit Ea omnia Beneficia, quæ Mense *Ianuario, Martio, Majo, Iulio, Septembri ac Novembri* expirabunt, quæque ad manus Celsitudinis Suæ resignabuntur; Eum quoque ad modum Serenissimo Principi Neoburgensi, in queiscunque Jurisdictionibus, Dominiis & Ditionibus collationes in totum Serenissimo Principi Electori Brandenburgensi sunt propriæ, aliis conferre integrum erit ea Beneficia quæ Mense *Februario, Aprili, Iunio, Augusto, Octobri & Decembri* conferenda, quæque ad manus Celsitudinis Suæ resignanda venient. At verò in iis Jurisdictionibus, Dominiis & Ditionibus, in quibus superiores Principes sex Menses integros obtinuerunt, Cuique tres Menses reservabuntur; adeo ut Serenissimo Principi Electori Brandenburgensi in iisdem locis Mense *Ianuario, Majo, & Septembri*, ac Serenissimo Principi Neoburgensi, Mense *Martio, Iunio & Novembri* beneficia aliis conferenda veniant. Quocirca etiam *Decani* & *Capitulares* eorundem Beneficiorum, quæcunque de hac re constituta ac decreta sunt, admonebuntur, ut quotiescunque Beneficia aliqua vacare intelligent, quamprimum Utrumque Principem sive Eorundem Consiliarios de omnibus circumstantiis faciant certiores, & quantum poterunt, constituta hæc atque decreta executioni mandent.

19. Ditionum, Jurisdictionum Dominiorumque præfatorum Contractu Provisionali inter Utramque Celsitudinem divisorum Administratio prout Principe dignum erit, & Privilegiis atque immunitatibus conveniet, ac Summo Numini, Cæsareæ Majestati Posterisque ratio reddi poterit, instituetur.

20. Verum ubi quinque & viginti Annorum spatium supradictum elapsum, idque justa ac legitima Ducatuum, Comitatuum, Dominiorum Ditionumque divisio non subsequuta aut alia denique compositio sive Tractatio inter Utramque Celsitudinem non fuerit inita, jus suum & actio integra cuique manebit.

21. *Archiva, Registratura, & Regesta* pro Ducatuum, Comitatuum, Dominiorum Ditionumque, quæ Cuique concedentur atque attribuentur, opportunitate, syncere fideliterque tradentur.

22. Quotiescunque autem alterutri sive Serenissimo Principi Electori Brandenbur-

denburgensi, sive Serenissimo Principi Neoburgensi *Documentis* quibusdam *Scriptisque* ex alterius *Cancellariis* aut *Regestis* opus fuerit, eaque petierit, in *Originali*, ut vocant, omni dolo ac fraude exceptis, tradentur.

23. Itus ac Reditus, itemque Commercia, quæ Terrâ Marique instituentur, nemini Utriusque Partis Subditis interdicentur; sed eodem plane modo permittentur, quo Veterum gloriosissimæ memoriæ Principum tempore concessa ac permissa fuere.

24. Quod autem Imperii & Circulorum *Onera* negotiaque spectat, in iis (non obstante tamen præsenti Contractu Provisionali) unusquisque Ducatus, Comitatus & Jurisdictio partem suam feret.

25. In quorum omnium Testimonium, Eorundemque firmam, perpetuam atque indissolubilem observationem & conservationem, Celsissimi Domini, Comites Palatini, Serenissimus Princeps pro se; Celsitudinis & Electoralis Nomine Locoque Per-Illustris D. D. *Adamus*, *Comes Swartsenburgensis*, Ordinis Sancti Johannis in Marchiâ Eques, Saxoniæ, Pomeranorum & Wendlandiæ Præfectus, Dominus in Hogenlansbergh & Gimborn, Legati qualitate (vi literarum suarum Auctoritatis, atque utriusque mandati in Originali, ut vocant, à Celsitudine Electorali conscripti) præsenti Contractui propriâ suâ manu subsignarunt, Sigillisque munierunt.

Actum Düsseldorpii, nono die Martii, Anno millesimo, sexcentesimo, nono & vicesimo. Notatum erat,

VVolfgangus Gulielmus.
Adamus Comes Swartsenburgensis.

Superiorem hunc Contractum Ducatuum, Comitatuum, &c. Divisionis causa institutum, alter quidam cum Serenissimo Principe Neoburgensi super electione, de qua præcedenti Contractu egimus, subsequutus est.

QUoniam nono die Martii, Anno millesimo, sexcentesimo, nono & vicesimo Dusseldorpii inter Serenissimum Principem Electorem, Dominum Gulielmum Marchionem Brandenburgensem, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarium & Electorem, Borussiæ, Iuliaci, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum ac Wendorum, itemque in Silesia, Crosnæ & Jägerndorpii Ducem, Burgravium Norinburgensem, Rugæ Principem, Ravensbergii Marcæque Comitem, Ravesteinii Dominum, &c. ab Unâ, atque inter Dominum Wolfgangum Gulielmum, Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducem, &c. ab Altera Parte Contractus quidam Provisionalis viginti & quinque Annorum (si nimirum *ante dictorum Annorum spatium lis ac contentio super Ducatuum, ac Comitatuum successione oborta, sive jure legitimo, sive cum bona gratia, aut alio quocunque modo confici atque expediri neutiquam posset*) propter Ducatuum Juliaci, Cliviæ, Montium, Marcæ, Ravensbergi, Ravesteinii & Breskesanii possessionem, ut latius

dicto

„ dicto Contractu indicatur ac brevitatis ergò eodem legentes ablegantur, initus „ confirmatusque fuit; eodemque Contractu indicatum, Serenissimo videlicet „ Principi Neoburgensi permissum concessumque esse, ut anno post Contractus „ initium enunciaret, utrum Celsitudo Sua Cliviæ Ducatum eligeret, ac pro eo Mon- „ tium Ducatum Serenissimo Principi Electori Brandenburgensi concederet; an „ verò Ducatuum, Comitatuum cæterorumque Dominiorum & Ditionum par- „ titionem ac divisionem, prout ea Contractu superiori fuerat instituta, hoc modo „ immutatam vellet? Cumque interea temporis dissensiones nonnullæ suprame- „ moratam Electionem concernentes se obtulerunt, quæ nisi confectæ præ- „ dicti Contractus Provisionalis effectum plurimâ ex parte remoratæ fuissent; „ eapropter Præpotentes D.D. Ordines Generales, Celsissimo Arausionensium „ Principe consulto, per Deputatos suos varias collationes conventusque inter „ utriusque Celsitudinis Brandenburgensis & Neoburgensis Legatos institui cura- „ runt, quibus tandem, cognito Celsissimi Arausionensium Principis consilio, rem „ eò perduxerunt, ut Utriusque Celsitudinis Legati neutiquam sibi displicere dice- „ rent, Serenissimum Principem Electorem Brandenburgensem provisionaliter „ ad viginti & quinque annorum spatium, nisi intra id tempus omnis lis ac con- „ tentio de possessione, sive jure legitimo sive cum bonâ gratiâ, composita foret, „ *Ducatum Cliviæ* atque *universum Marcæ Comitatum* obtinere, Serenissimum vero „ Principem Neoburgensem *Iuliaci & Montium Ducatum, Ravesteinii & Breskesantii* „ *Ditionem* sibi retinere, *Ravensbergii* autem Comitatûs indivisi æquali parte, & „ quoad supremam potestatem, Jurisdictionem, & quoad Reditus fructusque an- „ nuos, Utrique Celsitudini reservatâ. Quinetiam visum consultumque fuit, ut „ supramemoratus Contractus quoad reliqua sua puncta, Articulos & clausulas „ prorsus immutatus permaneret, haud secus, ac si præsens Contractus propior „ neutiquam superadditus fuisset. Quem etiam Contractum hunc propiorem Se- „ renissimus Princeps Neoburgensis approbavit eundemque accepit, quem ad mo- „ dùm quoque per præsentes eum approbat atque accipit. At verò, quoniam Sum- „ medicti Deputati eousque inter se agendi remque eò perducendi nullam Aucto- „ ritatem nullamque potestatem sibi datam dicerent, nihilo minus tamen propter „ amicam Præpotentium D.D. Ordinum Generalium admonitionem dictam „ propiorem Tractationem susceperunt, Eamque Celsitudini Electorali Bran- „ denburgensi unà cum rationibus ac persuasionibus eò spectantibus se tradituros „ esse promiserunt: Quem in finem quoque Summè dicti Ordines Generales huic „ incumbent suosque nervos intendent, quò Serenissimus Princeps Elector Bran- „ denburgensis Tractationem hanc propiorem approbet atque accipiat, suamque „ de eâ sententiam intra trium, vel ad summum, quatuor mensium spacium, decla- „ ret. Sin verò Serenissimus Princeps Elector Brandenburgensis præter spem atque „ opinionem difficultates quasdam moveret, quominus Tractationem hanc pro- „ piorem approbaret atque acciperet, eo casu Serenissimo Principi Neoburgensi „ de jure suo, vi Contractus præcedentis, nono die Martii Anno millesimo, sex- „ centesimo vicesimo nono initi confirmatique sibi competente, nihil quidquam „ derogabitur.

„ In quorum omnium testimonium ac confirmationem majorem, Serenissimus Prin-

Princeps Neoburgensis, & Præpotentium D.D. Ordinum Deputati præsentibus propriâ manu subsignarunt, annulisque signatoriis obsignarunt. Actum sexto & vicesimo die Augusti, Anno millesimo, sexcentesimo & trigesimo. Notatum erat,

VVolfgangus Guilielmus.

Florentius Comes Culenburgensis.
Nicolaus à Boeckhorst.
Casparus à Vosbergen.
I. ab Eyssinga.
S. ab Haarsolte.

E priori ac posteriori Contractu jam memorato facilè quis percipere potest, Præpotentes D.D. Ordines Generales Neoburgensem Principem ægrè sibi Affinem finitimumque cupiisse, ac propterea, ut *Ducatum Cliviæ*, quem sibi jam elegerat, resignaret, tantopere persuasisse; proindeque omnium Munitionum suarum à milite præsidiario liberationem concessisse, *Vesaliâ, Embrico ac Resâ* exceptis; quæ quidem munita oppida Præpotentes D.D. Ordines Generales milite præsidiario reservabant; *Iuliacum* verò, *Orsaias* & *Sittertum* Hispani tenebant; insuper etiam ut in Oppido *Düsseldorpio*, Ordinaria Ejusdem Sede, præsidium collocaret mœnibusque præmuniret, concessisse.

Memorare possem, quemnam rerum bellicarum effectum supradicti Contractus fuerint consequuti, ni ea res longius nos ab incepto traheret; quippe nihil aliud constitui, quam *quo pacto, per quos, aut quibus incommodis Paci Belgicæ mora fuerit injecta*, indicare. *Hispanorum libido, quæ ipsos incesserat*, Provincias Belgii Confœderatas recuperandi, atque sub potestatem suam redigendi, prima quidem ac primaria tantæ moræ causa fuit: Reges quinetiam Principesque finitimi, præ odio ac simultate adversus Domum *Austriacam*, eandem moram producebant. At verò Præpotentes D. D. Ordines Generales nullas nisi honestas conditiones, quibus *firmam* ac *perpetuam* Pacem consequi poterant, accipere volebant.

Quamdiu autem Compendii (*sive Compiegne in Galliâ*) Contractus durabat, omnis Pacis Tractatio prorsus evanuit; non obstantibus tamen Præpotentium D. D. Ordinum querelis, de Subsidii promissi dilatione atque intermissione.

Insuper etiam, ut supra commemoravimus, Gallos Britannosque ob propria sua commoda ac dissensiones Hispanos plane omittere animadversum est. Quinimo Galli, inito cum Hispanis Contractu, Classem ab iis auxiliariam consequebantur; Britannis autem plus tolerantiæ mutuique consensus quam belli cum Hispanis intercedebat. Serenissimo Regi Daniæ rem quidem seriò agenti Suppetias Britanni, quas polliciti fuerant, non ferebant.

Soli verò Præpotentes D.D. Ordines Generales optimos sese Finitimos, Sociosque fidissimos præstabant; utpote Queîs solis, Divino auxiliante Numine, conservatio *Lucstadii* debebatur. His tamen non obstantibus, Rex Daniæ, Anno 1629. proximo, singularem cum Cæsare Pacis Tractationem instituit, nullo indicio nullave communicatione Præpotentibus D.D. Ordinibus factâ, adeo ut sexaginta Imperalium millia, quæ Regi in trium Mensium subsidium prompta ac parata habebantur, tradita fuissent, nisi eodem tempore Præpotentes D. D.

Ordin. Gen. de Pace Lubeci confirmatâ & tormentorum explosione triplici solemniter publicatâ ac celebratâ certiores facti fuissent. Neque Pace illâ *Electoratus* duntaxat *Palatinus* & quidquid eò spectat, silentio prætereibatur, verum etiam *Meckelenburgenses Duces* eâdem excludebantur; qui ea quoque de causâ Dominiis suis Hæreditariis destituti, annos Lubeci complures vitam parcè ac duriter agere cogebantur; donec tandem à Serenissimo Suecorum Rege Dominiis omnibusque Dignitatibus suis sunt redditi. Hoc itaque pacto Rex Daniæ, pauloque post Rex Britanniæ, Bellum cum Pace commutarunt; nullo aut saltem exiguo Confœderatorum suorum, & quorum intererat, respectu habito.

Contra verò Præpotentes Ordines Generales, quamvis Anno 1620. ut è sequentibus patebit, commode satis honesteque ab armis discedere possent, nihilominus tamen propter *oppressam in Germaniâ & libertati studentem Partem* difficiles Pacis Propositionibus aures præbuerunt, universam cum Hispanis Tractationem Pacificam dissolverunt, ac de novo cum Gallis belli Contractum, de quo sequentibus dicetur, Anno millesimo, sexcentesimo & tricesimo inierunt.

Anno 1626. quum Medioburgi in Flandria super Universali quadam Captivorum maritimorum, per commutationem, laxatione ageretur, à Consule Berckelio & Slachmullero Fisci Advocato, dictæ Captivorum commutationis Deputatis ac Commissariis Celsissimo Arausionensium Principi renunciatum fuit, *Kessellarium* Dominum Marquettæ ab Infante Delegatum, multos ac varios de bello cum Pace commutando sermones habuisse, iisque addidisse, *Infantem ad id propensiorem existere*, *ac, dum per vitam Hujusce liceret, occasionem ejusmodi atque opportunitatem minime negligendam esse*. Quibus cognitis perceptisque supramemorati Domini Berckelius & Slachmullerus à summedicto Arausionensium Principe potestatem atque Auctoritatem acceperunt, haud aliter tamen ac Privati, sermones ac Propositiones Domini Kesselarii ulteriùs exaudiendi, omni ulteriore sui admixtione, omnique suspicione, qua illa cum alicujus Præpotentium D. D. Ordinum cognitione fieri perciperetur, semotis.

Eosdem sermones D. Kesselarius cum Propositionibus nonnullis, quæ accipi vel concedi haud poterant, vario diversoque tempore, tam in Tractatus Medioburgensis continuatione, quam postmodum Rosendaliæ, quo Advocato Fisci morte absumpto, ad idem Captivorum commutationis Negotium cum Berckelio Consul vander Hoge deputatus fuerat. Propositiones autem à Merquettæ Domino habitæ, (prout à supradictis Dominis Celsissimo Arausionensium Principi relatæ fuerant) sequentia fermè continebant. *Regem scilicet Hispaniarum ex Omnibus Belgii Provinciis Reditus quosdam fructusque quotannis, navium quarundam Auxilium, liberum ubique Pontificiis, aut saltem in Provinciarum Urbium Præcipuarum una, Religionis Romanæ exercitium, Scaldensis denique Fluvii patentem aditum ad commercia postulare.*

Quas equidem Propositiones supradicti Deputati absolutè impossibiles esse asseruerunt, ac quamvis Dominus Merquettæ earundem moderationem aliquam instituere conabatur, res hactenus relicta est; donec Captivorum maritimorum commutationis Negotium esset confectum; Sic tamen, ut à Domino Merquettæ literæ, quæ supradicto negotio inservire poterant, ad Consulem Berckelium nonnunquam mitterentur, quibus simulatis plerumque & obscuris verbis unicè

unicè petebat, ut *gravi* ac *difficili Causa* Viduæ Slagmülleri Ejusdemque Hæredum, quo *bellum* denotabat, *cum bonâ gratiâ* finis tandem imponeretur, ac commoda benevolentiæ Infantis adhuc degentis, (quam Viduæ nomine exprimebat) occasio arriperetur.

Quibus nonnunquam à Cos. Berckelio suasu ac consilio Celsissimi Arausionensium Principis apertè breviterque responsum fuit, Rei sc. tam variis tamque fictis circuitionibus propositæ non semper animum intendi posse.

E superioribus Propositionibus, Sermonibus Litterisque haud obscurè percipi poterat, Negotium illud ab Infante occeptum à Marchione Spinola omni studio, cum in hisce Provinciis, tum etiam postquam in Hispania, cum Rege colloquutus fuerat promoveri. Hujus autem negotii Ministrorum Hispanorum, solo D. Petro Secretario S. Johannis excepto, nullus conscius erat.

Donec tandem eo ipso Anno 1629. Dominus *Marquetta* Cons. Berckelium per literas certiorem fecisset, absolutam potestatem atque Auctoritatem ab Hispaniarum Rege Serenissimæ Infanti concessam esse, quâ ejusmodi rerum detectio fieret, quam repulsam iri neutiquam credebat; manifestè satis indicans Regem Hispaniarum petitionem *fructuum Redituumque annuorum, Navium auxiliariarum ac liberi Exercitii Romanæ Religionis* omittere, eaque propter sive ad literas responsionem, sive Deputatorum quorundam Conventum expetebat. Quibus omnibus à Cos. Berckelio rarissimè, atque ad summum bis sub excusationis atque in tempus commodius dilationis formâ responsum fuit.

Cum verò æstate jam proximè elapsa Rosendaliam ob Captivorum mutationem, de quâ supra commemoravimus, conveniendi daretur occasio, Dominus *Marquetta* easdem Propositiones coram Berckelio Cos. repetiit, Eidemque exhibuit Auctoritatem & Potestatem ab Hispaniarum Rege ad Serenissimam Infantem missam & duodecimo die Januarii Anno 1629. exaratam; simul etiam *Acta* quædam *Substitutionis* sibi concessa Berckelio legenda tradidit, rogans atque obsecrans ut Induciarum præteritarum Tractatus continuaretur, *Fluviique Scaldensis Navigatio* concederetur; ut eo pacto & Regia Auctoritas & Dignitas incolumis servaretur. Quam quidem *Fluvii Scaldensis* Navigationem postquam Berckelius Cos. impossibilem planè asseruisset, eique petitioni abnuisset, summâ tandem animi commotione, quum fieri aliter haud posset, *præcedentium Induciarum Tractatus renovatione simplici contentos Suos fore dicebat*, ac denique Articulorum duorum *Conceptum* quendam Berckelio exhibebat; quorum alter Induciarum ad Annos triginta supra quatuor prolongationem ac renovationem, alter verò propiorem communicationem super *Fluvii Scaldensis* Navigatione continebat, de quibus sequentibus dicemus.

Supramemorati tamen Articulorum *Conceptus* exemplar Cos. Berckelio denegabat, eò quod nullâ Auctoritate ad id munitum se dicebat; Utriusque tamen & Articuli & *Substitutionis* verba Memoriali Suo ut insereret, permittebat, ac majorem in modum petebat, ut, quemadmodum Ipsemet hactenus dictum Negotium summo studio egerat, simul etiam Auctoritatem & Procurationem exhibuerat, contra verò Dominus Berckelius, haud aliter ac Privatus, absque ullâ Literarum Auctoritatis exhibitione colloquutus fuerat, tandem proximo Conventu & Re-

I 2 spon-

ſponſione ad ea quæ propoſuiſſet, & Poteſtate atque Auctoritate munitus adeſſe vellet; quò Sereniſſimam ſuam Principem certam reddere poſſet, omnia hæc fide, quæ eſt optima, peragi.

Horum autem omnium Dominus Berckelius Celſiſſimum Arauſionenſium Principem Buſcoducenſi obſidione jam tum implicitum certiorem fecit, à quo Hagam-Com. cum literis propriâ manu exaratis ad D. Duyckium Supremum Hollandiæ Syndicum miſſus eſt; unicè petens ut Amplitudini Suæ cum quibuſdam aliis qui ſupradictis literis indicabantur, Provinciarum Moderatoribus ad ea quæ à Coſ. Berckelio referrentur, ſedulò animadvertere, perpendere, Suamque de iis ſententiam ad ſe mittere placeret.

Ea propter igitur per D. Duyckium Conventu Deputatorum quorundam habito, atque à Coſ. Berckelio quæcunque à Domino *Marquetta* acceperat, ordine expoſitis, quidam Deputatorum propoſuit: quandoquidem Domini ſui Principales jam nunc Comitia haberent, num ea omnia iiſdem indicari deberent?

Ad quod Dominus Beaumontius Deputatorum Unus regeſſit, hoc ſi fieret, videlicet ut Hollandiæ Ordinibus hæc omnia indicarentur, ſe quoque Zelandiæ Ordinibus, Dominis ſuis Principalibus eadem referre oportere, idque ſe continuò facturum eſſe. Quorum omnium reſpectu, ſimul etiam quod nihil quidquam certi conſtitueretur, propterea quod illa omnia nihil præter rerum quarundam *Detectionem* continerent, idque verbis non ſcriptis, quæ quidem infirma atque incerta, & mutationi cuicunque obnoxia eſſent, omnibus ſimiliter Deputatis viſum conſultumque fuit, ut de his omnibus nihil cuiquam referretur, verum ad Celſiſſimi Arauſionenſium Principis Literas ſub perpenſionis ulterioris formâ reſponderetur, proindeque Domino Berckelio Roſendaliam reverſo Literarum Auctoritatis atque utriuſque Articuli Exemplar à Domino *Marquetta* exigere liceret, quam ob rem etiam *Acta* quædam Auctoritatis à Celſiſſimo Arauſionenſium Principe Ipſi concederentur.

Quæ quidem eo modo evenerunt; ac poſtquam Coſ. Berckelius Roſendaliâ rediiſſet, primò Celſiſſimo Arauſionenſ. Principi eas, quas acceperat, Literas tradidit; deinde cum aliis à ſummè dicto Arauſionenſium Principe Literis eundem in finem Domino Duyckio datis, ad ſupradictos Deputatos pervenit, iiſque Literas omnes, ſimul cum Literarum Auctoritatis exemplari à Domino *Marquetta* Subſignato reddidit, illud addendo, ſe ut virum probum atque honeſtum fidem dextramque dediſſe, nullum dictarum Literarum Auctoritatis exemplar ſive deſcriptum ſive retentum, dictoque die Domino *Marquetta* reſtitutum iri. Argumentum autem Literarum Auctoritatis à Rege Linguâ Hiſpanicâ conſcriptarum exemplar, ejuſmodi fuit:

Regem videlicet Hiſpaniarum prævidentem damna perniciemque Dominiis, Regalibus Subditiſque Suis in totius Orbis Chriſtiani detrimentum oborta, Idque propter belli cum Provinciis Confœderatis continuationem; iiſq; omnibus occurrere ac remedia adhibere cupientem, Auctoritatem Sereniſſimæ Infanti pleniſſimam feciſſe, quâ cum Ordinibus Fœderati Belgii Generalibus multorum Annorum Inducias componeret ac concluderet. Simul etiam Subſtitutionis Poteſtatem dediſſe, quâ Tractatus, puncta quæcunque Articuloſque extenderet, formiſque Solennibus confirmaret. Quem in finem quoque Ejuſmodi ab Infante Procurationem

tionem concedendam bonam firmamque habitam iri. Actum duodecimo die Ianuarii, Anno 1629. Substitutionis verò Acta ab Infante linguâ Gallicâ conscripta & Domino *Marquetta* tradita, ne tam absoluta quidem erant, utpote quæ Auctoritatem viginti & quatuor duntaxat *Annorum Inducias cum Fœderati Belgii Ordinum Generalium Deputatis atque Partis Vtriusque Subditis, ad modum Præteritarum Induciarum Archiduces inter & Ordines Generales Anno* 1609, *initarum, componendas concedebant.*

Secundò autem, quoniam Rex Hispaniarum Navigationis Commerciorumque trans Fluvium Scaldensem pristinum progressum expeteret, *ut de re hac agendâ & si fieri posset concludendâ, certo quodam loco ac tempore ad id constituto, ab Vtraque Parte Deputati mitterentur; eâ lege tamen ac conditione, quod si ea res confici nullo modo posset, Induciarum nihilominus Contractus vim & vigorem suum obtineret.*

In quo Negotio supradicti Deputati nihil quidquam amplius à se agi posse perceperunt, præterquam ut ad D. D. Ordines Generales Provinciasque, quibus ejusdem deliberatio ac perpensio competebat, deferrent. Proindeque Celsissimi Arausionensium Principis Judicio arbitrioque per Literas reliquerunt, num Celsitudini Suæ consultum magis videretur, si D. D. Ordines Generales per Literas rogaret, ut Bommeliam certo quodam ac constituto tempore convenire vellent, ubi ea, quæ à Berckelio relata essent, coram omnibus explicarentur.

Quam equidem Propositionem Celsissimus Arausionensium Princeps ulteriori examini subjecit, ac ne rumor ejus latiùs spargeretur, commodius esse existimavit, si primò quidem per Deputatos privatim Ordinum Provinciarum animos persentisceret. Ea propter Hollandiæ Deputati nonnullis Provinciæ Suæ Moderatoribus eadem proposuerunt. Insuper etiam Dominus Beaumontius suasu ac consilio Celsissimi Arausionensium Principis in Zelandiam trajecit ac nonnullis Ejusdem Provinciæ Moderatoribus hæc communicavit, quò Celsitudinibus Suis placeret Celsissimi Arausionensium Principis sententiam cum Subditorum suorum in Zelandiâ animis atque inclinatione paulò penitiùs perpendere atque ulteriùs examinare, simul etiam Suam explicare Sententiam, num hæc omnia ad Ordinum tam Generalium quam Provincialium Concilium deferenda forent. E quibus supradictus D. Beaumontius graves quidem, attamen incertas Responsiones percepit, Easque Celsissimo Arausionensium Principi enarravit.

Interea dum hæc geruntur Hostis Isalam Copias trajecit, in Veluâ castra posuit, atque Amersfurtium cepit.

At decimo nono, seu vicesimo die Augusti, Vesaliæ captæ rumore perlato, Hollandiæ Ordinibus, ut res, de qua supra, gesta erat, proposita atque enarrata est, insuperque Zelandiæ Ordinibus; nec longo post à Domino Syndico Supremo Duyckio Ordinib. Generalibus, sub id tempus Ultrajecti commorantibus exposita.

Haud multis diebus post summè præmemorati Ordines Generales primum Bommeliam ac deinde in castra convenerunt Busco-Ducensibus jam tum ad pactionem & compositionem redactis.

Eòdem etiam tempore Berckelius adveniens, Literas à Domino *Marquetta* decimo quarto ac septimo Februarii exaratas, in Concilio Ordinum tradidit, quibus eandem, quam supra commemoravimus, Negotii tam difficilis expeditionem unice petebat, ac promissi cujuscunque exsolutionem promittebat.

Quibus cum Arausionensium Principe paulo altiùs repetitis perpensisque, Omnibus similiter visum fuit, Dominum Berckelium Rosendaliam remittere, exquisiturum, num Infanti placeret *Hostium Copias è Felua deducere, Isalam transjicere, aditumque occupatum relinquere*; *quod ni fiat Hostiumque Copiæ ni deducantur, ulterius in dicto Negotio nequicquam agi posse.*

Nono & vicesimo die Septembris, Dominus Berckelius in Concilio retulit, se juxta mandatum à D. D. Ordinibus Generalibus, vicesimo die Septembris sibi impositum, pridie ejus diei, quam Rosendaliâ rediisset, cum Domino *Marquetta* collocutum fuisse, insuperque Ordinum Præpotentium voluntatem de Hostium Copiis deducendis, siquidem supradictum Negotii Tractatum promotum cupiat, exposuisse. Quæ quidem graviter cum tulisse dixit, ac postmodum quæsisse num alia Berckelius in mandatis haberet, videlicet, num pro Copiarum è Felua deductione, aliquod saltem Munimentum Ordines Generales concederent, quandoquidem Fortalitia ac propugnacula in Felua magnis sumptibus, labore ac molestia exstructa, aggeribusque aditus muniti essent; speciatim insuper rogasse, num tali casu Præpotent. Ordines Vesaliensem urbẽ in Ducis Neoburgensis fidem committere vellent; quibus omnibus breviter se respondisse dixit, nihil, quod super eadem Re promitteret, demandatum sibi præceptumque esse; illud quinetiam addidisse, nî Hostium Copiæ quamprimum deducantur, de universo istoc Negotio actum esse; neutiquam dubitare, quin & alia Præpotentibus Ordinibus media superessent, quibus è Feluâ Hostem discedere, Isalæque aditum deserere cogant. Adhæc semihoræ spatium cogitandi Dominum *Marquetta* postulasse, ac deinde reversum, id, quandoquidem ulteriorem Auctoritatem exigeret, præterquam qua præditum se cognosceret, Bruxellas nihilominus iturum, atque Infantis de ea re Sententiam Domino Berckelio ad diem Lunæ, Hebdomadis proxime venturæ, esse missurum; interim tamen non dubitare se quin præsens Negotium ad finem exoptatum perduceret, Ordinibusque plenissimè satisfaceret, ita tamen, ut Berckelio sic persuasum sibi habere liceret, ac si omnia jam peracta forent.

Secundo die Octobris, Dominus *Bas* Concilii Præses exposuit, Consuli Berckelio à Domino *Marquetta* pridie ejus diei Literas fuisse redditas, continentes, à Parte sc. Hostium decretum esse, Feluam Copiis liberatam Isalæque aditus omnes reclusos iri, quamprimum totius rei summum compositum confirmatumque esset; quin insuper etiam asserentes, Domino Berckelio firmiter sibi in animum inducere, idque Præpotentibus Ordinibus optimâ fide promittere licere; voluntatem Infanti esse, omnia hæc quamprimum efficiendi. Quapropter etiam Dominus *Marquetta* insuperque Consul Berckelius die Dominico proximo, qui ejus Mensis septimus erat, Rosendaliam convenirent, quo totius rei caput hoc pacto proponeretur, ac postmodum per utriusque Partis legitimos Deputatos conficeretur ac confirmaretur. Quibus perpensis ac dijudicatis, Dominus *Cats*, Hollandiæ Syndicus Supremus, insuperque Dominus Berckelius Cos. ad Castra sunt delegati, qui rem omnem à principio cum Arausionensium Principe communicarent, & quid de ea haberet animi, cognoscerent.

Supradictus Dominus *Cats*, & cum ipso Deputati nonnulli è Castris Hagam-Com. reversi, retulerunt, Celsissimum Principem disserendo sequentia indicasse;

Quod

Quod si Præpotentibus D.D. Ordinibus ab armis discedendi foret animus, quam hoc tempore neque honestius neque commodius unquam id fieri posse: Sin minus, aut si arma retinere cuperent, tributa, vectigalia, cæteraque onera antehac concessa imperanda atque exigenda, neque defendendi duntaxat, verum offendendi etiam bellum gerendum esse: quippe defendendi duntaxat bellum, cum Provinciarum omnium pernicie esse conjunctum. Sententiam igitur dicere rogatus, præcedentia commemorasse, rogando *quidnam à se amplius dictum vellent?*

Quibus perceptis, à Præpotentibus Ordinibus, eo ipso die, Provinciarum Convocatio decreta est, ad Rem quandam gravem maximæque utilitatis, cujus haud parvi Reipub. intererat conficiendam, quemadmodum etiam Potentes ac Nobiles è Deputatis suis pleniùs cognoscerent: quapropter Comitiis interessent, suasque de ea re Sententias, ad diem Februarii 25. proferrent. Ipso etiam die, quandoquidem Dominus Marquettæ tam seriò instabat, Berckelius Consul, quantum fieri posset, jussus est excusare moram eo titulo, quod Reip. Ordo ac ratio aliter non ferret, ad cujus Moderatores deliberationes ferendæ erant, insuper etiam quamvis ut privatus duntaxat responderet, nihilominus tamen *optimè de rebus omnibus sperare juberet.*

Confœderatis autem Belgis Subditisque omnibus ac singulis Buscoducensi expugnatione, & Vesaliensi captione tantum alacritatis, tantum animi accesserat, tantumque odii Cæsariorum militum in Feluam invasione irrepserat, ut ii, qui à Præpotentibus Ordinibus ad Provinciarum Ordines fuerant deputati, perexiguam ad pacem propensionem in pluribus animadverterent.

Ordines Hollandiæ ac Civitatum Magistratus in diversas ibant Sententias; odio ac simultatibus *Remonstrantium* & *Contra-Remonstrantium* nondum ex animis omnium deletis. In quibusdam Civitatibus Primi neque primarii, neque numero majores erant. Arausionensium quin etiam Princeps plurimos istius factionis & sententiæ fautores ad Magistraturam variis in Locis promoverat; quo quidem facto id sibi nomen consciverat apud illos, cupere sese Civibus subditisque amicitiam fidemque mutuam restituere; apud hos autem, Remonstrantium partes cæteris superiores esse cupere (omnibus enim placere difficile est:) id eò magis sibi persuadebant, quod dissimulatum Negotium ac celatum Ordinibus promovisset, jam autem cognito patrocinatus magis quàm adversatus fuisset: quemadmodum etiam pleræque Civitates, in quibus Remonstrantes alicujus erant Auctoritatis, sentiebant.

Templis ubique Contra-Remonstrantium Præconibus extructis, Civitatum plurimarum Curiis ejusdem Sententiæ fautoribus exornatis; nihilominus tamen præsenti Negotio tam concionibus publicis, quam colloquiis privatis plerique adversum ibant: sic tamen, ut Propositiones, & nonnullarum Civitatum sententiæ, inprimis verò Harlemensium, supradicto cum Hostibus Tractatui, & quicquid eò spectabat, acerrimè obniterentur. Provinciarum autem Convocationis, & quæ eam sequuta est Sententiæ cognitio, illis temporis rebus percipiendis plurimum conferet.

Argu-

Argumentum Conscriptionis seu Convocationis Ordinum Fœderati Belgii Provinciarum.

Spectatissimi, Consultissimique Domini,

QUandoquidem ante tempus aliquod inter Dominum Marquettæ à Parte Archiducis viduæ, atque Dominum Berckelium Consulem, *cum Celsissimi Arausionensium Principis & nonnullorum ex Ordinibus Generalibus communicatione ac præcognitione,* de Induciis sive armorum ad tempus longum suspensione, actum fuit, tandem Mense Septembri in Concilio Nostro ea res proposita, ad Civitatum Magistratus perpendenda ulteriusque examinanda delata est, ut, quid Reipublicæ saluti atque incolumitati servire possit, cognosceretur. Eâ itaque (utpote haud exigui momenti) acrius perspectâ ac percognitâ, variis diversisque sententiis ultrò citroque habitis, plurimi, si de Regimine tam interno quam externo Provinciarum deque Religione conveniri posset, à dictis Induciis armorumque suspensione non alienos se fore dixerunt, *quibusdam tamen Amplitud. Vestrarum Civitatum Deputatis, paucisque aliis exceptis,* inducias qui aggravârunt, easque ob rationes quasdam ab ipsis prolatas recusârunt. Ac postquam jam aliquamdiu de eadem re deliberatum fuisset, vestrarumque civitatum Deputati nullâ aliâ neque ulteriori auctoritate munitos se declarassent, cumque rem hoc vel illo pacto confici oporteat, ac diuturnæ de re præsenti deliberationes Reipub. nostræ non nisi damno esse queant; Iccirco non potuimus, quin Amplitud. Vestras etiam atque etiam rogaremus, ut, pro pristinâ Vestrâ prudentiâ, sedulò ac diligenter perpendatis, quodcunque in re tanti momenti perpendendum venit; idque omnium primum, tam longo scilicet ac difficili bello *Ærarii nostri opes adeò attritas adeoque comminutas esse, ut pristinis sumptibus, nisi cum rerum & fortunarum summâ perturbatione, bellum gerere difficile sit.* Quo pacto autem, seu qua ratione, honesta saltem facili & vincibili ratione defendi posset, quod quum *(salvo divino humanoque honestatis jure)* ab armis difficillimis discedere nobis liceat, eadem retineremus; imprimis autem, ubi armorum retentione in Salutis atque Incolumitatis Nostræ periculum, quod armis apportatur, veniremus, id vestræ relinquimus prudentiæ. *Divino* quidem *jure salvo* abscedere licet, Religionem Christianam Reformatam incolumem conservando, minimeque ea, quibus Romanis superstitionibus idololatricis inserviri queat, concedendo: *Humano*, nihil adversus Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Decretum agendo, quo se *ab Imperio Hispanico prorsus liberatos declarârunt,* ac quo insuper Titulo seque Remque publ. propugnarunt, quales etiam à Regibus finitimis, Principibus & Rebuspubl. sunt declarati. Quocirca hoc nobis persuasum habemus Amplitud. Vestras cum Subditis una, bellum, cui *divino atque humano honestatis jure salvo,* finem jam nunc imponere datur, neutiquam esse amplexuras, neque ullo modo in eodem permansuras. Ea si Amplitud. Vestrarum sit sententia, bellum cum pace commutare ut expetant, neque honestius, neque commodius, quam hoc tempore, ubi, utroque divino & humano jure salvo, licet. Quumque Deo Opt. Max. visum fuerit res & fortunas

nostras

nostras præteriti Anni Victoriis adeo instaurare, Hostes Nos ut pertimescant, Socii atque amici revereantur, neque commodius neque opportunius fieri unquam potest; quandoquidem ejusmodi ab Hostibus conditiones, quas antehac nunquam, neque dehinc concessuri sunt, impetrare Nobis possumus. Harum rerum certitudinem prærequiri, ut Hostes, quod fide optimâ sunt polliciti, dent atque observent, non ignoramus. *Securitas autem Nostra in armorum viribus & Provinciarum facultatibus sita esse debet*, quas eò redigere possumus, ut plurima terra marique belli onera minui possint, remque eò commodè deduci, jamque impensos sumptus, & in quos incidimus, adeo parcè impendi, ut, ubicunque opus sit, pares semper Hostibus futuri, Nosque adversus eos tutè defensuri simus. Quapropter Amplitudines Vestras majorem in modum rogamus, ut plurimis sic sentientibus, vel saltem non aversantibus adjungere se velint, præsertim ubi hoc cum *Status Nostri ac Religionis* securitate, ut pluribus demonstrabitur, fieri queat. Eaque de causa, Amplitud. Vestrarum Deputatis mandare, Nos ut in re præsenti, Articulisq; Archiduci Viduæ proponendis, ac, quibus tam Hostibus quam Subditis Nostris satisfiat, adiutent. Quæ omnia, Spectatissimi Consultissimique Domini, facturos Vos confidentes, Divino committimus Auxilio. Dabantur, Hagæ-Com. duodecimo die Januarii, Anno 1630. Ex Auctoritate & jussu D.D. Ordinum Generalium,

C. vander VVolf.

Argumentum Tituli hoc erat,

Spectatissimis, Consultissimisque D. D. Consulibus & Senatoribus Harlemensium Civitatis.

Argumentum Sententiæ à Consulibus & Senatoribus Civitatis Harlemensium, ad Literas Conscriptionis Ordinum Generalium missas, traditæ.

CONsules ac Senatores Civitatis Harlemensium, literis Conscriptionis à Præpotentib. D.D. Ordinibus Hollandiæ & West-Frisiæ lectis perlectisque, eò quidem tendentibus, *ut sese ad eorundem Sententiam componerent, qui Induciarum Tractatui annuunt conceduntque, præsertim quum illæ, Regimine ac Religione salvis, obtineri queant, Suisque insuper Deputatis præciperent, ut ejusmodi punctis atque Articulis cum reliquis incumberent, qui Infanti Viduæ proponi ac Nostris Subditis Hostibusque satisfacere possent*; Rationibus quinetiam causisque iisdem comprehensis à Consulibus ac Senatoribus perpensis, id quidem ab una Parte animadverterunt, Pacem quascunque benedictiones ac commoditates tum Ecclesiæ, tum Politiæ quotidianisque commerciis conferre; bellum autem ab altera, non nisi incommoditates quascunque & miserias parere; adeo ut Pacem armis præponi oporteat; nihilque sibi magis commendent magisve expetant, quam diuturnum illud cruentumque bellum tandem aliquando cum fidâ solidaque Pace commutare.

At verò cum ab aliâ parte perpendunt remque altiori examini subjiciunt, Regem scilicet Hispaniarum, cum quo Nobis res est, *perfidum existere Tyrannum, qui neque promissa, neque fidem, neque juramenta ipsa præstet, diutius quam ea sibi in lucrum deputare queat, omnes Nos qui Rebelles exclamat, quos flammis ferroque tradit, qui Hære-*

,, ticis (pro cujuſmodi Nos habet) *neque fidem neque promiſſa aut poteſt aut tenetur ſervare, qui in quavis nobiſcum Confœderatione, ſummam perfidiam, fraudem ac technas demonſtrat ſuas, jam odia excitando, jam integras Provincias ad defectionem ſollicitando.* Adeò ,, ut eorum omnium experientia haud obſcurum Nobis indicium fecerit, Reipublicæ Noſtræ fortunas atque incolumitatem in ſolido tum demum fuiſſe collocatas, cùm apertum contra Hiſpaniarum Regem bellum gereremus. Hoc primum eſt.

,, Neque à veritate Secundum longiſſimè abit, jam tum ſcilicet Provincias ſummâ incolumitate, rebus omnibus proſperis, Eccleſias tranquillitate plurimâ fuiſſe uſas, Ordines inſuper ac Provinciarum Moderatores cum Civitatum Magiſtratibus optimè conveniſſe, ubi difficillimo ac graviſſimo ab Hiſpanis bello premerentur. Sed, vix dum etiam excogitatis atque obtruſis Induciis, miſerrimos earundem fructus atque incommoditates nemo eſt quin viderit, audiverit, perceperit; ,, Negotia commerciaque omnia labefactata jacuiſſe, Zelandiam concidiſſe, Navium noſtrarum plurimas in Hiſpania detentas, Mercatorumq; bona direpta fuiſſe, neque id ſine magno Noſtro damno, & commerciorum mercatuſque detrimento. ,, Quippe propter militum, nautarum ſociorumque navalium dimiſſionem, deprædationes in freto Gaditano, ſeu Herculeo adauctæ, maximorũ Mercatoribus damnorum cauſæ fuerunt. *Veſaliam* oppreſſam, Cliviam & Palatinatum occupatum, omneſque Subditos perditos atque ad egeſtatem ſummam redactos vidimus, aſpeximus. Per omnes inſuper Provincias *Ieſuitas* volitantes atque è Flandria & Brabantia advenientes, aut abeuntes Papicolas plurimos Subditorum ſeduxiſſe, ingentes pecuniæ Summas hinc illuc abſtuliſſe, Populum ſeditioſis ſuis ſermonibus ad inobedientiam adegiſſe, atque ab officio erga Magiſtratus ac ſupremas Poteſtates retraxiſſe, nemo eſt qui ignorat. Inſuper autem Occidentalis Indiæ progreſſus impeditos (quibus, ut omnes fatentur, tantum Patriæ commodi Hoſtibus verò damni apportari potuiſſet) novimus. At quod omnium eſt peſſimum, Eccleſiis ſimul ac Politiis exitioſam *Remonſtrantium factionem* ipſo Induciarum tempore exortam atque excuſſam, uno ore omnes confitentur.

Quæ ſubinde Eccleſias tam miſerè vaſtavit, Politias tam nefariè peſſundedit, ,, ut *Munera in Muneribus, Ordines in Ordinibus, Imperium in Imperio* conſtituta, eoque redacta eſſent omnia, ut parum abfuerit, quin univerſa Noſtra Reſpublica funditus ſubverſa, atque ingens hominum cædes oborta fuiſſet, nî tanta incommoda, miſeriæ ac calamitates impendentes Divini Numinis auxilio, Præpotentium D.D. Ordinum providâ animi circumſpectione atque Arauſionenſium Principis (glorioſiſſimæ memoriæ) virtute ſummâ averſa ac propulſa fuiſſent.

Hi Induciarum fructus pernicioſi, hæc incommoda ſunt: quæ quidem ſola Nobis ſatis eſſe debent, ad omnem cum Hoſtibus Confœderationem reſcindendam atque omnem Tractationem prorſus diſſolvendam. Idque eò magis, quod infirmitates noſtræ Hoſtibus cognitæ perſpectæque ſint, quæque inter hos ſimultates gerantur. Neque etiam defutura ejuſmodi hominum monſtra, quorum nefariâ operâ atque induſtriâ majores inter nos rixæ ac diſſenſiones excitentur, indieſque magis ac magis ad Reipub. Noſtræ perturbationem, incendantur, certum eſt. ,, Ipſorum quinetiam locuſtæ, Jeſuitæ, hac illac pervolabunt, aquilarum inſtar,

Ponti-

Pontificios cæterosque Reip. nostræ invidentes ut instigent, ad defectionem excitent, Nosque dissidentes, socordiâ & negligentiâ ad propriam defensionem imparatos, interea oscitantes de improviso opprimant, ac, quocumque modo id commodè poterint, tam externi quàm interni Hostes irruant, agant, perdantque; quorum equidem haud obscurum exemplum vidimus, quo pacto, Hoste Veluam invadente, Pontificii in hisce Provinciis commorantes, *se movere cœperant*, neque verbis iisque minantibus eloqui dubitârant, *Iam scilicet Hispaniarum Regi tempus opportunè datum, quo Dominia sua recuperare ac rebelles gravißimis suppliciis afficere posset:* quæ quidem admonitionis loco habenda Nobis sunt; ut non externos duntaxat, verum etiam internos ac domesticos Nostros Hostes diligenter observemus. ,,

Quod autem ad ea regeratur, *Religionem & Reipub. Statum Regimenque stabilitum ac confirmatum iri*, utque in Literis Conscriptionis Præpotentium D. D. Ordinum Generalium, *nihil quicquam concessum neque permissum iri, quod Romanis Superstitionibus Idololatricis inservire queat*, ad illud sic respondetur, *Religionem Regimenque* ceu prima ac primaria Reip. Nostræ fundamenta semper habita ac defensa, atque etiamnum habenda ac defendenda esse, insuperque mirum fore, si nunc demum *Religio Regimenque in solido collocanda essent.* Sed hoc sic tenendum, (quod quidem est verissimum) *Religionem Regimenque jamjam confirmata, ac majorem in modum posthac confirmanda esse*; omnesque insuper Reip. Nostræ vires opesque promptas ac paratas haberi oportêre, ad utrumque hoc Reip. columen propugnandum, quemadmodum hoc è variis Decretis tam Præpotentium D. D. Ordinum Generalium, quàm D. D. Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ, clarissimè autem liquet *in Iuramento ac Mandato Celsißimi Arausionensium Principis (gloriosißimæ memoriæ) uti etiam in Iuramento & Mandato Celsißimi Arausionensium Principis Frederici Henrici, nunc Reip. Nostræ Gubernatoris simul ac Moderatoris, expressum legitur.* Sed ut optima quæcunque media excogitentur, atque adhibeantur, eaque insuper mutuâ fide obsignentur ac confirmentur servanda, quibus non tantùm Religio Resquepubl. incolumes retineantur, verùm etiam Verbi Divini Præcones, Doctores, Magistratus ac Potestates Supremæ securè ac tutò ministeria officiaque sua exsequantur; id hoc tempore non minùs quàm Induciarum utile ac necessarium esse. ,,

At quo pacto aut quomodo hæc consequemur, quandoquidem eorundem contraria in Civitatibus nonnullis perpetrari videamus, *Verbi Divini Præcones virosque probos ac honestos ex iisdem proscribi atque expelli, Remonstrantes ad Magistratum, Pontificios & qui à Nobis longißimè dissentiunt, ad officia, cæterasque Civitatum administrationes promoveri; Remonstrantium concionibus è quibus complures oboriuntur incommoditates, non modò non interdici, prohiberi atque impediri, sed vel maximè concedi, defendi earumque insuper Patronos inveniri, mala atque incommoda augeri, neque mutuæ conciliationis concordiæque remedia auscultari, sed averti, sed rejici, & clandestinis consiliis adversum iri audiamus ac percipiamus. Insuper etiam ut proscripti Remonstrantium pastores (adversus Decreta in eosdem edita ac divalgata) in Nostris Provinciis & commorentur, & concionentur permitti concedique; quinimo ejusmodi admitti, qui vel ob delictum aliquod & patratum facinus in exilium missi fuerunt, seseque Auctores primos ac Fautores Remonstrantium factionum præbuerunt. Adhac, Pontificios ad regimen evehi, Papicolas ac Iesuitas omnes Nostras Civitates, oppida, pagos ac municipia perreptare atque obambulare, Subditos nostros, apud* ,,

» *quos plurimùm valent, omnia adversus Magistratum legitimum, & supremas Potestates per-*
» *versa atque aliena inculcare, eorumque animos incitare oculis nostris quotidie cernamus,*
„ *auribusque percipiamus.* Atque talia, quin etiam plura verissima ac certissima esse,
„ nemo est qui ignorat. At siletur tamen, *perinde quasi Imperator seu Moderator* in uni-
» verso Israële nullus existeret, atque omnibus, quæ perpetrant, liberè committere
» liceret. Quæcum ita sint, quo modo aut quo pacto res nostras fortunasque in tuto
» collocare queant, Consules ac Senatores hujusce Civitatis, nisi aliter aliquando
» se res habeant, neutiquam percipiunt.
» At multo minus intelligunt Rempubl. ab Hostibus externis securam ac tutam
„ fore; præterquam enim quod Noster Adversarius *perfidus Tyrannus existat, cujus fi-*
„ *dei, promissis sigillisque nequidquam credendum, utpote qui, ubicunque commode poterit, Nos*
„ *decepturus est*, ut supra commemoravimus; nihil quinetiam Statùs Nostri securita-
» ti in Cæsareis Contractibus, Fœderibus Ligisque Catholicis reliquum est, *quomi-*
nus nobis Induciarum tempore arma bellumque inferantur. Quippe hoc sic habendum,
» Cæsarem Regemq; Hispaniensem inter se facillimè congruere *operasque mutuas tra-*
» *dere*, ac, quamprimum opportunum ipsis tempus datum fuerit, pariter nos esse
» invasuros; habere eos unum eundemque Confessarium, qui, cum huic *nullam Hæ-*
» *reticis fidem præstare permittit, illi quidem, ubi eandem solverit, haud ægrè condonabit.* At
„ si eveniat (quod tamen incertum est) Cæsar ut servet fidem, Regi tamen, ubi lu-
„ bitum fuerit, frangere integrum erit: *quippe non tenetur* (Ejusdem Scriptoribus fi-
„ deliter admonentibus) *armatis Subditis suis quæcunque promiserit*, servare. Ille igitur
perfidus, ubi ad se redierit ac respiraverit, seu ubi commodi quicquam in Nos
» fuerit consequutus, jam ibi mutabit fidem; Cæsar autem, quod à Nobis ne impe-
» diri quidem potest, mox in auxilium veniet. Quid igitur Cæsaris Acta, aut Fœ-
» dera, quid Liga Catholica proderit, ubi sub Nomine Regis Nos aggressurus est,
» cujus quidem perfidiæ haud obscurum, jam elapso Anno, in Veluâ indicium fecit.
» *Quod autem Provinciarum subactarum Ordines Regem juxta & Infantem Induciarum*
„ *Contractui, ad pleniorem ejus securitatem subsignarent, id majorem quidem in modum ex-*
„ *petunt:* Interim tamen ad securitatem nihil. Nam ubicunque Regi Hispaniarum
fidem suam prodere visum fuerit, quid Ordines, quid agent? qui obsistent? qui
» prohibebunt? ipsimet quippe subacti, oppressi, ac milite præsidiario circumsepti:
» cum Regi id in animo fuerit, jam tum Provinciarum subactarum Ordines cohi-
» bebit, ac, nequid adversus conentur, refrænabit.
» *Lingæ*, quinetiam, *Santvlitiæ*, *Hogenwervæ*, & reliquarum Munitionum eversio-
„ nes ac dirutiones, tantundem ad Nostri securitatem addent. Nam si in Nostrum
„ commodum ab Hostibus quæpiam propugnacula mœnibus suis exui petamus,
„ quæ Nobis jam nunc obsunt, illi itidem non pauciora everti petent, quæ Nobis
» majorem in modum obesse, ipsis autem prodesse queunt: insuperque non exi-
guis sumptibus alia eorundem loco propugnacula sub Induciarum finem ex-
» struenda ac perficienda venient.
» Postremò autem, quod *Indiæ Occidentalis Societas*, in eo, quo nunc est loco, per-
» mansura esset, illud etiam ad Societatis securitatem nequicquam facit; quum iis-
» dem, quas antehac adversus Nos terrâ marique Copias duxit, supramemoratam
„ Indiæ Occid. Societatem aggressurus atque oppugnaturus est, donec eandem op-
primat,

primat penitusque expellat; id enim urget eum atque impellit; hinc primum ingentibus sumptibus Classium exornatio, tandemque dictæ Societatis pernicies interitusque evenient. ,, ,,

Quibus omnibus ac singulis à Consulibus & Senatoribus perpensis seduloque dijudicatis, neutiquam intelligunt neque percipiunt, ex iis, quæ Conscriptionis literis continentur, plenissimam Reipubl. Nostræ securitatem evenire posse: sed contra arbitrantur atque existimant, *plus securitatis ad Statum Nostrum rediturum esse, si Induciarum contractus omnes succidantur, armaque ad Nostri defensionem manibus retineantur.* ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Aerarii Nostri opes adeo attritas, adeo diminutas esse, ut pristino more bellum gerere difficile sit, nemo est qui negat: sed & hoc verum est, Hostem, amissâ Bredâ, armis adversus nos nihil tentasse, *verùm ipsi Nos leges præscripsisse, armaque ut caperet, coëgisse,* quo factum, ut Ærarium Nostrum, nonnullis librarum millionibus exhaustum sit. ,, ,, ,, ,,

Hæc si causa fuerit quod opes Nostræ tantopere sint diminutæ, ut *quo bellum geratur, vix quicquam sit reliquum*; *paulo parcius igitur priora bella, ac pro facultatum Nostrarum modulo, gesta oportuit.* Anno jam elapso, qui bellum, propter egestatem nostram, difficile judicabant, Reipubl. patroni non habebantur, ægrè ferebantur, quinetiam apertè satis minis terrebantur, bellum qui se gesturos denegabant. Nunc autem alia plane cantilena auribus Nostris percipitur; nunc demum opes bello attritæ deficiunt, nunc armis desistendum, nunc Induciæ contrahendæ sunt. At quando, aut quo tempore? eo scilicet, Hostis cum labascit, fortissima quæque oppida amittit, pars maximâ facultatum ipsi succiditur, opes plurimùm consumuntur, cum Flandria, Brabantia, ac reliquæ subactæ Provinciæ jamjam deficiunt: eo deniq; tempore, quo universalem rerum ejusdem mutationem perniciemque impendere veluti ante oculos cernimus. Quid igitur ex Induciis commodi, quidve utilitatis percipietur, *nisi Hostis fractas jam bello vires, ut instauret,* opes nobis debellandis propè consumptas ut recuperet, finitimas Germaniæ Regiones occupet, Oceano universo potiatur, Nos denique improviso opprimat perdatque. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Id ipsum jam meditari & mente agitare, idque se aliquando facturum proposuisse, persuasum Nobis habeamus necesse est: Quapropter advigilandum sedulò; &, quod rectissimè Præpot. Ord. in literis Conscriptionis expresserunt, tenendum, *videlicet Reipubl. optimam securitatem in opibus atque in armis Nostris sitam esse.* ,, ,, ,, ,,

Hæc quum ita sint, Hostibus ut nulla fides habenda, ac tempore Induciarum æquè magnæ Copiæ equestres & pedestres sub vexillis retinendæ sint ad omnem Hostium impetum propulsandum, ab armis utique discedere non erit necesse, si non *offendendo*, saltem *defendendo*, vel quod temporis opportunitas feret idque quoad ejus fieri poterit, minimis sumptibus, copias quibuscunque opus non fuerit, dimittendo. Quippe Induciarum tempore quadrupedes constricti, omniaque adversus Hostes oborta terrâ marique commoda, omittere ac præterire coacti erimus, prohibiti insuper Amicis Sociisque nostris, *Regi Bohemiæ*, cæterisque finitimis Principibus armis nostris succurrere, quibus alioquin suppetias ferre licebit: Sed si Ærarii Nostri opes id neutiquam permittant, *consensus in onera propositi ac nondum approbati concedantur, jam antehac imperatis benè utamur*, cui rei ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

„ *quinque ſpecierum* (ut vocant) *defenſio ſummopere conducet*. Alia inſuper onera extra-
„ ordinaria imperemus, neque dubium eſt, quin Cives optimique Subditi libentiſ-
„ me ſint daturi, modò arma bellumque retineamus: at ſi Inducias contrahamus,
„ onera imperata ut tribuant adduci non poterunt. Ac præter ea, ſatis nummorum
„ in Provinciis Noſtris ſupereſt: Satis Reipublicæ Noſtræ (pro quo beneficio Deo
„ Opt. Max. debentur gratiæ) *fiditur*: Ordinarii proventus compluribus jam retro
„ Annis in aliquot centena aureorum millia ſingulis Annis adaucti ſunt; non in
„ nummorum penuriâ, ſed in nobis ipſis cauſa futura eſt, propterea quòd nequea-
„ mus, ejuſmodi onera concedere, unde nummi proveniant. Idcircò convenia-
„ mus, bellumque, ut hactenus, porrò geramus.

„ Succeſſus inſuper bellicos varios quidem ac mutabiles eſſe, haud diffitendum,
„ & *qui hodie ſuperat cras ſuperari poſſe* concedendum: Inſuper etiam *Cæſarem proximè*
„ *nobis adeſſe, facilique negotio Nos invadere poſſe* non negandum: interim tamen non
„ deſperandum nobis. *Iuſtum eſt, quod gerimus, bellum*, fortem ac prudentem Exerci-
„ tus noſtri habemus Imperatorem, Legionum Tribunos longo rerum uſu pollen-
„ tes, Duces, Equites Pediteſque animatos, rerum atque inſtrumentorum milita-
„ rium penuriam nullam, nummi inſuper non deficient, modo inter Nos conve-
„ niamus; *Quin Deus ipſe cum Sacro ſuo Verbo in medio Noſtri commoratur*, actiones quaſ-
„ cunque dirigit, benedicit, & votis cœptiſque Noſtris aſpirat, Noſtrumque bel-
„ lum totum ſuſcipit. Nonne tot tantæque adverſus Hiſpaniarum Regem victoriæ,
„ quas præſidio peculiari Numinis, rebus Noſtris perpetuò patrocinantis, mul-
„ toties terrâ marique conſequuti ſumus, ejus apud nos præſentiæ indicium faciunt?
„ Quod vel tum maximè apparuit, cùm Celſiſſimo Arauſionenſium Principe Buſco-
„ Ducenſi obſidione intento, atque impedito, Hoſtibus Provinciarum Noſtrarum
„ medium invadentibus, Cœleſte Numen, ſemper Propitium, de improviſo Ve-
„ ſaliâ Nos donaſſet, eâque Nos ab omni malo præſenti atque impendenti liberaſ-
„ ſet. Quis igitur de ulteriore ejus erga Nos benevolentiâ dubitandi locus relictus
„ eſt? *Helvetiorum* quidem exemplum Nobis ob oculos ponamus, qui poſt gravia
„ ac diuturna bella, poſt multa ac varia prælia, poſt Hoſtes à cervicibus repulſos,
„ *ſemetipſos tandem in libertatem* aſſeruerunt; Noſque ſimiliter in Deo ſpem omnem
„ atque auxilium repoſitum habeamus. Hic enim, qui tam paternè hactenus No-
„ bis præſtò fuit, tam benignè ex omnibus Noſtris calamitatibus eripuit, dubium
„ nullum eſt quin eâdem Nos paternâ benevolentiâ dehinc proſequuturus ſit. Qua-
„ propter Hiſpaniarum Regis, *qui verba dare annititur*, ſermones, promiſſa, fidem
„ denique ipſam auribus Noſtris reſpuamus, *Cæſaris Copias, quantumvis ingentes, ne*
„ *pertimeſcamus*, ſed Summum Numen colamus, revereamur atque omnes No-
„ ſtras actiones ad divinam ejus voluntatem inſtituamus. Ita tandem fiet, ut
„ nemo mortalium, quantumvis potens, quicquam nobis obeſſe poterit; Deus
„ enim in armis noſtris Propugnator, atque eorundem Liberator Noſter com-
„ perietur.

„ Quibus omnibus à Conſulibus & Senatoribus perpenſis, neutiquam iis, quæ
„ Literis continentur, annuere potuerunt, quò ſcilicet Deputatis ſuis præcipiant, ut
„ cum ejuſmodi conſentiant, qui Induciarum Contractum admittunt; ac multò
„ minùs, quò iidem, Articulis ac Punctis, quæ Archiduci Viduæ proponerentur,
inter

intersint, atque adiutent. Verùm in pristinâ permanserunt sententiâ, *omnemque* ,, *Induciarum Contractum negarunt ac renunciarunt.* ,,

Actum in Senatu Consulum & Senatorum supramemoratorum, sexto & decimo die Januarii, Anno 1630. ,,

Literisque insuper conscriptum, perlectum atque approbatum in eodem Senatu Consulum & Senatorum, sequenti die Januarii postremo. Me præsente, ,, ,,

H. Steyn.

Argumentum Præpositionis è plurimis in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum sententiis composita, secundùm Eorundem decretum, nono & decimo die Ianuarii, Anno 1630.

QUandoquidem Hispaniarum Rex, cum Viduâ Archiduce Austriacâ Præpotentibus Fœderati Belgii Ordinibus triginta quatuor Annorum Inducias, eâdem lege ac conditione, quibus anno 1609. fuerant initæ, contrahendas obtulerunt; atque ab Equestri Ordine, Nobilibus & Civitatibus Hollandiæ West-Frisiæque jam aliquamdiu ea res penitiùs perecognita ac perpensa fuit; insuperque Nobiles nonnulli atque insignes Ordinum Viri, stante supradictâ deliberatione ac rei perpensione, in Nobilium & Potentium Ordinum Concilio sæpenumero proposuerunt, Dominos suos Principales maximopere sollicitos esse, ac jam veluti coram oculis cernere, *ex ejusmodi tranquillitate, præsertim è tanti temporis Induciis, à quibusdam animi inquietis minimæque pacificis hominibus occasionem facilè arripi posse, quâ in Religione verâ, & per consequens, etiam in hac tam gloriosâ Reipubl. administratione commutationem & perturbationem concitare molirentur:* quemadmodum etiam ejusmodi temporis opportunitates talibus inservire solent, quorum haud obscurum miserrima experientia indicium fecit; unde nihil nisi lites, dissensiones, defectiones, simultates, factiones, odia mutua multæque aliæ calamitates nefariæ, tam in *Politicis*, quàm in *Rebus Ecclesiasticis*, tam inter Ordines, quàm Civitates, interque Subditos universos ac singulos suboriri possent; quæ omnia (Reip. Nostræ Hostium factione intermistâ) certissima Status Nostri florentissimi ac celeberrimi pernicies tandem sequutura esset. Quocirca Ordo Equestris, Nobiles ac Civitates, Earundem Provinciarum Ordines repræsentantes, etiam atque etiam Suorum omnium salutem, incolumitatem ac tranquillitatem sibi commendatam habentes, insuperque in tempore, quæ oboriri possunt mala, à Subditorum cervicibus avertere cupientes, in rem esse duxerunt (Auctoritate publicâ decernentes) concludere ac confirmare Articulos sequentes. ,,

1. Primo, omnia & singula Potentium D. D. Ordinum Nobilium Concilii membra à Deputantibus Principalibus plenissimâ Auctoritate munita, mutuo inter se religiosè sanctèque dextram fidemque dabunt, quòd scilicet *Status hujus*, prout hoc tempore administratur, *Regimen*, insuperque *Religionem*, prout ea jam nunc publicè docetur, atque à Synodo Nationali Dordracenâ fuit confirmata, defendent, ,,

„ fendent, ac propugnabunt, absque ullâ tamen utriusque mutatione, sive directè
„ per se sive indirectè per alios, admittendâ.
„ 2. Edicta adversus *Remonstrantium factiones* edita ac divulgata, de novo affigentur atque executioni mandabuntur.
„ 3. Omnes ac singuli *Remonstrantium Pastores proscripti* expellentur eorumque
„ nulli admittentur, præterquam qui Silentii Actis propriâ manu subsignârint.
„ 4. Omnes & singuli qui jam nunc sive Remp. sive Justitiam administrant,
„ solemni juramento promittent fidemque dabunt se *Religionem ac Status hujus Re-*
„ *gimen*, ut antehac, propugnaturos & memorata Edicta executioni mandaturos
„ esse.
„ 5. Nemo, quicunque tandem fuerit, ad Reipubl. sive Justitiæ administrationem, nisi qui veram Religionem Reformatam professus, eique addictus fuerit,
„ promovebitur, quin etiam qui sub muneris sui inchoationem supradictum jura-
„ mentum solenne præstiterit.
„ 6. In omnibus Ecclesiasticis Ordo & Instituta, quæ ab Ordinibus jam nunc
„ observantur, absque ulla eorundem commutatione conservabuntur.
„ 7. Horum denique omnium cuique ex Ordinibus Exemplar magno Hollan-
„ diæ West-Frisiæque Sigillo obsignatum ac solemnibus insuper formulis confir-
„ matum, tradetur.

Ex iis, quæ supra commemoravimus, argumenta ac rationes, quæ *ultro citroque* afferebantur, facilè quis percipere potest: quibus hæ insuper rationes adjungebantur: Si nimirùm Induciæ componerentur, id fore (1.) sive ex Reipubl. necessitate: (2.) sive ut præveniatur, ne Gallorum arma, uti Hispanorum, metuenda forent. Postremum autem longissimè aberat. At primum, Reipub. scilicet necessitas jam jam superata erat: *Busco-Ducum*, ac *Vesalia*, utraque fortissima Propugnacula capta atque expugnata, Hispani haud minus Classe argenteâ quam honore *atque Auctoritate* destituti erant: subactæ insuper Provinciæ per Fœminam administratæ; ipsi quinetiam Hispani in Brabantia maximoperè invisi Belgisque despecti, Regi Suo officium debitum nullum præstabant.

In Germaniæ autem partibus ingentes quidem Cæsar copias ducebat, isque solus in armis erat, ac Daniæ Rex pacis Contractu *Austriaca Domo* devinctus tenebatur: nihilominus tamen indignatio summa omnes, qui à Protestantium Partibus stabant, invaserat, propter intolerabiles Tributorum exactiones seu executiones, quæ Germaniæ à Cæsare imperabantur. Insuper autem inter ipsos Pontificios propter Austriacam potestatem nimium extimescendam, summum odium atq; invidia intercesserat. Quæ utraque cum Protestantium indignatio maxima, tum summum Pontificiorum odium atque invidia, paulò post foras proruerunt. Odium Pontificiorum in Walensteinio loco atque Ordine suo movendo; ad quod etiam in Comitiis Regensburgensibus Cæsar à Bavariæ cæterisque Catholicæ Ligæ membris coactus fuit.

Indignatio autem Protestantium in Suecorum Regis invasione in Germaniam, cui plerique omnes Protestantes Principes atque Ordines Territorii operam dabant: utrumque in Domûs Austriacæ detrimentum maximum.

Quod si Hispani paulò ante, cum Provinciarum res & fortunæ ad summas angustias

anguſtias redactæ eſſent, cum vix quidquam Reip. fideretur, imprimis autem cum Bredam expugnaſſent, Inducias has obtuliſſent, non tam difficili negotio arreptæ fuiſſent. Sed, amoto jam omni malo, rerumque in Germaniâ mutatione imminente prævisâ, Induciæ placere neutiquam poterant.

Ad hæc accedebat etiam, quod Galliarum Rex, Rupellâ captâ, Hugenotis in Regnis victis deletiſque, totum ſeſe dabat ad Hiſpanos & Auſtriacos foris oppugnandos atque opprimendos. Quod cum niſi per has Provincias, facilè effecturum ſe videret, ſummâ ope adnitebatur, quâ omnem Induciarum contractum ſuccideret, Noſtramque Remp. adverſus Hiſpanos in armis contineret.

Ac pro eo, quod Ordines Generales per Legatos eâ de cauſa ad Galliarum Regem Anno 1628. miſſos, nihil ſubſidii neque auxilii impetrare poterant; jam nunc ipſos Ordines Generales, tum propter Hoſtium in Veluam invaſionem, Ultrajecti ad Rhenum congregatos, Legatum Suum Dominum Baugium inviſere, ab Induciis animos ipſorum retrahere, atque auxilium atque ſubſidium offerre ultrò jubebat, inſuperque arma adverſus Hiſpanos, ut retinerent, petebat. Qui deinde Contractus Hagæ-Com. promotus, tandem Anno 1630. Menſe Junio, ad ſeptennium initus ac confirmatus fuit. Quo durante ab una parte Præpotentes Ordines Gen. *nullum Induciarum Paciſve Contractum, ſive directè ſive indirecte, cum Hoſtibus, abſq; Majeſtatis conſilio, inituros promittebant; ſimiliter Rex ab alterâ, in Reip. Noſtræ damnum nihil quicquam cum Hoſtibus contracturum ſe pollicebatur.* Hoc igitur pacto Roſendalienſis Induciarum Tractatus obruebatur, & cum Galliarum Rege Contractu Anno 1630. inito prorſus ſuccedebatur.

Verum enimverò, quò ſupramemoratus cum Galliarum Rege Contractus tanto faciliùs ac penitiùs pernoſcatur, ſciendum eſt, ſub finem Contractus Compendii cum ſummè præmemorato Rege initi, omni ſtudio atque operâ ad Ejuſdem renovationem ſeu prorogationem, quoad fieri poſſet, elaboratum, ac, quò illud minori cum rumore fieret, ad Legatum hujus Reip. in Galliis reſidentem Dominum in Langerack, Literas cum mandatis miſſas fuiſſe.

Eodem ferè tempore evenit, ut, propter ſimultates ſummopere faventium, Domini ſc. de Richellieu in Galliis ab unâ parte, & Comitis Buckinghamiæ in Britannia ab alterâ parte, inſuperque propter bellum adverſus Rupellenſes geſtum, Utræque Majeſtates ad Literas violentæ Repetitionis. ſeu Repreſſalia, ut vocant, ab iis autem ad arma palam devenirent. Jamque Galliâ per Rupellenſes mari ſummopere impedita, atque per Britannos magis magiſque impedienda, Galliarum Regis Miniſtri, novum quendam Contractum auxiliarium, quem Galli, ut dictum eſt ſupra, ægrè antehac concedebant, ſatis diligenter jam nunc promoverunt: adeò, ut cum dicto Legato ſequentes Articuli Literis propoſiti fuerint.

Argumentum Confœderationis in novem subsequentes Annos inter Ludovicum Decimum Tertium Galliarum Regem ab una atq; inter Fœderati Belgii Ord. Gener. ab altera parte, ad mutuum auxilium atq; subsidium & commerciorum securitatem initæ Parisiis, Anno 1627. vicesimo octavo die Augusti. Quæ tamen non confirmata neque ratificata, sed per sequentem Anno 1630. initum Contractum, mutata ac digesta est.

QVandoquidem Serenissimus & summè Reverendus Noster Parens defunctus (cujus animæ Deus propitius sit) Anno millesimo, sexcentesimo octavo, Fœdus aliquod defensionis cum Fœderati Belgii Ordinibus General. contrahere voluit, quo cum Archiducibus Induciarum aliquem Contractum inire obstricti forent, cui tamen, absque Parentis Nostri Reverendi propugnatione ac defensione neutiquam annuerunt. Insuper etiam vi Articulorum ejusdem dictam Confœderationem æternam inter Nos Ordinesque Generales futuram statutum ac confirmatum fuit. Idque summe memoratus Parens voluit, ut initam Confœderationem cum Ipsis confirmaremus ac continuaremus. Quocirca summe præmemoratus Rex, Reverendi Parentis exemplum sequendi Nosque ad ejusdem voluntatem conformandi cupidus; quin etiam hoc animadvertens; quò Ordines Generales plus à Nobis auxilii percepturi sint, eò minus Remp. suam in tuto collocaturos esse mediis ejusmodi extremis, quæ tranquillitati Reip. perturbandæ sufficiunt; insuper etiam majorem in modum expetens, quantum in Nobis est, Pacem inter omnes Principes Christianos promovere ac confirmare) eâ de causa nominavit ac delegavit Dominum Boullionium, & D. Chastenasium, in Concilio Ordinum Regni atque Aerarii Nostri Consiliarios, & Ordinis sui Cancellarios, ut cum Domino Gideone de Boetselaer & Asperen, Barone in Langerack, Lovignii, & Sacri Imperii, Regis Ordinis S. Michaelis Equite, Nomine ac qualitate Legati D. D. Ordinum Generalium Belgii Fœderati, agerent atque adhiberent media, quibus præsens Negotium optimè conficiatur: qui, Literarum Suarum Auctoritatis vi ac lege, (quarum exemplar sequentibus inseretur) multis conventibus ac deliberationibus ultrò citroque habitis sequentibus Articulis annuerunt, concesserunt & confirmârunt.

1. Primò, summe præmemorata Majestas, supradictis Ordinibus Generalibus per sequentes Annos novem, *centies librarum mille* quotannis annumerabit, singulis Mensibus exsolvendo, si bellum, jam ipsis illatum, intra dictum Annorum spatium non fuerit confectum; cujus exsolutionis initium erit, primo die Januarii proxime elapsi.

2. Quo quidem tempore Ordines Generales *neque directè, neque indirectè quemcunque cum Hostibus Induciarum Pacisve Contractum, inscio atque inconsulto Rege, inibunt:* quemadmodum etiam ab alterâ parte nullum Fœdus cum Hostibus, quod Unitarum Belgii Provinciarum Ordinib. damno esse queat, dicta Majestas contrahet.

3. In auxilii, quod Majestati præsenti Contractu Ordin. Gen. concedere placuit, cæterorumque beneficiorum, in Ipsos à Rege collatorum, remunerationem tenebuntur, quod si Majestati in Regnis suis bellum inferatur, mediam Summæ partem, quam Anni spatio acceperunt, hoc rogati, adversus quemcunque impendere: nisi pro ea Summæ parte aut milites aut *ducentorum* sive *sexcentorum*

rum vehium Naves Majestas petierit, ad dictæ Summæ exsolutionem. Quo etiam tempore de militum stipendio naviumque pretio, pront ordinarie in Provinciis exsolvitur, porrò convenietur: de quibus etiam agetur, ac pro Contractus Articulo habebitur: quemadmodum etiam summe memorati Ordines Generales nihil quicquam auxilii neque consilii directè sive indirectè, quacunque tandem ratione, adversus Majestatem suam conferent.

4. Quinctiam, si Majestati navibus opus fuerit, quibus maria Sua ab omnibus Piratis liberet, aggressionibus atque invasionibus aut ejusmodi quibus Regna Sua infestari queant, occurrat, Majestati integrum erit sive emere sive apparare atque exornare in Fœderati Belgii Provinciis quindecim navium Classem. In quarum Navium numero supramemorati Ordines Generales promittunt ac pollicentur se voluntati Regis bonâ fide subventuros, quò dictus Navium numerus quamprimum & pretio ordinario apparetur atque exornetur.

5. Ordines Generales sex Mensium spatio cum Majestate Sua convenient ad partem maris Mediterranei Occidentalem ab omni deprædatione *Algeriensium* & *Thunetensium* piratarum liberandam. Interim tamen si in summe dictorum Ordinum Generalium Portibus naves mercesque à Regis Subditis interceptæ compertæ fuerint, primâ petitione easdem restitui curabunt, sive per Legatum Majestatis, sive per Mercatores Subditosque repetantur.

6. Utriusque Partis Subditis Incolisve damnum terrâ, mari aut fluminibus, sibi invicem, quacunque tandem de causa, inferre neutiquam licebit. Ordines Generales dabunt operam, ut quæcunque Regis Subditorum lites causæque trium Mensium intervallo ad summum, per Senatum Archithalassum expediantur & conficiantur, Legato Majestatis aliisve ejus Nomine locoque exauditis; ab ejusmodi tamen è Senatu, ad quos nihil quicquam è navibus mercibusq; interceptis, quæ ipsorum judicio submittentur, commodi evenire poterit.

7. Quod si verò alterutra pars Sententiæ à Senatu Archithalasso latæ Revisionem, ut vocant, expetat, summè dicti Ordines, insignes loco atque ordine Viros, insuperque Auctoritate ac potestate eàm in rem munitos, quorum quidem nihil interest, deputabunt, qui dictam causam litemque cum Senatus Archithalassi Commissariis, absque ulteriore ad Senatum alium provocatione, transacturi sunt. Naves interim mercesque direptæ, dum causa peragetur, salvæ & securæ custodiæ committentur, neque easdem vendere licebit, antequam de venditionis tempore cum Legato fuerit conventum. Quod summè dicta Majestas non minus Ordinum Generalium Subditis, quacunque occasione ac tempore, pollicetur.

8. Legionum Gallicarum Tribuni, Cohortium Duces cæterique Præfecti pristinâ consuetudine eligentur.

9. Quod si autem Majestati Legionibus Gallicis, illato bello, opus fuerit, Ordines Generales easdem Calisium, sive Diepam transjici curabunt, câ lege ac conditione tamen, si Ordines Generales Inducias Pacemque contraxerint.

10. Jus *Aubaniæ*, vi ac lege superiorum fœderum, ex omni parte cessabit. Insuperque Majestas omnibus Suis Parliamentis mandabit ac præcipiet, ut eadem juris veniâ summe dictis Ordinibus plenissimè perfrui sinant, absque aliis Justitiæ formulis, sic ut neutrarum Partium, sive Neutralitatis, ut vocant, Literis minime

 in di-

indigeant; quem ad modum etiam ab alterâ parte Ordines Generales cum Majestatis Subditis acturi sunt.

11. Quæcunque Repressalia, seu Literæ violentæ Repetionis, Detentionis, ac Literæ Marcæ, ut vocant, atque ejusmodi Hostilitatis acta omnia cessabunt, & vi præsentis Fœderis nullius prorsus momenti sive valoris futura sunt: sed jus omnibus, prout decet, æquale administrabitur.

12. Vi ac lege præsentis Fœderis utriusque Partis Subditi bonam ac sinceram amicitiam & Societatem mutuam colent, negotia insuper ac commercia in utriusque Partis Regnis terrâ marique exercebunt; atque ejusmodi inter se merces commutabunt, quæ ab Ordin. interdictæ non sunt: Earumque, sive in utriusque Partis Regnis, oppidisque petitarum sive ex iisdem ablatarum haud majora, quam Subditi, vectigalia eo loco, quo navigatio instituetur, persolvere cogentur.

13. At verò, quò tanto commodiùs deprædationibus, quæ adversus Majestatis Ordinumque Generalium Subditos propter commoditatem, quam in utriusque Portibus Piratæ habent, exercentur, obviam eatur, Hostium ac prædas agentium naves eousque sub portum, quò missile tormenti bellici se porrigit, prosequi licebit. Ac quamprimum naves Hostium cum bonis direptis virisque captis appulerint, seu in stationem navium adductæ fuerint, captivi libertati restituentur, ac merces, naves, bonaque direpta propriis Dominis reddentur.

14. Hostium insuper naves sive Majestatis sive Ordinum Subditis nequidquam nocebunt, nisi vicesimâ quartâ horâ postquam è supradictis Portibus solverint; nam alioquin malè atque illegitimè captæ declarabuntur, ac per litem causamque navium merciumque restitutio urgebitur, quæ jam æque actum in eorum, quorum interest, commodum concessa habebuntur: Quinetiam dictarum navium Præfecti, ut Pacis ac Societatis mutuæ perturbatores, supplicio afficientur.

15. Omnia quinetiam Fœdera, per Majestatem Suam Ordinesque Generales cum Regibus, Principibus, Rebuspubl. aliisque Populis inita, vim Suam retinebunt; præterquam, in quo per præsentem Confœderationem derogata atque annihilata fuerint.

16. Summe dicta Majestas per Literas queiscunque Regnorum ac Civitatum Moderatoribus Præfectisque Confœderationis præsentis observationem mandabit præcipietque.

17. Hujus denique ad novem Annorum spatium, protracto bello, Fœderis Articuli, sex Septimanarum dehinc sequentium intervallo à summè memoratis Ordinibus Generalibus solenniter ritèque confirmabuntur, confirmati autem Majestati suæ exhibebuntur, quò ab altera quoque Parte iidem à Rege diebus quindecim post similiter confirmentur, atque Ordinibus Generalibus reddantur.

Argu-

Argumentum quatuor Articulorum Secretorum, inter Regis Commissarios Ordinumque Generalium Legatum clam initorum, ut non minorem vim obtineant, ac si Fœderi principali fuissent inserti. Actum Parisiis, octavo & vicesimo die Augusti, Anno 1627.

1. INter Serenissimi Regis Commissarios, Ordinumque Generalium Legatum conventum ac conclusum est per præsentem Articulum, qui non minorem vim obtinebit, ac si priori & primario Fœderi fuisset insertus, atque insuper ab utraque Parte duorum Mensium spatio confirmabitur; ut, quamvis Fœderis superioris Articulo secundo nihil aliud referatur, præterquam quod *Ordinibus Generalibus nullum prorsus Induciarum Pacisve Contractum, sive directe sive indirecte, inscio atque inconsulto Rege, inire liceat*; Nihilominus, propter auxilium ac subsidium, quod à Majestate Suâ ipsis confertur, *Nullum prorsus Induciarum pacisve Contractum inibunt, absque interventu ac ratihabitione Regis*, qui etiam eodem Articulo secundo pollicitus est, nullum se cum Hostibus Contractum seu Fœdus initurum, quod Fœderati Belgii Provinciarum Ordinibus damno esse queat. Quapropter etiam summe dicti Ordines promiserunt, quod si, stante Fœdere, Majestas Sua adversus Hispaniarum Regem, Flandriam, sive Domus Austriacæ Fautores bellum pararet, nullam se Confœderationem cum Regis Hostibus contracturos, quamdiu adversus eosdem arma gerentur. Actum Parisiis, octavo & vicesimo die Augusti, Anno 1627.

2. Inter Serenissimi Regis Commissarios Ordinumque Generalium Legatum conventum ac conclusum est per præsentem Articulum secretum, qui haud minorem vim obtinebit, ac si priori & primario Fœderi fuisset insertus, atque insuper ab utraque Parte duorum Mensium spatio confirmabitur; ut, quamvis Superioris Fœderis Articulo tertio disertis verbis exprimatur, *summè dictos Ordines adversus quemcunque Majestati Suæ mediâ, quam ab eadem quotannis acceperint, nummorum parte subventuros, nisi summè dicta Majestas, milites aut naves, secundum tertium Articulum, pro eâ nummorum parte mediâ elegerit*; atque Ordines Generales vi præsentis Articuli & superioris Fœderis ac Ligæ, defensionis ergò contractæ, hoc tempore Regi, adversus Britannorum invasiones atque oppressiones, mediâ nummorum supradictorum parte, copiis navibusve succurrere teneantur; nihilominus, quibusdam de causis, ac pro temporis hujusce constitutione, sic tamen, ut se non ulterius latiusque porrigat, summe præmemorata Majestas supradictos Ordines subsidio atque auxilio adversus Britannos hoc tempore ferendo liberat; insuperque concedit ac permittit, ut, durante hoc bello, neutrarum Partium sive Neutrales existant. Actum confirmatumque Parisiis, octavo & vicesimo die Augusti, Anno 1627.

3. Inter Serenissimi Regis Commissarios Ordinumque Generalium Legatum, per præsentem Articulum secretum, qui haud minorem vim obtinebit, ac si primo ac primario Fœderi insertus fuisset, insuperque duorum Mensium spatio ab utraque parte confirmabitur, concessum ac conclusum est, ut præter ea, quæ primarii Fœderis Articulo quarto continentur, ac promittuntur, *Summe dicti Ordines Majestati Suæ polliceantur optimaque fide promittant, se, quamprimum id rogabuntur,*

sive vendendo sive locando, prout Majestas Sua elegerit, ducentorum & sexcentorum vehium naves decem, præter supra concessas quindecim, omnibus rebus bellicis & necessariis exornatas hac solummodo vice, adeò ut in posterum ad illud non obligentur, Regiis sumptibus curaturos atque apparaturos esse; optimâ quinetiam fide, quantum fieri poterit, prohibituros quicquam Britannis auxilii, sive copiarum, navium, rerumque bellicarum contra Regem ferri; neque ullâ insuper ratione Ejusdem Regis durante bello, armis occursuros, quibus Britannorum oppugnationes atque invasiones Summè dicta Majestas propulsare debeat. Datum & Confirmatum Parisiis, octavo & vicesimo die Augusti, Anno 1627.

4. Quandoquidem Ordines Generales Serenissimo Regi optimâ fide promiserunt, se universo hoc bello Britannis nullo pacto subventuros, neque ullâ ratione sive directâ sive indirectâ Serenissimi Regis armis occursuros, quibus injurias à Britannis illatas prorsus depulsurus est; *Idcirco Majestas sua promittit spondetque, si à Classibus auxiliariis, quas in mare dimissura est, adversus summè dictorum Ordinum Generalium portus navesque hostile quicquam fuerit occeptum, omni studio atque operâ prohibituram, insuper etiam quodcunque inde damnum acceperint, resarcituram esse; eumque in modum, si quæ Ordinum Generalium eorumve Subditorum naves à classibus auxiliariis sive Francicis queiscunque direptæ fuerint, easdem, cum omnibus suis viris bonisque hoc modo surreptis, quamprimum se reddituram esse pollicetur.* Datum & confirmatum Parisiis, octavo & vicesimo die Augusti, Anno restauratæ Salutis 1627. Qui omnes ac singuli præsentes Articuli secreti, duorum Mensium intervallo solennibus formulis confirmabuntur.

Quamvis autem, ut supra commemoravimus, Fœdus hoc confirmatum non fuerit, illud tamen hisce adjungere visum fuit, quò tanto faciliùs, quantum Galliarum Regis Ordinumque Fœderati Belgii id temporis intererat, pernosceretur. Qui plurimum offendebant Articuli, primus Fœderis Principalis & secreti erant; utpote qui Neutralitati, quam inter Gallos Brittannosque Præpotentes D.D. Ord. Gener. conservare cupiebant, adversabantur. Quocirca etiam dictum Fœdus differre visum fuit: insuperque Dominum Sommelsdichium & Dominum Vosbergium delegare, non tantùm ut Galliæ Brittanniæque lites cum bona gratia componerent, verum etiam Contractum superiorem instaurarent & quæ sequuntur conditiones impetrarent; in primum quidem Articulum, *ut pro decies supra centum florenorum millia, quindecies supra centum florenorum millia, eaque ad longius temporis spatium consequerentur*; sed si ejus repulsam ferrent, Fœderis tamen conclusionem ac confirmationem ne solverent.

Secundus Articulus, ut sonat, acciperetur, non autem ejus vicissitudo subjungeretur, quâ Ordines Generales, quamdiu dictum Fœdus vim suam obtineret, *absque Regis confirmatione* & ratihabitione nullum Induciarum pacisve contractum inire obstricti obligatique forent, quod Summi ac Supremi Juris & potestatis in Provincias speciem præ se ferret, neutiquam concederent.

At quum tertio Articulo hæc verba (*quod si Majestati in Regnis suis bellum inferatur*) mutata, eaque (*Amicis Sociisque exceptis*) omissa essent, ut serio instarent, proxime traditus fœderis Conceptus ut reservaretur, ac præcipuè hæc verba, (*Amicis Sociisque exceptis*) adderentur, licet ea de causa præsens Contractus solveretur.

In quartum verò Articulum, Fœdere supra memorato longe diuque examinato

ac

ac perpenso, vicissitudinem in quarto expressam quod attinet, decretum est, ut quindecim duntaxat naves, siquidem fieri poterit concederentur; sin minus, decem insuper adderentur; eâ lege tamen, ut vi superioris Fœderis principalis, non Articuli secreti, eæ superadderentur, Regiisque sumptibus appararentur atque locarentur. Ad reliqua secreti Articuli verba *(rebus bellicis necessariis exornatas)* nihil quicquam dicere, sed simpliciter præterire visum fuit: ac quod eodem Articulo secreto, *Britannis ne quidquam armorum supportetur*, interdictum sit, id negatum iri decretum est; utpote Contractui Zuithamptoniensi contrarium. At si aliquid saltem de re ejusmodi addendum foret, id eo modo futurum, *ut amicis Sociisque, tam Britannis quam Gallis, ea omnia, quibuscunque Præpotentes D. D. Ordin. General. non necessariò indigerent, concederentur.*

Quicquid insuper de navibus auxiliariis eodem Articulo secreto proponitur, quò deleretur atque omitteretur ut instarent, decretum est; veruntamen de mutua inter utramque partem reconciliatione agerent; quæ si eveniret, quid de eadem propositum & peractum foret, rescriberent & mandata ulteriora exspectarent.

Adversus nonum fœderis Articulum nonnulla agitabantur dubia, respectu Induciarum vocabuli, quo pacto accipiendum sive intelligendum foret, si de Induciis ageretur; interim tamen, prout ejusdem Fœderis Articulus sonat, ut relinquerent decretum est.

In decimum tertium autem Articulum visum fuit, ut eorundem *(à quibus naves nostrorum intercepta erunt)* quinetiam eorum, *(quousque bellici tormenti missile se porrexerit)* verborum omissionem expeterent, sed si impetrare nequeant, quamprimum id per literas indicarent, atque ulteriorem porro agendi potestatem exspectarent.

Legati autem nostri postquam in Gallia cum Regis Commissariis convenissent, ne Nostri Ordines quempiam Induciarum pacisve contractum *absque Regis confirmatione seu Ratihabitione* inirent, iterum iterumque Regis Ministri petierunt. Quod tamen sine summi Juris & potestatis Provinciarum damno ac præjudicio fieri non posse, judicatum est.

His igitur aliisque de causis dicti cum Rege Tractatus succisi prorsusque soluti sunt. Donec tandem Rosendaliensis Tractatus, hujusque Reipubl. rerum Anno 1629. feliciter gestarum rumore Galli impellerentur, atque intercisi & jam emortui Tractatus reviviscerent. Quantum verò in iis actum profectumque fuerit, sexto & vicesimo die Decembris, Anno 1629. è sequenti Propositione satis superque liquebit.

Rex Serenissimus perlectis perspectisque literis, vicesimo sexto atque ultimo die Novembris exaratis, quibus Dominus Baugius, Majestatis suæ in Hollandiâ Legatus, de omnibus, quæ inter ipsum & Dominum Noortwici acta sunt, Majestatem suam certiorem fecit; insuper etiam de voluntate D. D. Ordinum Generalium, quâ Regis cœpta promovere ac juvare student, si forte cum Hispanis Contractum dissolveret; denique quibus incommoda ab Ordinibus Generalibus in Fœderis Anno 1627. cum Domino de Langerack initi confirmationem allata, indicavit. Idcirco Regi, ut omnis prorsus mora abrumpatur, ac tandem aliquando eventus peroptatus obtineatur, supradicto Domino Baugio, Legato Ordinario, potestatem atque Auctoritatem concedere placuit, privatim cum summe memoratis D. D. Ordin. General. agendi ac

com-

componendi præcipua superioris Fœderis puncta Articulosque, de quibus cum iisdem conveniri poterit; quinetiam facultatem dare, inito Fœderi simpliciter apertèque in Gallia subsignandi, cum iis Legatis, quibus eâ de causâ à summemorati D. D. Ordinib. General. plenissima Auctoritas data ac concessa fuerit, aliosque superiori Fœderi Articulos adjungendi, qui superioribus inserti fuere, ac quibus nihil quicquam difficultatis inerit.

Serenissimus Rex pro se pollicetur Negotium illud eo modo institutum iri, ut prius peractum conclusumque (siquidem ad conclusionem perveniatur) quam cognitum divulgatumque fuerit, insuper etiam Secreta ac privata necessaria, ejusmodi temporibus contenta ac suppressa iri, ut, qualia ab iis exspectanda veniunt, commoda percipiantur. Rex quinetiam expeditam Fœderis conclusionem efflagitat, ne rerum feliciter gerendarum spes cum se, tum Ordines Gener. jam jam imminente Vere, frustretur.

Ac postquam supradictus Legatus nonnullos è Concilio Præpotentium D.D. Ordinum Deputatos, quibuscum de præsenti negotio agere posset, eum in finem delegati fuerunt, Per-Illustris. D. D. Comes Cuylenburgensis, D. Noortwici. D. Bas. D. Vosbergius. D. Tienhovius. D. Eissinga. D. ab Haarsolte. D. VVinsemius. Qui nono & vicesimo die Decembris retulerunt, Dominum Legatum, dictando sequentia sibi communicasse.

Argumentum præcipuorum Articulorum, de quibus cum Ordinibus General. conveniendi, quosque confirmandi & subsignandi in superioris Fœderis renovationem, Dominus Baugius, à Rege Christianissimo Auctoritatem ac potestatem omnimodam accepit.

1. QUod Majestas sua, rebus hoc in loco permanentibus, D.D. Ordinibus centum librarum millia quotannis mutuo dabit, si arma adversus Hispanos retinuerint: eâ tamen lege, ut vicissim vi superioris Fœderis Regi auxilium ferant, nullumque prorsus Induciarum pacisve Contractum, *invito ac non consentiente Rege* ineant.

2. Quod si Majestas Sua, dictæ Summæ loco, constituerit, secundum ea, quæ Ordines Generales Regi proposuerunt, omnino aperteq; ab Hispanis abscedere, (cujus tamen Majestas Sua determinatum Consilium Decretumque sex septimanis, postquam Fœdus supradictum initum ac confirmatum fuerit, tradi curabit) quum ingentem exercitum educet, quo Provincias, ab Hostibus subactas, invadat (quod fieri tamen, absque ingentibus Regis impensis, haud potest, neque absque Ordinum Generalium quam maximis commodis) Eodem hoc tempore Regis Copiis decem millium peditum, mille & quingentorum equitum, numero succurrent; Insuper etiam locum quendam commodissimum, quem prælegerint, *triginta peditum & quatuor equitum millibus* aggredientur.

3. Quod si, interrupta & abscissa omni Gallos inter & Hispanos amicitiâ ac Societate mutuâ, Majestas Sua Paci nunquam annuere posset, aut si eodem tempore de Induciis sive Pace inter Ordines Generales ageretur, ac neutra earum commodè obtineri posset, insuper etiam rationibus quibusdam honestis, æquis justisque Ordin. Gener. ad bellum contra Hispanos continuandum à Serenissimo Rege adducerentur, jam tum Majestas Sua plus auxilii atque subsidii præter centum Florenorum

renorum millia, iisdem conferet, idque singulis Annis, quamdiu ab armis non fuerit discessum, continuabit, secundùm Fœdus Compendii initum.

4. Quod autem ad alios Articulos, superioribus Contractibus insertos attinet de iisdem à Majestate Suâ Ordinumq; Legatis, seu qui in Galliam præsentem Contractum solenniter approbaturi mittentur, agetur, & quoad ejus fieri poterit juxta præcedentium Fœderum formam componetur.

Ad eadem verò puncta supradicto Legato tertio & decimo die Decembris, hæc, quæ sequitur, Responsio ab Ordinum Deputatis tradita fuit.

Argumentum Declarationis à Fœderati Belgii Ordinum Generalium Deputatis, super Articulis quibusdam sibi à Domino *Bangio*, Christianissimi Regis Galliæ Legato Ordinario traditis, octavo & vicesimo die Decembris.

Quod Confœderationem inter Galliarum Regem & Fœderati Belgii Ordines Generales spectat, multò penitius ea mutuò pertractanda foret, antequam concludi ac confirmari posset.

Quod si Serenissimus Rex ab Hispanis discedat, insuperque quadraginta militum millibus Artesiam Hannoniamque invadat, summe dicti Ordines Generales iis, quos subsignis habent, militibus Hispaniarum Regem strenuè fortiterque impugnabunt.

Ordinibus insuper Generalibus Inducias cum Hispaniarum Rege inire ac concludere integrum erit, *donec Galliarum Rex arma contra Regem Hispaniarum palam gesserit, exercitumque in Artesiam miserit.*

Serenissimus Rex Ordinesque Generales, postquam bellum adversus Hispanos susceperint, ac deinde Majestas Sua cum Hispaniarum Rege Pacem inierit, eadem Confœderatione summe dictos Ordines Generales comprehendet, iisque Inducias peroptatas conficiet. At si neutra, neque Pax neque Induciæ obtineri potuerint, sive Ordinibus pacem Induciasve accipere haud consultum fuerit, Majestas Sua quamdiu summè dicti Ordines in armis fuerint, bis centena librarum millia quotannis annumerare tenebitur; *quæ nummorum summa, ad majorem securitatem, seu Venetiis seu Londini, prout de eo convenietur, asservabitur.*

De armorum utriusque Partis expeditione ubi uterque exercitus apparatus fuerit, pluribus agetur.

Supradictus Regis Legatus postquam memoratam Declarationem sive Responsionem, à Comite Culenburgensi cæterisque Ordinum Generalium Deputatis ultimo die Decembris traditam perlegisset, majorem in modum ac sæpiuscule rogaverat, ut Præpotentes Ordines Generales in pleniorem Articuli primi explicationem, Sententiam suam pleniùs explicare vellent, atque indicare, *num decrevissent, nullum scilicet cum Rege Galliarum Contractum, nisi interrupto omni cum Hispanis Fœdere, inire?* Insuper autem summe præmemoratus Comes Culenburgensis addiderat, dictum Legatum eodem die visitatum ad se accessisse, & quæ sequuntur, dictasse:

Legatus Regis Galliarum, omnibus iis, quæ exarata à Dominis Deputatis ad se missis, tricesimo die Decembris fuerunt exhibita, cognitis perspectisque, rogat atque obsecrat ut D. D. Ordines Generales Articulum priorem, ubi de Fœdere sive Contractu agitur, paulò plenius

sibi explicare velint; ut, cognitâ perceptaque mente ac voluntate D. D. Ordinum Generalium, eum similter in modum Regis sui Serenissimi sententiam indicare atque explanare pergat, secundùm ea, quæ à se D. D. Ordinibus Gener. per quatuor Articulos demonstrata fuerant; quorum communicatio exarata octavo & vicesimo die Mensis præsentis, facta fuit, quemadmodum etiam dictos Deputatos idem oretenus rogavit atque obsecravit.

Quibus perpensis, visum fuit, ut Fœderum superiorumque Contractuum Propositiones investigarentur.

Quarto die Januarii, Anno 1630. postquam Deputati Ordinum cum Regis Galliæ Legato *Baugio* convenissent, Per-Illustris Comes Culenburgensis cæterique Deputati, annûnciârunt Præpotentium D. D. Ordinum Generalium propositum ac voluntatem esse, *Confœderationem quamcunque, etiam ante dissolutionem Contractuum cum Hispanis, cum Christianissimo Galliarum Rege ineundi, contrahendi & concludendi; Insuperque addiderunt, se à Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus in mandatis accepisse, ut sub interruptionis conditione cum ipso D.* Baugio *porrò agerent.*

Quibus à Domino *Baugio* responsum est, *Se, præter quatuor Articulos, quorum octavo & vicesimo die Decembris Anni proximè elapsi, indicium fecisset, agendi ac transigendi nullâ potestate neque Auctoritate ulteriori munitum esse. Quinetiam, quò tantò diligentius in eâ re Christianissimi Regis Galliarum dignitas Majestasque servaretur, ulteriorem de abscissione cum Hispanis Tractatum per Deputatos ad Regem peragi necesse esse: neque dubitare se, quin omnia, quæ in supradictis Articulis quatuor non comprehensa forent, facile Majestas Sua concessura esset:* Deputatis autem acriùs instantibus, spem omnem ulteriùs secum de ea re agendi sustulit: hoc unum addens, Propositum seu Decretum, utrum *cum Hispanis dissolveretur*, nec ne, sex Septimanis ab initio confirmatoque Fœdere præsenti, D. D. Ordinibus iri traditum: quo trium Mensium intervallo præsens Fœdus concludi ac confirmari posse indicabat.

Finitâ deliberatione quàm humaniter responsum fuit: *Præpotentes D. D. Ordines Generales Gallorum Societatem summo sibi honori semper duxisse:* seque propterea post Fœderis Compendii initi expirationem assiduè operam dedisse, quò illud vel renovari, vel prorogari posset: At vero particulatim dictum Fœdus renovare seu prorogare, Ordinibus Generalibus utpote Reipubl. neque commodum neque consultum visum fuisse, sed in totum & de Fœdere, & Hispanorum abscissione agere voluisse.

Unicè petentes, quandoquidem Dominus *Baugius* nullâ ulteriori agendi potestate munitum se diceret, nihilo minus tamen utriusque conficiendi Negotii potestatem atque Auctoritatem à Christianissimo Rege per Literas peteret.

Nono die Januarii idem ipse à Domino *Rautricio* cæterisque D. D. Ordinum Deputatis iterum iterumque rogabatur, ut & Confœderationem & Hispanorum abscissionem peragendi Potestate muniretur. Insuper etiam ex eodem quæsitum fuit, quod si trium Articulorum priorum (quos vicesimo die Novembris Præpotentium Ordinum Deputatis dictârat) Negotium cum ipso cônficeretur, num eorundem conclusio ac confirmatio firma & perpetua esset futura, licet de Confœderationis ulterioris punctis Articulo quarto expressis neutiquam conveniretur. Quibus ille, nihil sibi præterquam Articulos tres priores quamprimum idque clam peragendi Auctoritatem concessam datamque aiebat; nullum tamen eosdem effectum

ctum consequuturos, antequam Fœdus præsens in Galliâ à Majestate Suâ formulis solennibus confirmatum foret: nulla tamen incommoda iis, utpote priori Fœdere expressis, obventura sperabat. Adhæc cum ipsi incommoditatem longasque moras Deputati ad Regem eâ de causâ mittendi objicerent, utque de iis Hagæ-Com. ageretur, unicè rogarent; Auctoritatem ac potestatem à Christianissimo Rege per Literas petiturum se promisit.

Primo die Februarii Domino *Baugio*, Christianissimi Regis Legato à Dominis D. Noortvicio atque Eiisinga propositum fuit: *Quod si Majestati Suæ Hispaniarum Regem in Provinciis subactis, ad Artesiam Hannoniamque invadere placeret, à Parte D. D. Ordinum Gener. eundem similiter strenuè oppugnatum iri.* Quo cognito, ipse sexto die Februarii Præpot. D. D. Ordinum Deputatis respondit, ac majorem in modum petiit, ut Præpotentes Ordines pollicerentur fidemque darent, *ubi Christianissimus Galliarum Rex ab Hispanis dissolvendo abscessisset, se ingenti cum exercitu Hispanorum Provincias subactas invasuros; Insuper etiam stante bello (Nota) inter Hispaniarum & Galliarum Reges, nullas Inducias Pacemve cum Hispaniarum Rege inituros.* Sed postquam hæc ulteriori examini fuissent subjecta, ea quæ primo die Februarii fuerant proposita, retinere atque urgere decretum fuit.

Quod autem tam tardè hæc à Galliarum Rege peracta fuere, id propter Tractatus cum Hispanis Rosendaliæ institutos, evenit: qui hoc etiam tempore non penitus omittebantur: propterea quod primaria Ordinum Hollandiæ membra summo studio Inducias expetebant. Sed postquam non Provinciæ duntaxat pleræque, verùm etiam Ordinum Hollandiæ plurima membra Induciarum Tractatus dissolverunt, Contractum cum Gallis Fœdusque magis amplectebantur. Quod quidem septimo & decimo die Junii, Anno 1630. ut inferius commemorabitur, initum conflatumque fuit.

Argumentum Renovationis Fœderis, inter Galliarum Regem Christianissimum, atque inter Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Generales, initi.

VNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & singulis, ad quos præsentes pervenerint, Salutem. Constare volumus, septimo & decimo die Iunii Contractum Fœderis Haga-Com. inter Christianissimi Regis Galliæ, Navarræ, &c. Legatum, Dominum Baugium, atque inter Dominos D. Deputatos Nostros, ad id à Nobis Delegatos, initum ac confirmatum esse; cujus Argumentum tale est:

Quandoquidem Christianissimo Regi, Parenti Nostro defuncto (cujus animæ Deus propitius sit) visum fuit, Anno 1608. Fœdus quoddam defendendi ergò cum Fœderati Belgii Provinciarum Ordinibus Generalibus inire, quo Inducias cum Archiducibus componere obstricti obligatique forent, quas tamen summe dicti Ordines, absque firmissimâ Christianissimi Regis Parentis Nostri tutelâ ac defensione, inire ac contrahere noluerunt; atque in eodem expressum fuerit, illud Fœdus defendendi perpetuum inter Nos dictosq; Ordines esse oportere, idque semper Reverendus Noster Parens voluerit, ut à Nostrâ Parte idem similiter Ordinibus confirmaretur ac continuaretur: Idcircò, quò in omnibus Reverendi Parentis ac Domini Nostri vestigia premeremus ejusque voluntatem exequeremur, illud seriò ac sedulò animadvertentes,

quo plus securitatis à Nobis Ordines Generales consequantur, eò minus ejusmodi mediis tranquillitatem Suam quæsituros, quibus nonnunquam Reip. pax & tranquillitas perturbari posset; Insuper etiam Pacis inter omnes Reges Principesque promovendæ cupidi, delegavimus ac deputavimus Dominum Baugium, in Concilio Ordinum Regni Nostri Consiliarium, Nostrumque Legatum Ordinarium in Hollandiâ commorantem; qui vi Auctoritatis & potestatis sibi datæ concessæque (cujus exemplar sub horum finem adjungetur) plurimis conventibus colloquiisque habitis, cum summe dictorum Ordinum Generalium Deputatis vi Auctoritatis & potestatis ipsis datæ concessæque (cujus itidem exemplar Regi tradetur, & sequentibus subjungetur) conclusit, approbavit ac confirmavit Articulos sequentes.

1. Primò omnium, Rex Christianissimus supramemoratis D. D. Ordinibus Generalibus per septennium centies librarum mille, singulis sex Mensibus annumerandum, dono concessurus est, quod si tamdiu adversus eosdem arma, quæ jam geruntur, continuentur: facto initio à primo die Januarii proximè elapsi.

2. A supradicta autem nummorum Summâ, quos Rex Ordinibus Generalibus dono daturus est, singulis Annis quinquaginta librarum millia detrahentur, quibus Legionum Gallicarum Tribunis, Ducibus cæterisque Præfectis per dictum Regis Legatum satisfiet.

3. Quo tempore summe dicti Ordines Generales *nullum Induciarum Pacisve Contractum cum Hostibus sive directè, sive indirectè, inconsulto Rege, component*: Quem in modum etiam à parte Christianissimi Regis nullus cum Hostibus Pacis Contractus in eorundem damnum componetur.

4. Insuper etiam conventum est, ut, si Serenissimo Regi bellum in Regnis Imperiisque inferatur, non nisi mediam dicti auxilii Subsidiique partem conferret, ac, si consultum visumq; fuerit, alteram auxilii Partem Copiis sive ducentorum & sexcentorum vehium navibus impenderet, ad plenam nummorum exsolutionem: Quo quidem tempore de militum stipendiis naviumq; mercede, quæ solito more exsolventur, agetur ac componetur; quorum tamen jam nunc etiam ratio habebitur, locoque Articuli præsenti Fœderi inseretur. Quem in modum quoque summe dicti Ordines nihil prorsus auxilii, neque subsidii neque consilii quidquam adversus Majestatem Suam alteri ferent.

5. Sin eveniat, Majestati navibus ut opus fuerit, quibus Regni Sui ostia defendat, omnemque prorsus impetū oppressionemq; propellat, naves ejusmodi quindecim emere seu locare in Fœderati Belgii Provinciis Regi integrum erit, quâ in re etiam summe dicti Ordines Generales Majestatis Suæ intentioni ac voluntati subventuros se promittunt ac pollicentur, quò dictæ naves solito pretio quamprimum apparentur atque exornentur.

6. Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Generales sex Mensium intervallo cum Serenissimo Rege convenient ac component, de maris Mediterranei parte Occidentali adversus Piratas *Algerienses & Thunetenses* defendendâ, eâque ab omnibus prædas agentibus prorsus liberandâ. Interea autem si in Fœderati Belgii Portibus naves quædam mercesque ab ejusmodi Piratis, Regis Galliarum Subditis direptæ inveniantur, primâ sive per Regis Subditos, Mercatores sive per Legatum petitione institutâ, ab iisdem restituentur.

7. Neque Majestatis, neque Ordinum Generalium Subditis quemcunque Hostilitatis

ſtilitatis actum, vel directè vel indirectè, terrâ marique adverſus ſe invicem inſtituere, licebit: Ordineſque Generales effectum dabunt, ut Subditorum Majeſtatis lites cauſæque Menſium intervallo trium, non ulterius, per Senatus Archithalaſſi Commiſſarios expediantur penituſque conficiantur, poſtquam Majeſtatis Suæ Legatus, ſive ab eadem tali Negotio Præfectus exauditus fuerit. Nihilo minus tamen per ejuſmodi Senatus Commiſſarios lites expedientur, ad quos è navibus mercibuſque dictis, quæ ipſorum ſubmittentur judicio, nihil commodi nihilque utilitatis pervenire queat.

8. At ſi quis dictarum partium Sententiæ à Commiſſariis Senatûs Archithalaſſi latæ Reviſionem, ut vocant, poſtulaverit, jam tum Ordines ſumme memorati alios inſignes Ordine locoque Viros atque Auctoritate in eam rem munitos, ac quorum nihil intereſt deputabunt, ut ſimul cum dictis Senatus Archithalaſſi Commiſſariis idem Negotium cauſamque, omni aliâ Provocatione ulteriore exceptâ, conficiant: Interim verò naves mercesſque ſalvæ ſecuræque committentur cuſtodiæ; adeò ut eaſdem abſque Legati in tempore conſenſu, ſive cum eodem Contractu, vendi neutiquam liceat. Quæ omnia Chriſtianiſſimus Rex Omnibus & Singulis Ordinum Generalium Subditis, quocunque loco ac tempore ſimiliter ſe confecturum pollicetur.

9. In Legionum Gallicarum Tribunis, Ducibus cæteriſque Præfectis eligendis, mos ſolitus obſervabitur.

10. Quod ſi Rex, bello illato, Legiones Gallicas, quas in Fœderati Belgii Provinciis ſub ſignis habiturus eſt, revocare coactus fuerit, Caliſium ſive Diepam uſque navibus ſuis transjici curabunt: eâ tamen lege ac conditione, ſi Inducias Pacemque Ordines conſequuti fuerint.

11. Jus Aubaniæ in omnibus ſuis Punctis utrique Parti ceſſabit; Quapropter etiam Majeſtas Sua omnibus Suis Parliamentis præcipiet, ut ejuſce veniæ ſumme dictis Ordinibus abſque alia cauſæ formulâ, neutrarumque Partium, ſive Neutralitatis literis, faciant copiam; omni dolo ac fraude exceptis.

12. Omnes violentæ Repetitionis literæ ſeu, ut vocant, Repreſſalia, Detentiones & id genus Hoſtilitatis, vi præſentis Fœderis, ceſſabunt; omnibuſque & ſingulis, id quod juſtum & æquum fuerit, conferetur.

13. Vi præſentis Fœderis omnes & ſinguli Partis Utriuſque Subditi firmam, perpetuam & mutuam inter ſe amicitiam ac Societatem colent, commercia libera terrâ marique ac navigationes ſecuras minimeque impeditas inſtituent, bona, quæcunque Ordinum edictis exportari non ſunt prohibita, ement ac vendent; ſic ut non teneantur majora tributa, vectigalia, ſive telonia pro iiſdem, quas in Regna Provinciaſve apportaturi ſunt, mercibus exſolvere, præterquam Regnorum ſive Provinciarum Subditi, cum quibus commercia exercentur, exſolvere conſueverunt.

14. Omnes Contractus, Ligæ & Fœdera cum exteris Principibus, Regibus Rebuſpublicisque à Chriſtianiſſimo Rege Ordinibuſque inita ac confirmata, vim ſuam roburque ſervabunt, præterquam in ejuſmodi clauſulis, Articulis punctiſque quibus præſenti Fœderi quicquam derogabitur.

15. Ordinario Chriſtianiſſimi Regis Legato, Hagæ-Com. in Hollandiâ ac viciſſim,

cissim, Ordinario D. D. Ordinum Generalium Legato in Galliis commoranti omnimoda ac plenissima potestas concedetur, quâ fide optimâ de rebus aliis, quæ navigationibus commerciisque inter Utriusque Partis Subditos inserviunt, agere, decernere ac concludere queant.

Denique præsentis Fœderis, ad septem Annorum spatium, siquidem intereà temporis bellum cum pace non fuerit commutatum, Articuli jam nunc ab Ordinibus Gener. solennibus formulis confirmabuntur, iidemque una cum ratihabitione ad Christianissimum Regem per Legatum suum mittentur, quò dictos Fœderis Articulos itidem solenniter confirmare, atque duorum Mensium intervallo solenniter confirmatos summe præmemoratis D.D. Ordinib. per Legatum suum reddere queat.

Argumentum Auctoritatis à Christianissimo Galliarum Rege Domino *Baugio*, Legato Suo, datæ concessæque.

Ludovicus Dei Gratiâ Galliæ & Navarræ Rex, Omnibus ac Singulis, quibus continget præsentes Literas legere audireve, Salutem. Etiam atque etiam cupientes, ad Christianissimi Regis, defuncti Parentis Nostri (cujus animæ Deus propitius sit) exemplum, servare atque observare Societatem optimam ac Confœderationem, quam cum Fœderati Belgii Ordinibus Generalibus antehac instituit soleuniterque confirmavit; simul autem ejusdem Contractum renovare expetentes, secundùm plurimas atque unicas Ordinum Generalium per Suorum Legatorum petitiones, Nomine locoque D. D. Ordinum Generalium institutas. Quocirca etiam necesse quum sit insignem aliquem Ordine locoque Virum, plenissimâ eam in rem Auctoritate ac potestate munitum delegare, qui de iisdem rebus cum D. D. Ordinibus ageret, constitueret ac decerneret, nullusque commodior ad res supra memoratas exequendum & conficiendum, præter dilectissimum Nostrum ac fidelissimum, in Concilio Ordinum Regni Nostri Consiliarium, Legatum in Hollandia Ordinarium Dominum Baugium, *à Nobis reperiri potuerit, Idque propter singularem fiduciam, quam in Ejusdem fidelitate ac benevolentiâ, quâ Nos Nostrasque res hactenus prosequutus est, inque providâ ejusdem animi circumspectione, & in rebus gerendis experientia cognitam perspectamque habemus. Idcirco ob has aliasque Nos ad id impellentes causas, summe dictum Dominum* Baugium *misimus ac delegavimus; eumque per Literas præsentes propriâ Nostrâ manu subsignatas mittimus ac delegamus, omnimodam & plenissimam potestatem cum summe dictis D. D. Ordinibus Generalibus sive cum iis, queis plenariam ipsi potestatem concesserint, transigendi, decernendi & confirmandi, eosque Nostro Nomine locoque Articulos approbandi, quos præsenti Negotio plurimùm inservire existimabit. Promittentes & verbo Regio spondentes, quæcunque ab Ipso acta, transacta & confirmata fuerint, Ea Nos grata, rata ac firma habituros, Quandoquidem ita placuit. Actum Parisiis, decimo die Decemb. Anno recuperatæ Salutis*, 1629. *Et Regni Nostri vicesimo. Subsignatum erat* Ludovicus. *Pauloque infra* Philippeaux, *duplici serico filo cerâ flavâ obsignatum.*

Argu-

Argumentum Literarum Auctoritatis à Præpotentibus D.D. Ordinibus Generalibus Deputatis Suis concessæ.

VNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales Omnibus & Singulis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Salutem. Postquam in Reip. Nostræ commodum, Serenissimum, Celsissimum & Potentissimum Principem, Ludovicum Dei Gratiâ Galliæ & Navarræ Regem sæpenumero majorem in modum rogari jussimus, ut ad exemplum Reverendi Parentis defuncti, renovare ac conservare vellet pristinam familiaritatem ac Confœderationem, quæ cum ipsius Regno, Statibus ac Subditis Nostris semper intercessit, placuit Majestati Suæ delegare ac deputare Dominum Baugium, in Concilio Ordinum Regni Consiliarium, atque in Hollandiâ Legatum Suum Ordinarium, qui de universo hoc Negotio Nobiscum ageret. Quocirca cum necesse esset nonnullos similiter insignes Ordine locoque Viros Auctoritate eum in finem munitos delegare, qui cum supra dicto Majestatis Suæ Legato D. Baugio agerent; satisque perspectam haberemus fidelitatem, providam animi circumspectionem & rerum gerendarum Experientiam summam Dominorum, D. Rogerii Hugenii, Arnhemensium Civitatis Consulis, D. Nicolai à Boeckhorst, Noortvici ac VVimmeniæ Toparchæ, D. Diderici Bas, Equitis & Civitatis Amstelodamensium Ex-Consulis, D. Simonis Beaumontii, Consiliarii Syndici Civitatis Medio-Burgensium, D. Adriani Ploos, Equitis, Domini in Oudegein, Tienhoven & Geiu, D. Iohannis Veltdriel, I.V. Doctoris, Civitatis Doccensium Ex-Consulis, D. Sweerii ab Haarsolte, Haarsltæ Echteniaque Toparchæ, D. Goessenii Schaffori, Toparchæ in Vithuisen: Hos universos ac singulos elegimus, & potestatem insuper atque Auctoritatem plenissimam per præsentes literas fecimus, cum supradicto Domino Baugio de renovatione ac confirmatione supramemoratæ Confœderationis agendi, decernendi ac concludendi, optima fide Promittentes ac Spondentes, quæcunque à Nostris Legatis hac in re peracta, concessa & promissa fuerint, Nos grata, rata firmâque omnia habituros, neque ullâ ratione sive directâ sive indirectâ esse contraventuros; sed, si opus fuerit, confirmaturos, instrumenta, acta, optimis formulis conscripta daturos. Actum Hagæ-Com. in Concilio Nostro Ordinum, Magno Nostro Sigillo, in cerâ rubeâ expresso, obsignatum, atque à Graphiario Nostro subsignatum, sexto & decimo die Februarii, Anno 1630. Notatum erat S. ab Haarsolte. Pauloque infra, Ex Auctoritate & jussu D.D. Ordinum Generalium. Notatum C. Musch. Magno Sigillo in rubeâ cerâ expresso, & duplici filo serico obsignatum.

In quarum rerum testimonium, Nos supramemorati Vtriusque Partis Legati, vi Auctoritatis ac potestatis Nobis datæ concessæque Dominorum Nostrorum Deputantium Nomine locoque præsentibus subsignavimus, Sigillisque Nostris obsignavimus. Actum Hagæ-Com. septimo & decimo die Iunii, 1630. Notatum erat, D. Baugius, R. Hugenius, Nicolaus à Boeckhorst, D. Bas, Simon à Beaumont, A. Ploos, I. Veltdriel, S. ab Haarsolte, G. Schaffer. Paulò infra Legatorum ac Deputatorum Nomina, Eorundem Sigilla expressa erant.

Argumentum Declarationis à Deputatis Præpotentium D.D. Ordinum Generalium, in primum supramemoratæ Confœderationis Articulum expressæ.

QVandoquidem primo Confœderationis hoc die, cum Domino Baugio Regis Galliarum Christianissimi Legato, ac Fœderati Belgii Ordinum Generalium Deputatis initæ Articulo

ticulo expressum concessumque fuit, Christianissimum Regem scilicet, Ordinibus Generalibus per septennium centies librarum mille annumeraturum. Iccirco supradicti Deputati declarant atque indicant, hoc pacto se illud percepisse atque intellexisse, videlicet, quinquaginta librarum millia, dono similiter à Christianissimo Rege data iri, ad reliqua nummorum summa, vi Compendii initi Fœderis exsolvendæ modum; nisi fortasis summe memoratus Rex per Ordinum Generalium in Galliis commorantem Legatum rogatus, declaverit neutiquam sese plura concessurum esse: Nihilo minus tamen supra dicti Deputati rogant atque obsecrant Dominum Baugium, ut quocunque optimè poterit auxilio officioque Ordinum Generalium in Galliis Legati Residentis petitionibus apud Majestatem Suam succurrere dignetur, quò summe dicta Majestas, absque ulla restrictione primum Confœderationis Articulum ad modum supra dictum expleat. Actum Haga-Com. decimo septimo die Iunii, Anno 1630. Subsignatum erat, R. Huigenius, N. à Boeckhorst, Didericus Bas, Simon à Beaumont, A. Ploos, I. Veltdriel, S. ab Haarsolte, G. Schaffer.

Nos, postquam præsentem Contractum in omnibus & singulis ejusdem punctis & clausulis, una cum Declaratione in primum dicti Contractus Articulum gratam acceptamque habuimus, eundem cum Declaratione jam dicta approbavimus ac confirmavimus, quem in modum etiam per præsentes literas eundem approbamus & confirmamus, Promittentes ac Spondentes eum Nos constanter atque inviolabiter observaturos, neque ullâ, quacunque tandem ratione directâ sive indirectâ esse contraventuros, cum omnium ac singulorum Fœderati Belgii tam præsentium quam futurorum bonorum obstrictione atque obligatione. In cujus rei testimonium præsentes hasce literas Magno Nostro Sigillo, in cerâ rubea expresso insuperque Graphiarii subscriptione muniri curavimus. Datum Haga-Com. secundo die Iunii, Anno 1630. Subsignatum erat, S. ab Haarsolte. Pauloque infra, Ex Auctoritate & jussu D. D. Ordinum Generalium. Notatum erat, Cornelius Musch. Magno Sigillo in cerâ rubeâ, è filo serico duplici dependente obsignatum.

Serenissimi Regis confirmatio exarata erat in Castris, dictis, Sancti Iohannis de Moorinne.

QUemadmodum Tractatus *Compendii* & *Suithamptoniæ* initi, primas, eum admodum etiam præsens cum Gallis Tractatus Induciis pacique secundas injecerunt moras.

In quorum omnium satisfactionem; simul etiam propter Celsissimi Arausionensium Principis Sententiam (*bellum scilicet aut nullum, aut offendendi causa gerendum esse*) hac æstate quidem Copiæ nullæ fuerunt eductæ; nihilominus tamen magnum atque eximium quiddam in proximum Annum propositum decretumque fuit. Brugas videlicet sive Duinkerckam oppugnandi. Huic quidem expeditioni binos exercitus adhibendos esse decretum fuit; unum triginta millium peditum, Equitum quadraginta cohortium; quibus alterutrum expugnaretur oppidum; alterum vero minorem decem millium peditum, Equitum octodecim seu viginti cohortium, quibus oppida ad Rhenum conservarentur. Quem in finem quoque octo sive novem militum millia ad quatuor Ordinibus consuetos Menses conscribere, insuper etiam cum Barone à Gent ac Legionis Tribuno Erentruitero, de trium virorum millium Legione comparanda statutum fuit; quibus pro unoquoque milite conscribendo sex Floreni annumerabantur; ad triginta supra sex Flo-

Florenorum millia. Tertia verò legio à Vendomiæ Comite in Gallia conscriberetur, quod à Cardinali de Richellieu impeditum prohibitumque fuit.

Tanti propositi cœptique eventus alius nullus fuit, nisi quod, licet canalem Brugas inter & Gandavum jam pernavigassent, Hispani tam strenuè fortiterque se defenderent, ut discedere consultum visumque fuerit.

Mense adhuc Julio, Rijnberkam, Venloam seu Bredam oppugnare propositum at non inceptum est: quippe tantis è Germania atque Italiâ Copiis Hispanis subventum fuit, ut cœptum aliquod eximium offendendi ergò instituerent. Sic tamen, ut Johannes Nassavius Comes non exiguum navium, quibus internis fluminibus utimur, aliarumque minorum numerum ex ostio Saftingano, Klundertam Willemstadiumq; insulâ quâdam comprehensum aquis expugnaturus educeret; Insuperque etiam Marchio Sanctæ Crucis ingenti cum Hispanorum exercitu in Princelandiâ Castra poneret, ut hoc modo Hollandia à Zelandiâ sejungeretur. Sed verò quem in modum hujus Status propositum occupandi Brugas, eum in modum etiam Hispanorum dictam Insulam capiendi inceptum, cum maximâ tamen Hispanorum ignominiâ ac detrimento, evanuit: adeo, ut supradictus Johannes Nassavius luto cœnoque obsitus difficulter evaserit.

E suprамemoratis Contractibus, Anno 1622. 24. 29. & 30. super finitimis Principatibus Dominiisque Civiæ, Montium, &c. initis compertum fuit, quantum hoc Negotium ab Utraque Parte tempore belli potuerit; Utriusque enim magni intererat.

Ad ejusdem Negotii continuationem Swartsenburgensis Comes Principio Anni 1634. Hagam-Com. pervenit, ac Serenissimi Principis Electoris Brandenburgensis Nomine locoque præsentes arctioris Fœderis Articulos conclusit.

Argumentum Contractus initi cum Serenissimo Principe Electore Brandenburgensi, Anno 1632. secundo die Aprilis.

Quandoquidem, Anno 1622. inter Serenissimum Principem Elect. Brandenb. ac Præpotentes D. D. Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum Fœdus aliquod defendendi ergò initum conclusumque fuit, ad Serenissimi Principis Electoris Principatus Juliaci, Civiæque Comitatus recuperationem & conservationem; quo Præpot. D. D. Ordines Gen. ad dicti Principatus, Comitatus cæterorumq; Serenissimi Principis Dominiorum recuperationem ac conservationem, auxilium Subsidiumque suum ab unâ, Serenissimus quinetiam Princeps Elector ab alterâ parte, quendam militum numerum, itemq; prædictum alium numerum, si opus fuerit, sumptuum quinetiam Extraordinariorum, qui obsidionibus impendentur, determinatam Partem concesserunt ac promiserunt, prout in suprамemorati Fœderis Articulis, Idemque sequutis Tractatibus latiùs exprimitur.

1. Quem in modum etiam Anno 1629. & 1630. Præpotentium D. D. Ordinum Generalium intercessione Contractus quidam Provisionalis, ut vocant, inter Serenissimum Principem Electorem, atque inter Principem Neoburgensem super Civiæ & Juliaci Principatus & Comitatus, divisione initus ac conclusus est, Proindeque Serenissimus Princeps Elector dictitavit, se non diutius teneri quic-

„ quam supradicto Fœdere concessum præstare, sive militum stipendia, sive obsidionales sumptus extraordinarios persolvendo, utpote quæ omnia vi Fœderis Anno 1629. jamque 1630. initi, cessarunt. Cujus autem contrarium Præpotentes Ordines Generales judicant, existimantes obsidiones quidem earumq; sumptus, similiter etiam eorum Dominiorum recuperationem, quæ in Principis Neoburgensis commodum Partemq; divisa sunt, dehinc ad viginti & quinque Annorum spatium, dicto Fœdere Anni 1629. & 1630. expressum, respectu Serenissimi Principis Electoris, cessare; at nihilo minus tamen in concessorum per divisionem Dominiorum conservationem Copias nonnullas sub signis haberi necesse esse: quinetiam licet Serenissimus Princeps Elector super iisdem Dominiis convenisset, adeo ut quietè & tranquillè jam possideret, attamen, vi supradicti Fœderis, certum militum numerum, quemadmodum in eodem latiùs exprimitur, sub signis habere, obstrictum obligatumque teneri.

„ 2. Quem in finem etiam superiori Anno 1629. uti & 1632. inter Per-Illustrem Dominum D. Comitem Swartsenburgensem, Serenissimi Principis Electoris, ac Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis, qui præsentibus subsignârunt, sigillisque Suis obsignârunt, varii plurimique conventus Tractatusque instituti atque habiti fuerunt.

„ 3. Postremo itaque consensu ac consilio Celsissimi Arausionensium Principis conventum est, ut Serenissimus Princeps Elector Præpotentibus D.D. Ordinibus Gener. ad triennium, à decimo hujus Aprilis die annumerando, singulis Annis, centum supra viginti Florenorum millia, monetâ Batavis receptâ, exsolveret, quindecim Florenorum millia singulis septimanis sex erogando atque in manus illius tradendo, quem Præpotentes D. D. Ordines nummorum receptioni sive Embrici, Rhezæ, sive Vesaliæ præfecturi sunt. Cujus quoque rei gratiâ Serenissimus Princeps Elector à dicto militum numero, quos hactenus Dominus à Gent sub signis habuit, suoque ære exsolvit, prorsus liberabitur: Quapropter etiam Præpotentibus, dicto trium Annorum spatio, è Dominiis ac Principatibus supra memoratis nihil, præterquam quod sequitur, competet.

„ Utrum verò Serenissimus Princeps Elector, post triennii jam memorati exspirationem, ad ulteriorem tantæ Summæ seu militum stipendii exsolutionem vi supradicti Fœderis obstrictus obligatusque fuerit, illud ante triennii exspirationem per Compromissum, ut vocant, unius è sequentium Regum, Eorumve Legatorum, nimirum, vel Regis Galliæ, Britanniæ, vel Sueciæ judicio atque arbitrio, in quorum judicio utraque Pars mutuo consensu acquiescere poterit, nisi prius cum bonâ gratiâ compositum fuerit: quicquid autem à selecto Arbitro dicti Compromissi successu pronunciatum fuerit, illud ab utraque Parte observandum veniet: Fœdere tamen Anno 1622. inito, vim ac robur suum in omnibus Articulis punctisque retinente.

„ 4. Porrò autem, quandoquidem Præpotentes D. D. Ordin. centies mille Imperialium causa, in Serenissimi Principis Electoris usum fidem suam obstrinxerunt, deindeque Anno 1624. ac rursus Anno 1629. variis modis actum fuit, nec quidquam effecti obtinuit; Idcirco eâ etiam de re actum & conventum est, ut Serenissimus Princeps Elector supradictam centies mille Imperialium Summam,

simul

simul cum versurâ, insuper etiam versuræ annuam versuram, quæ interim dictæ exsolutioni impendi debuerunt, in sese atque in Dominia sibi assignata reciperet: adeo ut supradicta centies mille Imperialium Summa cum exsolvendâ versurâ Ejusdemque versurâ annuâ, juxta mercedem sequestram, quæque dehinc exsolventur seu exsolvendæ venient, æqualibus Partibus singulis Annis subsequentibus annumerandæ sint, facto exsolutionis initio à decimo hujus Aprilis die.

5. Quinetiam Serenissimus Princeps Elector in sese recipiet exsolutionem reliquæ pecuniæ annumerandæ Domino à Gent, Copiisque (quas ipse hactenus sub signis habuit) peditum scilicet cohortibus duodecim, uni verò equitum; quæque insuper post summæ exsolutionem, secundum hujus Reip. instituta, ad decimum usque Aprilis, jam currentis, diem summe-dicto Domino Ejusdemque Copiis, quotquot assiduè sub signis fuerint, competere reperietur; quapropter etiam ratio Summæ universa, absque ullâ interruptione seu omissione absolvetur. At si præter spem & opinionem èveniat, ut in dictam Summam dubia quædam moveantur, ab Ejusmodi, quorum neutrarum Partium studio animi fuerint disturbati, expedientur ac conficientur; Quorum tamen Arbitri ab utraque Parte deligentur, si ejusmodi dissidia oboriantur; eâ lege quidem ac conditione, ut arbitri è Cliviæ seu Fœderati Belgii incolis eligantur; & quæ oborta fuerint dubia, post sui electionem, unius Mensis intervallo expediânt conficiantque, nisi forte rei difficultas plus decidendi temporis exigat: Quinetiam si inter se Arbitri convenire nequeant, sententiarum multitudine æquali, sed si neque id fieri possit, forte Supremum Arbitrum eligant. Interim tamen supra dictæ Summæ detrahetur, quodcunque jam memoratis Copiis vicesimo die Julii, Anno 1630. ad decimum Aprilis 1631. è tributis Cliviensibus fuerit exsolutum. Insuper etiam conventum concessumquè est, hanc submissionem litisque per eligendos Arbitros adhibendam decisionem, respectu aliorum, quorumcunquè tandem, non ulteriùs latiùsque se porrecturam.

Quum autem summè dictus Dominus à Gent, & quas sub signis habet Copiæ, stipendiis summopere hoc tempore indigeant, concessum est, ut Serenissimus Princeps Elector mox à præsentium conclusione supra memorato Domino à Gent Ejusdemque Ducibus Præfectisque pro equitum peditumque cohortibus, duorum Mensium stipendia, quæ exsolvenda ipsis veniunt, in Summæ deductionem annumeraret.

6. Qua de causa etiam Præpotentes D.D. Ordines Generales fidem dederunt, Se Principi Serenissimo Cliviæ cæterorumque Principatuum omnia & singula eorundem oppida, quæ Præpotentium D.D. Ordinum Generalium milite Præsidiario aut jam tenentur, aut dehinc expugnari poterunt, Celsitudinis Suæ Imperio, Jurisdictionibus, Privilegiis, insuper etiam Neutralitati Suæ permissuros ac reddituros, neque iisdem tributa, vectigalia, vel ejusmodi onera, præterquam ea quæ Embricum, Rheza ac Vesaliâ, vi superiorum Contractuum & Recessuum jam promiserunt, esse imperaturos. Quinetiam Præpotentes D. D. Ordines Generales eosdem Principis Serenissimi Comitatus, Principatus, &c. quantum fieri poterit, adversus quemcunque propugnaturos & conservaturos, ac si quis Onera, Tributa, sive ejusmodi imperare eademq; exactionibus extorquere conatus fuerit,

 pro-

propulsaturos esse promiserunt, seque ab exercitus sui transitu militumque metatis, secundùm superiorem Anni 1622. Contractum, prorsus liberaturos.

7. Nullas quinctiam Retorsiones, ut vocant, in Principatibus, Comitatibus, seu quæcunque in divisione Serenissimo Principi attributa fuere, Præpotentibus D. D. Ordinibus instituere licebit, si fortasse Celsitudo Sua, ejusdemque Subditi Præpotentium Hostibus pecunias dare coacti fuerint; hoc tamen sibi Præpotentes D. D. Ordines salvum atque integrum voluerunt, ut sibi Retorsiones, extra Celsitudinis Suæ dominia divisione acquisita, instituere liceret. Si verò Celsitudinis Suæ Subditi quicquam Hostibus volentes dederint, tantundem Præpotentibus ab iisdem exsolutum, aut alioquin Retorsiones ejusmodi institutas iri permissum concessumque foret.

8. Insuper etiam Præpotentes D. D. Ordines Generales, quod si à Serenissimo Principe rogati fuerint, operam dabunt, quò optimis quibuscunque mediis, quæque à Celsitudine sua proposita fuerint, supradicti nùmmi in Præpotentium D.D. Ordinum exsolutionem, è Serenissimi Principis jurisdictionibus dominiisque ad eorundem excusationem, exigantur; Eâ lege tamen ac conditione, ut, si vel casu vel alio quovis modo Præpotentibus D. D. Ordinibus supradictum Auxilium ferentibus, jam memorati nummi non tam maturè quam quidem prædictum fuerit exsolventur, Serenissimus Princeps nihilominus præfatam nummorum Summam Præpotentibus diligenter confecturus sit.

Tertiò, quandoquidem Serenissimus Princeps Neoburgensis, vi Contractùs Provisionalis Anno 1629. & 1630. initi, ad pleniorem Præpotentium D. D. Ordinum satisfactionem pervenire queat, à Serenissimo Principe Electore triennii, jam proximè elapsi, spatio sibi persolvenda stipulatus fuit, ut è Juliaci Principatu, centies Imperialium mille, è principatu Montium, sexaginta Imperialium millia. Eum in modum etiam Serenissimus Princeps Elector è Ravensbergi Comitatu, qui Principi Neoburgensi in communione fuit concessus, decem Imperialium millia, atque è Ravesteinii ditione sex Imperialium millia, à Neoburgensi Principe stipulatus fuit. Idcirco Præpotentes D. D. Ordines Generales, hac etiam in parte Serenissimo Principi Electori, quoad ejus commode poterit, opem auxiliumque laturi sunt, quo Celsitudo Sua plenissimam nummorum Summam, absque ullâ dilatione consequatur. Sic tamen ne plenissima exsolutio trecentorum & sexaginta millium Florenorum, itemque centies mille Imperialium, unà cum dictæ summæ versurâ, ut supra memoratum est, cumque adhuc solvendis stipendiis, per intempestivam totius Summæ, à Serenissimo Principe Neoburgensi exsolvendæ annumerationem, neutiquam differatur.

10. Si denique Serenissimus Princeps Elector Ejusdemque Principatus, Comitatus ac Ditiones, à quopiam præter opinionem, propter Contractum præsentem, atque antehac initam Confœderationem, hostiliter invaderentur, iisque damni aliquid inferretur, quantum fieri poterit, adversus ejusmodi Hostes Præpotentes D. D. Ordin. Generales protectionem ac defensionem suscepturi sunt.

Quapropter ab utraque Parte, Articuli punctaque constanter atque inviolabiliter observabuntur: in quem etiam finem præsentis Contractùs exemplaria bina sunt conscripta, atq; ab Illustr. D. Comite Swartsenburgensi, ut Serenissimi Principis

cipis Electoris Legato ab unâ, & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputatis ab altera Parte manu sigilloque obsignata sunt; Utriusque insuper Partis Deputati promittunt spondentque, se à D. D. suis Deputantibus in præsentes Articulos approbationem ac confirmationem, quatuor Mensium intervallo, traditu-ros esse. Actum Hagæ-Com. secundo die Aprilis, Anno 1632. ,, ,, ,, ,,

Adami Comitis Swartsenburgensis. Florentii Comitis Culenburgensis. Nicolai à Bouckhorst. Adriani Pauw. Simonis à Beaumont. A. Ploos. P. à Walta. S. ab Haarsolte. G. Schafferi. manu Sigillisque obsignatum.

Argumentum tertiæ Induciarum Pacisve Tractationis, Anno 1632. institutæ.

IN Tractatus hujusce principio, quam citò matureque Tractatus cum Domino Peckio Cancellario solutus succisusque fuerit, commemoravimus. Rosendaliensis autem à Domino Marquettæ occeptus plus sui rumorem concitavit, ac diutius hæsit. At verò, Anno 1632. de Pace sive Induciis solenniter satis, atque in principio spe maximâ, eventu autem cum ingenti Hispanorum damno, Eorumque ex universo Belgio expulsione apparenti, actum fuit. Quæ tamen Hispanorum expulsio ab iis maxime (licet inscienter atque imprudenter) qui eandem præ cæteris maximopere expetebant, interpellata prorsusque impedita fuit. Nimirum à Galliarum Rege, ac Provinciarum quarundam Ordinibus, qui *Trajecti ad Mosam* tam brevi temporis spatio Pacem Induciasve confirmatas iri nolebant, verùm iisdem moràs injiciebant, Hispanisque tantum temporis concedebant, ut res suas instaurare cómmodè possent: quò tandem evenit, ut Gallis se arctiùs, quàm dudum, obstringere atque obligare Fœderati Belgii Ordines cogerentur.

Jam principio Anni 1632 familiaritas quædam cum primariis nonnullis à Parte Hostium colebatur: qui nihilo minus Reipubl. Nostræ commodum expetebant. Ac quamvis Mense Martio propositum decretumque fuerat, Antverpiam obsidere, tamen memorati jam Primarii, consilio Ordinum indicato, nonnullas eam in rem incommoditates attulerunt, ac satius esse existimârunt, exercitum D. D. Ordinum secundum Mosam, in Hostium agrum adduci, quò tantò majus ipsis ab eâ parte per arma, perque amicos ac familiares nonnullos domesticos, detrimentum inferri posset; quorum consilio evenit, ut superioris Gelriæ partis occupatio fuerit proposita; quo tantò commodiùs Præpotentes Ordines, hoc si ex sententiâ excidisset, intimam ab Hostibus subactarum Provinciarum principalium partem exercitu penetrare possent: Insuper etiam, postquam ab iisdem denunciatum esset, cohortes nonnullas equitum peditumque Hispanorum pretio ad defectionem adduci posse; ac nonnullas civitates, viros quinetiam loco atque Ordine insignes, imperio Hispanorum subjectos, servitutem ac tyrannidem Hispanicam à cervicibus suis discutere velle, si videlicet Præpotentes Ordines Generales promitterent fidemque darent, ejusmodi Civitates earumque Subditos tum Clericos tum Laicos, uti etiam viros dictos, ipsorumque amicos ac familiares, *pristina privilegia, jura, bona omnia, ac denique exercitium Religionis*, quem in modum jam nunc iisdem fruuntur, liberè secureque servaturos, seque insuper honorariis benefi-

ciiſque Provinciarum, Civitatum & Ditionum, quæ caperentur, vaſtarentur, ſeu redigerentur, quinetiam ipſis Provinciarum reditibus boniſque publicis adauctos & collocupletatos iri. Quapropter Celſiſsimus Arauſionenſium Princeps, ut Ejuſmodi Viris, quæcunque petiiſſent, promitteret fidemque daret, ſimul etiam per Literas Eoſdem adhortaretur, ut ingentem equitum peditumque Hoſtium copiam ad defectionem ſollicitarent, rogatus fuit. In quem finem etiam celerrimè *trecentorum millium Florenorum* Summa confecta atque apparata fuit, quæ partim Venloam, partim Caletum clam ablata fuit. Declaratio quinetiam omnibus & ſingulis Provinciarum. Civitatumque Hiſpanorum Imperio obtemperantium Subditis Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Nomine ac titulo decreta fuit: prout eadem, viceſimo ſecundo die Maji divulgata, ſequentibus inſeretur.

Quæcunque à Nobis jam memorata ſunt, inſuper etiam *Trajecti ad Moſam* expugnatio tantum potuere, ut Sereniſsima Infans Vidua, Conciliumque, quod eſt Bruxellis, Hiſpanicum, Tractationem cum Præpotentibus D. D. Ordinibus inſtituere decreverint; ac primum quidem Dominum Philippum de Roy, Hagam-Com. delegaverint, cum mandatis de aggere Kouenſteinienſi, antehac interſciſſo, jam nunc replendò agendi, deque agris eodem comprehenſis conveniendi.

Quo prætextu cum Arauſionenſium Principe, jam tum adhuc in Caſtris prope *Trajectum ad Moſam* aliquamdiu commorante, nonnullis ſermonibus per horas aliquot habitis, tantum Celſitudini ſuæ indicatum fuit, ut, ſubactarum Provinciarum *defectionis voluntariæ* ſpe amiſsâ, conſilium, quod priùs de ulteriore in Hoſtium agros irruptione ceperat, relinqueret, atque ea quæ à ſupradicto Domino Philippo de Roy offerebantur, apertis propitiiſque auribus acciperet. At verò, quò melius omnia cognita perſpectaque haberet, Dominum Heenvlitium Bruxellas miſit, qui carrucâ ſuâ cum universâ familiâ, ſalvi cujuſdam Neutralitatis conductus beneficio, ſimul etiam cum ſupradicto Domino Philippo de Roy eò adveniens, nihil quidquam ad defectionem attinere comperit, neque ejuſmodi ſubactarum Provinciarum Ordin. quicquam in animum induxiſſe, quod Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps eventurum hactenus ſperaverat. Quo Celſitudini ſuæ per literas Domini Heenvlitii indicato; ſimul quoq; à D. Philippo de Roy, tum Infanti Archiduci, tum Mechlinienſi *Archiepiſcopo*, tanquam Ordinum Generalium Supremo, quo in loco res & fortunæ ſuæ eſſent ſitæ, expoſito, neque Celſiſſimum Arauſionenſium Principem, niſi cum Provinciarum Ordinibus Generalibus agere velle, relato, omnibus fere modis excogitatum ac propoſitum fuit, quibus ſine *Regis Offenſione, Ejuſdemque Majeſtatis* conſervatione, ejuſmodi Delegatio inſtitui poſſet. Poſtremò autem Anni 1601. exemplum propoſitum fuit; ad quod Infans Archidux Provinciarum ſubactarum Ordinum Generalium Comitia Bruxellis permiſit. Inſuper etiam per D. D. Ducem Aareſcotum, Literis decimo ſeptimo Septemb. exaratis, à Celſiſſimo Arauſionenſium Principe Salvum Conductum nonnullis è Concilio Ordinum Bruxellis congregatorum Deputatis peti ac rogari mandavit: quo dato miſſoque paulo poſt Dynaſta Swartſenburgenſis, Dominus Hellebus, ac Syndicus Nobilis Dominus (dictus *Edelbeer*) Deputati à Provinciarum ſubactarum Ordinibus Generalibus Bruxellis congregatis, *Trajectum ad Moſam* pervenerunt, atque Arauſionenſium Principi & Fœderati Belgii Præ-

Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputatis proposuerunt; *Sibi nimirum ab alterius Partis Ordinibus mandatum præceptumque fuisse, ut quid hujusce Partis Ordines animi de Tractatione haberent, pernoscere, simul autem quibus modis tanto ac tam diuturno inter Provincias Bello finis praoptatus invenire atque excogitare possent: Proindeque si harum Provinciarum Ordines Tractationi mediisque negotio conficiendo inservientibus annuerent, ut D. D. Deputantes plures ac pleniori Auctoritate Viros delegarent, qui Negotium capesserent.*

Hanc ob rem etiam Nonnulli Præpot. D. D. Ordinum Deputati, tum quoque cum Arausionensium Principe in Castris commorantes, & Celsissimi Principis & Collegarum Suorum consensu ac potestate, varia ac plurima cum dictis alterius Partis Legatis disseruerunt, unde sequentes Articuli propositi fuerunt, qui propterea exarabantur, ut utriusque Partis Deputantibus traderentur, Eorumque sententia super iisdem pernosceretur. Ipsique decimo die Octobris, Auctoritate mandatisque munitis *Trajectum ad Mosam* reverterentur. Articuli verò hujusmodi fuerunt:

1. Ut per Tractationem inter utriusque Partis Provinciarum Ordines Induciæ, Anno 1609. cum Hispaniarum Rege initæ, cum omnibus suis clausulis punctisque observarentur. „ „ „

2. Ordines Provinciarum Hispaniarum Regis Imperio obtemperantium, promitterent fidemque darent, se omnia & singula dicti Induciarum Contractus puncta Articulosque in eodem à Rege Hispaniarum concessa ac promissa, præstituros esse seque effecturos, ut Fœderati Belgii Ordines, Subditos atque Incolas perfectissimum eorum omnium ac singulorum usum fructumque perciperent. „ „ „ „ „

3. Ut inter *omnium Provinciarum Ordines Fœdus* aliquod firmum contraheretur, quo se mutuo obstringerent atque obligarent, ad dictum Contractum in omnibus ac singulis suis Punctis adversus quemcunque violatorem & transgressorem, strenuè fortiterque defendendum ac propugnandum. „ „ „

4. Insuper etiam supradicti Ordines per ejusmodi *Fœdus* se mutuo obligarent ad libertatem & jura quæcunq; sua defendenda ac propugnanda, adversus unumquemque seu defensivè, seu offensivè, qui universi Belgii Provincias, sive earundem unam invadere, seu vim inferre conaretur. „ „ „ „ „

5. *Omnes ac singulæ Hispanorum Copiæ*, utpote armis studentes, Pacis publicæ & tranquillitatis ergò, è Belgio Universo, Ejusque omnibus ac singulis Provinciis *educerentur* nullæque in easdem seu Portus earundem introducerentur. „ „ „

6. *Arces & propugnacula diruerentur*, aut saltem mœnibus suis exuerentur, soloque adæquata, urbibus objacentia paterent. „

7. Omnes Provinciarum Ordinum Copiæ equestres, pedestres, & terrâ marique militantes, quas dicti Ordines ad Provinciarum Suarum Pacem ac securitatem conservandam necessarias esse existimarent, Omnes ac singulæ solis Ordinibus, non autem aliis, jurarent; Eorumque Nomine ac titulo conscriberentur & exsolverentur; omnes denique Copiarum Duces iisdem Ordin. subjicerentur. „ „ „ „ „

8. Ad omnimodam contra quascunque invasiones Hostiumque irruptiones securitatem, in primariis Flandriæ oppidis maritimis militum quorundam præsidium collocaretur, ac communi consensu ejusmodi ordo atque administratio ab „ „ „

Omni-

„ Omnibus ac singulis Belgii Provinciis institueretur, ut absque communi Ordi-
„ num consensu non alias Copias in dictis Flandriæ oppidis Portibusve collocari
„ liceret.

„ 9. Nonnulla oppida ac propugnacula, ob bonum publicum, silentio trans-
„ missa, milite præsidiario liberarentur; insuperque à Rege Hispaniarum Neu-
„ trarum Partium, vulgò Neutrales, declararentur, Eorumque aliquot Præpoten-
„ tibus D. D. Ordinibus traderentur.

Quos supra commemoravi Articulos, ad omnes Provincias per Deputatos Præpotentium D. D. Ordinum dimittebantur, quò Eorundem Deputati plenissimâ Auctoritate muniti, tanti ponderis Negotio interessent.

Primum autem propositum fuit *Trajecti ad Mosam* (quo præter tres illos jam supra dictos, septem insuper alii partis alterius Legati, *Mechliniensis sc. Archiepiscopus, Sancti Vaezii Abbas, Aarescoti & Marcæ Dux, Brugarum Syndicus, Dansermontii Dominus nomine locoque Hannoniæ, Rouvetius Scabinus oppidi Namurci, & Broide Syndicus Duacensium* Civitatis) rem omnem confecturi pervenerant; idque ob plurimas rationes, quàm fieri posset celerrimè, partim, ut, Copiis etiamnum in Castris commorantibus, tantò major Hostibus metus incuteretur; partim etiam, ne tanti momenti Negotium, Hagam-Com. perlatum, plurimorumque Capitum judicio permissum, per longas, ut postmodum apparuit, moras tandem evanesceret.

Intereà autem Præpotentes Ordines Dominum Teresteinium & Dominum ab Haarsolte *Trajectum ad Mosam* miserunt; qui alterius Partis Deputatis congratularentur, Eosdemque conversatione colloquiisque tamdiu detinerent: Insuper etiam Celsissimum Arausionensium Principem, quousque res perducta, neque à Zelandis, Frisiis, Groningensium Civitate, atque Ommelandia hactenus quicquam decretum foret, reliquis autem conventui Trajectensi interesse cupientibus, certiorem redderent: sexto itaque die Novembris, quæ gesta erant, retulerunt:

Se, Dominum videlicet Tersteinium, Dominum ab Haarsolte, & Dominum Quæstorem Goch, postquam Hagam-Com. discessissent, haud multo post in Castra Trajectensia advenisse, ac Celsissimo Arausionensium Principi, Ordinum Præpotentium decimo sexto & decimo octavo die Octobris proximè elapsi consilium super memoratâ Tractatatione à parte Hostium oblata statim indicasse, deindeque secundùm dictum Præpotentium mandatum alterius Partis Deputatis *congratulatos fuisse & plurimis ac variis sermonibus colloquiisque detinuisse*, ab omni tamen negotii dicti Tractatione abstinuisse, atque illud duntaxat dixisse, Præpotentes videlicet Ordines Generales, Hagæ-Com. ad id operam dare, quò brevi temporis spatio *plures* eum in finem *Deputatos* mitterent. Atque isthoc pacto mandati terminos neutiquam fuisse transgressos, neque de *Tractatione, neque de initio, multo autem minus de Ejusdem subjecto quidquam retulisse.* Eaq; de causa alterius Partis Deputatos majorem in modū demiratos fuisse propterea quod nihil sibi ulterius fuisset expositum, atque ex eo quod antehac indicatum fuisset, nihil quicquam certi Deputantibus rescribi posset, *quando sc. ac quo tempore supra memorata Tractatio* initium caperet; quocirca etiam atque etiam petiisse, ut certum aliquod ac definitum tempus

pus constitueretur, quo Præpotentium D. D. Ordinum Deputati adessent; ut, eo cognito, Deputantes hanc ob causam Bruxellis commorantes, per literas, quæ hactenus gesta erant, certiores reddi possent: *quibus se respondisse dixerunt, nihil rei istius certi quicquam desiniri posse, quando scilicet aut quo tempore Tractationem Nostri auspicarentur; Eamque fortaßis breviβimè inciperent, vel paulo longius differrent.*

Haud multo post Celsissimus Arausionensium Princeps, Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis convenire jussis, exposuit *Se quidem Tractationem sub armorum copiarumq; Nostrarum formidine inceptam breviterque confectam majorem semper in modum expetiisse, illud autem, quum aliter jam nunc fieri non posset, quid de exercitu fieri vellent, Præpotentibus D. D. Ordin. deliberandum esse, militum haud exiguum numerum, peste aliisque morbis afflictum, indies magis magisque absumi.* Quam ob rem Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis, Celsissimo Principe Arausionensium præsente, Castra mota ac dimissa iri decreverunt, quibus secundo istius Mensis die motis, Copiisque trans Mosam Ruremundam versus perductis, qui peste morboque alio correpti erant (quorum numerus quatuor millia & quingentos explebat) navibus inde, quæ Mosam navigant, in Confœderatas Belgii Provincias advecti fuere.

Insuper etiam à supra memoratis Dominis, D. Teresteinio, & D. ab Haarsolte relatum fuit, se juxta Præpotent. D. D. Ordinum mandatum, Celsissimi Arausionensium Principis cæterorumque Dominorum Deputatorum judicio reliquisse, num loci aut Negotii necessitas *aliam, præter Trajectensem, Tractationem postularet, propterea quod oppidum illud peste aliisque morbis infectum, insuper etiam à Bruxellensi, ac similiter à Præpotent. D. D. Ordinum Concilio longißimè esset dißitum*; quocirca communi utriusq; Partis, nec non Celsissimi Arausionensium Principis consilio ac consensu *Sylvam-Ducis* decretam & constitutã fuisse: Eò tamen alterius Partis Legatos absque Deputantium Suorum veniâ descendere recusasse; eaque de causa Syndicum D. *Edel-Heer*, ad Ordinum Concilium delegasse. Qui quidem ante Præpotentium D. D. Ordinum Deputatorum discessum nondum reversus fuerat, interim tamen alterius partis Deputatos à Concilio Ordinum Suorum literas accepisse, loci sc. Sylvæ-Ducis ad tractandum commutationem sibi maximopere placere: Quocirca etiam Dominum Aarnhemium cum Domino vander Meer Trajecti mansisse, alterius Partis Deputatis sermonibus detinendi caussa, eorumque nonnullos Leodium se conferre, contagionem Trajectensem, sibique exinde malum eventurum vitandi ergo, in animum sibi induxisse: se verò majorem in modum rogasse, ut iis, quæ hactenus fuissent gesta, atque Tractationi, utrum *Trajecti* ad *Mosam* initium caperet, tanto studio incumbere vellent, quantum Provinciarum commodum dignitatemque postulare arbitrarentur.

Deinde autem Dominus Teresteinius, semotis aliis, Præpotentibus D. D. Ordinibus Literas quasdam à Celsissimo Arausionensium Principe exaratas tradidit, quibus indicabat, Cives domum revocari tutò licere, Stipendiarios duntaxat ad tempus aliquod sub signis retinendo: Quibus omnibus perpensis, Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis, pro tanto, labore molestiaque uti etiam pro horum omnium relatione, summas gratias agere, & quod reliqua perpendenda, ex ipsa relatione oborta, attinet, eorundem (Civium revocatione exceptâ) deliberationem quamprimum instituere Præpotentes D. D. Ordines decreverunt.

O Quem

Quem in finem etiam rogati ac deputati fuere Domini, D. Heemstedius, D. Vosbergius, D. Weede, ad Ordinem modumque excogitandum, secundùm quem dicta *Civium Revocatio* institueretur, milites insuper Ordinarii cum civibus commutarentur, inque urbium stationibus locarentur; omnia denique in pristinum locum restituerentur; & quæcunque à supradictis Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis acta & transacta forent, hoc æque ac illo tempore grata rataque haberentur.

Ut autem partim apud exteros Reges Principesque, partim in Hollandia residentium Legatorum querelis jam propositis & adhuc proponendis satisfieret, Præpotentium D. D. Ordinum in Galliis commoranti Legato, officio suo apud Regem fungi majorem in modum mandatum præceptumque fuit. Idque secundùm sequens Literarum ab Ordinib. missarum Argumentum:

Fœderati Belgii Ordines Generales,

„ NObilissime, Strenuissime & majorem in modum Nobis Dilecte, neutiquam „ dubitamus, quin multi inter Aulicos rumorum & sermonum varia *super Tra-* „ *ctatione Nobis ab alterius Partis Ordinibus oblata*, sparsuri sint; unde varios etiam ser- „ mones haberi necesse sit, ac Nostræ Reip. malevoli omnia apud Serenissimum „ Regem nefariè traducere ac Majestati Suæ perverse eadem explicare possint, quod „ hactenus omni studio, curâ ac diligentiâ præcavere operam dedimus atque etiam- „ num damus: Quocirca etiam non abs re fore existimavimus Amplitudini Vestræ „ hisce literis præcipere ac mandare, ut summè dictæ Majestati Suæ *Nostram in Ean-* „ *dem Subditosque voluntatem ac benevolentiam persuadeas*, quandoquidem nulla res no- „ bis magis cordi esse potuerit, quàm ut Majestati Suæ placeamus Ejusdemque ani- „ mum Singularem in Nos retineamus, eâ lege tamen, *ut neque directè, neque indirectè* „ *cum Hostibus Nostris Pacem Induciasve inscio atque inconsulto Rege simus contracturi.* Idque „ vi Articuli tertii superioris Fœderis, quo Statum Nostrum Majestati Suæ conde- „ corare placuit: Neque minus Nos confidere, quin summe dicta Majestas Sua ejus- „ dem Fœderis effectum Nos consequi permissura sit. Atque ut omni ex parte Rex „ Serenissimus de Tractatione oblatâ tantò certior esse possit, Indicabis quod vice- „ simo secundo die Maji atque undecimo Septembris proximè elapsi à Nobis De- „ claratio quædam (cujus exemplar additum est) emanârit, quâ subactarum Pro- „ vinciarum Ordines ac Subditi majorem in modum à Nobis rogantur atque ad- „ monentur, ut se gravissimo Hispanorum jugo eximant prorsusque liberent, seque „ reliquis Provinciis Confœderatis adjungant, Illustr. ac Nobiliss. Dux Aarescoti, „ jussu & mandato D. D. Ordinum Provinciarum Hispaniarum Regis imperio sub- „ jectarum, literis, quas septimo & decimo die Septembris ad Celsissimum Arausio- „ nensium Principem in Castris Trajectensibus misit, rogavit Salvum Conductum „ hisce tribus Dominis, Domino Baroni Swartsenburgensi, Domino Hellebo, „ & Domino Jacobo *Edel-Heer*, Antverpiensium Civitatis Syndico; quo haud „ exigui momenti Negotium quoddam exponerent; qua de causa etiam alterius par- „ tis Domini memorati in Castra Trajectensia pervenientes, coram Celsissimo „ Arausionensium Principe, Nostrisque Deputatis exposuerunt, *Se in mandatis acce-*

pisse

pisse à Dominis suis Deputantibus, ut Nostrum de Tractatione ineundâ animum cognoscerent, ,, *deque mediis excogitandis, quibus tandem funesto huic & diuturno Provinciarum bello finis* ,, *imponi posset; quibus si annueremus, plures ad negotium conficiendum Deputatos mitteremus.* ,, De cujus Negotii variis ac diversis sermonibus ultrò citròque Trajecti ad Mosam ,, habitis, Articuli inde nonnulli literis exarati fuere, qui utriusque partis Depu- ,, tantibus traderentur, Eorumque super iis sententia intelligeretur: quibus factis, ,, alterius Partis Deputati ad suos discesserunt. Nosque rem, utpote haud exigui ,, ponderis, singularium Provinciarum Ordinibus indicare necesse habuimus, quo ,, Eorundem animum ac voluntatem perciperemus, sine quâ in re tantâ ac tam dif- ,, ficili nihil quidquam agi aut transigi potest: adeò ut nihil adhuc certi de supra- ,, memoratâ Tractatione peractum sit, neque peragi potuerit; interim tamen plu- ,, res, decem scilicet alterius Partis Deputati Trajectum ad Mosam pervenerunt, ,, quique ibidem loci multum temporis absque ulteriore Tractatione commorati ,, fuerunt, atque etiamnum commorantur; quapropter Nobis existimantibus ne- ,, que *summe dictorum alterius Partis Deputatorum gravitati, neque Status Nostri dignitati* ,, *convenire*, neque hoc Anni tempore Trajectensium Civitatem, si fortassis Fœde- ,, rati Belgii Provinciarum Ordines Tractationi oblatæ annuerent, commodum at- ,, que opportunum esse, visum consultumque fuit eundem cum Nostro Hagien- ,, sium loco commutare; qua de causa etiam Salvum Conductum supradictis Do- ,, minis concessimus, quo liberè securèque Trajecto ad Mosam, Sylvam-Ducis in- ,, deque Hagam-Comitis pervenirent, ut quid tempus ferret intelligeretur, sic ta- ,, men ut nihil certi quidquam in eâ re hactenus transactum, neque dehinc, Serenis- ,, simo Rege inscio atque inconsulto, transigendum sit. Hoc ut sibi Majestas Sua per- ,, suasum habeat, petimus. At si bellum optimis honestissimisque conditionibus ,, cum pace commutare Nobis liceat, ut sapientissimi sui Consilii Nos participes fa- ,, ciat, etiam atque etiam rogamus; ad quod pro Majestatis Suæ dignitate ac reve- ,, rentia animos Nostros sumus adversuri. Quapropter etiam Amplitudo vestra, ,, quæcunque summe dictæ Majestati Suæ *proposuerit*, quæque ab Eadem tibi sive ,, verbis, sive litteris fuerint reddita, eorum Nos statim per literas faciet certiores; ,, quandoquidem Reip. Nostræ haud parvi interest. Quod facturam Amplitudinem ,, vestram confidentes, Eandem Divini Numinis auxilio committimus. Dabantur, ,, Hagæ-Com. octavo & decimo die Novembris, Anno 1632. ,,

Prolabente itaque tempore, Tractationem Hagam-Com. transferri decre- tum est.

Antequam verò Deputati Hagam-Com. pervenissent, Regis Galliarum Legatus ad colloquium admissus fuit. Qui proposuit, Præpotentes D. D. Ordines Generales, vi Articuli tertii superioris Fœderis, Anno 1630. cum Majestate Suâ initi, promisisse, *Se, septennii sequentis intervallo Induciarum Pacisve Contractum nullum, inscio atque inconsulto Rege Suo inituros esse. Quocirca etiam atque etiam rogavit, ut Præpotentes D. D. Ordines ejusmodi providentiam consiliumque, quibus in re tanta opus est, adhiberent, ne quidquam inde querela, aut sibi, ut qui circumduci se passi fuerant, aut Majestati Suæ, ubi jam omnia transacta forent, utpote quæ in tantæ rei consilium non fuerat admissa, oboriri posset: si quidem negotium illud ad Remp. hanc directè, ad Majestatem verò Suam haud parum attineret.*

Post illum autem Sueciæ Regis Legatus D. Camerarius ad colloquium pervenit; *Qui se non rerum novarum desiderio, sed Majestati Suæ officii præstandi studio, unicè rogare ac petere dicebat, ut Præpotentes D. D. Ordines fideliter se præsentis Tractationis participem reddere vellent, propterea quod, initâ cum alterius Partis Ordinibus pace, omnis & Cæsaris & Regis Hispaniarum belli armorumque vis ac onus in Majestatis Suæ humeros imponeretur. Quapropter etiam ab Amicis Sociisque suis* (ob Tractationis hujus apparentiam) *ut sibi Suoque Regno consuleret, Pacemque acciperet, admoneri necesse haberet.*

Serenissima quinetiam Bohemiæ Regina, per Secretarium Suum *Mauritium*, quantum Familiæ Palatinæ Electoralis interesset, Rege tunc etiam Moguntiæ commorante, ac paulo post decedente, Ordinibus proponi jussit, insuper etiam majorem in modum rogari, *ut Præpotentes D. D. Ordines Generales in memoriam sibi revocarent, quantis olim beneficiis Palatina Domus Remp. hanc fuisset prosequuta, Ejusdemque Palatinæ Domus restitutionis, æque ac Belgii Fœderati Pax atque incolumitas Fœderis Zuithamptoniensis cum Rege Britanniæ solus atque unicus finis extitisset.* Eum admodum quoque Indiæ Occidentalis Societatis Præfecti Præpotentibus Ordinibus *quantum à se damni ac detrimenti Hispanis fuisset illatum; Commerciorum ac Navigationum Auctoritate seu privilegio durante, in memoriam redegerunt; simul autem certissimum Societatis Suæ detrimentum, si non universæ interitum (pace conflatâ) ob oculos posuerunt.*

Libelli interim famosi haud pauci imprimebantur, quibus Subditorum animos à pacis Tractatione ceu fraudulenta malevoli avertebant. Pastores quinetiam concionibus precibusque suis eidem adversum ibant. Inter Hagienses autem Pastor quidam concionem expresse cum in finem è Prophetiis, Hierusalemi destructionem interitumque prædicentibus, habuit: quippe & hi & multi alii, quæcunque Trajecti ad Mosam essent acta, ea jam nunc transacta credebant. At verò, quemadmodum sæpenumero in aliis actionibus, ita quoque in hisce non obscurè apparuit, *humanam à Divinâ irrideri Sapientiam.* Qui enim plurimùm Hispaniarum Regis in hisce regionibus interitum perniciemque exoptabant, Ejusdem incolumitatem inscienter atque imprudenter promovebant. Quippe si Deputatis Nostris maturè satis potestatem atque Auctoritatem concludendi plenissimam Præpotent. D. D. Gener. Ordines dedissent, omnes, dubio procul, supramemoratos Articulos, impetrassent, aut saltem *Gelriam, Bredam Hulstamque* (prout è sermonibus *Trajecti ad Mosam* cum alterius Partis Deputatis habitis facillimè poterat percipi) ad Induciarum securitatem obtinuissent.

Idque eò faciliùs, quod ingens Hostium animos stupor invaserat; tot namque oppida capta, *Comitis Henrici Bergii & VVarfusæ recessus, consilium mutuum Principum Espinoy, Barbanconis, Egmontiæque Comitum*, primariorum subactarum Provinciarum Dominorum, Fœderati Belgii Copiæ victrices, atque in intimâ ferme Brabantiæ parte commorantes, haud exiguum metum incusserant. Gallorum verò, Suecorum, atque è Provinciis plurimorum Ministrorum adversus Hispanos maximopere nitentium actio contraria tanti ponderis Negotium impediendo succiderat. Tractatione quinetiam Hagam-Com. traductâ, Rex Hispaniarum tempus, (*rerum omnium pretiosissimum*) quin imo Autumnum, Hyememque integram, *in maximum suum commodum* (idque imprudenti summorum & calidissimorum Hostium suorum consilio) evicerat.

Octa-

Octavo & decimo die Novembris Dominus de Mortaigne, Aulæ Præfectus Sylvam-Ducis missus fuit, qui inde alterius Partis Deputatos Hagam-Com. deduceret: interim tamen Ejusdem Civitatis Gubernatori per Literas mandatum fuit, ne per Deputatorum, eorumve servorum quempiam munitiones sive armamentaria Oppidorum explorari paterentur.

Quarto die Decembris prope Hagam-Com. palam deducti alterius Partis Legati, ad pontem (dictum *de Hoorn-Brugge*) à Celsissimo Arausionensium Principe carrucarum numero ingenti, hominumque magnâ turbâ excepti, & tanquam Legati in ædibus amplissimis largiter lautèque tractati fuerunt.

Supra commemoratum fuit Deputatos sc. nonnullos ad Suas ab omni Induciarum Tractatione alienas Provincias fuisse missos.

In Zelandiam itaq; missi fuere, Dominus Catzius, Consiliarius Syndicus Civitatis Dordracensium, ac Dominus Marienborgius Civitatis Daventriensium Consul. His autem à Provinciarum Ordinibus octavo & vicesimo die Octobr. responsum fuit, *Se Deputatos suos propediem Hagam-Com. missuros esse*, qui postquam eò advenerunt, una cum Frisiæ, Civitatis Groningæ, Omlandiæque Deputatis vehementer à Pacis Tractatione dissenserunt, atque in aliam longè sententiam iverunt, quàm quidem reliquæ Provinciæ quatuor, quæ mediusfidius Paci annuissent, si alterius Partis Deputati, plenissimâ Auctoritate muniti fuissent, Præpot. D. D. Ordines æquas honestasque conditiones consequi potuissent, quod sequentibus patebit.

In Frisiam missi fuere Dominus de Boreel, Amstelodamensium Civitatis Syndicus, nomine Hollandiæ Ordinum, ac Dominus Walta. Quapropter etiam vicesimo die Octobris decreverunt aliquot Deputatos Extra-Ordinarios ad Concilium Præpotentium D. D. Ordinum delegare, qui conquererentur, *tanti ponderis Negotium, & cujus Reip. tanti interesat, Nobilib. ac Potentibus Ordinibus insciis, neque ad id convocatis, contra Unionis & Confœderationis Articulos susceptum, neque in illud inquisitum duntaxat, verum etiam omni studio promotum fuisse.* Quorum quidem Deputati Hagam-Com. reversi commemorârunt, *se nequidquam utilitatis ex eâ Tractatione percipi posse prævidere, proindeque omittendam esse censere.* Ad Civitatem verò Groningæ & Omlandiam Dominus Sonckius & Ruitenburgius delegati fuere. Quibus decimo septimo die Octobr. similem in modum responsum fuit, *Se Deputatis suis neutiquam præcipere posse, ut cum Hostibus ageretur, de tali quidem Negotio, quod Reipublicæ Nostræ, reliquisque Principibus, Regibus Populisque Sociis & Fœderatis quàm maximum damnum esset apportaturum.*

Nihilo minus tamen Provinciarum Deputati omnibus colloquiis, deliberationibus ac consultationibus cum alterius Partis Deputatis, & privatim inter se habitis interfuerunt: semper autem protestationes superiores retulerunt: imprimis verò, postquam reliquæ Provinciæ quatuor alterius Partis, non tantùm ut *D. D. Ordinum* Bruxellis congregatorum, verum etiam ut *Hispaniarum Regis Nomine ac titulo agerent, Deputatis* concesserunt: quippe *Zelandiæ, Frisiæ, Groningæ Civitatis atque Omlandiæ* Ordines Pacem nullam accipere, sed *Fœdus* duntaxat cum *Provinciarum omnium Ordinibus* inire volebant, Rege tamen Hispanisque militibus exclusis, juxta Declarationem secundo & vicesimo die Maji divulgatam.

Hollandiæ verò Ordines Generales paulò in hac re moderatiores fuere, sic hoc putantes, Rege Hispanisque omnibus exclusis, nulla sibi commercia, negotia nullasque in *Hispaniam*, *Italiam* cæterasque Regis terras Navigationes instituere licitum fore.

Provinciarum autem Omnium in novem supramemoratos Articulos sententiæ hujusmodi fuere.

Ad primum quidem *Gelriæ Deputati* responderunt, Eundem dirigendum esse ad Induciarum Articulos Anno 1609. initos, in quantum & tempori & negotio præsenti inservire poterant, proindeque extendendum eum & contrahendum; quod si impetraretur, tantum annorum spatium, quantum obtineri posset, petendum esse.

Zelandiæ, Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Deputati ad hæc responderunt, Tractationem cum Provinciarum Ordinibus, *Rege Hispanisque exclusis*, ad Pacem perpetuam referendam esse.

Ad secundum *Gelriæ Deputati* Articulum retulerunt, alterius Partis Ordines non tantùm Contractui Anno 1609. inito, sed iis quoque omnibus, quæ de novo cum ipsius gerentur, adstrictos obligatosque iri.

Ad tertium vero, *Zelandiæ, Frisiæ, Civitatis Groningæ & Omlandiæ Deputati*, eum ad Pacem æternam atque amicitiam perpetuam solummodo, neque ad quidquam aliud deducendum esse.

Ad quartum *Gelriæ Deputati*, quod si Fœdus perpetuum ad mutuam defensionem contraheretur, neutrarum Partium Civitates, Ordinum Fœderati Belgii præsidiario milite occupatas, eodem etiam comprehendendas esse.

Frisiæ vero, *Civitatis Groningæ Omlandiæque Deputati*, alterius Partis se in libertatem vindicare debere, Seseque tam contra Hispanos, quàm alios, Commercia Negotiaque intra extraque Europam impedientes, defendere ac propugnare oportere.

Zelandiæ, post *Libertatis* & *Iurum* verba Privilegiorum vocabulum inserendum esse.

Hollandiæ insuper *Deputati*, alterius Partis Ordines præterea adversus Romani Imperii aggressiones, Confœderatas verò Belgii Provincias adversus nullos Contractus superiores, nullosque Socios devinci oportere.

Ad quintum autem Articulum *Zelandiæ, Frisiæ, Civitatis Groningæ & Omlandiæ Deputati*, Omnes ac singulos tam Militares quam Politicos *Hispanos* è Provinciis Omnibus non terrâ sed mari quoque, *Burgondiones* verò terrâ discedere oportere.

Ad sextum *Zelandiæ Deputati*, Castella ac propugnacula dirui, suisque mœnibus exui debere.

Ad septimum *Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Deputati*, Regi Hispaniarum, Infanti, Ejusdemve Ordinibus in alterius Partis Copias nihil imperii relinquendum esse, proindeque sive directè, sive indirectè, iisdem neutiquam Regi Infantique obtemperare, nec quicquam in Eorundem gratiam adversus Confœderatas Provincias occipere licitum esse.

Gelriæ Deputati ad octavum responderunt, Portuum Flandriæ securitatem huic Reip. majorem in modum commendatam esse oportere.

Zelan-

Zelandiæ insuper *Deputati*, *Flandriæ* Portus quoscunque maritimos, militibus præsidiariis hujusce Reip. aut saltem utriusque Partis Ordinum juramento devinctis, asservandos esse.

Ad nonum verò Articulum *Gelriæ*, *Civitatis Groningæ & Omlandiæ Deputati*, retulerunt Erckelensiæ & Wachtendonckiæ Gelriæ Provinciæ oppidula petenda esse, insuper etiam Gelriæ, Bredæ, Santvlitii, Lingæ, Rijnbercæ & Juliaci oppida Hostium præsidio destitui, ac posteriorum trium munimenta dirui, Dominisque suis legitimis restitui oportere.

Postquam alterius Partis supramemorati Domini Deputati Hagam pervenissent, varia primum consilia inita, legesque præscriptæ fuerunt, secundùm quas Tractatio institueretur, *de nulla sc. privata consiliorum communicatione, consensu mutuo, ac familiaritate cum dictis Deputatis instituenda; de nullis ab iisdem donis, nisi sub pœnâ arbitrariâ, accipiendis; Insuper etiam de modo Eosdem excipiendi tractandique & similibus.*

Septimo die Septembris, præsente Arausionensium Principe, novem è supramemoratis Deputatis ad Ordinum Concilium pervenerunt, Domino Dansermontio, propter valetudinem, solo absente. Hinc Dominus Bonen, Mechliniensis Archiepiscopus, talia in concilio proposuit:

Celsissimi, Nobilissimi Potentissimique Domini, postquam Celsitudines Vestras ad familiarissimam nostram oblationem non imparatas esse percepimus, ad media sive Pacis sive Induciarum excogitanda, quibus universi Belgii Provinciæ, Patria Nostra, tam diuturno, cruento funestoque bello, ac dissensionibus, quibus in hunc usque diem miserrimè fuerunt obrutæ, eximi prorsusque liberari possent. Ordines alterius Partis Generales, Bruxellis adhuc commorantes Nobis præceperunt, eam ob causam Hagam-Com. discedere, quo advenientibus Nobis plurima grata à Dominis cum in finem Deputatis oblata fuere, hospitium insuper ac liberalis lautaque exceptio obtigere; quapropter etiam privatas quibusdam ex iis gratias agere constitueramus. Quod cum Celsitudinum Vestrarum Ordini consueto adversum esse percepimus, non potuimus quin easdem gtatias in Celsitudinum Vestrarum Concilio ageremus; insuper etiam jussu ac mandato Dominorum Nostrorum Deputantium Affinitatem optimam, amicitiam officiumque cum omni certitudine offerremus, idque pluribus demonstraremus, ubi tempus, locus fuerint constituta, atque ejusmodi Deputati, quorum operâ mutuâ talia Induciarum Pacisve media excogitari atque inveniri potuerint, quæ funesto huic & diuturno bello componendo inserviant, etiam atque etiam promittentes omnia à Nobis iri adhibita, quæcunque rationibus hônestis justisque exigentur: Minimeq; dubitantes, si idem Celsitudinibus Vestris animus fuerit, quin Deus Opt. Max. ejusmodi à Nobis præsenti Tractatione media excogitanda atque invenienda daturus sit, ut hinc, nisi pacatis utriusque Partis Provinciis, discedere neutiquam necesse fuerit, donec in pristinum tranquillitatis locum omnes & singulæ restituantur: Nos itaque ubicunque Celsitudinibus Vestris visum libitumque fuerit, Tractationis initium faciemus.

Adhæc autem Dominus Noortvici Concilii Præses regessit sequentia, adventum scilicet Dominorum Deputatorum Ordinibus Generalibus acceptum gratumque esse, Ordinesque neutiquam dubitare, quin mandata Nobiliss. D.D. Deputatis

„ putatis concessa ejusmodi futura sint, quibus armis funestissimis tandem finis imponi possit, utpote quæ ambitione illius fuissent concitata, cujùs animum neque Oriens neque Occidens explere poterat, sed qui, ad totius Terrarum Orbis imperium summum adspirando, regnandi libidine hunc Statum opprimere & quicquid Libertatis, Jurum ac Privilegiorum reliquis subactis Provinciis supererat, supprimere penitusque abolere obnixe operam dabat. Quibus insuper addidit, Præpot. D. D. Ordines, ad Deputatorum Nobilissimorum Propositionem, quantum honestas æquitasque rei postularet, animum esse adversuros. His itaque cum ad modum propositis, Deputati è Concilio discessere, ac per Dominos, D. Heemstedium, & D. Kuuyt ad hospitium carrucis reducti, prout ad Concilium ducti fuere.

Auctoritatis suæ Literas cum Ordinibus agendi postmodum tradiderunt, sequentes:

Belgii Provinciarum Ordinum, jam Bruxellis congregatorum, Deputati, „ Omnibus & singulis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Salutem: Quandoquidem ad Provincias hasce omni bello, quo tot Annos involutæ fuerunt, omnique miseriâ ex ipso prodeundâ evolvendas, simul autem ad easdem in pristinum tranquillitatis ac felicitatis locum reducendas, jam à multo tempore ad Inducias Pacemque optimam cum Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentibus Ordinibus Generalibus pervenire peroptavimus, ad summam Dei gloriam, Patris, Auctoris atque Amatoris maximi Pacis ac tranquillitatis omnis: deinde etiam ad sublevationem eorum omnium, qui ab utraque Parte belli incommoda miseriasque omnes hactenus perpessi fuerunt; Constare volumus, quod, postquam Præpotentes Belgii Fœderati Ordines Generales, parato ac benevolo eorundem animo percepto, Nobiscum de eadem re agere velle, atque Induciarum Pacisve Contractum inire cognitum perspectumque habuimus, propter summam fiduciam quam positam habemus in Reverendo Domino, D. Jacobo Bonen, Mechliniensi Archiepiscopo, Reverendo Patre in Deo, D. Philippo Caverelio, Sancti Vaastii Atrebatensis Abbate, Nobiliss. ac Sereniss. Principe, Domino Philippo, Dei Gratiâ, Principe ac Comite Arenbergi, Aarescoti Duce, Aurati Velleris Equite, Domino Gerardo, Dynasta in Swartsenburgh, Equite ac Judice Nobilium Ducatus Luxenburgensis, ac Comitatus Chinay, Domino Gabriele Chastelero, Equite ac Domino Moulbaisii, & Ansermontii, Domino Gulielmo Blasero, Equite, Hellebi Domino, Scabino Civitatis Gandavensis Primario, Domino Jacobo *Edel-Heer*, Civitatis Antverpiensium Consiliario Syndico Primo, Domino Viglia de Marcke, Syndico primo, ac Vriæ, quam vocant, Graphiario, Domino Johanne Ronnetho, Juris Utriusque Licentiato, in Supremo Ditionis ac Comitatus Namurci Balivatu Consiliario ejusdemque Civitatis Scabino, Domino Petro Broido, Juris Utriusque Doctore, Consiliario Syndico primo Civitatis Duacensium: Hos omnes, aut plurimam eorum Partem, si fortassis morbo aliove incommodo simul Tractationi interesse prohiberentur, delegavimus ac deputavimus, Eosdemque per præsentes delegamus ac deputamus, eum in finem, ut cum Fœderati Belgii Ordinum Generalium Deputatis Trajecti ad Mosam, seu quocunque in loco fuerit, supra memoratas Inducias Pacemque agant, transigant ac con-

ac concludant, haud secus ac si Nos præsentes aut ageremus, aut agere possemus; ,, Quem in finem etiam ipsis potestatem atque Auctoritatem summam facimus ac ,, concedimus, qualem ad Negotii tanti Tractationem decet, promittentes & spon- ,, dentes quæcunque à Nostris hac in re acta & tractata fuerint, Ea Nos grata, rata ,, ac firma habituros esse. In quorum testimonium præsentibus à Jacobo Maazio ,, Ordinum Brabantiæ Consiliario & Graphiario subsignari, Ordinumque supradi- ,, ctorum Sigillo, Nostro loco & Nomine, muniri curavimus. Dabantur Bruxellis, ,, tertio die Octobris, Anno 1632. Ex Auctoritate & jussu Deputatorum Belgii ,, Provinciarum Ordinum Bruxellis congregatorum. Notatum erat, J. Maazius. ,, atque in Spatio Sigillum Ordinum Brabantiæ in cerâ rubra, sub chartâ quadran- ,, gulari oblongâ, impressum erat. ,,

Exemplar Procurationis à Fœderati Belgii Ordinibus Deputatis suis datæ concessæque.

VNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales omnibus & singulis, quibus ,, præsentes literas continget legere audireve, Salutem: Constare volumus, ,, quandoquidem Declaratione nostrâ secundo & vicesimo die Maij, alterâ unde- ,, cimo die Decembris proximè elapsi, promulgatis, Provincias Belgii reliquas, ab ,, Hispanis subactas, majorem in modum rogavimus, ut sese propter rationes, ,, utraquê illâ Declaratione expressas, hujusce Belgii Fœderati Provinciis ad- ,, jungere velint, ac consequenter alterius Partis Provinciarum Ordines Generales ,, per Deputatos suos humanissimè obtulerunt, Tractationem aliquam ut Nobis- ,, cum instituere liceret, quâ tandem aliquando sive pace, sive Induciis remedia in- ,, veniri, quibus universæ Belgii Provinciæ diuturno ac funestissimo bello eripi ac ,, liberari possent; promittentes & spondentes Se omnia, de quibus Nobiscum ,, convenerint, grata rataque habituros: ac postquam eum in finem, Tractationi ,, à Nobis loco constituto, Hagâ-Com. scilicet, alterius Partis Provinciarum Or- ,, dinum Deputati huc advenerunt, atque in Concilio Nostro Ordinum ut supra, ,, cum Deputatis nostris agere ut liceret, petierunt; Quocircâ Nos similiter bellum ,, tam diuturnum tanquam funestum cum pace commutare, etiam atque etiam cu- ,, pientes, insuper etiam ad Subditorum omnium Provinciarum solatium, Chri- ,, stianissima atque optima quæcunque remedia excogitare atque adhibere expe- ,, tentes, freti sapientiâ, rerum gerendarum experientiâ & fidelitate Illustris & ,, Nobilissimi Comitis, D.D. Florentii, Comitis Culenburgici, Dynastæ Pallandiæ, ,, Wittemiæ, Weerdæ, &c Domini Leedæ, Liendeni, Wiltenbergi, Kentswijleri, ,, Engelsdorpii, Bachemii, Urechemii, &c. Domini, Henrici Essenii, Ducatus ,, Gelriæ, atque Ordinarii Comitatus Zutphaniensis Consiliarii, Arnhemensium ,, Civitatis Prætoris, Veluwensomii Præfecti, Domini Nicolai à Boeckhorst, ,, Noortwiei & Wimmenii Toparchæ, Rhenolandiæ Ballivis, aggerumque Præ- ,, fecti, Domini Cornelii à Terestein, civitatis Dordracensium Ex-Consulis, De- ,, putati Consiliarii Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ, Domini Jacobi à Brouck- ,, hoven, civitatis Lugdunensium Ex-Consul. Domini Adriani Pauw, Equitis, ,, Heemstedæ Domini, Hollandiæ West-Frisiæque Consiliarii Syndici Supremi, ,,

 Do- ,,

„ Domini Johannis Knuitii, Primi & Nobilium Comitatûs Zelandiæ Ordinem re-
„ præſentantis, ac Conſiliarii Celſiſſimi Arauſionenſium Principis Ordinarii, Do-
mini Simonis Beaumontii, Medioburgenſium civitatis Conſiliarii Syndici, Do-
" mini Adriani Ploos, Equitis, Domini in Oudegein, Tienhoven & Gerin, Domi-
" ni Johannis à Zuylen, vander Haar, Domini Haræ, Cockengenii, Spengenii, &
" Montfortſgerightæ, Domini Rienckii à Burmania, Grietmanni in Ferwerdera-
„ deel, Domini Petri à Walta, Domini Sweeri ab Haarſolte, Haarſtæ, & Echdenii
„ Domini, Zallandiæ Quæſtoris Generalis, Domini Henrici ter Cuilen, civitatis
„ Swollenſium Conſulis, Domini Gooſſenii Schafferi Toparchæ in Vithuiſen, &
Domini Lucæ Clantii, Toparchæ in Warſhuiſen, Endrum, & Pietersbuiren. His
" univerſis aut ſaltem eorundem ſeptem (reliqui ſi fortaſſis intereſſe prohiberen-
" tur) quorum è Provincia unaque in Concilio noſtro Ordinum quiſque mem-
" brum exiſtit, dedimus conceſſimus, ac per præſentes literas damus & concedimus
" omnimodam ac pleniſſimam poteſtatem, & mandata tam generalia quam ſpecia-
„ lia, cum alterius Partis Provinciarum Ordinum Deputatis, pleniſſimâ ad id pote-
„ ſtate munitis, Noſtro nomine locoque Hagæ-Com. in aulæ noſtræ loco conſti-
„ tuto atque in eum finem præparato conveniendi, alterius Partis Ordinum Depu-
tatorum propoſitiones audiendi, literas credentiæ, ac procurationis Acta ab iiſ-
" dem recipiendi, quinetiam tractandi agendique, quò certus ac Chriſtianus diu-
" turni funeſtique belli finis obtineatur; deque fine hoc deliberandi ac conclu-
" dendi, quæcunque ad Fœderati Belgii Provinciarum, Sociorum, Earundem Sub-
" ditorum, & cæterorum, quorum intereſt, ſecuritatem commodumque pertinere
" arbitrabuntur, quam poteſtatem juxta ipſis conceſſimus atque de hinc conceſſuri
„ ſumus auctoritatem: optimâ fide promittentes & ſpondentes, cum Noſtri omniũ,
„ & Succeſſorum univerſim ac ſigillatim nomine grata, rata firmaque habituros eſſe,
„ quæcunque à Noſtris Deputatis hac in parte acta, tranſacta & concluſa fuerint;
Eaque Nos ratihabituros, & conſtanter obſervaturos, utque obſerventur, effe-
" cturos iiſque omni ex parte ſatisfacturos eſſe; neque ullâ ratione ſive directâ ſive
" indirectâ contraventuros, utque contraveniatur prohibituros. In cujus rei teſti-
" monium præſentes haſce literas magno Noſtro Sigillo muniri, atque à Graphiario
" Noſtro ſubſignari curavimus. Actum in Concilio Noſtro Ordinum, Hagæ-Com.
„ duodecimo die Decembr. Anno 1632.

Ad hæc autem alterius Partis Deputati ſequentem Declarationem tradiderunt.

" COmmiſſarii Deputatorum D. D. Ordinum Bruxellis congregatorum, Hagæ-
" Com. jam nunc præſentes, poſtquam ex Auctoritate Sibi à Fœderati Belgii
" Ordinibus heſterno die exhibitâ perlectâque cognoverunt, quod in ejuſdem Au-
" ctoritatis narratione duarum Declarationum, unius ſecundo & viceſimo die Maij,
„ alterius undecimo die Septembris proximè elapſi, promulgatarum, mentio facta
„ ſit, cujus quidem utriuſque cauſâ, Præpotentes D. D. Ordines Generales rogati
„ fuiſſent, ut Tractationem quandam inſtituere liceret, quâ tandem pax ſive Induciæ
„ obtineri poſſent. Quocirca neceſſe habuerunt, per præſentes declarare atque
affir-

affirmare Dominos suos Primarios ac Deputantes propter binas illas Declarationes, quæ in eorundem Concilio neque visæ unquam neque receptæ fuerunt, supramemoratam Tractationem neutiquam postulasse, nisi ob illas, quas in literis Auctoritatis rationes commemorârunt, quâ de causâ etiam dictam narrationem à Præpotentibus D.D. Ordinibus adhibitam, non nisi secundùm Auctoritatis suæ literarum tenorem accipere possunt; interim tamen in eadem Declaratione ejusdemque dispositione, uti etiam in eadem à Præpotentium Ordin. Deputatis adhibitâ acquiescunt, quod scilicet supramemoratam narrationem haud aliter intelligant, imprimis verò hæc subsequentia verba *(ac consequenter)* nisi ex ordine temporis, non autem ex rei supradictæ connexione explicent: Insuper etiam in dicta literarum Auctoritatis narratione invenerunt, Dominos suos Deputantes memoratam Tractationem eâ lege ac conditione petiisse, ut quæcunque in eadem concluderentur, confirmarent ac conservarent; quamobrem etiam dicti Commissarii coguntur declarare se nimirum hoc sic percipere, Dominos suos Deputantes non ulterius, præterquam quæ D.D. Ordinum Præpotentium Deputati vi literarum suarum Auctoritatis fuerint polliciti, conservationi obstrictos obligatosque fore. Actum, Hagæ-Com. à Commissariis Deputatorum Ordinum Bruxellis congregatorum, ac Præpotentium D.D.Ordin. Generalium Fœderati Belgii Deputatis traditum, quarto & decimo die Decembris, Anno 1632.

Exemplar utriusque Declarationis supra commemoratæ.

VNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & Singulis, ad quos præsentes pervenerint, Salutem. Quandoquidem *Hispani, & qui a partibus eorum stant,* propter *horrenda atque immania ipsorum facinora, expugnationes crudeles, vastationes miseras, cædes subditorum barbaras atque inauditas, oppidorumque incendia nefaria,* antehac à Præpotentibus Unitarum Belgii Provinciarum Ordinibus *hostes dicti atque habiti fuerunt,* hoc non obstante tamen, partim perversis nefariisque machinationibus ac conatibus clandestinis, partim etiam vi armisque apertis plurimam Provinciarum partem occupârunt, earumque nonnullas severè crudeliterque oppresserunt, *privilegia, jura libertatemque* surrepserunt, quo factum est, ut negotia omnia ex iisdem Provinciis semota, ipsæ insuper ad miserrimum statum redactæ fuerint. Quocirca Nobis, pro singulari amore ac benevolentia, quâ memoratas Provincias earumque Subditos hactenus sumus prosequuti, visum consultumque fuit; Easdem per præsentes unicè rogare ac petere, ut secundùm Majorum ac prædecessorum suorum exemplum, gravissimo ac non ferendo Hispanorum eorumque Sociorum Jugo cervices suas subducere, seque Provinciis reliquis Confœderatis liberrimè adjungere velint, offerentes eam in rem consilium atque auxilium nostrum idque copiarum succursu, quas ductu atque auspiciis Fortissimi, Strenuissimi & Prudentissimi Frederici Henrici, Arausionensium Principis eductas habemus; Supradictis Provinciis Earumque subditis per præsentes religiose sanctèque promittentes, Nos eorundem Civitates, Ordines, Subditos tam Ecclesiasticos quam Seculares, cujuscumque tandem conditionis fuerint, (qui, ut dictum est supra, nostris sese adjuncturi sunt Provinciis) eorum-

P 2 que

,, que *jura, libertatem ac privilegia omnia*, defensuros, insuper etiam Catholicæ
,, *Romanæ Religionis exercitium publicum & securum* iisdem concessuras, quandoqui-
" dem cum iisdem ut cum *Sociis, affinibus & familiaribus* vivere, agere ac conversari
" vehementer etiam atque etiam desideramus, quo non tantum Hispani, eorum-
" que Fœderati, majori vi ac virtute auxilii mutuique subsidii expellentur penitus-
" que propulsabuntur, verum etiam omnes ac singulæ Provinciæ in pristinum
" tranquillitatis ac felicitatis statum redigentur; Confidentes supradictarum Pro-
,, vinciarum Ordines, Subditosque ea, quæ promisimus & polliciti sumus, acce-
,, pturos, seque iis omnibus esse accommodaturos. Actum Hagæ-Com. in Con-
,, cilio Præpotentium D. D. Generalium, eorumque Sigillo adverso, & Graphiarii
,, subsignatione munitum, secundo & vicesimo die Maji, Anno 1632. Notatum erat,
" A. Ploos à Tienhoven. Pauloque infra auctoritate & jussu D. D. Ordinum Ge-
" neralium. Subsignatum erat, Cornelius Musch, Ordinumque Sigillum in cera
" rubrâ impressum.

Alterum Declarationis Exemplar.

,, VNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, omnibus & singulis ad
" quos præsentes literæ pervenerint, Salutem. Constare volumus, Quando-
" quidem diuturnum funestumque bellum in Universi Belgii Provinciis concita-
" tum *ob prætensum ab Hispanis absolutum dominandi jus Imperiumque in personas & bona*
" *omnia Subditorum, tam Ecclesiasticorum, quàm Secularium*, Universali earundem Pro-
" vinciarum pacis sive Induciarum Tractatione facili negotio componi potuisset;
,, nisi illud per *Hispanorum ambitionem, conatus nefarios, ac promissionum eorundem diffi-*
,, *dentiam* prohibitum impeditumque fuisset; Imprimis verò, quum, animis ple-
,, rorumque ad id pronis paratisque, Hispani eorumque fautores, tam egregie sem-
,, per tamque ingeniose rem suam in Belgii Provinciarum omnium damnum maxi-
mum gessissent (quo apud Hispaniarum Regem plurimùm se posse arbitraban-
" tur) eoque belli finem exoptatum hoc pacto avertissent. E quibus omnibus sa-
" tis superque liquet, Hispanos eorumque Socios manibus pedibusque obnixè om-
" nia facere, & dies noctesque conari, quò Provincias non bello duntaxat perpe-
,, tuo occupatas atque implicitas teneant, verùm in extremam quoque perniciem
,, interitumque easdem præcipitent, ac deinde ut *armis* veluti *victas* habeant, *juribus,*
,, *privilegiis, libertate ac felicitate* destituant, eoque pacto bello diuturno consumant.
,, Quocirca Nobis secundo & vicesimo die Maij proximè elapsi promulgatæ De-
clarationi insistentibus, neque Provinciarum omnium incolumitati atque instau-
" rationi addictis minus, quam Nos (Divino annuente Numine) libertatem no-
" stram, *jura ac privilegia* hactenus, *armis fortiter defendimus*, atque in posterum, ad
" extremum usque defendere constituimus, pro benevolâ affinitatis Societatisque
" voluntate, quâ reliquas Provincias earumque Subditos amplectimur, visum con-
,, sultumque fuit Provinciarum Ordines, subditos, *Ecclesiasticos & Seculares*, cujus-
,, cunque tandem conditionis statusque fuerint, per præsentes literas iterum ite-
,, rumque petere, rogare & obsecrare, ut secundùm *Nostrum, ac Majorum suorum*
" *exemplum laudatissimum semetipsos tantis, ab Hispanis sibi illatis, malis eripiant, gravissimo-*

que

que eorundem & fautorum jugo cervices strenuè subducant, Seque Confœderatis Nostris „ Provinciis adjungant; quapropter etiam ductu atque auspiciis Fortissimi, Strenuissimi Prudentissimique Arausionensium Principis Frederici Henrici ingentem exercitum, non in alicujus perniciem damnumque eduximus, verum ut reliquis Provinciis earumque Ordinibus ac Civitatibus auxilium subsidiumque præbeamus, quò tandem ex Hispanicis malis emergere, seque in pristinam libertatem vindicare possent: Religiosè Sanctèque Spondentes, Nos, quæcunque Provinciæ, Civitates, earumque subditi cujuscunque fuerint conditionis, se Nobis adjunxerint, ipsas, earumque Ordines, Subditos tam Ecclesiasticos quam Seculares, itemque *Iura, Privilegia, ac Libertatem defensuros, iisdemque Romanæ Religionis Catholicæ exercitium liberum & securum concessuros esse*, quandoquidem cum ipsis vivere, agere & conversari, ut cum Sociis, affinibus & familiaribus vehementer etiam atque etiam desideramus, quò non tantum Hispani eorumque Fœderati, majori vi ac mutui auxilii virtute expellentur penitusque propulsabuntur, verum etiam omnes ac singulæ Provinciæ in pristinum tranquillitatis ac felicitatis statum redigentur. Ac, si qui rei tam salutaris progressibus obviam ire conabuntur, non poterimus non eosdem, quoscunque tandem, *armis ac bonorum suorum publicatione* severè prosequi, quapropter ea singulis prædicta volumus. Neutiquam diffidentes, quin supradictarum Provinciarum Ordines, Subditique hæc omnia accepturi, seseque in bonum publicum, ad ea sint composituri. Actum Hagæ-Com. in Concilio D.D Ordin. Generalium magnoque eorundem Sigillo, & Graphiarii subsignatione munitum, undecimo die Septembris, Anno 1632. Subsignatum erat, Nicolaus à Bouckhorst, pauloque infra ex autoritate & jussu summedictorum D. D. Ordinum Generalium. Notatum erat, Cornelius Musch, atque in spatio magnum eorundem Ordinum Sigillum in cerâ rubrâ impressum. „

Postquam utriusque Partis Deputati, inter se acturi convenissent, Præpotentium D.D Ordinum Deputati de aliorum auctoritate nonnihil questi sunt, quod scilicet ea Nomine ac titulo Ordinum Generalium non esset concessa, neque *Sigillo* eorundem *Magno* munita; sed nomine duntaxat & titulo *Deputatorum Ordinum* exarata, ac mutuatione sigilli Brabantiæ Ordinum munita, atque ab ejusdem Provinciæ Graphiario Jacobo Masio subsignata; proindeque nihil certi quicquam, quod cum Deputatis ejusmodi Auctoritate munitis concluderetur, futurum. Secundò autem ea in parte etiam erratum fuerat, *quod iisdem Auctoritatis literis referretur*, *Præpotentes D. D. Ordines* ad Pacem Induciasve *nonnihil inclinationis habuisse*; quippe Tractationem alterius Partis Deputati obtulerant. Ad quæstionem primam hoc modo ab iis responsum fuit, *aliter sc. secum quam cum Ordinibus Præpotentibus se rem habere*, *utpote ad quos summum imperium pertineret*, *sese autem Vasallos Subditosque, neque Corpus consormatum existere*. At si Tractatio succederet, se quantum possent, satisfacturos. Ad secundam verò, se Petitores ac rogatores, Præpotentes autem rogatos esse ingenuè fateri; ac quoniam hæc pusilla foret quæstiuncula, dignitatem duntaxat hujus Status spectans, hac suâ Declaratione eandem satis salvam credere.

Illi tamen, ut supra commemoravimus, Præpotentium D. D. Ordinum Procurationem per reconventionem, ut vocant, æstimabant; quod sc. in eadem re-

ferretur, ac si alterius Partis Ordines hanc tractationem ob Declarationem utramque & vicesimo secundo die Maij, & undecimo Decembris hujus Anni divulgatam, ultrò rogassent: quum tamen harum neutra in ipsorum Concilio unquam recitata fuisset. Secundo autem hanc à se Tractationem, cum omnium præstatione atque observatione eorum, quæ concluderentur (prout in Præpotentium D. D. Ordinum Declaratione proponitur) postulatam negabant; quum tamen hoc voluissent, Dominos sc. suos Deputantes non pluribus, quam ipsimet vi literarum suarum Auctoritatis promisissent, obstrictos fore. Quocirca etiam, istiusmodi Præpotentium D. D. Ordinum procuratione dictam Tractationem se occepturos recusabant: Se Vasallos esse dicere, Rege ac Domino suo Inferiores, cum quo syncerâ optimaque fide Dominis suis Deputantibus agendum foret. Quapropter Præpotentes D. D. Ordines, hæc paucula, utpote quæ nullius essent momenti, benignioris interpretationis moderamine mollirent. Ad securitatem verò, & quæ concluderentur observationem postulatam respondebant, ut Præpotentes videlicet post unumquemque Articulum, de quo conveniretur, quamnam observationis securitatem vellent, exprimerent. Sed quandoquidem utriusque Procurationis correctio, haud exiguum temporis spatium postularet, ab utraque parte Acta fuere tradita, quorum beneficio Tractationis præcipua membra inciperentur.

Deinde autem, postquam convenissent, alterius Partis Deputati quæsiverunt, cujusmodi jam nunc, Pacisne an verò Induciarum Tractatio institueretur; ad quod ipsis regestum fuit, media ei rei excogitanda, tam Pacem quam Inducias spectatura; seu utrique potius adhibita iri. Quibus illi, quandoquidem Anno 1608. plurima maximaque incommoda, cum de Pace perpetuâ ageretur, fuissent oborta, eaque de causa Inducias amplecti debuissent; Idcirco, jam de Induciis quoque agere satius esse duxerunt; sperantes cum in modum Induciarum Tractationem jam nunc Pacis initium fore, quem in modum Anno 1608. Pacis Tractationis finis Induciæ fuissent. Hoc itaque pacto duodecim Annorum Induciarum, Anno 1609. confirmatarum, exemplar ceu fundamentum proponebant, ad quod, prout Personæ, Status ac tempus commutata essent, amplificarentur, explicarentur, ac commutarentur. Præpotentium verò D. D. Ordinum Deputati, res & fortunas utriusque Status ab illo tempore majorem in modum variatas mutatasque dicebant; qua de causa etiam ut cognitum habebant, Trajecti ad Mosam novem Articulos (hîc propositos, omnibus insuper Provinciis traditos) literis conscriptos fuisse; quorum explicationem atque observationis certitudinem jam nunc postulabant: Quibus illi, id quod ante dictitârant, syncerè optimâque fide sibi cum Rege ac Domino suo agendum esse: offerentes interea media tria, quibus ex hisce incommodis se evolvere possent. 1. *ut tertius quidam nomine locoque Regis Hispaniarum Tractationi admitteretur.* 2. *vel Regi concederetur, auctoritatem sibi ac potestatem dare, ut suo nomine ac titulo Tractatio hæc susciperetur.* 3. *vel ut omnia; salvo Regis consensu ac confirmatione, agerentur.*

Rogati, num quam Regis Hispaniarum procurationem in promptu haberent, negârunt; sperantes tamen se Præpotentibus D. D. Ordinibus, literis Auctoritatis esse satisfacturos, quas Anno 1629. Infans à Rege acceperat, cum substi-

ſubſtitutionis poteſtate,per Rubenium exhibitâ, quæque novitiores, præter quas Regi Magnæ Britanniæ Hiſpaniarum Rex conceſſerat, exaratæ fuerant.

Quum ad ulteriorem literarum lectionem perventum eſſet, alterius Partis Deputati, ad unum è tribus propoſitis mediis, reſponſionem poſtulârunt, utpote quæ Tractationis omnis fundamentum exiſterent, ſine quibus certi nihil concludi poſſet. Ad Articulorum verò ſupradictorum explicationem quod attineret, *eandem hoc tempore à ſe proponi poſſe* negabant; interim tamen quæ oppida, poſteriori Articulo comprehenſâ, peterentur, ſciſcitabant.

Poſtquam verò alterius Partis Deputati diſceſſiſſent, *Friſiæ, Civitatis Groningæ, Omlandiæque Deputati*, iterum iterumque proteſtati fuere, neutiquam ſibi, cum iis,qui vel Hiſpaniarum Regis, vel Infantis, vel ejuſdem Concilii nomine & loco agerent, Tractationem inſtituere licere.

Poſtmodum verò, ubi utrinque conveniſſent; alterius Partis Deputati, ut obſervationis Articulo ſecundo comprehenſæ curam gererent; ſuamque & ſuper hoc & ſuper aliis Articulis ſententiam dicerent, utpote quibus ſatis ad cogitandum temporis datum fuiſſet, majorem in modum rogabantur. Illi autem contrà, *quænam oppida, poſteriori Articulo indicata, à Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis peterentur,* requirebant; quod dictitare recuſarunt, propterea quòd ordine à principio ad finem procedendum eſſet, ad quem ubi perventum foret, de eadem re actum iri, hujus Status Deputati reſponderunt. Denique *obſervationem ſupradictam & certitudinem* rogati, retulerunt, Regem in iis, quæ ad ipſum in hiſce Provinciis non autem extra eaſdem pertinerent, obſtringi atque obligari poſſe; verumtamen in iis,quæ ad Majeſtatem ſuam in hiſce Provinciis ſpectarent, Auctoritate ac poteſtate ab eadem opus eſſe: non dubitantes tamen, quin unum è ſupradictis mediis ad expeditionem propoſitis, eſſent impetraturi; interim tamen rogandum eſſe, utpote, qui *haud nomine tenus, verum etiam reipſa*, poteſtate atque auctoritate Rex eſſet, oppida ſua milite præſidiario aſſervata teneret; ipſi verò Vaſalli ſubditique eſſent, ad quos è contractibus quibuſcumque abſque Regis interventu, auctoritate ac confirmatione, nihil commodi pervenire poſſet. Quapropter etiam, utrum incommoditatis quidquam allaturum eſſet, ſi Regio nomine ac titulo ageretur, rogabant. Ad hæc Præpotentium Ordinum Deputati Inducias Anno 1609. initas,à Galliarum Magn. Britann. Regibus confirmatas atque aſſertas fuiſſe dicebant; quod cum hoc tempore,fieri eodem modo non poſſet, ab alterius Partis Ordinibus confirmandas atque aſſerendas eſſe; quod ſimiliter tum fieri ab iis neutiquam poſſet, cum Hiſpaniarum Regis nomine ac titulo, ceu Mediatores agerent. At Hiſpani,& ſe quidem Inducias, ſeu quæcunque concluſa forent, confirmari atque aſſeri poſſe negabant; ſperabant tamen, quem ad modum illo, eum ad modum hoc etiam tempore Galliarum Magnæque Britanniæ Reges Induciarum ſecuritatis loco Præpotentibus Ordinibus futuros. Rogati deinde, quopacto Regem in Belgii Provinciis obſtringerent, *petitionum, ſubſidiorum, in onera conſenſum, & quæcunque bello impenduntur, negatione, reſponderunt*, Regem enim adhunc uſque diem petitiones ſive in onera conſenſus vi neutiquam ſibi extorſiſſe,Sed vero Regem intra,ſive extra Provincias in iis quæ ad eum pertinent obſtringere, in manu ſua non eſſe; ſe tamen ſuoſque poſteros, & ſucceſſo-

res omnes devincire velle. Ad hæc Præpotentium D. D. Ordinum Deputati parum securitatis inde nostrum Statum percepturum esse responderunt, idque plurimis rationibus demonstrârunt. Ac postquam *ad novem Articulos* rediissent, Præpotentium D. D. Ordinum Deputati alterius Partis super iisdem sententiam iterum iterumque rogârunt: Quorum causâ alterius Partis Deputati postquam egressi fuissent, redeuntes ad primam quæstionem responderunt, Se Inducias Anno 1609. initas ac confirmatas veluti exemplar proposuisse; de supradictis verò Articulis, *nunquam eos in Concilio D. D. Ordinum Bruxellis congregatorum propositos fuisse:* neque Ordinum Deputatos, ut iidem nomine ac titulo D.D. Ordinum Generalium divulgarentur, unquam permisisse; quocirca etiam illud sibi demandatum non fuisse: atque hoc modo dictos Articulos exaratos tanquam inanes & nullius certæ rei Indices chartas haberi; per secundum verò & subsequentes Articulos Regem *nomine tenus*, quem ad modum *Regis Hierosolymæ titulum in se transmovet*, constitui, aut qualis in Confœderatis Belgii Provinciis ante Annum 1581. existebat, quum omnia *ipsius nomine ac titulo*, absque ullâ tamen ejusdem potestate atque imperio, agerentur: quapropter Articulorum moderamen quoddam petebant; quin aut sibi omnibus aut suorum aliquibus Bruxellas discedendum foret. Exoptantes se non longiùs à suis Deputantibus, quàm nostri à Præpotentibus Ordinibus abessent.

Præpotentium verò D. D. Ordinum Deputati simul egressi, postquam rediissent, *seriò* proposuerunt, sperasse se ut ipsi, (alterius nimirum Partis Deputati) pleniori Auctoritate ac potestate muniti adfuissent, quò tantò commodiùs faciliùsque media *bello componendo* inservientia reperiri potuissent. Multis deinde super conservatione atque observatione sermonibus ultrò citròque habitis, quod nunc demum discedere deque eâ cum Deputantibus suis agere vellent Nostri doluerunt. At Partis alterius Deputati, ne illa in pejorem partem raperent unicè petierunt: idque ob rationes quas antehac, àtque etiamnum longè lateque deducebant: In hisce quoque Provinciis non illicò Ordines Generales promptos semper paratosque, sed longe diuque expectandos esse. Adeo ut facillimè percipias, eos jam nunc cœptis desistere, & qui primum Trajecti ad Mosam metus invaserat, omittere. Quapropter etiam Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Ordinum Deputati tanto magis prioribus protestationibus, de omni cum Hostibus Tractatione prorsus solvenda, insistebant. Gelriæ verò, Hollandiæ, & Ultrajecti ad Rhenum Ordinum, aut saltem duorum priorum (quippe Ultrajectenses in eandem cum Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Deputatis sententiam ibant) & Transysulaniæ Deputati, rem peroptatum eventum posse consequi, sperabant: idque Sententiarum multitudine continuatum, insuper etiam decretum fuit ut alterius Partis Deputatis proponeretur, quemadmodum ipsis quoque propositum fuit, *ut videlicet omnimodam ac plenissimam Auctoritatem, à cujusque Provinciæ Graphiario subsignatam, & cujusque Provinciæ sigilli appendice munitam, traderent.*

Vicesimo & tertio Decembris, postquam congregati essent, alterius Partis Deputatis indicatum fuit, Præpotentium Ordinum Deputatos in novem Articulos, jam sæpius memoratos, uti etiam in sermones primo eorundem Trajectum adventu

adventu habitos, satisfactionem ab iis hactenus frustra expectasse: seque demiratos fuisse, quam ob causam jam nunc recessissent, utrum sententiam mutâssent, an verò res Germanicas, & successus suorum felices respexissent, (quippe Rex Suecorum prælio Lutzeniensi ceciderat) an verò ut temporis aliquid evincerent, Tractationem differre ac diutiùs producere voluissent. Quapropter etiam num ut Ordines cum Ordinibus agere, atque ea quæ ab utraque Parte promitterentur & concluderentur, præstare atque observare cuperent, jam nunc pernoscere velle. Quorum ejusmodi responsio fuit: *Eandem se voluntatem, quam Bruxellis Trajectum ad Mosam, inde vero Hagam-Com. usque reservatam habuerunt, etiam nunc habere, neque studium neque desiderium, universi Belgii Provincias pacandi, atque in pristinum tranquillitatis felicitatisque Statum redigendi, deferbuisse, sed paratos se cupidosque, absque ullo tamen sive adversarum sive rerum secundarum respectu, omnia conferendi, adhibendique ad Negotii præsentis expeditionem. Super novem verò Articulis mandati nihil accepisse; Eosdemque ab Ordinum Deputatis, ut sermones duntaxat habitos fuisse: promittere tamen, quæcunque possent, se effecturos esse.* Repetentes deinde, quæ suprà proposuerant, ubi novem Articuli concederentur, Regem duntaxat *nomine ac titulo*, non autem re ipsa ac potestate imperium retenturum.

Quapropter etiam *ut conditiones honestæ* peterentur, rogabant; quandoquidem non nisi ad Induciarum præteritarum exemplar sibi agere liceret; neque certitudinem aut securitatem, nisi *Regiâ potestate* ullam dandam scirent: semet ipsos tamen obstringere atque obligare vellent.

Cognito itaque & percepto, quod alterius Partis Deputati dictos Articulos novem prorsus recusassent; *alii quidam Articuli viginti supra unum*, Deputatis propositi fuere, è quibus octavus intermissus, atque ejusdem loco *India utriusque, Orientalis & Occidentalis*, mentio facta fuit.

Articuli à Præpotentium D.D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii Deputatis, in supramemoratam cum alterius Partis Ordinum Bruxellis congregatorum Deputatis tractationem eo fine propositi, quo ab utrâque Parte accipi, eorumque auxilio bellum diuturnum cum Pace commutari posset.

I. Quandoquidem præsens hæc Tractatio, alterius Partis Ordinibus postulantibus, inter Ordines Belgii, & Fœderatarum Provinciarum Ordines, instituta atque incepta fuit, ac Præpotentes D.D. Ordines Generales Semetipsos securitatis causâ eorum omnium, quorum *& intra & extra* Europam observatio requiretur, obstringere atque obligare cupierunt, idcirco etiam alterius Partis Ordines Generales per Deputatos suos promissuri fidemque daturi sunt, se omnia & præstituros & inviolabiliter observaturos esse quæcunque, ut dictum est supra, agentur, ac quorum *tam intrà quam extrà* Europam observatio necessaria requiretur: adeò ut Fœderati Belgii Ordines, Membra, Civitates, Subditi atque Incolæ omnium & singulorum Articulorum punctorumq; hujusce Tractatus plenissimum effectum consequantur. Quem in finem etiam alterius Partis Deputati ejusmodi Auctoritatem ac confirmationem non ab Ordinibus duntaxat, sed

„ ab ipso Hispaniarum Rege quoque exhibituri sunt, qua certi esse, ac similem
„ Præpotentium D.D. Ordinum Deputatis certitudinem dare ac tradere possunt.
„ 2. Omnia Puncta, atque Articuli Tractatione Anno 1609. nono die Aprilis,
„ insuper etiam Anno 1630. septimo die Januarii initâ comprehensi renovabuntur,
„ ac de de novo observabuntur, præter ejusmodi, quibus commutatio aliqua, seu
„ plenior explicatio adhibenda veniet; Insuper etiam Articuli sequentes, accipientur, concedentur, atque ab utraque Parte observabuntur.
„ 3. Quod nimirum Fœderati Belgii Provinciarum Ordines proprium perpetuumque habituri sint, ***Ius quodcunque summum absolutumque imperium, dignitatem atque auctoritatem, directionem atque administrationem tam Politicam quam Ecclesiasticam,*** in omni Pago, municipio atque in universo patente agro, pertinente ad Oppida, Castella Arcesque, Municipia ac Ditiones, seu quæcunque eodem spectant, uti etiam aquas dulces, & flumina, quæ sub Unitarum Belgii Provinciarum imperium redacta sunt, quæque vi Fœderis hujus futuri earundem propria relinquentur.
„ 4. Ac quemadmodum de *Silvæducensis Majoratus* Districtu nonnihil antehac quæstionis obortum isque Oppido semper annexus fuerit, neque ratione ullâ ab eodem separari potuerit; idcirco omnibus ex partibus universum Oppidum & quæcunque eò spectant loca, Fœderatis Belgii Provinciis conjuncta manebunt, prout de Municipiis, Pagis agroque patente superiori Articulo fuit expressum.
„ 5. Fluvium *Scaldensem*, ac Canales *Saſſæ* & *Zwindæ* cæteraque ostia maritima eò spectantia, non alio modo Nautæ pernavigabunt, quàm quo duodecim Annorum Induciarum tempore pernavigârunt.
„ 6. Eâ lege tamen ac conditione, ut navibus, mercibusque è *Flandriæ portibus solventibus, atque appellentibus, tanta, neque minora vectigalia, onera* & quod commeatus nomine debetur æs, imperentur, quam navibus mercibusque per *Scaldem* & reliquos Canales navigantibus hactenus imperata fuere; eorumque executio debito modo curaque instituatur.
„ 7. Insuper etiam *Sal coctum* & digestum è Provinciis Belgii Fœderatis ad alterius Partis Provincias exportandum neutiquam interdicetur, neque majora ei onera, præter quæ ab indigesto atque incocto hactenus exacta fuere, sed *æqualia ab utraque Parte* imperabuntur.
„ 8. *Occidentalis & Orientalis Indiæ* Utriusque Socii, in Fœderati Belgii Provinciis commorantes, vi literarum suarum Auctoritatis, ut hactenus, Commercia Terrâ Marique exercebunt, ac Navigationes liberè securèque ad omnes Insulas, Portus, atque Oppida instituent in quibus hactenus Commercia exercuerunt, suasque Navigationes instituerunt; quinetiam ad omnes Populos Nationesque, à quibus liberè admittentur.
„ 9. Merces, quæcunque opera etiam manu facta, quæ è Belgio Fœderato ad alterius Partis Provincias exportantur, sive quæ alterius Partis Provinciis ad Fœderatum Belgium apportantur, neque interdicentur, neque majora iisdem onera, quam utriusque Partis subditi, à quibus vel avecta, vel ad quos advecta fuerint, sive regiones, aut regna, quæ minima exsolvunt, imperabuntur; Eadem quoque lege

lege ac conditione, merces & opera manu facta, quæcunque à Fœderati Belgii Subditis Incolisque in Hispaniam ejusdemque regna alia sive in Italiam navibus avecta fuerint, neque interdicentur, neque majora cum apportantur sive exportantur onera, præterquam pro mercibus, bonis quibuscunque & operibus manu factis apportandis exportandisque subditi atque incolæ exsolvere solent, imperabuntur.

10. Illi qui è regno sunt *Portugalliæ*, Incolæ Subditique Unitarum Belgii Provinciarum, qui aut jam sunt, aut dehinc futuri, cujuscunque tandem Religionis ac Confessionis fuerint, juxta reliquos Unitarum Belgii Provinciarum Incolas Subditosque tam in Hispaniæ regnis, quam in iis regionibus, quæ Hispanorum obtemperant imperio, fœderis hujusce effectum plenissimum consequentur eodemque cum reliquis gaudebunt.

11. Reformatio ac mutuus *pecuniæ* valor inter utrasque Provincias instituetur, atque constanter observabitur.

12. Ob mutuam securitatem & tranquillitatem *Omnes ac singuli Hispani*, utpote bello dediti, ex omnibus ac singulis Belgii Provinciis discessuri, neque eorum aliqui reversuri sunt.

13. Omnes copiæ equestres ac pedestres, Terrâ Marique bellantes, quotquot in alterius Partis Provinciis Belgicis in earundem defensionem ac securitatem sub signis habebuntur, alterius Partis Ordinibus duntaxat, non autem aliis obstricti atque obligati erunt, ipsorumque nomine ac titulo conscribentur, exsolventur, Ducesque præficientur.

14. Ad securitatem adversus quascunque invasiones in primariis *Oppidis Flandriæ maritimis*, optimus ordo, administratio, militumque præsidium communi dictarum Provinciarum Ordinum consensu reservabitur, sic tamen, ut absque eorundem omnium ac singulorum voluntate nullæ aliæ copiæ in memorata Oppida Flandriæ maritima alicui introducere liceat.

15. Propter rationes causasque diversas, quinetiam ob communem securitatem *Rhinberca*, & quod ei ex adverso jacet propugnaculum, præsidio Regio liberabitur, munitiones mœnibus suis exuentur, Oppidumque neutrarum partium (sive ut vocant Neutrale) declarabitur, ac Coloniensi Principi Electori restituetur: *Bredæ* quinetiam *Gelriaque* Oppida Fœderati Belgii Provinciarum Ordinibus reddentur, ac *Santvlitiæ* munitiones diruentur.

16. Quæstiones litesque de *non-executione* seu de *omissione* Articulorum jam contrahendi confirmandique fœderis, deque annotatis ac publicatis bonis, intra certum aliquod ac determinatum temporis spatium, ab utriusque Partis Judicibus arbitrisque eligendis conficientur atque expedientur.

17. Ac quandoquidem, secundùm decimum quartum Tractatus Anno 1609. initi Articulum, caussa *Chastelbellinii in Mechlniensi aulâ instituta*, Principe Arausionensium vivo, quamvis propter eam satis superque laboratum sit, infecta tamen mansit; Idcirco jam memorata causa ab utriusque Partis Iudicibus, ut superiori Articulo commemoratum est, quamprimum instituetur, omnisque justitia ac sinceritas observabitur, & quicquid super eadem à dictis Judicibus judicatum decretumque fuerit, id optimâ fide executioni demandabitur.

18. De Articulorum transgressionibus, ac detentionibus & damnis quibus-
» cunque Fœderati Belgii Provinciarum Incolis Subditisque obortis, deque eo-
» rundem reparatione rectè cavebitur; utque jam nunc fœdus contrahendum in
» omnibus suis punctis Articulisque inviolabiliter observetur, atque omnium &
» singularum Belgii Provinciarum incolæ & subditi tam intra quam extra Provin-
» cias, cum omni tranquillitate ac securitate degere, conversari, atque inter se
» agere queant, ac ne Belgii Provinciæ ab externis hostibus aliquo modo pertur-
» bentur, curabitur.

» 19. Ea propter, qui *Christianæ* fuerint *Religionis Reformatæ*, nullis molestiis
» quoad conscientias afficientur, atque ab alterâ Parte similem in modum regentur,
» admittentur, utque Romanam Religionem profitentes ab hac parte, habebuntur,
» insuper etiam omnes ac singuli Reformati ubique extra Provincias in Hispaniis
» regnisque eò pertinentibus, ab omni inquisitione liberi prorsusque exempti
» erunt.

» 20. Porrò autem Provinciarum omnium Ordines mutuo consilio ac consensu
» optima quæcunque media excogitabunt atque adhibebunt, quibus ineundi Fœ-
» deris Articuli conserventur ac confirmentur adversus omnes, qui eosdem impu-
» gnare ac violare conabuntur.

» 21. Denique, quantum ad personarum quarundam res causasque attinet, de iis-
» dem legitima justaque satisfactio & petetur & concedetur.

Frisiæ autem, Civitatis Groningæ Omlandiæque Deputati superiores suas Pro-
testationes repetierunt.

Quibus omnibus coram alterius Partis Deputatis perlectis perceptisque, ad primum quidem Articulum responderunt; *securitatem ac certitudinem aliam nullam, præter quam supra indicaverant*, se promittere ac polliceri posse. Ad secundum, se mandata accepisse. Tertium verò Articulum transmittentes, ad quartum responderunt, *Majoratum* ad Oppidum neutiquam pertinere. At quæ Articulo quinto referuntur, injusta atque iniqua esse. Ad reliquos autem, quatenus novi, aut superioribus Induciis neutiquam expressi erant, nihil sibi mandatum præceptumque esse declarabant. Ad postremum denique, qui *Comitem Henricum Bergium, Comitem VVarfusæ, Principem Espinoy, Comitem Egmontium, &c.* concernebat, se unicè commendaturos esse pollicebantur: Quamvis Serenissima *Infans*, bono licet, ac liberali ingenio nata, ad hæc obstupesceret. Verum enimvero, ne infectâ re discedendum foret, ex suis nonnullos ad Dominos Deputantes Bruxellis congregatos missuros esse promittebant; qui supramemoratos Articulos, & quæcunque hîc acta forent, ordine enarrarent. Quocirca postridie ejus diei à Graphiario Musch dicti Articuli literis fuerunt traditi; pro quibus sequentia acta reddiderunt.

Commissarii Deputatorum Dominorum Ordinum Generalium Belgicarum
» Provinciarum, Bruxellis congregatorum iisdem fere conditionibus, præterita-
» rum Induciarum, pacem sive Inducias contrahere Se velle declarârunt; exceptis
» tamen iis omnibus, quæ inter tractandum aut commutari aut adjungi possent;
» ad media autem quod attinet, quibus Præpotentes Ordin. Gener. sibi persuasum
» habere ac certi esse possent, omnia quæ præsenti Tractatione conclusa ac confir-
mata

mata fuerint, actu, constanter atque inviolabiliter observata iri, adeo ut Fœderati Belgii Provinciarum Subditis atque Incolis cum omni securitate, omnique suspicione mali semotâ, in Hispaniis, Italiâ cæterisque Regnis, Provinciis ac Regionibus, imperio Hispaniarum Regis Catholici obsequentibus, commercia exercere, ac navigationes instituere liberum atque integrum fuerit, ad ea supradicti Commissarii respondendo asserunt, nulla quidem ejusmodi à Fœderati Belgii Ordinum Deputatis proposita media, ad securitatem ac promissorum certitudinem quicquam attinere; tametsi enim hæc omnia, quæ securitatis ergò instituta sunt, media ac postulata, concessa promissaque fuerint, commercia tamen, ac navigationes quæ in Hispanias, Neapolim, atque in alia summedictæ Majestatis regna instituerentur, eò non magis permissas, multò minus securas absque ejusdem Majestatis veniâ ac voluntate. Idque certissimum esse, hoc etiam transmisso, quod supra dicta media, præter promissionem & certitudinem à Provinciis dandam, non sint in earundem seu Deputatorum potestate, neque etiam consulta videantur, in quantum scilicet semetipsos inter alia ingenti & *nimis magno multum numero* (ut liquet) retinendo obstringerent, secundo etiam, quod illa proposita media cum debitâ observantiâ atque obsequio Regi exhibendo, consistere neutiquam possint, à quo Rege tamen, uti à principio ad hoc usque tempus, à Commissariis dictum fuit, Provinciæ deficere nequeunt, neque licet. Quapropter dicti Commissarii optimum & maximè necessarium securitatis atque inviolatæ observantiæ Commerciorum ac Navigationum medium Regiam voluntatem, atque obligationem omnium & promissorum & confirmatorum esse arbitrantur; quod quidem medium expectari non posset, *si quidem aliis tantopere insistatur mediis*; quibus concessis promissisque, summedictæ Majestati, quicquid, Juris, potestatisque in suas habet Provincias porro amittendum, neque præter *nudum atque onerosum titulum nomenque* quidquam retinendum erit. Quocirca etiam summedictum Regem hâc Tractatione iis modis exceptum promissionibus nostris de Navigationibus Commerciisque, quæ ad omnium Belgii Provinciarum subditos, imprimis verò maritimos homines, ut aliud ipsis, finito bello, Negotium dari queat, tantopere pertinent, obligari atque obstringi posse, præter spem atque opinionem fore existimant.

Præpotentes quinetiam Ordines Generales, Consilio atque impulsu Regum, Principumque Fœderatorum suorum, medio securitatis, per Regis Catholici obligationem, Anno 1609. datam, satis confidisse, proindeque Induciarum Tractatum confirmasse: præter hæc autem dictas Belgii Provincias eâ Tractatione obligatas iri, idque formulis, quantum fieri poterit, optimis, & quibus Præpotentibus Ordinibus satisfieri queat. Ut verò Regia devinctio atque obstrictio tanto commodiùs efficiatur, visum consultumque ipsis fuit, ut à summedictâ Majestate plenissimam atque omnimodam potestatem simul cùm ratihabitionis Deputatis concedendæ promissione, impetrarent: Sic ut *duplici* auctoritate ac potestate semetipsos tractandis, concedendis & promittendis devincire possint. Ea quippe auctoritas Regia, vel ab ipsis rudimentis Tractationi vim ac vigorem surrogaret, quum alioqui Potestatem Regiam & confirmationem ad Articulorum usque conclusionem, idque minori cum certitudine, differri necesse foret.

„ Ea propter igitur dictos Commissarios, Præpotentium D. D. Ordinum De-
„ putatorum consensu,constituisse,ut per suorum aliquos optimum quoddam me-
„ dium, quo Majestas Sua commodè obligari atque obstringi poterit, simul etiam
„ mandatum cum Dominis Deputatis super dictis Articulis hesterno die proposi-
„ tis agendi, consequantur, quo Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis ex
„ omni parte satisfieri, ac denique præsenti Tractationi ad Dei gloriam, & Provin-
„ ciarum omnium salutem atque incolumitatem, diu expectatus quamprimum finis
„ imponi possit.

„ Post hæc autem Mechliniensis Archiepiscopus, Dux Arescoti, Syndicus Edel-
„ Heer, Hellebus & Marta, octavo & vicesimo die Decembris Hagâ-Com. Bru-
„ xellas discesserunt.

Proximo deinde Januario Celsissimo Arausionensium Principi literæ à celeberrimo Pictore Rubenio exaratæ tradebantur, quibus Salvum Conductum in Hollandiam perveniendi, simul etiam de Induciarum tractatione agendi, postulabat. Ea autem petitio verbis Commissariorum innitebatur, quibus affirmârant, *Se nihil quicquam eorum, quæ concluderentur, præstare posse*; *Seque aut alium quendam tertium à Majestate Suâ ad ea præstanda Auctoritatem impetrare debere.* Ille vero Rubenius, (non pictoriâ duntaxat arte, sed vel maximè eruditione, industriâ, linguarum scientiâ, ac dignitate suâ Regi charissimus) feliciter simul ac prudenter se in Pacis cum Britannis Tractatione, ante Anni spatium, gesserat: Ac quoniam vi Fœderis Zuidthamptoniensis tam Britanni quam Fœderati Belgii Ordines promiserant, absque mutuo consensu Pacem Induciasve nullas esse pacturos; haud solum in Angliâ, sed in his quoque Provinciis id Rubenio negotii fuerat datum, quapropter etiam tam verbis quam literis de eodem cum Arausionensium Principe sæpiuscule egerat.

Literis itaque Præpotentibus Ordinibus exhibitis; Provinciæ Hollandiæ Ordines ilico in Salvum Conductum consenserunt; sic hoc putantes, *Expetentem finem, etiam media, quæ obtinendo fini inserviunt, amplecti debere*: Insuper etiam percipientes, vix fieri posse, ut cum supramemoratis alterius Partis Commissariis de Regis Hispaniarum exclusione conveniretur. Hollandiæ Ordinibus se adjunxerunt Ordines Gelriæ, Trajecti ad Rhenum, Ordinesque Transysulaniæ: Qui Regis Secretarii, atque arcani Consilii Senatoris qualitate Rubenio Salvum Conductum ad quatuor Mensium spatium miserunt.

Hæc postquam Bruxellis innotuissent, supramemorati Commissarii, & qui tractationi hactenus interfuerant, animo oppidò iniquo tulerunt: inter hos autem Dux Arescoti summopere indignatus est: iniquum quippe injustumque omnes simul dicere; Primum, à tertio aliquo id negotii sibi è manibus quasi ereptum, aut se illo posteriores habitos iri: Secundum, mediocri ordine locoque virum tanto Negotio iri præfectum: hæc, inquam, Arescoti Dux præ cæteris graviter molestéque tulit: utpote cui naturâ sermo promptus atque expeditus, animusque magnus inerat. Denique, adeò in contrarium enixi sunt, ut Rubenii adventu dilato atque omisso supramemorati Domini, Mechliniensis Archiepiscopus, Dux Arescoti, cæterique qui cum iis Bruxellas discesserant, ultimo die Januarii Hagam-Com. reversi fuerint.

Dicbus

Diebus autem subsequentibus, varii diversique conventus cum alterius Partis Commissariis instituti atque habiti fuerunt. E quibus tandem contigit, ut undecimo die Februarii Dominus Heemstedius, cui prima Negotii cura demandata fuerat, Præpotentibus D. D. Ordinibus exponeret, Dominum Marcam, & Ronethum, alterius Partis Deputatos in Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ conclavi postquam alterius Partis Deputati Responsionem ad Præpotentium Ordinum Articulos Decembri proximè elapso traditos, literis exaratam reddidissent, secum colloquutos fuisse, ac varios sermones habuisse de voculâ præstationis eorum quæ inter Nos, Tractatu è sententiâ succedente, concluderentur, ac multum inter ipsos de eadem fuisse disceptatum, idcirco jam nunc ejusdem voculæ explicationem postulare, Seque (Heemstedium sc.) ad id respondisse, hanc Præpotentium D. D. Ordinum de eadem esse sententiam; nimirum, alterius Partis Ordines, omnibus *quæ ab ipsorum Deputatis in tractando concederentur ac promitterentur, quæ scilicet ad Belgii Provincias & bonum publicum attinerent*, *obstrictos obligatosque iri*; adeò ut Regiâ confirmatione neutiquam opus esset: Insuper etiam hæc verba *(detrimenti damnique resarcitio)* iis duntaxat applicari posse, qui privatim conclusos ac confirmatos Articulos violassent, seque, ut Præpotentium Ordinum mentem clariùs exponeret, *exempli gratiâ* proposuisse, quod si vi ineundi Fœderis Urbs Breda Præpotentibus Ordinibus reddenda promitteretur, eam traditionem à primo Articulorum conclusionis momento, absque ullâ Regis Hispaniarum confirmationis desideratione, instituendam esse, aut alioqui traditionis moræ atque intermissioni, damni & detrimenti pecuniæ exsolutione, satisfieri debere. Quippe damni exsolutionem (quæ post rei notitiam ejusdemque perpensionem demum aggravatur) nulli alteri rei, nisi ut Negotium differatur, inservire posse; quod cum Reip. bono minimè conveniret. Ea propter etiam Dominum Marcam, & Ronethum rogasse, ut responsio ab altera Parte in dictos Articulos tradita redderetur, quo sensum voculæ Præstationis clariùs exprimeretur, se tamen illud sedulò negasse. Quo perpenso ac deliberato, Heemstedio, pro relatione gratias actas, ac responsionem supra memoratam in Præpotentium D. D. Ordinum Articulos conscriptam, postridie in Concilio Ordinum coram Celsissimo Arausionensium Principe perlectam ac perpensam iri, quò Consilium ex justo debitoque iniri posset, decretum fuit.

Exemplar Responsionis ab alterius Partis Deputatis traditæ.

COmmissarii Deputatorum alterius Partis Belgii Provinciarum Ord. Generalium Bruxellis congregatorum, ad Præpotentium Fœderati Belgii D. D." Ordinum Articulos sequentia declarant: ad Articulum primum, procuratio-" nem suam atque Auctoritatem sine ullâ restrictione, ut manifestè constat, sibi" datam esse, seque vi ejusdem Auctoritatis datæ agere, concludere ac promittere," posse, quæcunque Deputantibus suis agere, concludere atque promittere licet;" quæ insuper per acta quædam, sexto & vicessimo die Januarii, proximè elapsi," cujus exemplar sequentibus subjungetur, fideliter promiserunt se grata ac firma" habituros,"

,, habituros, utque à Provinciarum Ordinibus grata ac rata habeantur, quæcunque ,, vi supradictæ procurationis acta, transacta & promissa fuerint, effecturos esse: ,, Hoc autem ut debito modo effectum reddant, promittere se atque asserere, supramemoratos Ordinum Deputatos in iis omnibus, quæ hactenus gesta sunt, ,, summo studio, curâ ac diligentiâ perseveraturos, quo Majestatem suam adducant, ut ea, quæ à suis Deputatis in hoc Negotio acta & promissa fuerint, grata ,, ac firma omnia habere dignetur; neque dubitare se, quin omnia dictæ Majestati ,, grata firmaque sint futura: Idque eò magis, quod Serenissima Infans jam ab ,, Rege per literas unicè petierit, ut, se grata ac firma omnia habiturum, promitteret.

,, Ad hæc autem, quòd Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputati ,, nihil etiam securitatis aut certitudinis in hisce memoratis Tractatibus inesse dixerint, respondent se pleniorem satisfactionem Præpotentibus Ordinibus dare, ,, promptos ac paratos esse dicere, neque pristinâ duntaxat qualitate ac modo agere ,, dehinc atq; tractare velle, verum etiam Plenipotentiariorum Majestatis Suæ qualitate, idque vi ab eadem Majestate concessæ potestatis, atque ab Infante substitutionis; cujus quidem utriusque exemplar traditum fuit. Hæc ut admitterentur, ,, quum supramemorati Præpotentium D.D. Ordinum Generalium Deputati ulteriorem aliquam satisfactionem super formulis procurationis ac substitutionis solemnibus postulârint, dicti Belgii Provinciarum Ordinum Deputati, eam Se ,, quamprimum curaturos esse, pollicentur.

,, Utque nihilominus mens eorundem ad modum primum ac primariò percipiatur, ad ulteriorem primi Articuli satisfactionem, asserunt, licet summedictus ,, Rex per confirmationem primo modo, sive per dictæ Procurationis secundo ,, modo institutæ vim ac vigorem, ut Tractationem omni ex parte observet ac ,, præstet, utque observetur & præstetur curet efficiatque obligatus ac devinctus ,, fuerit, si quidem hoc illove casu, Præpotentes D. D. Ordines Generales de Tractationis effectu plenissime certi esse possint, nihilominus tamen ut Præpotentium Ordinum Deputatorum petitioni, quantum queat, satisfieret, Belgii Provinciarum Ordinum Deputatorum Commissarios promptos se ac paratos esse declarant nomine locoque Deputantium suorum Ordinumque Partis suæ promittere ac ,, polliceri præstationem, executionem atque observationem eorum omnium, quæ ,, in hac Tractatione Provincias duntaxat, non autem extra easdam quæquam attingentia, concessa ac confirmata fuerint, eâ lege tamen ac conditione, ut violentas ,, repetitiones, vulgò Repressalia, detentiones, viam facti, aut quemcunque tandem hostilitatis actum ad satisfactionem alicujus defectus, sive Tractationis violatæ reparationem cuipiam alterutrius Partis instituere neque occipere permissum licitumque fuerit, nisi postquam, debitâ admonitione eum in finem adhibita, ,, aut satisfactionis mora interjectâ; sive ejusmodi cunctatione obortâ, quæ veræ satisfactionis negationi æquipollet, Judices atque Arbitri, secundùm 15. Articulum ,, ex utraque Parte eligendi, omnibus & singulis ejusmodi punctis, defectum damnumque illatum esse, proindeque satisfactione & reparatione opus esse declaraverint. Quapropter etiam violationis, ac transgressionis hominum privatorum ,, causâ Articulus Induciarum præteritarum tertius & decimus observandus veniet.

Neque

Neque etiam Deputantes suos ultra, quàm optimos atque honestissimos Subditos decet, vi promissorum obstrictos obligatosque iri declarant, ut nimirum Regem juxta omne studium atque officium debitum licitumque adhibeant, quò defectus satisfactionem & detrimenti reparationem Pars læsa consequatur. Quibus negatis, Belgii Provinciarum Ordines satisfacturos esse, bonorum scilicet jacturam resarciendo.

Ad secundum verò Articulum respondent, Belgii Provinciarum Ordinum Deputatorum Commissarios concedere, ut omnia puncta atque Induciarum Anni 1609. Aprilis 9. & 7. Februarii, Anni 1610. Articuli initi, confirmentur, ac pro conclusis confirmatisque accipiantur & habeantur, mutatione autem & declaratione super addendâ, salvis: sic tamen ut Præpotentium D. D. Ordinum Generalium, atque Arausionensium Principis defuncti promissa, Galliæ Britanniæque Legatis Anno 1609. nono die Aprilis facta obtineant, de non-mutandâ scilicet religione in Pagis Municipiisque quæ in Districtu Oppidorum Brabantiæ Fœderati Belgii Ordines possident, sed sicuti ante Inducias, ita jam nunc absque ullo impedimento seu mutatione conservandâ, atque securè exercendâ.

Ad tertium autem Articulum respondent, quandoquidem ille Induciarum præteritarum cum corundem aliquâ extensione, verba Articuli tertii satis complectatur; insuper etiam de ejusdem Articuli sensu, durantibus Induciis supra memoratis, propter terminos suos generaliores, plurimùm disceptatum sit, ulteriorem se quærere explanationem, atque annumerationem Oppidorum, Munitionum, Pagorum, quinctiam & municipiorum, & ejusmodi alia quæ alioquin ad eorundem Oppida, Castella, Municipia ditionesque cum earundem Districtu, quorum in supradicto Articulo facta est mentio, pertinere existimarentur, & sine eorundem omnium præjudicio contentos se esse, ut, quantum pertinet ad agros, à Civitatibus quibusdam Provinciisque dependentes, quæ præteritarum Induciarum tempore à Parte alterutrâ occupatæ fuerunt, atque etiamnum occupatæ tenentur, eo modo instituantur ac componantur, quo ante tempus ac secundùm Induciarum Articulos instituenda ac componenda omnia fuerant, utque insuper omnia observentur quæ agros spectant, ab Oppidis dependentes, quæ temporis illius intervallo ab alterutrâ Parte capta atque expugnata fuere; insuper etiam observentur, atque observari jubeantur Articuli conclusi ac confirmati in eorundem Oppidorum & Munitionum ditione, eaque etiam Oppida sive Munitiones, quæ vi Fœderis jam nunc ineundi, seu per commutationem alterutri tradentur, secundùm leges ac conditiones ea de causa confirmandas, administrentur.

Ad ea, quæ de Districtu Majoratus Sylvæ-Ducensis Articulo quarto memorantur, respondent, se illa cupere reservata in Conventum aliquem privatum hoc principalis hujusce Fœderis confirmationem habendum, utpote quæ altiorem requirant perpensionem.

Quantum ad navigationes trans Scaldim, Canales Sassiæ, Swijndæ & reliqua ostia maritima attinet, de quo Articulo quinto refertur, ad ea animadvertendum esse dicunt, quandoquidem publicæ libertati directè contrariantur, neque ullam

„ cum reliquis proportionem habent, quod videlicet per Fœderati Belgii Deputa-
„ tos Articuli ejusmodi proponantur, quibus reipsa fluminum Rheni & Mosæ,
„ & nonnullarum aquarum imperium quasi proprium postuletur, atque insuper
„ quæ per flumina illa aquasque dulces commercia quædam exigua parvique mo-
„ menti inter subditos exercerentur, tantum oneris imperetur, ut ipsis veluti inuti-
„ lia ac sine fructu existerent; neque ulla insuper Commercia, nisi maximi oneris
„ exsolutione, iisdem forent reliqua. Ac proinde æquum justumq; esse, ut ejusmodi
„ Navigationes ac Commercia per canales, flumina & reliquas aquas libera atque
„ utrique Parti secura relinquantur.

„ Vectigalia, tributa & reliqua onera, quæ primo adventu exsolvi solent, Articulo
„ sexto propositionis dictæ relata, secundùm morem antiquum à Parte utraque im-
„ peranda atque exigenda esse dicunt; nihilominus tamen se Infantem unicè ro-
„ gasse, ut licentas, quas vocant, remittere vellet; qua de causa etiam ab Infante
„ mandatum jussumque esse, ut ea res ulteriori examini subjiceretur, deque eadem,
„ prout decet, statueretur, ubi Præpotentium D. D. Ordinum Generalium men-
„ tem penitiùs edocta fuerit.

„ Ad septimum Articulum de sale albo coctoque, quamvis ea res summopere ad
„ incolas & subditos Flandriæ, reliquasque Hispaniarum Regis imperio Provincias
„ subjectas pertinet, compositum iri respondent.

„ Ad octavum autem Articulum, Dominos suos Deputantes censuisse, omnem
„ operam ac diligentiam adhibendam esse, seque jam nunc adhibere, ut Commer-
„ cia utriusque Partis tam intra quàm extra Provincias, optimis mediis promo-
„ veantur, idque sine præjudicio earum rerum, quæ inde oboriri possent, utque
„ hic Articulus secundùm præteritarum Induciarum Tractatum provisionaliter
„ confirmetur.

„ Quæcunque in Portugalliæ Nationis commodum Articulo nono proponun-
„ tur, respondent, ea omnia legibus ac Regni Hispanici constitutionibus esse ad-
„ versa, neque sine Majestatis veniâ concedi posse, nihilominus tamen à Serenissi-
„ ma Infante literas ad Regis animum de ea re cognoscendum, iri missas.

„ Ad decimum Articulum, de mutuo pecuniæ valore ac pretio per omnes simul
„ Belgii Provincias instaurando, atque perpetuum observando, gratum acceptum-
„ que esse.

„ Quæ vero 11. 12. 13. 14. Articulis referuntur, respondent, ea se neutiquam posse
„ concedere, idque propter rationes superiori Conventu allatas.

„ Urbem Bredam, absque agro patente Præpotentibus D. D. Ordinibus Gene-
„ ralibus iri restitutam, idque eâ lege, ut Hispaniarum Regi ter-centena coronato-
„ rum millia exsolventi, quinquaginta assium pretio æstimatorum, Pernambuci
„ munitio redderetur; Gelriæ autem Oppidum Præpotentibus D. D. Ordinibus
„ traditum iri Majestati Suæ neutiquam visum consultumque fuisse; Rhinbercam
„ insuper, dirutis mœnibus, Coloniensi Principi Electori restitutam iri, eâ lege ta-
„ men ac conditione, ut Trajectum ad Mosam, cujus pars aliqua summedicto Prin-
„ cipi competit, similem in modum mœnibus suis exueretur: Saftingæ munitionem
„ dirutam relictamque iri, idque pro Santvlitiæ munitionis dirutione: hâc lege, ut,
„ si Breda redderetur, Religionis Catholicæ Romanæ exercitium reservaretur
„ atque observaretur. Ad

Ad decimum quintum Articulum respondent, se concedere, ut quæstiones litesque, quæ ex damni alicujus aut jacturæ reparatione, aut Tractatus hujusce observationis negligentiâ, aut denique bonorum publicatione fuerint obortæ, à Judicibus Arbitrisque eâ de causâ eligendis, secundùm leges dandas compositas & confectas iri. ,, ,, ,, ,, ,,

Exclusis tamen iis omnibus, quæ (ut septimo & decimo Articulo videntur proponi) de Castelli Bellini causa referuntur; quandoquidem ea Concilio Supremo decidenda relinquetur, coram quo debitâ operâ à Celsissimo Arausionensium Principe jam defuncto ad causam hanc expediendam, minime laboratum fuisse dicunt, idcircò petere se ac rogare, ut quamprimum à Concilio Supremo conficiatur, idque vi Induciarum præteritarum. ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Quæ Articulo decimo & octavo exponuntur, vocibus nimis generalioribus proposita esse, proindeque singularioribus paulò explicanda dicunt. ,, ,,

Quæ nono & decimo Articulo referuntur, ad Induciarum præteritarum modum institui atque observari posse. ,, ,,

Antequam verò ad vicesimum & vicesimum primum Articulum respondere queant, necesse esse, ut Domini Deputati voluntatem suam pleniùs pauloque distinctiùs explicent, hoc fine, ut Deputantes suos reddere certiores, ac potestate debitâ ulterius agendi ab iisdem instrui ac præmuniri possint. ,, ,, ,, ,,

Se tamen affirmare, summè Præmemoratum Regem tantum apud Cæsarem officium esse præstiturum, ut Præpotentibus D. D. Ordinibus plenissime sibi persuasum habere liceat, Cæsarem, quod si à Præpotentibus Ordinibus rogatum ac petitum fuerit, hoc fœdere quoque devinctum se atque obligatum iri cupere. ,, ,, ,, ,, ,,

Exemplar Actorum quorundam ab alterius Partis Ordinibus propositorum.

Belgii Provinciarum Ordinum Generalium Bruxellis congregatorum Deputati, ad satisfaciendum iis omnibus, quæ Commissariis suis à Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputatis proposita atque oblata fuere, in Conventu ad quem, de Pace Induciisve tractaturi, convenerant, promittunt spondentque se approbaturos & confirmaturos, atque ut à Provinciarum Suarum Ordinibus approbentur & confirmentur effecturos, quæcunque à Deputatis secundùm Auctoritatem iisdem tertio die Octobris proximè elapsi concessam, in hoc Negotio acta, promissa & conclusa fuerint. Datum Bruxellis sexto & vicesimo die Januarii, Anno 1633. Pauloque infra ex Auctoritate & jussu supradictorum D. D. Deputatorum subsignatum, J. Masius, in margine insuper Ordinum Brabantiæ Sigillum impressum erat. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Dominus Marca & Dominus Rhonnetus, postquam deinde ad Heemstedæ Dominum pervenissent, retulerunt, suam in Articulos responsionem non à Concilio duntaxat Ordinum, verùm etiam à Populo in pejorem partem acceptam fuisse percipere; quapropter, ut tantæ indignationis causa demonstraretur, unicè rogârunt. Quibus ille ut privatus, *Hispanorum omnium discessum postulatum fuisse, ajebat;*

bat; *Copias quascunque earum Provinciarum Ordinibus juramento adstringendas, in Flandriæ portibus communi consensu præsidium collocandum esse ; Rhmbercæ Coloniensi Principi Electori , Bredæ autem Gelriæque Fœderatis Belgii Provinciis restitutionem , Santvlitiæ verò demolitionem fuisse petitam*; ad quæ illi, Hispanorum Copias exire atque discedere quidem jussas, illico autem revocatas fuisse propterea, quod templa occupabantur, diripiebantur atque imagines amovebantur, omnia denique funditus evertebantur. Ad alia autem proposita cantilenam eandem canere; se neque Auctoritate neque potestate munitos esse, ipsa quinetiam postulata iniqua ac injusta prædicare. Quapropter novum atque integrum Conventum petere, quem etiam impetravere, non tamen absque falsitatis commemoratione, atque animi neutiquam siuceri exprobratione; utpote qui spem, quam sui antehac concitaverant, jam nunc frustrari viderentur. Idcirco etiam ab iisdem petita fuere substitutionis ab Infante Acta quædam concessa, & solemnibus insuper obligationis ac devinctionis formulis, in ejusmodi Auctoritatis literis prærequisitis, conscripta, qua in parte eorundem Auctoritas deficiebat, quinetiam securitatis ac certitudinis promissione & fide Infantis ceu Gubernatricis confirmata, denique ut substitutionis confirmationem Regiam traderent , jussum atque imperatum fuit , quam misisse se ajebant. Ad hæc autem *quod primarios hujusce Reip. Moderatores pecuniâ sollicitaverant*, cujus Arausionensium Princeps in Concilio præmonuerat , arcessiti fuere.

Octavo die Martii alterius Partis Commissarii rogârunt, ut ex Auctoritatis literis, duodecimo die Decembris concessis, hæc verba, Se videlicet ad Tractationem pervenisse , *propter Declarationem vicesimo die Maij, & undecimo die Februarij divulgatam,* omitterentur. Secundò, ut in iisdem Auctoritatis literis insereretur *Se duplici qualitate acturos*, Hispaniarum Regis scilicet, & Belgii Ordinum loco ac Nomine: quæ omnia ipsis octavo & decimo die Martii fuere concessa ; Zelandiæ tamen, Frisiæ , Civitatis Groningæ Omlandiæque Ordinibus frustra protestantibus. Alterius autem Partis Deputatorum Commissarii easdem quoque Auctoritatis literas rejiciebant , utpote quæ eadem prope verba, cum iis quæ duodecimo die Februarii data fuerunt , continebant, in quibus utriusque Declarationis mentio facta fuit; quasque insuper plurimis ex partibus laborare dicebant. Quapropter rationibus, atque explicationibus optimis satisfacere Præpotentium D. D. Ordinum Deputati frustra conati sunt. Postremo autem Auctoritatis literas ejusmodi ex ipsorum beneplacito institutas ac conscriptas iri, quamprimum ab Infante substitutionem tradidissent, promiserunt.

Secundæ Procurationis Exemplar.

„ UNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & singulis, ad
„ quos præsentes literæ pervenerint, Salutem. Constare volumus : Quando-
„ quidem per patentes Auctoritatis literas, duodecimo die Decembris Anni pro-
„ ximè elapsi datas, Deputatis quibusdam Nostris potestatem fecimus, cum alterius
„ Partis Belgii Provinciarum Ordinum Generalium Bruxellis congregatorum
„ Deputatorum Commissariis Nostro loco ac Nomine agendi , concludendi & pro-

promittendi ea omnia, quibus tam diuturno ac funesto bello, quo hactenus „ Belgii Provinciæ obrutæ fuerunt, tandem aliquando certus ac Christianis per-„ optatus finis imponatur: ac postquam supradicti Deputatorum ab Ordinibus „ Generalibus Bruxellis congregatis Commissarii exhibuerunt, ac tradiderunt lite-„ ras Auctoritatis à Rege Hispaniarum sexto & vicesimo die Julii Anno 1629.. ad „ Infantem Archiducem exaratas, uti etiam Substitutionis literas à summedictâ „ Infante sexto & vicesimo die Februarii, hujus Anni datas atque ab Ordinum Bru-„ xellis congregatorum Deputatis Commissariis suis concessas. Nos itaque supra-„ memoratis Deputatis Nostris omnibus sive eorundem plurimis similem po-„ testatem atque Auctoritatem per præsentes plenissimam fecimus, cum alterius „ Partis Ordinum Deputatorum Commissariis, *uti etiam Hispaniarum Regis & Infantis Archiducis Commissariorum & Procuratorum qualitate*, Nostro Nomine locoque „ agendi & concludendi, ad eundem jam supramemoratum finem: Promittentes & „ Spondentes, Nos grata, rata & firma habituros, quæcunque à Commissariis Nostris „ eâ qualitate cum Hispaniarum Regis & Infantis Deputatis promissa & conclusa „ fuerint; eaque omnia confirmaturos, utque observentur effecturos, quem in „ modum per præsentes literas promisimus, quas vim suam retenturas esse asseri-„ mus. Actum in Concilio Ordinum Hagæ-Com. octavo & decimo die Martii, „ Anno 1633. „

Sequitur alterius Procurationis Exemplar.

VNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales Omnibus & Singulis, ad „ quos præsentes literæ pervenerint, Salutem. Constare volumus, quoniam „ D. D. Deputati alterius Partis Belgii Provinciarum Ordinum Generalium Bru-„ xellis congregatorum, per Commissarios suos Tractationem unicè offerri jusse-„ runt, quâ media inveniri atque excogitari possent, sive per Pacem sive per Indu-„ cias, quibus tandem è funesto hoc diuturnoque bello universi Belgii Provinciæ „ expediri atque èvolvi queant, eumque in finem à Nobis Hagam-Comitis ad „ tractandum constitutam addictamque alterius Partis Ordinum Deputatorum, „ Commissarii pervenerunt, ut cum Nostris Deputatis Auctoritate ac pote-„ state, ut supra commemoravimus, Serenissimi, Potentissimique Principis Philippi, „ eo nomine Regis Hispaniarum IV. &c. Insuper etiam Serenissimæ Principis „ Isabellæ Claræ Eugeniæ Infantis Hispaniarum, &c. Substitutionis literis muniti „ agerent, exhibentes ac tradentes Auctoritatis literas, datas 26. Julii Anno 1629. „ Et Substitutionis datas 26. Februarii proximè elapsi, simul etiam ut Belgii Pro-„ vinciarum Ordinum Bruxellis congregatorum Deputatorum Commissarii vi „ Auctoritatis & potestatis, tertio die Octobris Anno 1632. datæ concessæque. Nos, „ itaque bellum tam diuturnum tamque funestum cum Pace commutandi, & totius „ Belgii Incolarum commodum atque incolumitatem promovendi, omniaque „ media optima & Christianissima ineundi cupidi, simul autem freti sapientiâ, re-„ rum experientiâ, & providâ animi circumspectione ac fidelitate Nobilissimi at-„ que Per-Illustris Comitis, D. D. Florentii Culenburgensis, Dynastæ Pallandiæ, „ Wittemiæ, Weerdæ, &c. Leedæ Domini, Lienden, Wildenbergi, Kentswijleri, „

 Engelf-„

,, Engelsdorpii, Bachemiæ, Urechemiæ, &c. Domini Henrici ab Essen, Consilia-
,, rii Extraordinarii Ducatus Gelriæ, & Comitatus Zutphaniæ, Arnhemiæ Ballivi,
'' & Veluwen-zomi Præfecti, Domini Nicolai à Bouckhorst, Noortwici & Wim-
'' menomiæ Toparchæ, Ballivi aggerumque Rhenolandiæ Præfecti; Domini Cor-
'' nelii à Terestein, Civitatis Dordracenæ Ex-consulis, ad Concilium D. D. Or-
'' dinum Hollandiæ & West-Frisiæ Deputati, Domini Jacobi à Brouckhoven, Ci-
,, vitatis Lugdunensium Ex-consulis, Domini Adriani Pauw, Equitis, Heemstedæ
,, Domini, Syndici Hollandiæ West-Frisiæque Supremi, Domini Johannis Knuytii,
,, Primi & Nobilium Comitatùs Zelandiæ Ordinem repræsentantis, & Consiliarii
'' Celsissimi Arausionensium Principis Ordinarii, Domini Simonis Beaumontii,
'' Medioburgensium Civitatis Consiliarii Syndici, Domini Adriani Ploos, Equitis,
'' Toparchæ in Oudegin, Tienhoven, & Gein, Domini Johannis à Zuilen, vander
'' Haar, & Haræ Domini, Cockengen, Spengen, & Montfoorts-gerigtæ, Domini
,, Rienckii à Burmaniâ, Grietmanni in Ferwerderadeel, Domini Petri à Waltâ,
,, Domini Swerii ab Haarsholte, Haarstæ & Echdenii Domini, Zallandiæ Quæ-
,, storis Generalis, Domini Henrici ter Cuilen, Swollensium Civitatis Consulis,
,, Domini Goossenii Schafferi, Toparchæ in Vithuisen, Domini Lucæ Clant To-
,, parchæ in Warfhuisen Endrum, & Pietersbuiren. Hisce omnibus aut saltem eo-
'' rundem plurimis auctoritatem omnimodam & plenissimam dedimus, ac per
'' præsentes damus, ut cum alterius Partis Provinciarum Ordinum Deputatis,
'' titulo ac qualitate Serenissimi Hispaniarum Regis, & summememoratæ Infantis,
'' atque Ordinum alterius Partis Deputatorum Procuratorum & Commissario-
,, rum, Nostro Nomine locoque in aulâ Hagiensi, loco ad id constituto, convenien-
,, di, audiendi quæcunque à dictis Deputatis, eâ qualitate proponentur, postremo
,, cum iisdem agendi omnia, quibus sive Induciis sive pace perpetuâ, optimus &
'' Christianis expectatissimus miserrimo huic bello finis imponatur, transigendi
'' denique & concludendi ea, quæ ad Fœderati Belgii Provinciarum, earumque
'' Sociorum, seu quorum interest, commodum atque incolumitatem pertinere ar-
'' bitrabuntur, optimâ fide, & Nostri & Successorum nostrorum omnium & sin-
'' gulorum obligatione & devinctione, Promittentes ac Spondentes, Nos, quæ-
,, cunque à Deputatis Nostris in hoc Negotio acta, transacta & promissa fue-
,, rint, grata, rata firmaque habituros, eademque confirmaturos, & constanter at-
,, que inviolabiliter observaturos, utque observentur effecturos; neque ullâ, qua-
,, cunque tandem ratione, vel directâ vel indirectâ unquam esse contraventuros,
'' neque ut contraveniatur passuros. In cujus rei testimonium præsentes hasce
'' magno Nostro Sigillo muniri, atque à Graphiario Nostro subsignari fecimus.
'' Actum in Concilio nostro Ordinum, Hagæ-Com. quarto & vicesimo die Martii,
'' Anno 1633.

Quandoquidem autem Dominus Knuytius tunc temporis in Concilio præsidens, incommoda nonnulla movebat de literis Auctoritatis, quaternâ suffragante voce, approbandis ac confirmandis, Noortwici Dominus, superioris septimanæ Præses, earundem literarum conclusionem, quatuor annuentibus Provinciis, formavit, confirmavitque.

At Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Deputati declarârunt, se supra-

dictis

dictis mandatis præceptisque & protestationibus, adversus omnia, quæ hactenus gesta fuerant, insistere; insuper etiam atque etiam petere ut ad sententiam ac declarationem antehac adhibitam nunc etiam repetitam, quamprimum demonstrationibus suis responderetur.

Aprilis die (qui dicitur Veneris) primo, Præpotentium D. D. Ordinum ad Tractationem Induciarum Deputati, per Dominum Heemstedium retulerunt, quod vicesimo & quarto die Martii, postquam Præpotentes D.D. Ordines Generales novam cum alterius Partis Commissariis *duplici qualitate* agendi, Procurationem concessissent, eandem ipsis post meridiem fuisse traditam, collatâ deinde cum ejusdem originali, alterius Partis Commissarios respondisse, Procurationem eam ad id tempus sibi placere, interim tamen cum sua Procuratione collaturos, atque conventu proximo ad illam responsuros esse; quàm ob rem postquam ab iisdem responsio ad ea, quæ ab hac Parte fuerant proposita, petita fuisset, eo quod antehac iteratè responderant, quamprimum scilicet Præpotentium Dominorum Ordinum Commissarii aliam Procurationem promptam paratamque haberent, se responsionem similiter promptam paratamque habituros esse, sequentibus regesserunt, nondum se dictam responsionem apparasse, propterea quod Procurationem jam nunc traditam iri ignoraverant; quocirca tempus aliquod determinatum, quo responsionem traderent, petiisse, idque eò magis, quod nonnulli è suis Belgicam linguam non callerent, qua de causa etiam supramemoratam Procurationem à se perspiciendam, deinde in Gallicam aut Flandricam linguam, postremo autem verbotenus in Belgicam, quæ Præpotentibus D. D. Ordinibus tradi posset, esse transferendam, idque difficile ac longum esse. Plurimis deinde sermonibus hac de re ultrò citròque habitis, alterius Partis Deputatorum Commissariis postulatam responsionem sexto & vicesimo die Martii, jam proximè elapsi, tradituros promisisse eamque se die constituto tradidisse.

Responsio autem decimi & quinti diei Martii sequentes Articulos comprehendebat; secundùm unum & viginti Articulos, quos sub finem Decembris proximè elapsi, alterius Partis Commissariis traditos fuisse commemoravimus: hi itaque supra propositi, nunc autem cæteris adjuncti atque hoc loco recensiti habeantur.

1. Alterius Partis Belgii Provinciarum Ordines actu & reipsa, quæcunque ad Belgii Provincias Rhinbercam ejusdemque munitiones attinet, à Tractatùs hujusce ineundi conclusione, absque ullâ auctoritate ac confirmatione à Deputantibus Suis expectandâ, præstabunt. „

2. Induciarum præteritarum Articulus quartus respectu Indiæ Orientalis, prout superioribus Induciis concessus confirmatusque fuit, itidem jam nunc observabitur: Occidentalis vero Indiæ respectu, in eodem, in quo nunc est, relinquetur loco. „

3. Agri Sub-urbani Civitatibus suis subjicientur, ac si quid ab altera Parte, respectu Religionis in agris Sub-urbanis quidquam obortum fuerit, ad illud sedulò animadvertetur, eâ lege tamen ac conditione, ut Acta, ab ipsis Legatis, quum superiores Induciæ confirmarentur, tradita, neutiquam admittantur. „

4. Hic

20. Hujus itidem literis tradita Declaratio, tam respectu invasionis & locorum occupationis à Cæsare Induciarum contrahendarum intervallo occeptæ, quàm respectu restaurationis rerum in Germaniâ afflictarum, reservabitur.

21. Omnis denique opera ac diligentia adhibebitur, quò omnibus personis & publicis & privatis, aut quorum interest, secundùm petitiones hactenus institutas, sive dehinc instituendas, omni ex parte satisfiat.

Exemplar eorum, quæ ab alterius Partis Deputatis sexto & vicesimo die Martii, supradicta concernentia atque uni & viginti Articulis accommodata, cum quibus vicesimo & octavo die Decembris Bruxellas discesserant, tradita fuere.

Majestatis Suæ ac Deputatorum Belgii Provinciarum Ord. Bruxellis congregatorum Commissarii, responsione literis comprehensa, sibiq; à Fœderati Belgii Ordinum Generalium Deputatis, quinto & decimo die Martii traditâ, cognitâ perspectâque, declarant; Quoniam ad Tractationem ab utrâque Parte perventum est, ut, sive Pace bonâ ac perpetuâ sive Induciis totius Belgii Incolæ pristinæ tranquillitati restituantur, omnia ideirco media ab utraque Parte excogitanda atque invenienda esse, quibus honestis, æquis justisque conditionibus finis exoptatus obtineri queat; Ea propter etiam Commissarii, quantum in se est, omnem operam ac diligentiam adhibent, juxta quam ad primum Articulum propositionis Ordinum Generalium, de Superioris Tractationis observatione, responderunt, cum scilicet à primo hujusce Tractionis ineundæ momento, ab utraque Parte ac re ipsa posse effectum reddi, quoad ejus ab utraque Parte ac re ipsa fieri posset: atque ejusdem Articuli observationis & executionis certitudini, communi consensu, consultum iri posse, sive obsidum traditione, sive aliorum mediorum adhibitione, prout in Negotiis similibus fieri solet, de quibus etiam, primario concluso ac confirmato, faciliùs convenietur.

At verò, quod Tractationis observationem post dictam priorem executionem attinet, offerunt ac promittunt, primùm se Majestatem Suam, utpote ejus Procuratores, idque vi Auctoritatis & Potestatis à Majestate Sua per Substitutionis insertæq; Procurationis literas, antehac exhibitas, eidem obstricturos atque obligaturos esse; præter quam obligationem Serenissima quoque Infans per supramemoratas Substitutionis & Procurationis literas à Serenissimo Hispaniarum Rege sibi datas, fide quæ est optima Principis, se dictam Tractationem observaturam atque executuram esse, promittit ac pollicetur. Quinetiam ad majorem ac pleniorem securitatem & certitudinem Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. exhibendam, dicti Commissarii offerunt ac promittunt, se Provinciarum Suarum Ordines ineundæ Tractationis observationi in hisce Provinciis quoque obligaturos esse; eâ lege tamen ac conditione, ut non ulteriùs, quam prima, ad Articulum primum responsione ac declaratione concesserunt, obligentur ac deviniantur. In qua devinctione atque obligatione datâ, summe dicti Præpotentes D. D. Ordines Generales plenissimè acquiescere poterunt; quandoquidem vel

„ Reges ipsi, Status & Respublicæ *simplici verbo*, acquiescunt; adeo, ut nulla prorsus ratio dari queat, ob quam à dictis Commissariis, aliam insuper obligationem, præter quam antehac obtulerunt, exigant; ac multo minus, ob quam Belgii Provinciarum Ordines obligatos atque obstrictos velint præstationi & executioni absolutæ dictæ Tractationis ineundæ, non in hisce duntaxat Provinciis, verum etiam in tot, ac tam longe à Belgio dissitis Majestatis Suæ Regnis atque Imperiis; quod tamen Præpotentium D. D. Ordinum Deputati eâ propositione, quam decimo & quarto die Martii exaratam tradiderunt, petere videntur; quum superioribus conventibus, imprimis verò, qui septimo die Februarii, & quarto Martii fuerunt habiti, se nisi in Belgii Provinciis dictorum Ord. obligationem à Commissariis supramemoratis postulare, asseruerint. Quapropter etiam dicti Commissarii jure meritoque superioribus Suis oblationibus insistunt, easdemque retinent. Idque eò magis, quod ipsi etiam Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentes D. D. Ordines Generales nullam aliam, excepto solo *verbo*, observationis atque executionis certitudinem pro se offerant ac promittant.

„ Ad secundum autem propositionis Articulum, quemadmodum antehac, ita nunc quoque respondent, se mutationi ac renovationi Articulorum præteritarum Induciarum & Tractationis, septimo deinde Januarii die initæ, annuere ac concedere: Eâ tamen mutatione simul ac declaratione exceptâ, de quâ postmodum invicem convenietur, secundùm proprios Articuli secundi terminos, Eaque insuper lege ac conditione, ut, quæ à Præpotent. Ordinibus de iis quæ Earundem Induciarum Tractationem, videlicet Religionis Negotium attinent, promissa fuerunt, observentur: quemadmodum Gallorum Regis Legati, qui Negotio & Tractationi interfuerunt, declaratione quadam, quæ eo ipso die, quo dicta Induciarum Tractatio in lucem prodiit, attestantur: Ob quod tamen Fœderati Belgii Provinciis, non plus, quàm Induciarum tempore, derogabitur.

„ Ad tertium propositionis Articulum respondent, eundem se ad tertium præteritarum Induciarum Articulum, & hactenus retulisse, & etiamnum referre, ad ea sc. quæ, si dictæ Induciæ fuissent prorogatæ, observanda atque exequenda venissent; nullo tamen respectu eorum, quæ in contrarium effecta ac perpetrata fuere, habito, quem ad modum etiam in locis diversis evenisse liquebit. Quapropter, ad omnes dissensiones atque incommoditates, quæ suboriri possent, præcavendas, & quæ Induciarum tempore obortæ & infectæ permanserunt, decidendas prorsusque expediendas, necesse esse, ut firma ac perspicua de omnibus utriusque Partis Provinciarum terminis Tractatio instituatur, nimirum, secundùm Articulum præteritarum Induciarum earumque renovationem non verò usurpationem, eumque in finem, omni Tractatus tamen principalioris dilatione seposita, singularem Tractationem esse ineundam. Quinctiam non iniquum videri, seque ea de causa insistere iis, quæ de observatione Articulorum cum Civitatibus post Induciarum expirationem confirmatorum, & Præpotent. D.D. Ordinibus Gen. traditorum, stipulati fuere. In supradicto insuper conventu difficultates de Majoratu Silvæ-Ducensi posse decidi: quarum mentio propositionis Articulo quarto facta est; quæque hoc tempore, propter rationes in dictâ suâ responsione comprehensas, expediri ac confici nequeunt.

Ad

Ad quintum verò Articulum quod attinct, secundò respondent Commissarii, » quæ in eodem proponuntur, servitutem aliquam de novo involvere, ante bellum » neutiquam usitatam, gentium & commerciorum libertati adversam, atque etiam » præter Induciarum Tractationis Articulos usurpatam, qua denique incommoda » plurima in Regnis ac Statibus Majestatis Suæ, cum maximo eorum, qui ipsius imperio subsunt, commodo, Unitarum verò Belgii Provinciarum, in iisdem negotiantium, damno offerrentur: quandoquidem hoc pacto commerciorum prærogativæ quædam veteres, ut sunt, Jus Stapelæ, &c. quæ Belgii Provinciis quibusdam » aut Civitatibus competunt, imminuerentur ac plurimâ ex parte surriperentur. »

Multo autem iniquiùs Articulo sexto peti dicunt, nimirum ut Flandriæ Ostiis » maritimis nova quædam onera, ac vectigalia imperarentur: ad onera Schaldensi » Fluvio imperata exæquanda, quæ omnia privilegiis ac constitutionibus Provinciarum antiquis adversantur: hoc enim pacto commercia quæcunque averterentur, iisque Regna alia donarentur: quocirca se ex abundanti ablegant ad ea quæ » communi Consilio ad Commercia utriusque Partis, quoad ejus fieri poterit, » æqualiter promovenda, decernentur. »

Quibus octavo etiam dictæ propositionis Articulo responsum esse dicunt. »

Septimum concessum esse. »

Ad nonum verò, præter quæ antehac data fuit, responsionem aliam impræsentiarum dari non posse: Regis namque responsionem expectandam esse. »

Decimum reciprocè concedi.

Ea quæ Articulo 11. 12. & 13. proponuntur, minime concedi posse, idque » propter rationes oretenus allatas atque pluribus propositas. »

Ad decimum & quartum verò Articulum nullas rationes nullasque causas fuisse » allatas dicunt, ob quas à Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus ea, quæ » in tantum Suorum commodum à Rege Hispaniarum oblata fuere, neutiquam » acciperentur. »

Super decimo & quinto Articulo nullam ulteriorem declarationem esse adhibendam, propterea quod ultima acta ab Ordinum Deputatis tradita, ex omni » fermè parte cum eorundem responsione conveniat. »

Ad decimum & sextum verò, quandoquidem compertum est, Senatum Supremum in causa Chastelli Bellinii expedienda officio fuisse functum, nulla idcirco » ratione eandem causam aliis Arbitris ac Judicibus tradi posse, iis præsertim, qui » secundùm hunc Tractatum duntaxat superioris Tractationis observationem & » bona quædam annotata ac publicatâ inquirerent. »

Quod ad decimum & septimum Articulum attinet, respondent, utriusq; Partis » Incolas Subditosque Juri suo, quod vi præteritarum Induciarum earumque renovatione omnibus & singulis competit, reddendos esse. Quod attinet ad media » securitatis adversus damna & detrimenta quæ in posterum detentionum quorundam, seu Tractationis violationis causâ oboriri possent, ulteriorem super iis de- » clarationem à Præpotentium D. D. Ordinum General. Deputatis adhibendam » esse. »

Ad 18. Articulum nihil aliud, præterquam quod superioribus Induciis contine- » netur, responderi posse: interim tamen se contentos esse dicunt, ut Articuli inter »

„ Magnæ Britanniæ Regem & Comitem-Stabili Castiliæ in Belgicam Linguam „ transferantur, Eorumque acta quædam particularia seu privata instituantur, at- „ que Tractationis hujusce membra habeantur.

Decimi & noni Articuli verba ad eadem, quæ superiori tradita responsione „ continentur, referenda esse.

„ Ad vicesimum Articulum respondent, peropus esse ut Præpotentium D.D.Or- „ dinum Gener. Deputati sententiam Suam pleniùs explicent, quò omnia & singula „ Præpotentibus D. D. Ordinibus commodiùs exponantur, ut postmodum, ubi „ reliqua penitius inquirentur, ad omnia perfectissimè ac promptissimè responderi, „ &, quod à dictis Commissariis petendum veniet, adjungi poterit. Paulò infrà, „ ex Auctoritate & jussu supradictorum Deputatorum. Subsignatum erat,

V. Marck.

Exemplar Articulorum, quos Præpotentium Dominor. Ordinum Deputati, quibus præsentis Tractatus ineundi cura demandata fuerat, jussu & mandato Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Regis Hispaniarum, uti etiam Deputatorum alterius Partis Provinciarum Ordinum Bruxellis congregatorum Commissariis, vi Substitutionis ab Infante Iisdem datæ concessæque, tradiderunt, eo fine, quo categoricè ac sine ambagibus ad eosdem responderent.

„ I. SUpradicti Deputati, quamprimum ulteriorem Procurationem à summedi- „ cto Hispaniarum Rege concessam, sive Ejusdem approbationem Substitu- „ tionis Serenissimæ Infanti ab Hispaniarum Rege, ad præsentem Tractatum datæ „ exhibituri, quinetiam post ejusdem Tractatus conclusionem ab Eodem sum- „ medicto Rege *sex septimanarum spatio*, à Serenissima Infante *quatuordecim dierum*, „ atque à Belgii Provinciarum Ordinibus *trium septimanarum intervallo*, Approbatio- „ nem & Confirmationem solennibus formulis conscriptam, absque ulla tamen „ terminorum seu stipulationum, quæ in dicto Tractatu expresse non continentur „ insertione, tradituri sunt. Insuper etiam à primo conclusionis momento alterius „ Partis Ordines *quatuordecim dierum intervallo*, absque ulla dilatione seu ulterioris „ confirmationis desideratione, actu & reipsa præstabunt, quæcunque intra Pro- „ vincias, sive quæ easdem spectant, vi præsentis ineundæ Tractationis promissa & „ concessa fuerint; similiter etiam alterius Partis Provinciarum Ordines omnia „ conferent ad securitatem reparationis violationum seu transgressionum, quæ in- „ tra Belgii Provincias *dicto septimanarum spatio* à Tractatu ineundo oborientur; fi- „ dem etiam solenniter dabunt se operam daturos, ut eæ, quæ extra Provincias di- „ cto tempore ineundæ Tractationis transgressiones seu violationes oborientur, „ quamprimum conficiantur & resarciantur. Quibus concessis ac promissis, supra- „ memorati Fœderatarum Belgii Provinciarum Ordinum Generalium Deputati „ spondebunt, se Dominos suos Deputantes obligaturos præstationi atque obser- „ vationi eorum omnium, quæ agentur ac promittenda, quæque à Fœderati Belgii Pro-

Provinciarum Ordinibus, sive in Belgii Provinciis sive extra easdem opus fuerit, »
præstanda venient. »
2. Omnes Articuli eorumque puncta Tractatu Anni millesimi, sexcentesimi & »
noni, die Aprilis 9. atque Anni 1610. 7 Januarii expressa, renovabuntur ac con- »
firmabuntur, eâ lege tamen ac conditione, ut, quæ Indiæ Orientalis Societatem »
spectant, observentur, quem in modum præteritarum Induciarum tempore con- »
silio atque auxilio Hispanorum, adversus quartum Induciarum Tractationis Ar- »
ticulum, commissum & perpetratum fuit: Occidentalis autem Indiæ res ac fortu- »
næ eo & belli & commercii loco, in quo jam nunc sitæ sunt, relinquentur. »
3. Unitarum Belgii Provinciarum Ordinibus absolutum Jus atque Imperium »
Summum relinquetur in omnes pagos atque agros patentes, qui ad Civitates, »
Arces, Municipia, Ditiones, Districtus, &c. pertinent, uti etiam in Flumina, »
aquas dulces, quas sub potestatem suam Fœderati Belgii Provinciarum Ordines »
General. redegerunt. Limites quinetiam, antehac constituti permanebunt: at »
quibus in locis propugnacula sive oppida à Fœderati Belgii Provinciarum Ordi- »
nibus capta atque expugnata, seu Munitiones aliquæ extructæ sunt, eorundem »
locorum limites clarè & perspicuè determinandi venient. »
4. *Sylva-Ducensis Majoratus* omni ex Parte Fœderatis Belgii Provinciis adjun- »
ctus manebit, quem in modum de omnibus aliis pagis & Municipiis in agro pa- »
tente superiori Articulo expressum fuit. »
5. Fluvium Scaldensem itemque Sassiæ & Swyndæ Canales, & quæ ostia mari- »
tima iisdem adsita sunt, non alio modo nautæ pernavigabunt, quam quo Indu- »
ciarum duodecennalium tempore pernavigârunt. »
6. Navibus mercibusque è Flandriæ Portibus advectis sive avectis tantum æs »
quod commeatus nomine debetur, tanta onera vectigalia aliaque non minora à »
Rege Hispaniarum Ejusdemve Ministris imperabuntur, quam navibus & merci- »
bus, quæ trans Scaldim dictosque Canales advehuntur seu avehuntur, sive dehinc »
dictis navibus mercibusque trans Scaldem avectis non majora imperabuntur one- »
ra, quam iis, quæ è Flandriæ Portibus avehuntur seu advehuntur. »
7. Sal coctus digestusque è Fœderati Belgii Provinciis ad aliam Provinciarum »
Partem exportandus neutiquam interdicetur, neque majora ipsi onera, quàm »
nigro atque indigesto, sed æqualia ab utraque Parte imperabuntur. »
8. Merces sive Bona, Opera quinetiam manu facta è Fœderati Belgii Provin- »
ciis ad alteram Provinciarum Partem asportanda sive exportanda neutiquam in- »
terdicentur, neq; majora iis onera imperabuntur, quàm Subditorum suorum bonis »
mercibusq; sive aliorum Regnorum & finitimorum Principatuum Incolis, quibus »
minima imperantur; Insuper etiam Bona, Merces & opera Manufacta quæ à Fœ- »
derati Belgii Subditis in Hispanias, Italiam seu in quodcunque tandem Hispanis »
subjectum Regnum asportantur, non interdicentur neque majora iis onera im- »
perabuntur, quàm Bonis, Mercibus atque operibus Manufactis, quæ è Flandriæ »
Portibus ad loca prædicta avehuntur. »
9. Bona Mercesque, quæ à Portugallis, Fœderati Belgii Provinciarum aut jam »
existentibus aut dehinc futuris Subditis, cujuscunque Religionis ac Confessionis »
fuerint, in Hispanias, Portugalliam, cæteraque Hispanis subjecta Regna avehen- »

„ tur, non aliter quam reliquorum Fœderati Belgii Subditorum bona mercesque
„ excipientur atque administrabuntur: quod autem ad Portugallos in alterâ Pro-
„ vinciarum Parte commorantes aut negotiantes attinet, eo modo, quo reliqui Uni-
„ tarum Belgii Provinciarum Subditi, & quoad Personas & quoad bona mercesque
„ excipientur.
„ 10. Ratio autem monetæ, quæ ab utraque Provinciarum Parte habebitur at-
„ que instituetur, ea constanter atque inviolabiliter observabitur.
„ 11. Propter utriusque Partis securitatem ac tranquillitatem Omnes & Singuli
„ Hispani, utpote qui armis dediti sunt, ex universis & singulis Belgii Provinciis di-
„ mittentur, neque contrahendarum Induciarum tempore aliqui admittentur.
„ 12. Civitas Rhinberca ejusdemque Munitiones, & quod ex adverso jacet pro-
„ pugnaculum, Hispaniarum Regis milite præsidiario liberabuntur, mœnibus suis
„ exuentur, Civitas Neutralis declarabitur, & Coloniensi Principi Electori resti-
„ tuetur; insuper etiam Breda ac Gelria Unitarum Belgii Provinciarum Ordinibus
„ tradentur.
„ 13. Utriusque Partis arbitrorum numerus æqualis in Hollandiâ, non autem
„ alibi constituetur, qui unanimiter debito temporis spatio quascunque in non-
„ executionem seu ineundæ Tractationis violationem, insuper etiam propter bo-
„ norum annotationes ac publicationes, obortas quæstiones conficient atque ex-
„ pedient, eâ lege tamen ac conditione, ut Sententiæ, Provincias spectantes, effe-
„ ctum suum sortiantur; quinetiam alterius Partis Deputati obstricti atque obli-
„ gati erunt, ad mutuam operam conferendam, quâ sententiæ, res litesque extra
„ Provincias, conficiantur minimeque negligantur. Quæ si promittantur, Ordi-
„ num Generalium Commissarii pollicentur, se eundem ad modum Deputantes
„ ac Committentes suos, quantum à Parte Suâ requiretur, promissis concessisque
„ obligaturos atque devincturos esse.
„ 14. Chastelli Bellinii causa in Mechliniensi Aulâ etiamnum pendens, intra
„ anni spatium expedietur; sed si expedita non fuerit, Arbitris sive Judicibus su-
„ periori Articulo memoratis, hoc tempore æque ac alio dictam litem conficere
„ atque expedire integrum erit; sententia quinetiam ab iisdem lata ac pronunciata,
„ omni ex parte, ac si in aulâ Mechliniensi confecta fuisset, effectum obtinebit.
„ 15. Quandoquidem autem è præsenti Tractatione apparuit, supradicti alterius
„ Partis Ordinum Deputatorum Commissarios difficulter Deputantes suos obli-
„ gare ac devincire velle ad securitatem aliquam detentionum, contraventionum,
„ ac detrimentorum, quæ Fœderati Belgii Provinciarum subditis, adversus ineun-
„ dæ Tractationis Articulos inferri extra Provincias possent, præstandam, idcirco
„ à supramemoratis Belgii Ordinum Deputatorum Commissariis sufficiens ac ple-
„ na certitudo securitasque, quâ dicti Unitarum Belgii Provinciarum subditi adver-
„ sus quascunque detentiones, contraventiones atque ejusmodi detrimenta, si in-
„ ferantur, certi esse poterunt, tradenda veniet.
„ 16. Ii, qui sunt Reformatæ Religionis, atque in alterius Partis Provinciis aut
„ commorantes aut frequentantes, extra omnem inquisitionem atque in ædibus
„ suis molestiam, permittentur; Quodque ad illos attinet, qui in Hispaniis, sive Hi-
„ spanicis Insulis, aut quibuscunque in locis extra Belgii Provincias in Europâ,
Hispa-

Hiſpanorum Imperio obtemperatur, commorabuntur, frequentabunt, cumque „ navibus mercibuſque inde revertentur, ſive domicilium ſuum fixum habebunt, „ Articuli Fœderis Magnæ Britanniæ Regem inter & Comitem-ſtabili Caſtiliæ „ antehac initi, obſervabuntur; Ejuſdemque Tractatus Articuli Actis quibuſdam „ privatis exprimentur, neque minorem vim obtinebunt, ac ſi præſenti Tractationi inſerti forent, diverſis quinetiam linguis, in locis Auliſque debitis annunciabuntur. „

17. Cæſarea quin inſuper Majeſtas cæterique Reges, Principes & Reſpublicæ „ in præſentem Tractationem aſciſcentur: Quocirca etiam dicti alterius Partis „ Commiſſarii omnem operam ac diligentiam conferent, ad ſecuritatem optimamque certitudinem exhibendam ac tradendam, quâ Fœderati Belgii Provinciarum „ Ordines ſibi perſuaſum habere queant, Se Induciarum contrahendarum ſpatio „ ab omni Romani Imperii invaſione omnique hoſtilitatis actu liberos fore. „

18. Sereniſſimo Eſpinoyæ Principi, uti etiam Comiti Bergio & Comiti Culenburgenſi & Warfuſenſi pro jure iiſdem competente, ſatisfiet, ſecundùm Memorialia eâ de cauſâ alterius Partis Commiſſariis tradita: Deinde etiam petitiones quorundam privatorum hominum perpendentur & tradentur, eo fine ut „ omnibus pleniſſimè ſatisfiat. „

Hæc itaque puncta & Articuli, unà cum additis Memorialibus, ſupradictis Hiſpaniarum Regis atque Ordinum Deputatorum Bruxellis congregatorum Commiſſariis, eo quidem fine tradentur, ut quatuordecim dierum ſpatio Categoricam ac nullis ambagibus implicitam reſponſionem exhibeant tradantque, atque ut, quid Fœderati Belgii Ordines acturi ſint, ſciant. Actum Hagæ-Com. primo die Aprilis, Anno 1633.

Duodecimo die Aprilis Memoriale quoddam, Nomine & titulo Præpotentium D. D. Ordinum Generalium, omnibus & ſingulis Exterorum Regum, Principum & Rerumpublicarum Legatis Miniſtriſque in aulâ Hagienſi reſidentibus, tradendum, decretum fuit; Legatis ſcilicet Galliæ, Sueciæ, Reiquepub. Venetorum, uti etiam Domino Charnaſſæo: Quem in finem quoq; Dominus Rantvicius, Dominus Noortwici, Dominus Vosbergius & Dominus de Weede à Præpotentibus D. D. Ordinibus Deputati fuere: Quod autem ad Dominum Boſwellium Reſidentem, cæteroſque minori quam Legatorum qualitate Miniſtros attinebat, iiſdem ad Præpotentium D. D. Ordinum Concilium convocatis, dicti Memorialis exemplar traditum fuit.

Memorialis quidem Exemplar hoc erat.

POſtquam Belgii Provinciarum Ordinum Bruxellis congregatorum Commiſſarii ad ſupradictam Tractationis oblationem, quâ cum Fœderati Belgii Ordinum Deputatis de bello hoc diuturno cruentoque conficiendo ageretur, „ Hagam-Com. adveniſſent, Partis utriuſque Auctoritate ac poteſtate exhibitâ, „ ſummedicti Unitarum Belgii Provinciarum Ordines, promiſſorum & conceſſorum certitudinem & ſecuritatem, quæ ab alterius Provinciarum Partis Ordinibus „ concedi & poſſet & deberet, primò ac primariò poſtulârunt, eidemque petitioni „ inſti- „

„ institerunt, quò Tractatus cum iisdem ineundus actu & reipsa observetur, præ-
„ stetur, & quæ adversus ejusdemque Articulos detrimenta inferrentur, resarcian-
„ tur. Quam tamen promissorum certitudinem ac securitatem postquam alterius
„ Partis Commissarii præstare se posse negassent, nisi Regis Hispaniarum, æque ac
„ Ordinum Bruxellis congregatorum Nomine & titulo agerent, eò quòd ineundi
„ Tractatus Articuli non minus extra Belgii Provincias, quam intra easdem effe-
„ ctum suum obtinere debeant; Eapropter dicti Commissarii postmodum ex-
„ exhibuerunt ac tradiderunt Procurationem ab Hispaniarum Rege Infanti con-
„ cessam, Substitutionem quinetiam à Serenissimâ Infante Deputatorum nomine
„ ac titulo datam, cujus utriusque vi Commissarii habiti atque admissi fuere, ut
„ tam Regis Hispaniarum quam Ordinum Bruxellis congregatorum nomine ac
„ titulo de Pace perpetuâ, sive de Induciis per multos Annos duraturis, cum Fœde-
„ rati Belgii Provinciarum Ordinibus Generalibus agerent & convenirent. Pacis
„ itaque sive Induciarum tractatio postquam incepta, atque à Fœderati Belgii
„ Ordinum Deputatis varia media proposita essent, quibus omnium Belgii Pro-
„ vinciarum & per consequens totius Orbis Christiani pax & tranquillitas, impri-
„ mis autem Unitarum Belgii Provinciarum incolumitas & salus, nec non Earun-
„ dem commerciorum & tam intra quam extra Provincias Navigationum securitas
„ promoveri posset, supradicti alterius Partis Commissarii, eousque Auctoritatem
„ & potestatem Suam se neutiquam extendere quum percepissent, Eaque de causa
„ suorum quosdam Bruxellas misissent, Punctorum plurima ac præcipua difficulta-
„ tibus postmodum onerârunt: quapropter etiam plurimis ab utraque Parte con-
„ ventibus colloquiisque habitis, Punctorum atque Articulorum æquitas & ne-
„ cessitas demonstrata atque ob oculos posita fuit; si videlicet bellum fide, quæ est
„ optima, cum pace commutatum, atque universi Belgii Provinciarum tam inter-
„ nam quam externam pacem ac tranquillitatem majorem in modum promotam
„ cuperent. Ac postquam sæpenumero talia agendi & transigendi auctoritate & po-
„ testate neutiquam munitos se declarassent, neque Fœderati Belgii Provinciarum
„ Ordines in rem suam duxissent, Tractationem tam incerto modo promovere,
„ ne arma sua ad Status ac Reip. securitatem atque Amicorum & Sociorum com-
„ modum parata hoc pacto inutilia redderentur; Idcirco Præpotentes Ordines
„ Generales primos ac primarios Articulos, ineundi Tractatus in commodum &
„ securitatem, tam Provinciarum omnium, quam Earundem Sociorum & Fœde-
„ ratorum respectu, decreverunt ac constituerunt, dictosque Articulos Deputatis
„ Suis alterius Partis Provinciarum Ordinum Commissariis tradendos dederunt,
„ eo fine, quo alterius Partis Commissarii sine circuitione aliqua, 14 dierum spatio
„ ad eosdem responderent, cum protestatione, quod si eosdem accipere recusave-
„ rint, injuriam ipsis imputatam, &, quodcunque è bello calamitatis obortum Pro-
„ vinciis Subditisque fuerit, in ipsos derivatum iri: quoniam Præpot. D. D. Ordi-
„ nes Generales non nisi cum omni Suâ & Amicorum Sociorumque suorum secu-
„ ritate & certitudine ab armis discedere in animum induxerunt, quam si consequi
„ haud poterunt, arma manibus suis retinere constituerunt; neutiquam dubitan-
„ tes, quin Deus Opt. Max. meliorem sibi posthac rerum eventum sit concessurus.
„ Quocirca etiam alterius Partis Commissariis primo die Aprilis Articuli fuerunt
„ tra-

traditi, quorum quinque, postridie ejus diei, Bruxellas discesserunt. Interim „ tamen Præpotentes D. D. Ordines Generales Copias Suas ductu atque auspiciis „ Celsissimi, Strenuissimi Fortissimique Arausionensium Principis, sub Mensis hu- „ jus finem educere decreverunt, quo antehac partam victoriam, Divino annuente „ Numine, prosequantur, atque Hispanorum exercitum tantopere impediant, „ tantisque incommodis remorentur, ut nusquam alibi Ejusdem opera atque auxi- „ lium intendi poterit. At verò si propositos Articulos acceperint, & præsentem „ Tractationem Nobiscum concluserint, omnes hujusce Reip. Socii & Fœderati „ percipient, Præpotentes D. D. Ordines Generales rem communiter susceptam, „ relinquere neutiquam sibi in animum induxisse, neque suæ duntaxat incolumi- „ tati & securitati studuisse, verum etiam semetipsos promptos paratosque præsti- „ tisse, ad Amicis, Affinibus Sociisque opitulandum, & Hispanorum Imperio stre- „ nuè fortiterque occurrendum, eo fine, quò universus Orbis Christianus, imprimis „ autem Protestantes Principes cæteraque Regna paci ac securitati communi resti- „ tuantur, eademque conserventur. „

Sed quoniam alterius Partis Commissarii decimo & octavo die Aprilis nullam adhuc Responsionem Præpot. Ordinum Deputatis tradidissent, Neque illi, qui Bruxellas missi fuerant, rediissent, in Concilio Præpot. D. D. Ordinum propositum fuit, num ipsos Responsionis admonere consultum foret: quod tamen in dies aliquot pauculos differre visum fuit.

Primo & vicesimo die Aprilis Salvus-Conductus, ipsis petentibus prorogatus fuit, donec ab Ordinibus renunciaretur.

Postquam verò decimo & tertio die Maji Bruxellis rediissent, subsequentes aliquot conventus cum iisdem habiti fuerunt: quibus ultra dies quatuordecim moram, propter Marchionis ab Aitona absentiam, oblatam excusarunt; simul etiam declarârunt, se Responsionem adhuc nullam tradere posse, antequam Articulorum quorundam ulteriorem explicationem percepissent; nihilo minus tamen se præsentem Tractationem ea propter neutiquam succisam ac dissolutam iri credere, siquidem hujusce Partis Ordines, salvo Divino humanoque honestatis jure, oblatas conditiones accipere vellent. Quinetiam se non ulteriori hactenus potestate munitos esse declarârunt, eò quòd Expediti itineris Nuncio ex Hispaniâ advenienti literæ à Gallis interceptæ fuerant, (qui mediusfidius per Dominum Charnassæum, perque varios modos obnixè operam dabant ut præsentem cum Hispanis Tractationem penitus dissolverent) Infantem tamen per literas eandem ex Hispaniâ secundò petiisse; quem in finem etiam certitudinē ab Infante literis conscriptam exhibuerunt, quâ Regem Induciarum Tractationem etiam atque etiam expetere referebat: Quin insuper horum verborum (sive quæ easdem Provincias spectant) quæ Art. primo referuntur, explicationem postulârunt, quibus à Deputatis Ordinum responsum fuit, Rhinbercam scilicet iisdem designari. Multis denique, de omnibus Articulis per varios conventus, sermonibus habitis, tandem sequentem Responsionem tradiderunt.

Regis Hispaniarum, Ordinumque Bruxellis congregatorum Deputatorum Commissarii ad Articulos à Fœderati Belgii Ordinibus Gener. primo die Aprilis proximè elapsi, traditos, ea, quæ sequuntur, respondent.

 Ad

Ad primum Articulum, propterea quod expediti itineris Nunciorum ab Hispaniarum Rege ad Infantem missorum literæ, præsentem Tractationem concernentes, interceptæ sint, Serenissima Infans proprium quendam Tabellarium ad Regem cum literis missura est, quibus literarum Auctoritatis renovationem, seu acta quædam Approbationis Substitutionis à Serenissimâ Infante Regis Ordinumque Commissariis vi literarum Auctoritatis datæ concessæque, petitura est. Quamvis Majestas Sua per literas decimo & quinto die Aprilis exaratas significavit, etiam atque etiam velle se inter Partis utriusque Ordines de Induciis suo Nomine ac titulo agi, secundum tenorem & Argumentum Certificationis ab Infante conscriptæ, cujus Copia originalis Fœderati Belgii Ordinum Deputatis exhibita fuit. Ipsi quinetiam post Tractationis hujus conclusionem à Rege trium Mensium intervallo, à Serenissimâ verò Infante quatuordecim dierum, à Provinciarum autem Ordinibus duorum Mensium spatio, Ratihabitionem & Confirmationem tradituri sunt, optimis tamen & solennibus formulis conscriptam, quem ad modum Regis Auctoritatis literis, Serenissimæ Infantis Substitutionis, Et Deputatorum Ordinum Bruxellis congregatorum Procurationis literis promissum fuit: adeo ut Fœderati Belgii Ordines sibi satisfactum esse dixerint. Omnia denique quæ in præsenti Tractatione acta, transacta & promissa fuerint, diebus quatuordecim à conclusione & ratihabitione ab utraque Parte actu & reipsa executioni mandabuntur; salvis tamen iis rebus, quarum observationi atque executioni aliud tempus hac Tractatione fuerit constitutum. Ac præter Hispaniarum Regis atque Infantis obligationem & devinctionem, ipsi quin insuper Belgii Provinciarum Ordines Bruxellis congregati obstringentur ac devincientur, intra dictum temporis spatium præstare atque executioni mandare quæcunque Provincias, & quæ Rhinbercam spectant, vi sic dictæ Tractationis, concessa fuerint. Insuper etiam supramemorati Ordines Bruxellis congregati promittent; Se omnia, quæ per contraventionem sive Tractationis violationem intra temporis spatium præsenti Tractatione determinandum, detrimenta in Belgii Provinciis inferentur, resarcituros ac reparaturos esse; fidem quinetiam solenniter dabunt, se omnem operam studium ac diligentiam adhibituros, ut quocunque loco & tempore necesse fuerit, contraventiones, & Tractationis violationes, quæ tempore constituto extra Belgii Provincias offerentur, quamprimum reparentur; Eâ lege tamen & conditione, ut contraventiones atque Articulorum violationes, quæ publicâ Auctoritate non committentur, secundùm Induciarum Anno 1609. contractarum Articulum tricesimum & primum conficiendæ atque expediendæ veniant.

Ad secundum Artic: Omnes & singuli Articuli Tractationis Anno 1609, die nono Aprilis, & 7 Januarii Anno 1610, initæ, exceptis tamen iis, de quibus præsenti Tractatu ulterius agetur, de novo confirmabuntur, & tam extra quam intra Belgii Provincias, quinetiam per universum terrarum Orbem, constanter atque inviolabiliter observabuntur; Exercitium Romanæ & Catholicæ Religionis in Brabantino agro patente liberè & securè absque ullâ ejusdem mutatione securè reservabitur, idque secundum promissa asserta ac stabilita per Regis Galliarum Legatos 9 Aprilis, Anno 1609.

Ad tertium Artic. Negotium limites agrorum concernens, juxta tenorem præteri-

teritarum Induciarum expedietur & conficietur, tam respectu eorum, quæ ante commemoratas Inducias, quàm quæ post illas ab utraq; Parte expugnata atque occupata fuerunt; & quod in contrarium commissum fuit, reparabitur. Ac ne quidquam difficultatis horum respectu posthac oboriatur, perfectissima Oppidorum, Municipiorum, Propugnaculorum, Munitionum Agrique patentis Explicatio instituetur.

Ad quartũ Art. Quandoquidem Sylvæ-Ducensis Majoratus Negotium & multo tempore & multa inquisitione indigeat, Commissarii etiam atque etiam rogant, quandoquidem neutiquam visum fuit dictum Majoratùs Negotium in privatam aliquam post præsentem Tractationem, differre, ut tempori consulatur, de eodem Negotio à Commissariis quibusdam, quorum numerus à Fœderati Belgii Ordinibus determinabitur, absque tamen principalioris Tractatùs omissione, agetur ac transigeretur.

Ad 5. 6. & 8. (de septimo quippe conventum est) octavi Articuli postulata concedentur, idque respectu Regnorum, Statuum ac Provinciarum, in quibus Fœderati Belgii Incolis & Subditis, vi præteritarum Induciarum, Negotiari licitum fuit, cum promissione, ut Serenissimus Rex, onera & vectigalia quæ Scaldi, Sassiæ Gandavensi & Swyndæ propter bellum imperavit, per universum Induciarum tempus remissurus, neque ulla postmodum imperaturus sit. Eâ lege tamen ac conditione, ut quæ à Fœderati Belgii Ordinibus in posterum excogitanda atque imperanda venient, eo pacto, quo inter utramque Provinciarum Partem convenietur, moderentur. Atque ita quintus & sextus Articulus concedetur.

Ad nonum Articulum, iis, quæ Commissarii supra proposuerunt, insistunt, quod scilicet Judæi, & qui Judaicam Religionem profitentur, Fœderati Belgii licet Subditi, neque ipsi, neque merces eorum plus commodi atq; utilitatis percipient, præterquam reliqui Judæi in aliis terrarum locis commorantes, Eorumque merces in Regis Hispaniarum Regnis, Imperiis sive Provinciis percipiunt: Quod autem Judæos in Belgii Provinciis Regis Imperio obtemperantibus commorantes attinet, neque illi, neque eorundem merces sive bona quæcunque admittentur, magis quam præteritarum Induciarum tempore vel ipsi vel eorundem merces sive bona admissa fuere: At si eorundem merces in navi quadam mercenaria, ad Unitarum Belgii Provinciarum Subditos, qui Tractationis hujus beneficio gaudebunt, pertinente, reperiantur, Eorundem Fœderati Belgii Subditorum bona mercesque haud aliter publicabuntur, quam aliorum bona mercesque jure ac solito more publicantur, idque secundùm leges, jura ac constitutiones quæ in Hispaniis adversus bona permissa, vetita & commutata sive permixta observari consueverunt. Denique Serenissima Infans per literas à Rege petet, ut injustam quamcunque & illegitimam inquisitionem molestiamque cessare faciat.

Decimum Art. concessum dicunt; adversus undecimum autem, ut supra, protestantur.

Ad duodecimum Artic. ut in superioribus scriptis declaratum fuit, respondent, Bredam Fœderati Belgii Ordinibus restitutam iri, excepto tamen agro suburbano, cujus jus atque imperium Majestati Suæ eâ lege relinquetur, ut Religio Romana Catholica, & Ordo Ecclesiasticus unâ cum regimine, uti jam nunc administrantur,

T 2

» ſtrantur, permaneant. Inſuper etiam Rhinbercam Ejuſdemque munitiones unà
» cum propugnaculo, quod ex adverſo jacet, Regio milite liberata, mœnibus ſuis
» exuta, ipſamque Civitatem neutralem habitam, ac Colonienſi Principi Electori
» redditam iri. Pernambucum verò quod attinet, illud Majeſtati Suæ traditum iri,
» certâ tamen pecuniæ ſummâ exſolutâ, cujus, ſupra trecentena coronatorum millia, antehac oblata, augendæ Deputatis Suis Majeſtas Auctoritatem & poteſtatem dedit, hac lege tamen, ut ſupradictum Pernambucum eo tempore & modo,
» quo conſtitutum fuerit, tradatur. Gelriam verò, niſi alia Ejuſdem loco, munitio
» ſive oppidum quo Regi ſatisfiat, tradatur, neutiquam reſtitui poſſe.

» Ad decimum & tertium Artic. quod attinet, civiles, & detrimenti reparationes,
» ſi quæ lites ac diſſenſiones de *non-executione* Tractationis, boniſque annotatis ſive
» publicatis obortæ fuerint, ab æquali Arbitrorum ab utraque Parte eligendorum,
» qui in Belgii Provinciis, non autem alibi commoraturi ſunt, decidentur ac conficientur. In quem etiam finem ordo quidam inter utramque Partem conſtituetur, eâ lege ac conditione, ut dicti Arbitri nihil præterquam contraventiones,
» ſive Tractationis violationes, aut injurias prætenſas, quæ Auctoritate publica ſive
» Regis Hiſpaniarum, ſive Provinciarum Fœderatarum Ordinum, obortæ fuerint,
» inquiſituri ſint. Violationes autem & Contraventiones à Privatis perpetratæ, ſecundùm 31 Articulum præteritarum Induciarum conficientur.

» Ad 14 Artic. Commiſſarii promittent cauſam Chaſtelli Bellini per ſupremum
» Mechlinienſem Senatum intra Anni ſpatium, poſtquam omni ex Parte abſque
» morâ ullâ cognita fuerit, expeditam iri, adeo ut Celſiſſimo Arauſionenſium Principi, nulla juſtè querendi cauſa relinquatur.

» Decimo & quinto Articulo à Parte utraque per decimum tertium ſatisfieri
» poſſe videtur.

» Ad 16 Articulum, non ulterius quam in præteritarum Induciarum Tractatione, concedetur; eâ lege tamen, ut Articuli cum Comite-Stabili Caſtiliæ initi, &
» ſeptimo ſupradictarum Induciarum Articulo Fœderati Belgii Subditis atque Incolis conceſſi per privata quædam acta exprimentur, & tanquam præſenti Tractatui inſerti habebuntur; quinetiam in varias Linguas transferentur, imprimentur, &, quocunque loco modoque viſum fuerit, in lucem edentur.

» Ad 17. Art. à Sereniſſima Infante ac Cæſarea Majeſtate agetur, Eâ lege ac conditione, ut Fœderati Belgii Ordines Gener. promittant ſe à Tractationis præſentis concluſione nihil quicquam auxilii neque ſubſidii Cæſareæ Majeſtatis Hoſtibus, ſive iis, qui poſthac adverſus eandem bellum paraturi ſunt, allaturos eſſe.

» Ad 18. Sereniſſima Infans inter Majeſtatis Suæ Conſiliarios inquiri jubebit in
» prætenſiones eodem Articulo allatas, deque iis ut oportet conſilium quamprimum
» inibit. At præſertim quod ad Principis Eſpinoyæ prætenſiones attinet; Sereniſſima Infans, antequam de iiſdem conſilium capiet, Sereniſſimæ Principi Ligniaci
» Articulum præſentem, Scripta quinetiam à ſummè dicto Principe eum in finem tradita miſſura eſt; cui etiam petitio à Principe Eſpinoyæ in finem contrarium propoſita tradetur, quò utriuſque Partis reſponſione cognitâ perſpectâque, Deputatis, quorum curæ negotium illud demandabitur, præcipiatur ut ad cujuſque
» Partis prætenſiones ac petitiones, prout decet, reſpondeant. De Comite Henrico

Ber-

Bergio, & Comite Warfusæ Sereniſſima Infans ad Hiſpaniarum Regem literas „ datura eſt. Et quodcunq; à Privatis quibuſdam Majeſtatis Subditis petetur, poſt- „ modum tranſigetur, Dabantur 18 Maiji, 1633. Infra, ex Auctoritate & juſſu ſu- „ pradictorum Deputatorum; Notatum erat, *I. Edel-Heer.*

Quibus in Concilio traditis, Provinciarum Ordinum Deputati, qui aderant, partim per Deputatos, partim per literas ſe Dominos Suos Deputantes certiores eſſe facturos promiſerunt, eo fine quò Deputantium ſuorum ſententiam cognoſcerent, eamque poſtridie Kal. Junii in Concilio Ordinum traderent: ac quoniam Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps tunc temporis Copias Suas jam eduxerat, tam reſponſionis, & verborum, quæ in eam fuerant habita, quàm Articulorum exemplar per literas accepit.

Partis autem alterius Commiſſarii nonnihil interea otii nacti, primaria ſe Hollandiæ & reliquarum Provinciarum oppida viſuros eſſe ſpargebant. Quod cum Præpotentes D. D. Ordines Gener. percepiſſent, neque varias ob cauſas approbaſſent; à Domino Graphiario Muſch Reſponſionem ſuam ad Provinciarum Ordines miſſam eſſe primum Ipſis indicatum fuit. Quorum ſententiam ad diem ſecundum Junii redditam iri ſperabant. Deinde verò ne Hagâ-Com. diſcederent, neve Provinciarum oppida viſerent, ab Eodem rogati fuere. Ad quæ cum Dux Areſchoti diceret, *hæc rogari duntaxat à Præpotentibus Ordinibus, ſuæ tamen humanitati ac voluntati relinqui, utrum propoſitum iter inſtituere, nec ne, vellent,* à ſupradicto Graphiario reſponſum fuit, *quæ à Præpotentibus Ordinibus Generalibus, utpore hujus Status Moderatoribus ſummis, peterentur, ea ſimul imperarentur;* Duci itaque, *num iter quod Bruxellas ducit, occluſum eſſet*, quærenti, reſpondit Graphiarius, id neutiquam eſſe, ac ſi eò Salvum-Conductum peteret, minimè negatum iri.

Paulo tamen poſt, ubi Dominum Danſermontium adverſus Præpotentium D. D Ordinum Mandatum (antequam verò ejus indicium à Graphiario factum fuiſſet) ac ſi equos empturus eſſet, Scorelium petiiſſe, indeque in Friſiam proficiſci conſtituiſſe, annunciatum fuit, tam iniquo animo illud Præpotentes tulerunt, ut per literas ipſi ſignificarent, quæ oretenus Collegis ejus indicari juſſerant: Salvum videlicet Conductum ipſis non Provinciarum oppida viſendi cauſa datum fuiſſe, ſed Hagam duntaxat perveniendi atque Induciarum Tractatui incumbendi: Literarum Concluſio hæc erat, *Quocirca majorem in modum confidimus*, Te, ubi has perlegeris, *libenter huc eſſe reverſurum, Teque adverſus omnia incommoda, quæ in itinere præter Noſtri intentionem oboriri poſſent* (eò quòd Salvo-Conductu ejuſmodi carebat) *defenſurum.*

At quoniam maxima Pontificiorum turba propter Miſſam cæteraque Religionis Romanæ exercitia ſupradictis Commiſſariis tanquam Legatis Eorumque familiis permiſſa, Legatorum ædes quotidie frequentabat, Hollandiæ Ordines ſummopere rogati fuerunt, ut rem hanc certo aliquo ordine dirigere vellent.

Eodem fere tempore Salvus-Conductus petebatur Domino de Wouwere, Regii fiſci Conſiliario Bruxellis commoranti, eo fine ut majori ſtudio Tractationis negotium Nomine ac Titulo Hiſpaniarum Regis promoveret: quod contra Ducis Areſchoti Ejuſdemque Collegarum voluntatem factum fuiſſe compertum eſt: Petitioni itaque, partim quod Ordines de Tractationis ſucceſſu diffidebants

bant, quod alterius Partis hominum satis magnus numerus esset admissus, defuerunt.

Postremò autem, cum jam alterius partis Commissariorum Responsiones novissimæ partim per literas partim per Deputatos singulis Provinciarum Ordinibus innotuissent, eædem ad Celsissimum Arausionensium Principem jam tum Rhinbercensi obsidioni intentum similiter missæ fuerunt, quò consilium ejus prudentissimum super iisdem cognosceretur: Qui tandem sequentia respondit.

Præpotentes Domini,

„ Quas ad Nos vicesimo hujus Mensis literas cum reliquis actis misistis, accepimus, quibus Nostrum super Induciarum cum alterius Partis Deputatis tractatione „ consilium petere dignati estis. Summo Nos honore eâ de causa affectos non diffitemur, pro quo tamen gratias magnas agentes; nonnihil subveremur quidquam „ in eâ re à Nobis pro negotii pondere, Vestra intentione & meritis, proque Nostro „ officio ac voluntate agi posse. Nihilo minus verò pro officio Nostro sententiam „ libere dicemus;

„ Quod videlicet universa Induciarum tractatio in hisce duobus consistere Nobis videatur, Primum *in iis quæ Europam*, Secundum, *quæ Indiam taungunt*.

„ Quæ ad Europam attinent, binas duntaxat in iis difficultates primarias percipimus, alteram super *Majoratu Sylvæ-Ducensi*, alteram verò de portibus ostiisque „ Flandriæ maritimis, de quibus utrisque neutiquam desistendum esse censemus sed „ iis inhærendum, idque eò magis, quod in utrisque utrique Parti facili negotio satisfieri posse arbitramur. Sin minus, quod tum illa, quæ antehac à Deputatis Vestris proposita fuere, urgeri debeant. Nam quod ad ulteriores Articulos, de quibus „ ambigitur, attinet, illi, quemadmodum Nos existimamus, haud difficulter com„ poni poterunt.

„ Quæ autem *Indiam* spectant, nullum mediusfidius remedium quo ista componantur, reperimus: propterea quod fama, dignitas Patriæq; commodum in hisce „ sita sint, ut Pernambucum reservetur, neque pecuniæ sive promissionum quarumcunque causâ Occidentalis Indiæ Societas negligatur; *utpote quæ de Patriâ tam* „ *benè merita sit, ac Regem Hispaniarum tantis cladibus affecerit, atque etiamnum afficere* „ *possit:* Quæ verò *Indiam Orientalem* spectant, existimamus iis inhærendum esse, „ quæ in Præteritarum Induciarum Tractatione proposita & concessa fuerunt; id„ que eo magis, quod ipsemet Hispaniarum Rex eandem hanc viam ingressus sit, sicut ejus negotii causâ nihil quicquam in Tractationis Induciarum detrimentum fuerit actum. Interim tamen non abs re fore existimamus, si utraque Societas su„ per hac re consulatur, atque id, quod dederit consilium, decernatur; utpote „ quæ universum Negotium cognitum perspectumque habeat, ac cujus præ cæteris „ intersit.

„ Denique, ut horum omnium successus tanto maturius percipiatur, censemus „ de iis agendum & concludendum esse, quæ alterutrum spectant; ac primum quidem rerum Indiæ initium faciendum esse, de quibus si conventum fuerit, ea, quæ „ ad Europam pertinent, faciliùs quoque componi posse.

Hæc

Hæc summa est eorum, quæ consilii ac sententiæ loco ad Vos mittere potuimus; nihilominus tamen Nosmetipsos ad Vestram sapientiam ac prudentiam ablegavimus, quò omnia à Vobis agantur & transigantur, prout in rem ac dignitatem Patriæ fore existimabitis. Quod reliquum est, Nosmetipsos Vobis majorem in modum commendamus, & Deum Opt. Max. etiam atque etiam rogamus, ut Vos in Sanctissimam protectionem recipiat. *Actum in castris ad Rhinbercam, Kalend. Iunii Anno 1633. Paulo infra, Vester Officiosissimus Fredericus Henricus Nassavius.*

Diebus verò paucis post; Celsissimus Arausionensium Princeps querelas instituì jussit, propterea, quòd Dominus Charnassæus harum literarum exemplar sibi fuisse traditum, idque se Galliarum Regi, in Linguam Gallicam translatum, misisse jactaverat.

Decimo & quarto die Junii postquam utriusque Partis Deputati convenissent, Præpotentium D. D. Ord. Deputati alterius partis Commissariis proposuerunt, nullam sibi hactenus satisfactionem, respectu dilatæ tamdiu ac toties postulatæ Procurationis, datam fuisse: secundò etiam summam illam de utraque Indiarum Societate difficultatem, quam ipsi huic Tractationi insertam volebant; Nostri verò, ut bellum continuaret, cupiebant. Tertiò, Majoratus Sylvæ-Ducensis negotium. Quartò, Scaldis, Sassiæ & Swyndæ occlusionem: Quinto, Bredæ ac Gelriæ restitutionem. Ad primum quidem responderunt, Veredarios suos per Galliam in Hispaniam tendentes, indeque revertentes Gallis detineri, spoliari eorumque literas intercipi; sperare tamen, dictam procurationem brevi temporis spatio allatam iri, quamvis Procurationem Anno 1629. per literas à Rege Hispaniarum ad Rubenium missam, ac confirmatam sufficere posse arbitrarentur. Ad negotium *Indiarum*, Nostros in principio hujus Tractatus earundem etiam pacem expetiisse, demonstrare conabantur; posse nihilominus de eodem Negotio postmodum agi. Pro Gelriæ Bredæque Urbis restitutione, Pernambucum postulârunt.

Quippe *Majoratum* ab Urbe non dependere, optimis se rationibus commonstrare posse existimabant. Ad cæteros verò Articulos quod attinebat, ea, quæ antehac responderant, repetebant. Verbis duntaxat referendo, quibus sententiam confirmare videbantur. At postmodum contentos se esse dicebant, si Urbs Gelria cum loco alio munito, quem indicari cupiebant, commutaretur, Urbem quininsuper Bredam absque agro suburbano restituere volebant, eâ lege tamen, ut Romana Religio atque Ordo Ecclesiasticus, prout jam in eo loco observantur, ità etiam deinceps reservarentur.

Cæsarem autem, de quo Articulo decimo & septimo, jam ab Infante eo adductum ajebant, ut fidem daret, super universum Induciarum spatium nequidquam adversus Provincias Belgii Fœderatas hostiliter esse occepturum, si videlicet ab hisce quoq; Provinciis nihil quicquam mali Imperiis suis inferatur: at verò si Cæsareæ Majestatis hostibus quodcumque suppetiarum afferrent, jam tum Hispaniarum Regi Majestati suæ subvenire integrum fore.

Quum jam ulterius in eo Negotio procedi non posset, Dominus Heemstedius & Dominus Knuytius delegati fuerunt, ut, quæcunq; acta forent, Celsissimo Arausionensium Principi renunciarent: qui, postquam decimo & septimo die Julii rediis-

rediissent, retulerunt Celsissimi Principis sententiam in eo consistere;

Primò, ut alterius Partis Commissariis ulterior Tractatio indicaretur, ac multo seriùs nova Procuratio sive Confirmatio substitutionis ab Infante Hispaniarum alterius Partis Deputatis concessæ, peteretur; interim tamen ne Tractationem, si dicta Procuratio seu substitutionis Confirmatio tam cito non exhiberetur, neutiquam dissolveretur.

Secundò, ut *Indiæ utriusque & Orientalis & Occidentalis Societas* incolumis conservaretur ac propugnaretur. Imprimis autem ut *Occidentalis Indiæ Societas*, sive armis sive mediis quibuscunque optimis, quæ ab Eadem Societate excogitabuntur, conservaretur, neve ob causam quamcunque *Pernambucum* traderetur, aut cum nummorum aliqua summa commutaretur.

Tertiò, ut *Majoratus* retineretur, sed si alterius Partis Commissarii honestas & æquas conditiones offerrent, ut Præpotentes Ordines ad easdem pro rei necessitate animum adverterent.

Quartò, ut Negotium Navigationis trans Scaldim ac Canales eidem respondentes, multò clariùs ab alterius Partis Commissariis exprimeretur; prout ratio ac honestas postulare videretur.

Quintò, ut Nostri instarent, quo *Gelria* pro *Rhinberca* mœnibus suis exueretur, *Bredæ* quinetiam restitutio urgeretur; cujus tamen universum Negotium Præpotentium Judicio atque arbitrio relinquebat. Hoc saltem volebat, ut munitiones prope S. Stephano-wardam novissimè exstructæ, si Tractatio succederet, diruerentur.

Sextò, ut Cæsarea Majestas Tractationi includeretur, æqualibus tamen conditionibus: hoc videlicet pacto, si Rex Hispaniarum res Germaniæ non curaturum, neque se iisdem esse intermisturum, promitteret, ut Præpotentes idem quoque promitterent; contra verò si Rex Hispaniarum vel Cæsari vel rebus Germanicis subveniret, ut Præpotentibus itidem Suis in Germania Fœderatis opem ferre liceret.

Hæc omnia ut proximo conventu proponerentur; de quibus si utraque Pars convenisset, neutiquam dubitabat, quin ad reliquos Tractationis Articulos componendos, multò faciliùs remedia quædam excogitari atque inveniri possent, quibus honestè ac securè ab armis discedere liceret. Quæ si minus ex sententiâ succederent, neque ab Hostibus impetrari possent, quod tum rationes ineundæ forent, quibus bellum cum omni alacritate & provida animi circumspectione, ad exemplum Majorum & Prædecessorum Nostrorum, commodè continuari posset, quemnam rerum exitum Deus Cœlestis daturus sit, expectando.

Rebus hoc modo se habentibus, Rex Galliarum per Dominum Charnassæum (qui jam ab initiò Tractationis Hagæ-Com. adfuerat, eidemque perpetuò adversatus fuerat, cum demonstratione majoris commodi per continuationem belli consequendi) clam Arausionensium Principi indicari jussit, Majestatem Suam cum ingenti exercitu Lotharingiam invadere decrevisse: quo eveniret, ut Copiæ Hispaniarum Regis, qui Ducem Lotharingiæ Socium atque Amicum suum perire nollet, tantopere distraherentur, ut Provinciarum Fœderatarum exercitus debito modo instructus confirmatusque expeditionem aliquam incipere posset, quò

Cel-

Celsitudo Sua Provincias Imperio Hispaniarum Regis obtemperantes, in quo loco præteritâ æstate fuerant sitæ, restitui, ac generalem aliquam ab Hispanis defectionem, sive novem à Fœderatis Provinciis Articulorum propositorum acceptionem effectam reddi posse sperabat. Quocirca etiam Celsissimus Arausionensium Princeps à Regni Cancellario Oxensternio, atque ab Hassiæ Landt-Gravio per literas impetravit, ut ingens Helvetiorum Hassiacorumque Equitum numerus ingens Fœderatis Belgii Provinciis officium aliquod præstaret. Rhinbercâ itaque Neomagium usque Copias Suas deduxit; Cleverhamiæ locum Equitibus suis designavit, Insuper etiam bis centena panis bis cocti millia, atque ingentem navium numerum Geertrudisbergam advehi jussit, deinque Castra Boxtelium movit.

Quandoquidem autem Coloniensis Princeps Elector, Anno proximè elapso, quum Unitarum Belgii Provinciarum Ordines, se occasionem rei in posterum feliciter adversus Hispanos gerendæ consecutos esse arbitrarentur, Papenhemii Copias evocaverat; Idcirco ne similiter faceret, per Legationem literasque ab ejusmodi cœpto absterrere visum consultumque fuit. Dominus itidem Charnassæus ingentem dicti subsidii summam per Commissarium Heuftum exsolvi curavit, atque variis conventibus super Tractationis cum alterius Partis Ordinibus abruptione, & novâ cum Gallis Tractatione habitis, haud obscurè indicavit Regem cum Hispanis dissolutionem etiam atque etiam expetere; quemadmodum illud per Dominum Baugium Anno 1629 & 1630 satis indicatum fuit.

Principio Augusti sequens Memoria ad omnes Legatos, Insuper etiam ad omnes minoris qualitatis Ministros in aliis Regnis atque Imperiis Unitarum Provinciarum Ordinum Nomine residentes missa fuit, Eò fine, ut, quibus opus esset, eandem communicarent. Quinetiam Declarationes, quas secundo & vicesimo die Maji, & undecimo die Septembris, Anno proximè elapso, in lucem editas fuisse supra commemoravimus, à Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus denuo impressæ fuerunt, quò inter alterius Partis Subditos divulgarentur. Quæ tamen nullum prorsus effectum sortitæ fuerunt, præterquam quòd Galliarum Rex universam Lotharingiam occupaverit, ac 25 Septembris Nanceæum solenniter ingressus fuerit.

Exemplum Memoriæ, quæ ad omnes Ministros Unitarum Belgii Provinciarum, Ordinum Nomine in Regum, Principum & Rerumpub. Aulis Residentes, missa fuit, quo omni tempore, ac loco, & quibus oporteret, exhiberetur, simul etiam indicaretur quousque Tractatio Induciarum cum alterius Partis Commissariis esset producta. Eaque sequentibus exprimitur.

TRactationem sc. inter Regis Hispaniarum Commissarios, atque Ordinum „ Fœderati Belgii Deputatos, seria alterius Partis Commissariorum petitione „ tam diu productam ac continuatam fuisse, sub promissione novæ à Rege Hispa- „ niarum Procurationis concessæ, insuper etiam ejusmodi potestatis atque Aucto- „

 ritatis „

„ ritatis literarum exhibitionis, quâ omnes Belgii Provinciæ cum utriusque Partis
„ securitate in pristinum tranquillitatis atque incolumitatis statum restitui pos-
sent.

„ Huic tamen promissioni neutiquam Eos respondisse, sed verò de armorū quadam suspensione agere cœpisse; huic quidem propositioni postquam Præpotentes D. D. Ordines Generales abnuissent, alia quædam protulisse, neque secundùm Ordinum Generalium propositos Articulos supramemoratam satisfactionem, ulteriorem sc. Regis procurationem tam diu postulatam, exhibuisse.

„ Interea autem temporis cognitum perceptumque fuisse, Cardinalem Infantem cum ingenti militum Copia in Italiam advenisse, quos in Belgium deducturus esset: ingentem quinetiam navium numerum Hispaniam petiisse, multasque ibidem apparari atque exornari, quibus ingentes Hispanorum militum Copias in Belgium traductas iri certum est.

„ Quin insuper etiam sex primarios Regis Commissarios jam ante Menses binos Bruxellas discessisse, qui novam aliquam Procurationem atque Auctoritatem ulteriorem quâ super Fœderati Belgii Ordinum Generalium Articulis propositis agere possent; ac quamvis alterius Partis Commissarii, qui Hagæ-Com. permanserunt, non semel promisissent, supradictos Collegas suos brevi temporis spatio Bruxellis redituros esse, nondum tamen apparuisse, neque de eorundem reditu quidquam certi relatum fuisse; quandoquidem in Hispaniam ipsorum nonnullos per literas vocatos esse, sive eodem delegatos iri, Bruxellis renunciatum fuit. E quibus omnibus satis superque apparet, alterius Partis Commissarios tempus aliquod sibi evincere studuisse, ac Regem Hispaniarum Ejusdemque Ministros perfidè sceleſtèque hic atque aliis in locis egisse, ut sese novis viribus ubique confirmarent, neque compositione bonâ Pacem Christianam, sed phaleratis dictis armisque perniciosissimas suas ambitiones ac molitiones promoverent, dissentientibus nihilominus atque improbantibus Eorundem Commissariis, qui omni prorsus agendi potestate atque Auctoritate hactenus destituuntur.

„ Eapropter etiam Præpotentes D. D. Ordines Gen. arma retinere, simul etiam Hispaniarum Regi, terrâ marique quodcunque damnum ac cladem inferre; & præsentis Tractationis malitiosa dissolutione universo terrarum Orbi ob oculos ponere constituisse, quantopere dictus Hispaniarum Rex Ejusdemque Socii à Christianorum omnium Pace firmâ ac perpetuâ animum suum aversum habeant.

„ Illud quoque Euangelicis in Germania admonitioni dare voluisse, ne aliquo Tractationis prætextu arma sua relinquant, suumque commodum, quod consequi posse videntur, negligant; sed verò armorum suorum beneficio, cum maximo eorundem detrimento, qui universi Orbis Christiani Pacem ac tranquillitatem ad hunc usque diem perturbârunt, dictæ Paci, Divini Numinis Auxilio promovendæ atque efficiendæ operam dare etiam atque etiam velint: Idque Præpotentes D. D. Ordines Gener. absque ullâ consilii animique sui mutatione, facere decrevisse.

Decimo & tertio die Augusti Dominus Edel-Heer, & Dominus Ronnetus alterius Partis Commissarii Domino Heemstedio annunciârunt, sibi potestatem esse

esse factam Articulos nonnullos expediendi: Quibus Dominus Heemstedius, hujusce Partis Deputatorum plurimos, queis Tractationis cura demandata fuerat, abesse respondit.

Porrò autem Dominus Edel-Heer ipsi indicavit, quoniam ab Hispaniarum Rege nullas literas hactenus acceperant, neque alterius Partis Ordines minus quàm dudum præsentem Tractationem expeterent, idcircò visum sibi consultumque fuisse, Archiepiscopum Iperensem, Ducem Arescoti, & Dominum Schotum Civitatis Bruxellensis Syndicum, ad Regem delegare, ut à Parte Sua requisitam Procurationem consequerentur; quod quidem iter, Madricum usque viginti & unius diei spatio confici posse dixit. Quocirca etiam atque etiam rogâvit ut Majoratus Sylvæ-Ducensis negotium, in quo tum situm erat loco, ad Tractationis præsentis eventum relinqueretur.

Interea autem temporis Fœderati Belgii Ordinum exercitus se movere cœpit; ac primo quidem prope Hezam Leendamque diu ab Hispanis, Aitonâ ac Comite Johanne Ducibus, detentus, Hispanis Demeram recedentibus, Trajectum ad Mosam discessit; quo in loco diebus aliquot consumptis, Mosam tandem trajecit, ac per Præfecturam Neomagensem reversus est: Sueciæ verò Hassiæque Equitatus juxta Rhenum Vesaliam usque revertens, nihil in Fœderati Belgii Provinciarum commodum effecit, præterquam quòd tantum Hispanis Negotii eo oblatum fuerit, ut Galli Nanceum, atque universam fermè Lotharingiam occupaverint. Interim tamen Fœderati Belgii Ordines Generales animo oppidò iniquo tulerunt, quod alterius Partis Commissarii tamdiu Hagæ-Com. absque ullâ Regis Hispaniarum responsione commorarentur. Qua de causa reliquos alterius Partis Commissarios decimo die Octobris in ædes Comitis Culenburgensis convocare decreverunt; ubi dictis Deputatis à memorato Comite Culenburgensi indicatum fuit, *Ut meminissent, se non residendi, sed agendi Negotiumque transigendi causa Hagam-Com. advenisse: ac nî potestate plenissimâ adhuc muniti forent, ut eam sibi quatuor vel ad summum sex septimanarum spatio compararent, quam si dicto septimanarum spatio non exhiberent, dimissionem illico ab Ordinibus datam iri.* Frisiæ quidem, Civitatis Groningæ Omlandiæq; Deputati jam tum eos dimittendos esse censebant. Alterius verò Partis Commissarii haud iniquum esse quod propositum fuerat, concedebant, idque sibi tantopere displicere obtestabantur (quod etiam per literas Deputantibus suis crebrò missas indicabant) ut inhumanitatis se argui posse non negarent.

Vicesimo & secundo die Novembris sequentem Responsionem exhibuerunt;

Quoniam Fœderati Belgii Provinciarum Ordinibus Generalibus quatuor Regis Hispaniarum Ordinumque alterius Partis Bruxellis congregatorum Commissariis Hagæ-Com. relictis decimo die Mensis jam proximè elapsi, per Deputatos suos proponere placuit, *quantopere Tractationi præsenti finem imponi oporteret, atque eâ de causa reliquos Commissarios Collegas suos delegari necesse esset, ad Majestatis Suæ suorumque Deputantium mentem ac voluntatem pernoscendam, è quâ perciperetur, num præsens Tractatio ad finem exspectatum perduci posset, cujus Negotii conficiendi causa quatuor, sive ad summum sex septimanarum spatium constituere visum fuit.* Idcirco præmemorati Commissarii, postquam horum omnium Serenissimæ Infanti, cæterisque Do- »

„ minis suis Deputantibus indicium fecissent, ad præcedentia vicesimo & secundo „ die hujus Mensis responderunt, Dominos sc. Deputantes suos assiduè operam de- „ disse, atque etiamnum summam dare, quo occepta illa Tractatio ad finem opti- „ mum perduci posset, Eosque hanc ob causam Bruxellis hactenus commoratos „ fuisse: verum enimverò quoniam tantâ diligentiâ curâque, quam adhibuerunt, ne „ tantum quidem hactenus obtinere potuerint, quantum ad præsentem Tractatio- „ nem concludendam fuerat necessarium (quod tamen per literas duntaxat impe- „ trari minimè posse arbitrantur) Serenissimæ itaque Infanti cæterisque Dominis „ Suis Deputantibus visum fuit ut Dux Arescoti, una cum Syndico Bruxellensi (ut „ Ducis Arescoti Consiliario) in Hispaniam proficisceretur, quò Majestati Suæ „ totius Negotii statum indicaret, simul etiam talem à Rege Hispaniensi Senten- „ tiam perciperet, quæ universæ Tractationi conficiendæ inserviret. Quod qui- „ dem iter quum decimo & sexto hujus Mensis summè memoratus Dux Arescoti „ una cum Bruxellensi Syndico haud invito susceperit, idque cum omni celeritate „ conficere decreverit, dicti quatuor Commissarii neutiquam dubitarant, quin „ eam, quam à Rege expectabant sententiam, quamprimum impetraret: De qui- „ bus omnibus hujusce Partis Deputatos certiores facere voluerunt, partim ut ipsis „ demonstrarent, se cum omni fide animique sinceritate in Negotio præsenti age- „ re, partim ut Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Deputati quum omne stu- „ dium, operam ac diligentiam à dictis Commissariis adhiberi videant, tanto æquio- „ re animo ulteriorem temporis ad id requisiti dilationem concederent. Tradeba- „ tur quarto die Novembris, Anno 1633. Signatum erat, *I. Edel-Heer.*

Nono die Decembris Gelriæ, Zelandiæ, Ultrajecti, Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Deputati petierunt, ut alterius Partis Commissarii dimitterentur. Contra verò Hollandiæ ac Trans-Ysulaniæ Deputati, ut paulò diutius retinerentur, in rem Patriæ fore existimârunt. Galliarum verò Rege Tractationis hujus succisionem summopere urgente, multaque insuper per Dominum Charnassæum, si arma retinerent, pollicente, decimo & sexto die Decembris; Celsissimo Arausionensium Principe præsente, in Concilio decretum fuit, ut quatuor supradictorum alterius Partis Commissariorum in conclavi postero die convocatio haberetur, iisdemque Dimissio, prout tradita fuit, daretur.

Exemplum Dimissionis alterius Partis Commissariis concessæ.

„ UNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales per præsentes declarant, Se „ propter oblationem antehac Nomine & titulo Deputatorum Belgii Provincia- „ rum D. D. Ordinum Bruxellis congregatorum, per suos Deputatos cum alterius „ Partis Commissariis, qui postmodum etiam ab Infante, Nomine locoque Hispa- „ niarum Regis, Auctoritate ac Potestate muniti fuerunt, Tractationem iniisse, quâ „ à tam diuturno, cruento funestoq; bello Provinciarum honestè ac securè abscedi, „ ac per consequens quâ bella postmodum inter Christianos exorta componi, atque „ Amicorum Sociorumq; hujus Reip. incolumitas tranquillitasque effici potuisset; „ Ac quamvis Præpotentes D.D. Ordines Generales in Negotio hoc universo cum

omni

omni ſinceritate ac voluntate, cum eorum quæ requirebantur exhibitione, egerint, nihilominus tamen Dominos Commiſſarios Hiſpaniarum Regis alteriuſque Partis Deputatorum Belgii Provinciarum Ordinum jam aliquamdiu in Procuratione ejuſmodi à ſummedicta Majeſtate exhibendâ, quæ ad tam ſolennem tantique ponderis Tractationem requiſita, proindeque à dictis Commiſſariis promiſſa atque expectata fuerat, defuiſſe; Eapropter etiam tantam Procurationis exhibendæ moram nonnihil ſibi ſuſpicionis concitaſſe, utrum hæc Tractatio (quod tamen non videbatur) ab alterius Partis Ordinibus animo ſincero inſtituta ab ejuſmodi, qui univerſi Belgii Provinciarum incolumitatem ac tranquillitatem parvi æſtimant, diſturbata foret; Idcirco Se poſt maturam deliberationem & Principis Celſiſſimi Conſilii perceptionem, *in rem Patriæ fore, neutiquam judicare potuiſſe, ſi alterius Partis Commiſſarii, qui Hagæ-Com. relicti fuerunt, diutius ibidem commorarentur; contrà verò ſatius eſſe duxiſſe, ſi ſupramemorati Commiſſarii Bruxellas ſeſe ad reliquos Collegas ſuos conferrent, ac pariter cum reliquis incumberent, operamque darent quò præſens bellum cum Pace commutari, atque ea, quæ Omnium Belgii Provinciarum incolumitati ac ſecuritati inſerviunt, adhiberi ac dictæ Belgii Provinciæ in priſtinæ incolumitatis & felicitatis ſtatum reſtitui poſſent.* Sed ſi poſthac ſupradicti Commiſſarii Deputatorum D.D. Ordinum Bruxellis congregatorum, requiſitam illam Procurationem atque ulteriorem Auctoritatem, qualis antehac poſtulata fuit, conſequuti fuerint, deque eâ Præpotentes D D. Ordines Generalium per literas certiores fecerint, ſummedictos Ordines Generales neutiquam omiſſuros eſſe, in ſupramemoratæ Tractationis promotionem ac continuationem ea omnia conferre atq; adhibere, quibus omnium Belgii Provinciarum bellum hoc diuturnum componi, ipſæ denique Provinciæ priſtinæ tranquillitati reddi poſſint. Poſtremò autem Se unicè rogare, ut alterius Partis Commiſſarii Hagæ-Com. relicti, Deputantibus Dominorum Ordinum, Bruxellis congregatis, ſive quocunque in loco opus fuerit, ordine ac fideliter hæc omnia indicare atque enarrare velint. Dabantur in Concilio ſummedictorum Ordinum Generalium Hagæ-Com. decimo & ſexto die Decembris, Anno 1633.

Quapropter etiam alterius Partis Commiſſarii ſequentia exarata tradiderunt.

Exemplum Receſſus à Partis alterius Commiſſariis Præpotentibus D.D. Ordinibus Generalibus traditi.

REgis Hiſpaniarum & Deputatorum D. D. Ordinum Belgii Provinciarum Bruxellis congregatorum Commiſſarii quatuor, Hagæ-Com. relicti, poſtquam ſupradictis Dominis, ac quibus neceſſe erat, indicaſſent ea quæ per Fœderati Belgii D. D. Ordinum Deputatis, poſtremo Conventu, decimo & ſeptimo hujus Menſis habito, propoſita fuerant, juſſi ſunt declarare idque ſupradictis D. D. Ordinum Generalium Deputatis exaratum tradere, *Nihil quidquam à ſe in univerſo Tractationis negotio niſi cum animi ſinceritate & fidelitate actum fuiſſe, nec quidquam ſe neglexiſſe, quod ſupramemoratæ Tractationi inſervire potuiſſet*; Imprimis verò id effectum dediſſe, quo Dux Areſcoti (cui Majeſtas ſua tantopere confidere videbatur, ut inter Provinciarum ſuarum Moderatores habuerit) non obſtante temporis

" poris incommoditate, iter in Hispaniam susceperit, ut Majestati suæ omnem rem
" oretenus indicaret, quò istoc pacto Tractationis negotium magis magisque
" promoveretur, Belgiumque universum bello tam funesto & diuturno eriperetur,
" atque in pristinum tranquillitatis, jam diu expectatæ, locum restitueretur. Ac
" quoniam ex hoc Ducis Arescoti itinere nihil nisi omne bonum expectari possit,
" idcirco cum summo animi dolore perceperunt, Fœderati Belgii Ordinibus Generalibus
" visum consultumque fuisse Declaratione suâ, decimo & sexto hujus Mensis
" exaratâ, (at decimo & septimo in Conventu traditâ) inceptam hanc Tracta-
" tionem dissolvere; Idque tantò majori cum dolore, quòd certissimas & plurimas
" ob causas brevi temporis spatio optimus quidem è Ducis Arescoti suscepto itine-
" re effectus expectandus veniat. Dabantur à supradictis Commissariis, sexto &
" vicesimo Decembris, Anno 1633. Signatum erat.

I. Edelheer.

IN Concilio D. D. Ordinum Generalium valedictionem quoque instituerunt, ac per Syndicum Edelheer verba cum Responsione suâ convenientia fecerunt. Deinde autem Dominus Culenburgensis Comes, Dominus Noortwicius, Dominus Heemstedius, Dominus Knuytius, Dominus Amerongius, Dominus à Walta, Dominus ab Haarsholte, & Dominus Schafferus delegati jussique fuerunt supradictis Commissariis in hospitio suo valedicere.

Vix dum etiam hæc cum Hispanis Tractatio dissoluta erat, quin continuo cum Domino Charnassæo alia instituta fuerit Tractatio; invitis tamen Hollandiæ Ordinibus, propterea quod vel ipso quoque tempore se tantis sumptibns, sive per pacis, sive Induciarum Tractatum liberare studebant. Quæ spes quandoquidem jam nunc frustrata erat, maximas querelas instituerunt super debitis suis necdum solutis, se non ulterius nisi tribus Copiis, quæ triplici belli statu cognitæ erant, onerari posse declarârunt, quocirca etiam petierunt, ut, quicquid ab Anno 1628. copiarum fuisset conscriptum, dimitteretur. Multæ quinetiam ac variæ deliberationes super sumptuum Gelriæ, Transysulaniæ reliquisque Provinciis imperatorum diminutione institutæ fuerunt

Illud itaque tantò magis Provinciarum Ordines Generales ad Tractationem cum Gallis ineundam, impulit, quò largissimum aliquod nummorum subsidium, quibus Copiæ persolverentur, quas Hollandiæ Ordines dimittere in animum induxerant, impetrarent, utque bellum, quod vocant, offensivum, continuarent. Celsissimus namque Arausionensium Princeps defensivum solùm non admittebat; Neque Galli defensivo, nisi etiam offensivo ac damnum inferenti bello quidquam concedere volebant: eò quod simplex Hostium Copiarum distractio Regi summopere displicebat.

Variæ quinetiam propositiones cum Domino Charnassæo, antequam conveniri poterat, adhibebantur. Celsissimus Arausionensium Princeps Tractationem cum Gallis majorem in modum expetebat; Zelandiæ Ordines armis belli vigebant. Reliquæ autem Provinciæ rerum Generalium curis raró se involvunt, easque plurimùm Deputatis suis Ordinariis, qui Concilio Generali intersunt, commendant, qui omni fere ex parte in sententiam Celsissimi Principis ibant, cui

per

per Dominum Charnassæum maxima spes affulserat, posse Gallos ab Hispanis divelli. Res mediusfidius, quæ primo aspectu acceptissima, atque exoptatissima huic Reip. visa fuit, utpote quâ sperari poterat, universas Belgii Provincias tandem aliquando ab Hispanis liberari & partim sub Gallorum, partim sub hujusce Reip. imperium redigi posse.

In Hollandiâ verò plurima Ordinum Membra rem paulo penitiùs inspiciebant, eoque magis Tractationem cum Gallis effugere volebant, quòd, bello licet adversus Hispanos feliciter confecto, in hisce regionibus loco Hispanorum (quibus & Galli & Nos mutua operâ auxilioque facilè obsistere poteramus) potentes quoque & plurimarum Provinciarum occupatione formidabiles Gallos affines sibi & finitimos haberent. Quocirca Hollandiæ Membra quædam sequentes Protestationes exhibuerunt.

Quandoquidem Civitatis Dordracensis Deputati in Nobilium ac Potentium " Dominorum Ordinum Concilio Nomine locoque suorum Deputantium in " mandatis acceperint, ut in Tractatione cum Domino Charnassæo ad id impri- " mis operam darent, quò Fœderati Belgii Provinciarum Ordinum libertas con- " servaretur, *ut cum alterius Partis Ordinibus de Pace sive Induciis, ubi ac quando visum fuerit, agere liceret.* Secundò, ne Galliarum Regis in ejusmodi Tractationibus inter- " ventus per stipulationes aliquas concederetur, nisi causis ac rationibus summe- " dictæ Majestatis clariùs expressis, aliud statuendum esse censeretur; Eâ lege ta- " men ac conditione, ut Majestatis suæ causæ ac rationes clarissimè proponerentur. Interim tamen non obstantibus supradictorum Deputatorum curis studiisque, si " Tractationis alicujus conclusio quædam suffragiorum pluralitate statueretur, ut " tum dicti Deputati declararent, se istiusmodi Conclusioni minime annuere posse; " Insuper etiam, ut sententia Deputatorum Civitatis Dordracensis actis publi- " cis diurnis insereretur, ejusdemque scripta quædam exigerentur, quibus poste- " ris memoratorum Dominorum sententia ac voluntas quocunque tempore inno- " tesceret. Ac quoniam præsenti die vicesimo & quarto Februarii, Anno 1634. in " supradicto Tractationis Negotio contra Deputatorum Civitatis Dordracensis voluntatem actum sit, idcirco dicti Deputati, eadem, quæ supra commemorarunt, " per præsentes protestantur. Datum vicesimo & quarto die Februarii, Anno " 1634. "

Quandoquidem Civitatis Amsterodamensis Deputati cognitum perspectum- " que habuerint, quod hujusce Concilii Membra Tractationem aliquam cum Do- " mino Charnassæo inire cupiant, quæ ab eodem difficillimis conditionibus pro- " posita est, quibus Juri Summo majorem in modum derogari posset, Sententiæ " quinetiam ac decreta ab Ordinibus Hollandiæ West-Frisiæque (quorum Amsterodamensis Civitas, & quæ cum eadem consentiunt, haud exigua sese Membra " esse existimant) solemniter instituta abrogarentur: Insuper etiam quum perce- " perint, quod in Negotio tam difficili, quod neque reliqua consentientia Mem- " bra magni ponderis esse negabunt, jam nunc suffragiorum quadam pluralitate " concludere ac decernere studeant; Idcirco dictæ Civitatis Amsterodamensis " Deputati declarant, idq; jussu ac mandato suorum Deputantium, se neutiquam eâ " Tractatione arctiorem amicitiam ac fœdus aliquod ulterius cum Galliarum Rege " inire

,, inire velle, *hac lege tamen, ne fœdus illud cum Status hujus summi juris & potestatis (propter quam hactenus adeo sudatum fuit) devinctione sive derogatione contraheretur.* Nam ,, alioqui satius esse arbitrantur, ut ejusmodi remedia extraordinario quodam ,, modo à Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus, excogitarentur atque adhiberentur, cujusmodi dictum cum Gallis Fœdus huic Reipublicæ afferre ,, posset, potius quam de Provinciarum jure supremo quidquam derogari paterentur. Sed si omnibus hisce protestationibus plurima Membra commoveri non ,, possint, ac fœdus tam præjudiciosum promoveatur, supradicti Deputati mandatum præceptumque sibi esse declarant, reliquis Ordinum Membris variè sentientibus persuadere atque admonere, ne quoquam modo velint dicto cum Gallis fœderi, eo, quo supradictum est modo, annuere; neque etiam hoc sic persuadeatur, ut aliis quibusdam Membris adversus consensum & consilium Civitatum tam eximiarum, suffragiorum duntaxat pluralitate iis in rebus decernere ac concludere liceat, quæ supremum absolutumque hujus Status imperium spectant; ,, Quum tamen in rebus multò minoris ponderis ac momenti, uti sunt, onera quædam ac consensus admittere, nulla suffragiorum pluralitas valeat: Quibus non ,, obstantibus, si nihilominus supramemoratum cum Gallis fœdus concluderetur, ,, Civitatis Amsterodamensis Deputati nomine locoque Deputantium suorum, *neutiquam se dicti fœderis Tractationi admissos velle*, neque concedere, ut Patriæ libertas (quæ majoribus nostris tam cara semper fuit, ac nobis æquè caram esse oportet) tractatione tam præjudiciabili quidquam derogaretur. Similiter etiam ,, quæ inde suboriri poterunt incommoda, quæque propter hanc Libertatis devinctionem & juris supremi comminutionem imminebunt, sibi neutiquam imputari volunt. Quam quidem Protestationem publicis hujus Concilii Actis diurnis ,, inseri supradicti Deputati cupiunt atque expetunt.

Tradita in Concilio Nobilium & Potentium D. D. Ordinum, per Civitatis Amsterodamensis Deputatos, vicesimo & quarto die Februarii, Anno 1634.

Hisce itaque Protestationibus Rotterodamensis & Alemariensis Civitates annuerunt; contra verò Domini Nobiles, atque Harlemi, Lugduni, Gaudæ, Horniæ, Enchusæ, aliarumque Civitatum Deputati adversus easdem protestati sunt, sic tamen, nî dictæ Protestationes semoverentur, se itidem contra-Protestationes suas literis exaratas traditurus esse.

Hollandiæ tamen Ordines hæc summoperè urgebant, primum ut Galliarum Rex sumptus Classi, quæ ductu atque auspiciis Archithalassi Haultanii fuerat educta, impensos suo ære exsolveret: secundum, ut detrimentum navium in Rupellensi canali submersarum resarciret. De quibus acturum se Charnassæus negabat; sed tamen per Acta quædam promittebat, se omnia apud Regem, quò hæc componerentur, esse facturum.

Exem-

Exemplum Tractationis ad septem Annorum spatium inter Galliarum Regem per Dominum Baronem Charnassæum, ab unâ, & Fœderati Belgii Ordines per Deputatos suos, ab alterâ Parte initæ, decimo quinto die Aprilis, Anno 1634.

VNitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, cum omni genere observantiæ atque animi gratitudine beneficia quæcunque, favorem atque auxilium, quæ variis temporibus à Gallis consequuti fuerunt, agnoscentes, ideoque per media quæcunque honesta ac possibilia amicitiam ac societatem, qua Christianissimo Regi ipsos cohonestare placuit, promovere etiam atque etiam cupientes, atque in hoc rerum suarum statu omnia conferre, quæ ad Gallorum amplitudinem, universi Orbis Christiani incolumitatem, atque ad Reip. eorundem confirmationem ac securitatem pertinere possunt; Eapropter delegarunt Illustr. Comitem Culenburgensem, Baronem Pallantiæ, VVittemiæ, VVerdæ, Toparcham in Leden, Lienden, VVildenburg, Kentswiller, Lengeldorp, Bachem, Vrechem, D. Nicolaum à Bouckhorst, Noortwici & VVimmenii Toparcham, Ballivum aggerumque Rhenolandiæ Præfectum, D. Adrianum Pauw, Equitem, Dominum in Heemstede, Hogersmilde, Rietvinck, & Nieukerckâ, Hollandiæ & VVest-Frisiæ Syndicum Supremum, D. Iohannem Knuytium, Equitem, Toparcham utriusque Vosmariæ, Primarium atque Equestrem & Nobilium Zelandiæ Ordinem Representantem, Ordinarium Celsissimi Arausionensium Principis Consiliarium, D. Adrianum Ploos, Equitem, Toparcham in Oudegeijn, Tienhoven & Geijn, D. Petrum à VValta, D. VVilhelmum Ripperda Dominum in Boxbergen, Boculo & Hengelo, D. Bernhardum Koenders, Dominum in Helpen, quo cum Barone Charnassæo, Majestatis Suæ Consiliario in Concilio Ordinum, quondam in Germania Legato, agerent, qui postea quam rem serio cum dicto Barone Charnassæo perpendissent, multis ac variis conventibus inter se habitis, vi literarum suarum Auctoritatis, cujus exemplum postmodum inseretur, sequentes Articulos concluserunt ac confirmarunt.

1. Primò, supra memorati D. D. Ordines Generales promittunt, Se bellum Terrâ Marique adversus Hispanos, Regiones atque Provincias, quæ eorundem imperio subjiciuntur, omnibus viribus assiduè gesturos, neque ullas Induciarum, Pacis armorumue cessationis Tractationes, sive directè, sive indirectè octo sequentium Mensium spatio inituros, neque duodecim Mensium spatio conclusuros: Quorum omnium primo die Maji, proximè venturi, initium futurum est.

2. Eum ad modum quoque Majestas sua promittit, Se octo Mensium spatio cum Rege Hispaniarum nullam differentiarum, seu difficultatum compositionem inituram neque duodecim Mensium spatio confirmaturam esse; Seque insuper omnem operam apud Sueciæ Ministros cæterosque Confœderatos Germaniæ Principes, ut idem polliceantur, daturam esse.

3. Supradicti Ordines Generales iterum divulgari curabunt Declarationem eamque executioni ubi necesse fuerit, mandabunt, quam Anno 1632. in commodum omnium Pontificiorum in alterius Partis Provinciis commorantium, quæ sese Confœderatis essent adjuncturæ, sive libenter ac sine coactione dedituræ, divulgarunt. Quod autem ad eas attinet Provincias, quæ vi armorum subactæ

 sunt,

sunt, quum nullæ vires supersint, quibus decernere quidquam, aut sese reliquis Provinciis Fœderatis, absque aliarum Belgii Provinciarum consensu, adjungere queant; Idcirco supramemorati Ordines Generales promittunt ac pollicentur se, propter petitiones multoties à Rege adhibitas, reliquas Provincias certiores esse facturos, quò indicare possint, quo modo Regi in eâ causâ satisfacturæ sint.

4. Quod si verò Ordines Generales, post Mensium duodecim expirationem, de Pace sive Induciis cum Hostibus agere vellent, illud, durante præsenti Fœdere, *absque Regis Galliarum interventu* neutiquam iis licebit, quo casu ipsis etiam Hostibus per Acta literis exarata indicabunt Tractationem scilicet, quam cum ipsis instituerent, nihil quicquam præsenti Fœderationi derogaturam, sed vim suam nihilominus esse reservaturam. Quod itidem Majestas Sua, si cum Hostibus actura sit, indicabit.

5. Ac quoniam supramemorati Ordines Generales jam penè soli tot Annos bellum tam cruentum tamque funestum sustinuerint, idque adversus potentem Hostem etiamnum sustinent, ea propter Majestas Sua promittit ac pollicetur, Se Annis singulis, quamdiu præsens fœdus vim suam obtinebit, cujus ratio habebitur à primo hujus exarationis die, centum mille librarum exsoluturam, supra æqualem librarum Summam, quam ipsis Tractatione decimo & septimo Junii Anno 1630. promiserat; nimirum pollicetur, Se ducentena librarum millia, à sexto ad sextum Mensem, partibus æqualibus annumeraturam, quæ quidem exsolutio initium capiet primo die Augusti, & Februarii proximè venturi. Quinimò Majestas Sua ipsis præterea trecentena librarum millia Annis singulis eodem planè modo superaddet: videlicet, proprio ære in D.D. Ord. commodum, ubi rogabitur, universam peditum legionem exsolvet, ad modum legionis D. Marescalli Chastillonis; insuper etiam equitum cohortem unam, sive tantum nummorum Summam pro dictâ Equitum cohorte, trecentena sc. librarum millia, utrumque juxta conditiones singulari quodam Articulo eodem die cum præsenti fœdere confirmato. Ac nî dicti Ordines Gener. memoratam legionem petierint, Majestas Sua dicta trecentena librarum millia exsolvere neutiquam tenebitur.

6. Quod si memorati D. D. Ordines Generales præsentis Fœderis tempore Tractationem aliquam Induciarum sive Pacis cum Hostibus inire volent, Rex semetipsum ejusdem Tractationis securitati devincit atque obstringit; *adeò ut, si Hispaniarum Rex promissis suis, eâ Tractatione comprehensis, non staret; vel si summedictos Ordines Generales directè sive indirectè, aut quocunque tandem modo id fieri posset, in ejusmodi locis, quæ ipsimet hactenus atque ad Tractationis hujusce diem possident, hostiliter aggrederetur, adeo ut generaliter à dicto Rege dissolverent, Rex promittit fidemque dat, Se eum in modum à Rege Hispaniarum dissoluturum, eumque Terrâ Marique invasurum, sic tamen ut postmodum cum dictis Hostibus absque summe præmemoratorum D.D. Ord. Gener. conjunctione eorumque consensu quamcunque Induciarum Pacisve Tractationem inire neutiquam liceat.*

7. Quemadmodum etiam simili casu, quod si Rex Hispaniarũ, Pace sive Induciis confirmatis, Regem in suis Imperiis, Regnis Dominiisque quæ hoc tempore possidet, directè sive indirectè, aut quocunque tandem prætextu adortus fuerit,

adeo

adeo ut Majeſtas Sua cum Rege Hiſpaniarum generaliter diſſolveret, ſupramemorati D. D. Ordin. Generales ſemetipſos obligant atque obſtringunt, generaliter ſe cum Hiſpaniarum Rege, apertum Terrâ Marique bellum inferendo, ſoluturos eſſe, ſic ut poſtmodum cum dictis Hoſtibus Pacem ſive Inducias abſque Majeſtate Sua ejuſdemque conſenſu inire minime liceat.

8. Et quod Majeſtatis Suæ res cauſaſque ſpectat, quas Dominus Charnaſſæus literis conſcriptas tradidit, eaſque Articulis quibuſdam expreſſit, quibus propriâ ſuâ manu ſubſignavit, ac quorum exemplar ab Ordinum Deputatis ſupramemorato Domino Charnaſſæo traditum fuit; Quod ſi Majeſtas Suâ hanc ob cauſam eo modo ab Hiſpaniarum Rege opprimeretur belloque afficeretur, adeo ut cum Hiſpaniarum Rege penitus diſſolveret, ſummedicti Ordines Generales obſtringuntur ſimilem in modum cum Hiſpanis diſſolvere, &, quod nunc gerunt bellum, continuare, ſic ut dictis Ordinibus Pacem ſive Inducias cum Hoſtibus abſque Majeſtate Suâ Ejuſdemque conſenſu inire neutiquam liceat: Quem in modum etiam Majeſtati Suæ Pacem ſive Inducias cum Hoſtibus contrahere abſque ſummedictis Ordinibus eorumque conſenſu non licebit.

9. Quod ſi Imperator Ferdinandus, Archi-Dux Auſtriæ, ſive alii Ejuſdem Domûs Principes, atque ab eadem dependentes, poſt Induciarum Paciſve Tractationem initam, directè ſive indirectè, aut quocunque tandem id nomine veniat, ſummè dictos Ordines Generales in eorundem Provinciis Dominiiſve quæ hoc tempore poſſident, hoſtiliter invaſerint, adeò ut cum Rege Hiſpaniarum generaliter ſolvere cogerentur, Eum ad modum Rex ſoluturum ſe neque pacem neque Inducias abſque dictis Ordinibus Eorumque conſenſu initurum eſſe pollicetur. Quomodo etiam ſi ab Imperatore, aliove à domo Auſtriacâ dependente Principe Majeſtas Sua in iis locis, quæ ad hunc uſque Fœderationis diem poſſidet, ſive directè ſive indirectè quocunque tandem prætextu bello afficeretur, ſic ut Majeſtas Sua cum ipſis diſſolveret, ſummedicti Ordines Generales ſe ſimiliter facturos neque poſtmodum ullam Induciarum Paciſve Tractationem cum ipſis ſine Majeſtate Sua Ejuſdemque conſenſu inituros eſſe promittunt ac pollicentur.

10. Fœderatio præſens nihil quicquam derogabit Fœderationi decimo ſeptimo Junii, Anno 1630 initæ, quæ vim ſuam roburque in omnibus, quæ præſenti haud continentur, obtinebit; Præſens quinetiam Fœdus ad ſeptem Annorum ſpatium durabit, cujus initium à primo hujus Fœderis die futurum eſt. quemadmodum etiam præterita Fœderatio Anno 1630 inita, ſeptem Annorum ſpatium durabit, Eaque præſenti tanquam à verbo ad verbum habebitur inſerta: adeò ut utraque Fœderatio æquale temporis ſpatium duratura ſit; quæ poſt ſeptem Annorum ſpatium, ſi utrique Parti viſum conſultumque fuerit, renovabitur atque obſervabitur.

11. At ſi Majeſtas Sua cum Hiſpanis diſſolvere potius, quàm decies ſupra trecentena librarum millia, ut ſupra dictum eſt, annumerare, maluerit, dicti Ordines Generales fidem dant, ſe abſque Majeſtate Sua Ejuſdemque conſenſu nullam cum Hiſpanis Induciarum Paciſve Tractationem inituros eſſe. Quem in modum etiam Majeſtas Sua promittit ac pollicetur, Se abſque D. D. Ordinibus Generalibus Eorumque conſenſu cum Hiſpanis neutiquam acturam; quinetiam cen-

centies Florenorum mille, Tractatione Anno 1630 inita promissorum, exsolvere neutiquam tenebitur.

12. Ac si Majestas Sua cum Hispanis dissolvere in animum induxerit, æqualis seu justa ab utraque Parte Provinciarum subigendarum partitio instituetur. Præsens insuper Fœderatio per Majestatem Suam Ordinesque Generales solennibus formulis, & quoad ejus fieri poterit firmissimis, sex septimanarum, sive duorum Mensium spatio confirmabitur, eaque Majestatis Suæ Ministris Ordinumque Gener. Deputatis, ut secundùm vim suam executioni mandari possit, tradetur. In quorum omnium testimonium, Nos, supramemoratus Baro Charnassæus, Ordinumque Generalium Deputati, vi literarum Nostrarum Auctoritatis, præsentibus solitâ subsignatione Annulisque signatoriis muniri curavimus. Dabantur Hagæ-Com. decimo & quinto die Aprilis, Anno 1634.

Exemplum Articulorum inter Regem Galliarum atque inter Fœderati Belgii Ordines Generales, per D. Baronem Charnassæum Majestatis Suæ in Concilio Ordinum Consiliarium, &c. & D. Deputatos D. D. Ordinum Generalium, super Legionis peditum Gallorum, & Cohortis Equitum conscriptione atque exsolutione, siquidem Majestati Suæ dictam Equitum Cohortem concedere placuerit.

1. PRimò, dicta Legio pedestris tot Manipulos, ac singuli Manipuli tot viros continebunt, quot Marescalli Chastillonis Legio manipulos virosque continet; simul etiam Equitum cohors tot viros continebit, quot Domini de May & S. Martini cohortes continent.

2. Majestas Sua dictæ Legionis cohortisque conscriptionem proprio ære exsolvet; Ordines verò Gener. arma utrique concedent, absque ullâ tamen sumptum repetitione; naves quinetiam, commeatum, & reliqua itineri necessaria, absque sumptuum repetitione curabunt.

3. Majestas Sua tam Legionis quam cohortis Præfectos, quos placuerit, in conscriptione constituet; ac postquam decesserint, pro libitu similiter, quos volet, constituet.

4. Quod si necessitas tulerit, ut Tribunus, Legionem Suam Equitumque cohortem in Galliam reducere cogeretur, summe dicti Ordines Generales promittunt spondentque se Legionis Tribuno & cohortis Præfecto omnem operam atque auxilium collaturos, neque ullos Pedites Equitesve retenturos esse, sed naves quibus Legio sive cohors universa, aut pars utriusque media in quem Galliarum locum deducere volet, transjici possit, sedulò curaturos: Eâ lege tamen ac conditione, ut Ordinibus, qui vi præsentis Fœderis reliqui fuerint sumptus, restituantur; navesque ab Ordinibus gratis & in quod temporis spatium Tribunus indicaverit, curentur.

5. Summedicti Ordines Generales Tribunum, Duces Præfectosque Legionis & cohortis non aliis modis excipient, quàm reliquos Gallorum Tribunos, Duces, Præfectos militesque quos proprio suo ære exsolvunt: Utque dictos Legionis

nis cohortisque milites tanto magis sibi devinctos reddant, promittunt spondentque idem se, quod à Rege missum ac promissum fuerit stipendium, Tribuno, Ducibus, Præfectis, atque adeo universæ Legioni D. Chastillonis cohortibusque Domini de May, & S. Martini, hisce similiter exsoluturos esse. Cujus exsolutionis nummi Legionis Tribuno sive Parisiis, sive Hagæ-Comitis, prout libuerit, annumerabuntur, quo ad Majestatis Suæ beneplacitum distribuere possit; nummi autem ex illa librarum Summâ sumentur, quam Majestas Sua singulis Annis à prima parte exsolvet.

6. Quod si præsens Fœderatio Regem inter & Ordines Generales inita, quâ se Majestas dictæ Legionis cohortisque exsolutioni adstringit, expiraverit, sive quacunque de causâ soluta fuerit, adeò ut Majestas Sua neque Legionem neque cohortem exsolverit, summedicti Ordines Generales promittunt spondentque se utramque eo modo, quo veteranorum Gallorum Legionem cohortemque, quas sub signis habent, exsolvunt, quantum ad Legionis Tribunum, Duces, Præfectos militesque attinet, quamdiu Gallorum Copias alias non dimittent, absque ulla stipendii, quod Legioni Marescalli Chastillonis, Equitumque cohorti primæ tribuitur, diminutione exsoluturos; ac, si stipendium diminueretur, omnibus æqualiter diminuturos esse.

7. At verò, ubi Tribunus Legionis officio Regi præstando impeditus, abfuerit, supra memorati Ordines Generales stipendium, quod ipsi competet, minime retinebunt, non obstante decreto quocunque ab iisdem edito, sive in posterum edendo.

8. Ordines insuper Generales promittunt, se dictam Legionem Equitumque cohortem tam ante militum, quam Præfectorum primâ conscriptione constitutorum exsolutionem, divisuros esse, quorum neque numerus neque exsolutio ab iis Provinciis diminuetur, quæ & Legionem peditum & cohortem Equitum exsolvendas acceperint, sive à quibus dicti milites conscripti fuerint; quæ quidem iis satisfacturæ sunt ipso Mensis initio, quo Majestas Sua èxsolvendo destiterit: eâ lege tamen, ne plures quam unica exsolutio Menstrua relinquatur.

9. Ac quamvis D. D. Ordines Generales tunc temporis & Legioni & cohorti proprio ære satisfacturi sint, adeò ut ea de causâ à se dependeant, nihilominus tamen promittunt spondentque se, quotiescunque Tribunus dictam Legionem in Galliam deducere voluerit, continuò Tribunum simul cum Legione sua dimissuros, & quod reliquum fuerit nummorum, plenissimè exsoluturos esse, Menstruum stipendium tribuendo: Naves quinetiam propriis sumptibus curaturos, quo dictam Legionem in eum, quem Tribunus indicaverit Regni locum, trajicere queat. Quæ omnia, hac lege & conditione adhibebuntur, si dicta Legio à Rege dimissa, neque diutius exsoluta fuerit.

10. Quod si Majestas Sua adduci non poterit, ut supramemoratam Equitum cohortem juxta Legionem proprio ære exsolvat, nihilominus tamen conditiones superioribus insertæ, Legioni duntaxat soli valebunt, adeò ut Equitum cohortis negatio superiorum conditionum effectum impedire minimè poterit. Actum Hagæ-Com. & per Nos Subsignatum, decimo quinto die Aprilis, Anno 1634. Signatum erat; Hercules Charnassæus, Florentius Comes Culenburgensis, Nicolaus

colaus à Bouckhorst, Adrianus Pauw, Johannes Knuytius, Adrianus Ploos, W. Ripperda, B. Koenders ab Helpen.

Exemplum Partitionis unius & viginti Librarum millium, supra quingentas libras, quæ præsenti Fœderatione hoc die initâ, pro Tribuno, Ducibus Præfectisq; unius Legionis, Equitumque cohortis novissimè conscriptæ reservantur, cæterisque Legionis Moderatoribus quorum Nomina sequentibus inseruntur, sub amplificationis formâ stipendii, quod Majestas Suâ, vi dicti Fœderis D. D. Ordinibus Gener. annumerabit. Videlicet,

Tribuno	*Legionis Novissimè Conscriptæ*	2000 *libr.*
Pro-Præfecto		1000.
Præfecto Vigiliarum Legionis		500.
Quatuordecim Præfectis, singulis sc.		500.
Præfecto Equitum Cohortis		1000.
Duci Bullionio Tribuno Legionis		2000.
Eidem Duci Bullionio, ut Cohortis Equestris Præfecto		1000.
Marescalli Chastelloni		1000.
Vice-Comiti de Machaut		1000.
Domino de Fonteyne		1000.
Domino Cormontio		1000.
Domino de la Force, Cohortis Equestris Præfecto		1000.
Quatuor Posterioribus Domini de Candale Legionis Præfectis, singulis		500.

Quæ Præfectorum omnium tam Legionis peditum quam Equitum Cohortis novissimè Conscriptæ stipendia, secundùm Fœderationis Articulos, exsolventur. At verò Ducis Bullionii cæterorumque Equitum Præfectorum, quos commemoravimus, stipendia Christianissimi Regis Legato annumerabuntur sive Hagæ-Com. sive Parisiis, prout Eidem placuerit. Actum & transactum Hagæ-Com. decimo quinto die Aprilis, Anno 1634. *Subsignatum erat, Hercules Charnassæus, Florentius Comes Culenburgensis, Nicolaus à Bouckhorst, Iohannes Knuytius, Adrianus Ploos, Gulielmus Ripperda, B. Koenders ab Helpen.*

Exemplum Articulorum, quibus difficultates continentur, quas Rex Christianissimus cum Hispaniarum Rege decidendas habet, qui hoc die D. D. Ordinibus Generalibus per Dominum Charnassæum traditi fuerunt, ac quorum Exemplar per Nos, summedictorum Ordinum Generalium Deputatos, subsignatum, ne quidquam mutationis obnoxii forent, suprememorato Domino Charnassæo traditum fuit.

1. PRimò, Pacificatio, quæ antehac decidendarum difficultatum causa, in Italia propter Mantuanam successionem obortam, inita fuit, salva atque integra reservabitur, idque secundùm Articulos initos ac confirmatos inter utrumque Gal-

Galliæ Hispaniarumque Regem atque Imperatorem Ferdinandum, eo Nomine Secundum.

2. Rex Galliarum, in Pignarollæ receptione & tranquillâ possessione atque in iis omnibus quæ ab eadem dependent, non ulteriori molestia seu perturbatione afficietur, quàm in aliis locis quæ Imperio ipsius obtemperant.

3. Grisonnenses, & Graubundenses in liberâ Juris sui Supremi, quod ipsis in Valtelinam competit, usurpatione confirmabuntur atque adjutabuntur, idque secundùm promissum ac decretum Tractationis Mousoniensem.

4. Rex Hispaniarum Duci Lotharingiæ, quemadmodum in Tractationis Articulis, cum Galliarum Rege initæ, pollicitus est, nullas suppetias feret, quandoquidem illud rationibus æquis honestisque innitatur.

5. Rex Hispaniarum nullam opem iis conferet, qui Regna, Principatus & Dominia Regis Galliarum, quocunque tandem prætextu, invasuri sunt. Actum Hagæ-Com. decimo & quinto die Aprilis, Anno 1630.

Exemplum Declarationis, super Tractatione Induciarum sive Pacis cum Hostibus in Belgii Provinciis instituendâ.

D*E iis, quæ concessa ac conclusa fuere inter Dominum Baronem Charnassæum, Nomine ac Titulo Regis Christianissimi, atque inter Fœderati Belgii Ordinum Gener. Deputatos Articulo 6. 7. 8. 9. & 11. Fœderationis hoc die inita*, De nulla scil. cum Hostibus, ubi dissolutum fuerit, sive Pacis sive Induciarum Tractatione, nisi cum utriusque Partis conjunctione ac consensu ineundâ confirmandâque, *Conventum est ab utraque Parte, si eveniat ut cum Hostibus ageretur, Regem exoratum iri, quò ratum gratumque habere velit locum, qui à Fœderati Belgii Ordinibus Gener. ejusve Negotii transigendi causâ constituetur, idque ob maximas & plurimas rationes Domino Charnassæo propositas: Quem ad locum etiam Legati ac Ministri Regis Ordinumque Gener. Deputati cum iis conventuri sunt, qui à Parte Hostium ad Tractandum mittentur. Cui petitioni si Majestas Sua abnuerit, cujus Declaratio à summedicta Majestate exarabitur, ac simul cum præsentis Fœderationis ratihabitione & confirmatione exhibebitur, tali casu verba (* conjunctim & consensu communi *) præsenti Fœderationi, tanquam non inserta habebuntur, at verba (* sine consensu *) reservabuntur. Insuper etiam præsens Articulus eandem cum cæteris hujusce Fœderationis Articulis vim & vigorem suum obtinebit. Actum Haga-Com. decimo & quinto die Aprilis, Anno* 1634.

Post Articulos autem sequebantur literæ Auctoritatis Domino Charnassæo concessæ, atque duodecimo die Januarii exaratæ, Anno 1634. Nec non Fœderati Belgii Ordinum literæ Auctoritatis, quam Deputatis suis concesserant, datæ quarto die Aprilis, Anno 1634.

In quorum omnium testimonium, Nos supramemorati, Baro Charnassæus atque Ordinum Generalium Deputati, vi literarum Nostrarum Auctoritatis, præsentia solitâ Nostrâ subsignatione annulisque Signatoriis muniri curavimus. Actum Haga-Com. decimo & quinto die Aprilis, Anno 1634. *Signatum erat, H. Charnassæus, Florentius Comes Culenburgensis, Nic. à Bouckhorst, A. Pauw, I. Knuytius, A. Ploos, P. VValta, VV. Ripperda, B. Koenders.*

Præ-

Præpotentium D. D. Ordinum Deputati, qui supra memoratam Fœderationem cum dicto Domino Charnassæo conflârant, vicesimo & quarto die Aprilis liberaliter lautèque eundem exceperunt, cui exceptioni Celsissimus Arausionensium Princeps, uti etiam Dominus Baugius interfuerunt, qui quidem Nomine ac Titulo Legatum agebat, at omnes tamen res per Dominum Charnassæum promota atque ad finem perducta fuit. Quapropter etiam sex Florenorum millia dono ei offerebantur, quod Honorarium nummarium accipere recusabat, interim tamen fatebatur Eam pecuniæ Summam converti posse in usum poculi, quo lavantur Nobiliores, simul etiam in usum Orbis, auro confectorum. Paucis itaq; diebus post in Galliam reversus est, Regem Galliarum cum Hispanis dissolutionem majorem in modum expetere, verum quibusdam de causis eandem à se peti cupere affirmando. Quocirca etiam Dominus Hoemstedius & Dominus Knuytius Extra-Ordinariorum Legatorum qualitate, Mense Junio in Galliam Deputati fuere.

Mense Augusti Dominus Knuytius è Gallia Hagam-Com. transvolavit, ac varios conceptus, quibus commodissimè cum Hispanis abrumpi posset, retulit.

Hac æstate nihil quicquam præclari ab utraque Parte actum fuit. Hispani enim ductu atque auspiciis Marchionis Aitonæ circa Trajectum ad Mosam Castra habebant, atque oppidum quasi obsessum tenebant: At verò quò Hispanorum Copiæ inde repellerentur, Celsissimus Arausionensium Princeps, Mense Septembri, prope Bredam castra movit; eo tamen animi consilio, ut Eandem plenissimè obsideret, ni Hispani ab urbe Trajectensi discederent, quem in modum etiam discesserunt; quapropter etiam Arausionensium Princeps Copias similiter, octavo die Septembris, ab urbe abduxit; atque hæc omnia eodem fere tempore gesta fuere, quò Dux Weymariensis, & Gustavus Hornius prope Noortlingam prælio superabantur.

Universo hoc æstatis Hyemisque tempore super dissolutionis cum Hispanis Negotio in Galliâ actum fuit, ac quamvis Galli, vel saltem Cardinalis dissolutionem maximopere expetebat; at tamen nonnihil subverebatur, ne Catholici studiosissimi eapropter, tam in Gallia, quam aliis in locis majorem in modum insultarent; Pontifex Romanus eâ de causâ ab alienaretur; ab alia quinetiam Parte, ne Anglia invidiâ aliqua caperetur; Ea propter etiam Galli in conventu summopere suadebant, ut prætextus aliquis adhiberetur, Catholicos scilicet Dominos è Belgii Provinciis, Hispanorum Imperio obtemperantibus, discessisse; ut pax ipsa prætexeretur, nempe omnia, quæ agerentur, *in totius Orbis Christiani Pacem ac tranquillitatem adhiberi:* interim tamen ut, quicquid posset, armis caperetur; denique ut à Rege, atque à Fœderati Belgii Ordinibus Generalibus Legati in Britanniam mitterentur, qui Britannos huic Tractationi admiscerent. At verò Regis Galliarum Ministri nihil aliud Britannis præterquam Palatinatus restitutionem, non autem Palatinatum Electoralem offerre voluerunt; atque de aliquo in Belgii Provinciis loco Britannis concedendo, parum actum fuit. Multum verò super Belgii Provinciarum divisione, multum etiam super Copiarum utriusque Partis conjunctione atque in easdem imperio, aliisque rebus disceptatum fuit.

A Parte similiter Fœderatarum Belgii Provinciarum nonnihil etiam metuebatur,

batur, eò quòd universa hæc Tractatio absque Provinciarum Ordinum communicatione ac notitia fuerat instituta: Quocirca tam cautè prudenterq; omnia agi debebant, ne post illac quidquam inter Provinciarum Ordines litis ac dissensionis oboriri posset.

Postremo autem Parisiis octavo die Februarii, Anno 1635. sequentia conclusa fuerunt.

Exemplum Tractationis Offendendi & Defendendi ergò, inter Regem Christianissimum & Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Gener. initæ ac confirmatæ per Dominum Bullionium, in Concilio Regni Ordinum Consiliarium, Regii Ordinis Cancellarium, & Supremum Ærarii Regis Procuratorem; Dominum Bouthillerium, in Concilio etiam Regni Ordinum Consiliarium, Magnum Ordinum Thesaurarium, Ærarii & Mandatorum Regis Secretarium; Dominum Charnassæum, Charnacæi Baronem, in Concilio similiter Regni Ordinum Consiliarium, Commissarios à Majestate Sua deputatos; per Dominum Adrianum Pauw, Equitem, Dominum Heemstedæ, Hogersmildæ, Rientvicii & Nieukercæ, Hollandiæ West-Frisiæque Syndicum Supremum, Dominum Johannem Knuytium, Equitem, Nobilium Zelandiæ Ordinem repræsentantem, atque Ordinatium Celsissimi Arausionensium Principis Consiliarium, Legatos Extra-Ordinarios apud Christianissimum Galliarum Regem, Nomine locoque Præpotent. D. D. Ordinum Generalium, vi literarum suatum Auctoritatis, cujus exemplar sequentibus inseretur.

QVandoquidem universo terrarum Orbi cognitum perspectumque sit, omnes & singulas Hispanorum actiones omnesque conatus eò duntaxat dirigi, quò adversus omnes Principes affines Ducesque finitimos deprædationes suas instituant, discordiam inter Eosdem concitent, bellumque inter universi Orbis Christianos perpetuum reddant; *Eapropter Rex Christianissimus, ac Fœderati Belgii Ordines Generales etiam atque etiam desiderantes incommodis malisque, inde exoriri solitis, occurrere, resque in eum statum redigere, quo pax firma, sincera ac perpetua obtineri queat; atque imprimis ad id operam dare, quò* Belgii Provinciarum Incolæ Subditique semetipsos servituti, quâ hactenus ab Hispanis oppressi fuerunt, tam duræ tamque injustæ eripiant, seque in libertatem asserant, *in eo simul convenerunt*, ut nî Hispani æquas honestasque conditiones Ordinibus Gener. offerant, neque conatibus suis nefariis & machinationibus scelestis desistant, quas adversus Galliam & summedictos Ordines Belgii Fœderati Gener. hactenus instituunt, promoventque, *prout ejus rei indicium factum fuit Tractatu quodam, duodecimo die Maji, proximè elapsi, inito, de bello in Galliam conci-*

concitando, è Domini Iohannis Menesii captione, qui undecimo die Septembris, jam elapsi, inventus fuit mediâ nocte perscrutans aditus atque itinera Regni, idque à Parte Langedociæ, è Classium exornatione, quæ jam præterlapso Anno Neapoli fuerat instituta, eo fine, quo Copiæ in Provinciam exponerentur, ex aliis denique conatibus & signis quibusdam infallibilibus cognitis ac perceptis, idque respectu Regni: Insuper etiam ex ipsis, qui nefariè semper ac sedulo in Fœderati Belgii Provinciarum interitum perniciemque nervos suos intenderunt, cum recusatione earum conditionum, quas ipsimet supramemoratis D. D. Ordinibus obtulerunt, respectu illud clarissimè innotuit, Majestas Sua ipsorum propter rationes firmissimas ac justissimas cum Hispanis solvere æquum duxerit, & summedicti Ordines Gener. bellum continuare idque omni vi promovere decreverint. Quapropter etiam Majestas Sua adversus Hispanos arma gestabit, quamprimum præsens Tractatio subsignata ac confirmata fuerit; atque illicò omnem hostilitatem in Belgii Provinciis Hispaniarum Regi obtemperantibus, instituere occipiet; *quem in modum etiam supramemorati Ordines Generales cum omnibus viribus bellum continuabunt. Rex autem Ordinesque Generales Hispaniarum Regem in Provinciis suis, quas in Belgio possidet, hoc modo aggredientur.*

„ I. Majestas Sua in dictas Belgii Provincias exercitum viginti supra quinque „ millia peditum, Equitum quinque millia, cum tormentis bellicis & quæ eò spe-„ ctant, introduci curabit; cum in modum quoque summè dicti Ordines Genera-„ les tantas peditum, Equitumque Copias, cum tormentis bellicis rebusque aliis „ necessariis adducent. Hæ Partis utriusque Copiæ loco aliquo constituto conve-„ nient, ut deinde sive conjunctim, sive disjunctim, prout visum fuerit, proposi-„ tum suum exequantur, quod Mense Martio proximè venturo, futurum est, nisi „ de oppugnatione aliquâ conventum fuerit, quæ communi consensu perfici pote-„ rit; Eâ lege tamen ac conditione, ut, si utræque Copiæ duobus diversisque locis „ aggredi occiperent, tam prope utriusque Partis Copias ejusmodi aggressiones „ instituerentur, quo sibi mutuo subvenire possent; adeò ut, si Hispani unius Par-„ tis Copias aggrederentur, ab alterius Partis Copiis, oppugnatione, quam insti-„ tuerunt, relictâ, omni excusatione qualicunque sepositâ, adjutari possent; nisi „ fortassis decem peditum millibus, Equitum duobus millibus ejusce Partis Copiis „ opem ferre possint, quæ ab Hispanis oppugnatæ fuerint, idque sine oppugnatio-„ nis intermissione: eâ lege, ut peditum decem, Equitumque duo millia, cujus „ Partis Copiis auxilio venient, firma satis & valida redderentur: ac, nî illud absque „ periculo efficere queant, omnes continuò Copiæ adducerentur. Quod si Partis „ utriusq; Copiarum Moderatores Supremi aliter omnia instituenda esse duxerint, „ prout belli ordo tulerit, id ipsis integrum futurum est, si nimirum ante de eâ re „ per Acta quædam conscripta convenerint. Quo denique omnes lites ac dissen-„ siones, quæ oboriri possunt, tollantur, si familiaritas ac consuetudo utriusque „ exercitus & Majestatis & Ordinum Generalium, ne tanta quidem ac tam integra „ existeret, decretum est, nullum utriusque exercitus militem in Castris alterutrius „ iri receptum; ac si quis Præfectorum hujus Articuli violationem admitteret, gra-„ vissimè in eundem animadversum iri. Insuper etiam ubi Partis utriusque Copiæ „ conjunctæ fuerint, in Castrorum metatione, duorum locorum similium electio „ Regis Copiarum Moderatori Supremo permittetur, atque utriusque Partis exer-„ citus Imperium suo cuique Moderatori relinquetur. Si verò consultum fuerit ut è

dictis

dictis utriusque Partis Copiis exercitum aliquem exiguum, ad oppida limitanea »
propugnanda atque asservanda, conficeretur, id secundùm utriusq; exercitus or- »
dinem instituetur, ac pariter pro rei necessitate conjungetur, sive ut subsidio at- »
que auxilio, quod è Germania Hostibus afferri poterit, occurrere, sive ut, di- »
stractione Copiarum Hostium factâ, novam aliquam invasionem sive oppugna- »
tionem, prout conventum erit, instituere, sive ut Belgii Provinciarum Regni- »
que Galliæ oppidis, à Parte Germaniæ, succurrere possit. Interim tamen si Ma- »
jestati Suæ Ordinibusque Gener. satius esse visum fuerit, supradictum exiguum »
exercitum dimittere, eumque suis rursum Copiis adjungere, illud utriusque exer- »
citus Moderatorum ac Præfectorum consensu efficietur: eâ lege tamen ac condi- »
tione, ne quidquam Ordinum Generalium oppidis limitaneis à Parte Germaniæ »
periculi suboriatur. »

2. Provinciarum, in quas exercitus uterque introductus fuerit, incolæ subdi- »
tique unicè invitabuntur, ut sese Negotio communi adjungere, atque Hispanos »
Eorumque Socios ex oppidis locisque munitis expellere, seque in libertatem pri- »
stinam asserere velint. Quod si verò trium Mensium spatio, postquam ejusmodi »
invitatio divulgata atque in lucem edita fuerit, se utriusque Partis Copiis adjun- »
xerint, in statu libero mansuræ sunt, cum omnibus libertatis atque Imperii Su- »
premi juribus Privilegiisque, sine ullâ Religionis Romanæ Catholicæ commuta- »
tione, utpote quæ in iis Provinciis integra atque immutata, qualis jam nunc est, »
reservabitur. »

3. Eo ipso tempore quo Provinciæ quædam, Civitates, Principes Ducesque, »
tam Clerici quam Laici, cujuscunque tandem status ac conditionis in dictis Pro- »
vinciis exstiterint, semetipsos animo sincero ac fideli præsenti proposito *Pacis fir-* »
mæ ac libertatis securæ efficiendæ, adjunxerint, summedicta Majestas Ordinesque Ge- »
nerales Eosdem in clientelam atque amicitiam suam recepturi, cumque iis defen- »
dendi atque offendendi Fœderationem contracturi, omnia denique, quantum »
in se futurum est, adhibituri sunt, quibus præsentis Fœderationis effectum con- »
sequi poterunt; Promittentes ac pollicentes, se eosdem quocunque Tractatu in »
posterum ineundo comprehensuros acriterque adversus omnes esse defensuros, »
quamprimum communi proposito adjuncti fuerint; neque alia à supradictis Pro- »
vinciis, Civitatibus, Principibus Ducibusque securitas postulabitur, præterquam »
fides ipsorum, atq; obsidum exiguus numerus, qui ad tempus aliquod certum ac »
determinatum reservabuntur: Eâ lege ac conditione, ut suprememoratæ Provin- »
ciæ, Civitates, Principes Ducesque illa omnia fideliter conferant, quæ in ipsorum »
potestate ad sui defensionem ac propugnationem futura sunt. Sin autem eveniat, »
ut in una eademque Provinciæ Parte tres quatuorve Civitates conjunctim sive se- »
quenter sese dederint, conventum ac decretum est, illis *statum liberum* instituere li- »
citum, Easdemque Ordinum ac Nobilium qualitate, qui in iis Provinciis & Civi- »
tatibus jam confirmati sunt, habitos conservatosque iri. »

4. At quoniam supradictis Provinciis & Civitatibus, loca sua limitanea adi- »
tusque ab Hispanorum Copiis defendere ac propugnare impossibile foret, idcir- »
co omnia oppida & loca in Flandriæ oris munita, ad Blanchebergam, & bina in »
agrum patentem milliaria Regis Imperio obtemperabunt, Diedenhovio, Na- »

 murco,

„ murco, Ostendâ cum suis Ditionibus, additis; hac lege & conditione, quæ in
„ Provinciarum Divisione mox narrandâ, commemoratur: Damna autem Fœ-
„ derati Belgii Ordinum Imperio una cum Hulstâ, Wasiæ Ditione, Bredâ, Gelria
„ & Stephano-waarda cumque Ditionibus suis relinquetur.

„ 5. Ac si eveniret, ut dictæ Belgii Provinciæ & Civitates, ab Hispanis subactæ,
„ quæcunque ad sui defensionem possent, neutiquam conferrent, sed ab Hispano-
„ rum Partibus, non obstante Invitatione supradicto tempore divulgatâ, perma-
„ nerent, Eorumque conatibus nefariis succurrerent, summedicta Majestas Or-
„ dinesque Generales considerantes omnem ab ipsis, tali quidem casu, operam ac
„ diligentiam securitati suæ Provinciisque ab iis conferendam, & malis ac miseriis,
„ quæ easdem, propterea quod saluti atque incolumitati suæ student, obruere pos-
„ sent, occurrendum esse, Eapropter, vi supramemoratæ Fœderationis propositi-
„ que communi consilio suscepti, prædictas Provincias in potestatem suam
„ redigere constituerunt ac decreverunt, quarum Divisio, ut inferius dicetur, in-
„ stituenda veniet; Eâ lege ac conditione, ut Provinciæ seu Civitates, quæ sponte
„ suâ ac liberè Hispanorum jugum excusserint, si tres quatuorve Civitates fuerint,
„ quemadmodum supra dictum fuit, liberæ prorsus atque ab omni subjectione Re-
„ gis Ordinumque exemtæ sint, præterquam quod fidem daturæ, se nihil quid-
„ quam adversum illud quod pollicitæ fuerint, facturas, verùm, quantum in se
„ erit, officio functuras, Obsides quinetiam, donec Hispani omnes è Provinciis
„ discesserint, traditturas esse.

Exemplum Divisionis Provinciarum, quæ Majestati Suæ attributæ fuerunt.

„ AGer Lucemburgi, Namurci, Hannoniæ, Artesiæ & Flandriæ Comita-
„ tus, ad terminos usque qui recta linea ducentur, cujus initium erit à Blanche-
„ berga, atque Dammam inter & Brugas per Partis utriusque medium, transibit, in-
„ deque Rupelmundam usque se extendet, quæ Majestati Suæ similiter tribuetur.
„ Quod autem Cambresem, eique subjacentia loca attinet, Majestati Suæ, prout
„ libuerit, cum iisdem agere licebit.

Exemplum Divisionis Provinciarum, quæ Fœderati Belgii Ordinibus attributæ fuerunt.

„ SAcri Imperii Marchionatus, quo Antverpiensis Civitas etiam continetur,
„ Mechliniensis ditio, Brabantiæ Ducatus, atque id quod à parte Blanchebergæ,
„ quæ Majestati suæ relinquetur, ad Swindam usque superest: Hulsta & Damma
„ urbes, una cum Wasiæ ditione, usque ad lineam supramemoratam: eâ lege ta-
„ men, ut respectu Dammæ, subactis Belgii Provinciis, per Commissarios ab utra-
„ que Parte deputandos, agatur, ne Brugæ atque ager suburbanus, qui ad Regem
„ una cum urbe pertinet, per aquas aggeresque urbis inundentur. Ac quamvis
„ hactenus de Statu in quo Ostenda Dammaque Majestati suæ, atque Ordinibus
„ Generalibus relinquentur, ut commodius de ea re in Provinciarum salutem, at-
que

que incolumitatem consulendi tempus sumeretur, conventum est, ut, subactis ,,
Belgii Provinciis, à Majestate Ordinibusque consilium caperetur, per Commissa- ,,
rios ab utraque Parte Deputandos, quemadmodum supra dictum est, utrumne ,,
melius foret, ut illud Oppidum mœnibus suis exueretur, atq; ab una parte Osten- ,,
dæ portus repleretur, ab altera autem Dammæ mœnia diruerentur, an verò Sum- ,,
medicti Ordines eandem munitam possiderent ejusque portum, in quo Majestati ,,
suæ libitum fuerit loco, derelinquerent. Conventum insuper est, ut respectu »
Majestatis suæ, religio Catholica Romana, in universa agrorum divisione inte- »
gra atque incolumis, ut nunc est, mansura sit, Clericis neutiquam exclusis. ,,
6. Regis Copiis Provincias aggressis, facta cum Hispanis dissolutio tamdiu ,,
vim suam obtinebit, donec *Hispani omnes ac singuli è Belgii Provinciis expulsi fuerint*; ,,
sic tamen, ut neque Majestati Suæ, neque Ordinibus Generalibus de Pace Indu- ,,
ciisve agere licitum sit, nisi *cum utriusque Partis conjunctione & consensu communi*: ,,
Ac si eveniret, ut Pax sive Induciæ, eo, quo dictum est, modo concluderetur, & ,,
postmodum dictus Hispaniarum Rex, Imperator, sive alius ejusdem Familiæ ,,
Princeps, Majestatem suam, vel Ordines Generales in iis Provinciis, Regioni- ,,
bus ac ditionibus, quas aut jam possident, aut per Provinciarum subactionem ,,
possidebunt, sive directè sive indirectè adortus atque aggressus fuerit, Majestas ,,
sua Ordinesque simul cum iis soluturi sunt, à quibus alteruter oppressus fuerit; ,,
eâ lege, ut incommoda illa cum ejusmodi componere, sive per consequentiam ,,
aliquam Induciarum Pacisve Tractationem, nisi cum utriusque Partis conjun- ,,
ctione ac consensu communi, neutiquam liceat; Quod similiter eo tempore fa- ,,
cturi sunt, quo Hispani Status ac possessiones Majestatis Suæ Ordinumque Ge- ,,
neralium dehinc sive directè, sive indirectè invaserint, quamvis Pacis Inducia- ,,
rumve Tractatio, antehac inita, intercesserit. ,,
7. Ac ne studium expeditionis præsenti Fœderatione excogitatæ ac decretæ ,,
confusionem aliquam in dicta proposita expeditione conficienda concitet, decre- ,,
tum est, ut Copiæ utriusque Partis conjunctæ primò omnium duas Regiæ divi- ,,
sionis partes invasuræ, deinde binas Ordinum divisionis partes aggressuræ ,,
sint, nisi fortassis utriusque exercitus Moderatores ac Præfecti, per Acta quædam ,,
literis conscripta, aliud quid agere constituerint: hac lege & conditione, ut, ,,
sive conjunctis sive disjunctis Copiis Oppida quædam expugnarentur, quæ in ,,
divisione Majestati Suæ attributæ fuerunt, quamprimum capta fuerint, Majestati ,,
Suæ traderentur; quem ad modum etiam respectu Ordinum Generalium futu- ,,
rum est, si videlicet Oppida quædam conjunctis Copiis expugnarentur, quæ ,,
summedictis Ordinibus vi divisionis competunt, quamprimum occupata fue- ,,
rint, traderentur; neque propositæ expeditioni finis imponetur, donec utraque ,,
pars ea loca, quæ vi præsentis Fœderationis ac divisionis attributa fuere, occu- ,,
paverit. Sed verò si utriusque exercitus Moderatores postmodum, quò tantò ,,
felicius & cum omnium commodo bellum geri possit, in proposito ac consilio, ,,
quod ante captum initumque fuit, quicquam immutandum esse arbitrarentur, ,,
illud liberè ac tuto facere licebit, si videlicet de eâ re per Acta quædam literis ,,
conscripta ante convenerint. ,,
8. Porrò autem conventum est, ut in Oppidorum in oris Flandriæ oppugna- ,,

,, tione dicti Ordines Generales Classem aliquam in Flandriæ Oris propriis suis ,, sumptibus exornatam haberent, quæ satis prohibere posset, ne quidquam subsidii ,, atque auxilii ab illâ Flandriæ parte maritimâ Oppidis expugnandis supportetur: ,, quæ quidem Classis in dictâ Flandriæ statione ad ejusmodi Oppidi expugnationem usque parata habebitur.

,, 9. Quod si autem, post hanc dissolutionis Tractationem subsignatam ac confirmatam, Pax sive Induciæ contraherentur, easdem tamen contrahere non licebit, nisi cum Majestatis Ordinumque conjunctione ac consensu mutuo, ea tamen obligatione, ut simul & communi utriusque Partis consensu dissolvatur, ,, Hostibusque Hispanis eorumque Sociis bellum inferatur, quotiescunque aliquem Tractationis cum iisdem initæ Articulum transgressi fuerint, sic tamen ut sine communi consensu novam aliquam Pacis sive Induciarum Tractationem inire neutiquam liceat: eâ lege ac conditione, ut, si rursus ab hostibus violata fuerit, Majestas Sua Ordinesque Generales conjunctim & consensu mutuo bellum illaturi sint iis omnibus, qui Tractationis violatores ac transgressores exstiterint.

,, 10. Quod si Imperator Ferdinandus, Archidux Austriæ, sive alius quispiam ,, ejusdem Familiæ Princeps, seu Imperator postmodum nasciturus, præsentis Fœderationis causâ, sive alio quocunque prætextu Fœderati Belgii Ordines Generales *in ejusmodi locis, quæ ad hunc usque Fœderationis diem possident,* hoc modo aggrederentur, ut summedicti Ordines Generales cum Imperatore aliove Domûs Austriacæ Principe abrumpere cogerentur, Majestas sua promittit ac pollicetur se similem in modum cum iisdem soluturam esse, neque quampiam postmodum Induciarum sive pacis Tractationem absque Ordinum Generalium conjunctione ac consensu mutuo dituram. Quem in modum etiam, si Imperator Ferdinandus, sive alius quispiam familiæ Domusque Austriacæ Princeps, aut denique Imperator postmodum nasciturus Majestatem suam in iis locis atque regnis, in quibus jam nunc imperium obtinet, dictæ Fœderationis causâ aliove prætextu directè seu indirectè adortus fuerit, sic ut Majestas sua plenissimè cum eodem solvere cogeretur, summedicti Ordines Generales fidem dant se quoque similiter facturos, neque quampiam postmodum Induciarum sive pacis Tractationem absque Majestatis conjunctione ac consensu mutuo inituros esse.

,, 11. Sed verò, quia Majestas sua Ordinesque Generales satis superque cognitum habent Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ desiderium atque amorem singularem, quo universi Orbis Christiani incolumitatem prosequitur, quam ut nunc dubitarent, eundem præsenti Fœderationi omnia adhibita cupere, ea propter consultum decretumque est, ut à Majestate Suâ atque ab Ordinibus Generalibus, ut Se præsenti Fœderationi adjungere, invitaretur, in quâ Serenissimi Regis ejusdemque Familiæ commodi ratio habebitur, prout illud communis incolumitas postulârit, sive ut cum Majestate sua & summedictis Ordinibus in Neutralitate verâ ac sincerâ permanere velit

,, 12. Decretum quinetiam fuit, ubi dissolutio cum Hispanis fuerit instituta ac ,, perfecta, ut præter Classem, quam summedicti Ordines Generales propriis suis ,, sumptibus in Flandriæ Navium statione juxta 18. hujus Fœderationis Articulum,

in

in publicum commodum paratam expeditamque habituri sunt, Majestas sua Ordinesque Generales, quamdiu bellum hoc durabit, centum & ducentorum vehium naves quinque, 200. & 300. vehium naves quinque, denique 300. & 400. vehium naves quinque in mari haberent, quæ in duas acies divideretur, atque Archithalassorum Partis utriusque & Præfectorum imperio permitteretur; Eo fine, ut dicta Classis Mare magnum, & Canalem sive Mare Herculeum omnia denique Majestatis Ordinumque ostia atque Oras maritimas, ab omni piratarum deprædatione prorsus liberare possit, ne per quempiam Commercia seu Navigationes perturbentur, ac ne Hostes communis in Majestatis Suæ regna Ordinumque Gener. Provincias Copias aliquas exponant: Sin autem contingat, ut dictæ Classis acies se mutuo conjungant, quod fieri poterit, ut ad communem salutem necessarium sit, Ordinum Generalium Archithalassus maximi mali vexillum primo adventu submittet, ac tormenti sui explosione salutabit; Cui tum ab Archithalasso Majestatis Suæ similem in modum respondebitur, quem ad modum cum Magnæ Brittanniæ Rege actum fuit, cum ejusdem Regis Classis cum Ordinum Generalium Classe conjungeretur. Secundùm hunc salutationis modum Archithalassi Præfectique dictæ Classis, in ea navi, quæ vexillum Regium malo maximo infixum habebit, omnes simul in Senatu consultabunt, ut in omni casu, cujus mentionem Instructio nullam fecit, semetipsos gerere possint secundùm ea, quæ ad commune commodum pertinere arbitrabuntur. Regis insuper Archithalassus primam in Senatu sententiam dicturus est, at D. D. Ordinum Gener. Archithalassus secundam; Regis Archithalassus vicarius tertiam D. D. Ordinum Gen. Architalassus vicarius quartam; Regis nocturnis vigiliis Præfectus & facis custos quintam, Ordinum Gener. Præfectus & facis custos sextam, reliqui verò Præfecti, qui ab utraque Parte communi suffragio à Senatus Archithalasso ad Concilium convocati erunt, alternatim Sententiam suam dicturi sunt, ad modum supra dictum, deinde autem suffragiorum pluralitate concludetur, ac quidquid consultum decretumque erit, id omne per Senatus Archithalassi Secretarium, qui & Gallicam & Belgicam linguam callere debebit, literis mandabitur.

13. Summedictæ Majestatis Ordinumque Gener. Portus memoratis navibus, quas proprio ære exsolvent, patebunt, atque in iisdem Portibus commeatus cæteraque ad bellum necessaria, & quibus dictæ naves ad sui alimentum defensionemque opus habebunt, sedulò curabunt; sic tamen, ut pretium pro omnibus exsoluturæ sint, quod itidem in exercituum terrâ militantium commeatu cæterisque rebus ad bellum necessariis observabitur; eâ nihilominus æqualitate, ut, cum è Gallia commeatus aliæque res supportantur, idem in Ordinum, quo in Gallorum castris veniunt, pretium exsolvendum veniat: quemadmodum etiam simili casu, ubi commeatus aliæque res necessariæ è Provinciis, quæ Ordinum imperio subjiciuntur, ad castra Gallorum non majori pretio, quàm in Ordinum castris veniunt, perferantur.

14. Insuper etiam decretum est, præsentem Fœderationem nihil quidquam Fœderi decimo & quinto die Aprilis, proximè elapsi, Hagæ-Com. inito, ac postmodum ab utraque Parte cum Declarationibus privatis confirmato, derogaturam, sed vim suam ac vigorem reservaturam esse, eo fine quo executioni plenissimæ

„ uissimæ mandetur, præterquam in quibus præsenti Fœderationi contrariatur, „ quo casu præsens duntaxat Fœderatio obtinebit.

„ 15. Ac quamvis Tractatu Hagæ-Com. decimo & quinto die Aprilis, Anno „ proximè elapso, inter Majestatem suam Ordinesque Generales inito, concessum „ fuerat, ut, si dissolutio cum Hispaniarum Rege institueretur, Majestas sua duarum „ millionum promissarum, legionis quinctiam peditum, & cohortis levis armaturæ „ equitum, quibus ejus rei gratia proprio ære satisfaceret, exsolutione „ liberaretur; nihilominus tamen, quia primus Annus dicti Tractatus, decimo „ & quinto die Aprilis proximè venturi, expirantis, jam ferme præterlapsus est, „ Majestas Sua summedictis Ordinibus hoc Mense Februario secundam millionem „ plenissimè exsolvet, præter primam quam antehac iisdem annumeravit, pro exsolutione „ Anni 1634. qui Mense Aprili 1635. expiravit: Ac nequid dehinc difficultatis „ ob hanc rem offerretur, impræsentiarum de novo constitutum ac concessum „ fuit, Regem binis supradictis millionibus, uti etiam Legione Peditum „ Equitumque cohorte exsolvendis liberatum iri.

„ 16. Præsens denique Fœderatio per Majestatem suam Ordinesque Generales, „ solennibus &, quoad ejus fieri poterit, optimis formulis confirmabitur, intra „ Mensis unius, sive sex Septimanarum à subsignatione spatium, ac Majestati Suæ „ Ordinibusque Generalibus, secundùm vim suam, quo executioni mandari possit, „ tradetur.

Exemplum Articuli privati, de quo Fœderationis hoc die initæ causâ conventum fuit.

„ QUanquam Articulo nono Fœderationis, inter Serenissimum Regem Ordinesque „ Fœderati Belgii Generales initæ atque hoc die subsignatæ, convenerat, „ ut, si post dissolutionis Tractationem subsignatam confirmatamque Induciarum „ Pacisve Tractatio aliqua institueretur, ejusmodi Tractatio, neque iniri neque „ concludi posset, nisi cum Majestatis suæ Ordinumque Generalium mutua con- „ junctione ac consensu; Nihilominus tamen Majestas sua Ordinesque Generales „ convenerunt, *ut in omnibus aliis locis, in quibus bellum, cui Pars neutra præsenti Fœderatione obligabitur, dehinc geri posset*, summedictæ Majestati Ordinibusque Generali- „ bus Induciarum Tractationem absque Partis utriusque conjunctione & consensu „ inire ac concludere liceret, idque secundùm Partis istius arbitrium; eâ quidem „ lege ac conditione, ut pacis omnis Tractatio excludatur, quandoquidem ea „ cum Partis utriusque conjunctione & consensu mutuo conflanda veniet. Qui „ quidem Articulus privatus eandem vim & vigorem obtinebit, ac si præsenti Fœderationi „ Generali hoc die initæ, insertus fuisset. Actum Parisiis, octavo die „ Februarii, Anno 1635. Signatum erat, Bullionius, Bouthillierus, Charnassæus, „ Adrianus Pauw, I. Knuytius.

Exem-

Exemplum Articuli privati, de quo Fœderationis hoc die initæ caúsâ conventum fuit.

QUanquam Articulo secundo Fœderationis, hoc die inter Majestatem Ordinesque Generales initæ, convenerat ut Incolæ ac subditi qui, ut se communi proposito adjungere Hispanosque milites mœnibus suis expellere velint, invitabuntur, illud trium Mensium spatio, postquam ejusmodi invitatio fuerit divulgata, effectum reddere deberent; Nihilominus tamen Majestas Sua Ordinesque Generales decreverunt, ut dictum temporis spatium utriusque consensu, quamdiu in commune commodum fore existimabunt, prorogaretur. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Quininsuper etiam conventum fuit, inter Serenissimum Regem Ordinesque Generales, quod si durante bello, quod in Flandriæ oris maritimis aliisve in locis gerent, hostes communes eorumque Socii, quicunque futuri sunt, regna atque imperia Regis, qualiacunque mari invaserint, ut tali casu summedicti Ordines Generales ingentem classem exornarent, quo cum Regiâ Classe, quam Majestas sua apparabit, conjuncta, nefariis hostium conatibus, irruptionibus ac deprædationibus adversum iret, eaque omnia, quæ commodissima existimabuntur, efficeret; Idem etiam conventum fuit, ut Majestas sua, quod si Ordines Generales bello Mari opprimerentur, faceret. Hic itaque privatus Articulus eandem vim & vigorem obtinebit, ac si Fœderationi hoc die initæ, fuisset insertus. Actum Parisiis, octavo die Februarii, Anno millesimo, sexcentesimo, tricesimo & quinto. Signatum erat, Bullionius, Bouthillierus, Charnassæus, Adrianus Pauw, I. Knuytius. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Exemplum privati Articuli, de quo Fœderationis hoc die initæ causa conventum fuit.

INter Serenissimam Majestatem Ordinesque Generales conventum est, quod si aliquis Principum seu Rerumpub. suo, vel Hispaniarum Regis Nomine, aliove prætextu naves, quas Majestas sua Ordinesque Generales in oris Flandriæ maritimis ante oppida, quæ ab Hispanis subacta sunt, paratas habebunt, hostiliter aggrederentur, easque oppugnarent, sive in regna Majestatis Ordinumque Generalium Provincias milites suos exponerent, aut denique hujus illiusve Principis Copias Oppidis ab alterutro exercitu obsessis subsidio auxilioque adducerent, adeo ut ejusmodi actus hostilitatis Majestas sua Ordinesque Generales cum dictis Principibus & Rebuspub. dissolvere cogerentur, ut tali casu cum utriusque Partis conjunctione dissolverent, neque postmodum, sine Partis utriusque conjunctione ac consensu mutuo, quampiam Induciarum Pacisve Tractationem inire liceret. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Nos, quorum nomina sequentibus inserta leguntur, Fœderati Belgii Provinciarum Ordinum Generalium Extraordinarii Legati promittimus ac pollicemur hujusce Articuli privati Exemplum à Deputantibus Nostris subsignatum traditum iri, quamprimum ratihabitio Fœderationis hoc die initæ inter Dominos Com- ,, ,, ,, ,, ,,

„ Commiſſarios, à Rege Chriſtianiſſimo delegatos, â Majeſtate ſua tradita fuerit.
„ Actum Pariſiis, octavo die Februarii, Anno 1635. Signatum erat, Adrianus
Pauw, I. Knuytius.

„ Hiſce autem Regia Procuratio inſerta, triceſimo die Januarii, Anno 1635. exa-
„ rata erat. Præpotentium vero D.D. Ordinum Generalium Procuratio data erat
„ triceſimo die May, Anno 1634.

„ In quorum omnium teſtimonium Nos, ſupramemorati Commiſſarii, & Le-
„ gati, quorum nomina ſequentibus inſeruntur, nomine locoque Deputantium
„ Noſtrorum præſentibus ſolitâ ſubſignatione annuliſque ſignatoriis muniri cura-
„ vimus. Actum Pariſiis, octavo die Februarii, Anno 1634. Signatum erat, Bul-
„ lionius, Bouthillierus, Charnaſſæus, Adrianus Pauw, I. Knuytius.

„ Hanc Fœderationem exercitus utriuſque conjunctio prope Trajectum ad Mo-
ſam, Tenarum expugnatio, Lovanienſis obſeſſio, Caſtelliquc Schenchiani amiſſio ſecuta ſunt. Cujus recuperandi cauſa exercitus uterque ſupra atque infra dictum Caſtellum conſedit; ſic tamen, ut Hiſpani minimè prohiberi poſſent, quin prope Cliviam caſtra ponerent, atque aditum & Navigationes ſuas ad Caſtellum tutas ſecuraſque redderent.

Hoc tempore Pacis ſive Induciarum Tractationem quamcunque cum hoſtibus impoſſibilem eſſe omnes exiſtimabant, eo quod diſſolutionis Tractatio nova admodum, fides quin etiam bellum continuandi, Hiſpanoſque è Belgii Provinciis expellendi, data erat. Neque bellum majori ſtudio unquam quam hac æſtate geſtum fuerat. Nihilominus tamen Pacis quædam Tractatio Cranenbergæ propoſita fuit, eo quidem prætextu, quod Arx Gennapæ ab Hiſpanis ac Raveſteinii telonium ab Ordinibus Generalibus muniebatur, indeque per continuationem Turnhouti. Quâ Pacis Tractatione tum primum per Wittenhorſtium, qui cohortem equeſtrem inter Hiſpanos quondam duxerat, inſtitutâ, poſtmodum per Hiſpanos Arnhemium tranſlatâ, nonnihil ab utraque Parte metuebatur. Ab una, ſi auſcultaretur, propterea quod fortaſſis Hiſpanis non plena ac ſufficiens agendi poteſtas conceſſa erat; ab altera vero Parte Tractationem Pacis, *quæ omnis belli finis eſt*, recuſare, res haud parvi momenti ducebatur.

Idque eo magis, quod ipſe Dominus Breſæus & Charnaſſæus paulò ante Regis nomine indicaverant, Dominum Mazarinum, in Gallia Nuncium Papæ Romani, quatuor ad Pacem inter utrumque Regem conflandam loca propoſuiſſe: videlicet, Conſtantiam, Auguſtam Vindelicorum, Tridentum, vel Spiram Nemetûm, idcircò quid de Tractatione animi Ordines haberent, cognoſcere cupiebant.

Quapropter, ut omnis dubitationis ſcrupulus amoveretur, Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputati Arnhemii commorantes Dominum Muſch Graphiarium Cranebergam mittere decreverunt, eo fine, quo cum Domino Martino Aſpæo Majeſtatis Suæ Secretario colloqueretur. Qui primò adveniens, nullam à Rege ſufficientem Procurationem ad ineundam Tractationem datam fuiſſe, comperit: Adhæc autem Hiſpani varios atque à re longe diverſos ſermones habebant; utpote qui ſpargebant, Se videlicet *Limburgum, ſimul etiam quatuor trans-Moſanos Tractus, Trajectum, Ruremundam, Venloam, Sanctæ Crucis fortalitium, Sancti Iacobi propugnaculum, Orſojam, Rheno-*

Rhenobercam, atque omnes in Indiâ Occidentali munitiones repetere, quorum omnium loco Castellum Schenchianum cum Santvlitio restituerent.

Quibus in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. relatis, Celsissimus Arausionensium Princeps, qui intererat, Hostium proposita (quæ plerumque iniqua existebant) parvi ducenda esse censebat. Sed reliquarũ Provinciarum sententiis super dicta Hostium propositione perceptis, Celsissimo Arausionensium Principi ac Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis (quorum cognitione Hostium proposita Cranenbergæ fuerant exaudita) gratiæ actæ sunt, insuper etiam rogati, ut iisdem porrò incumberent, atque ea, quæ pro rei ac temporis necessitate commodissima esse arbitrarentur, agerent, quæque, Arausionensium Principe consulto, necessaria esse existimarent, adhiberent. Porrò autem Dominus Heemstedius, & qui in Galliam Præpotentium D. D. Ordinum Legati Extra-Ordinarii fuerant missi, Hostium Propositionis per literas certiores facti fuerunt, eo quidem fine, ut, ubicunque ac quibuscunque opus esset, referrent, simul etiam diligenter, si quæ à Mazarino, aut alio quopiam, super pacis Tractatione proferrentur, attenderent, & quæ in ea re transegissent ac percepissent, Ordinibus semper indicarent. Eapropter etiam Dominus Heemstedius supramemoratam Hostium propositionem Cardinali Richellio exhibuit. Cui, respectu Tractationis & locorum per Mazarinum Papæ nomine oblatorum propositione, responsum fuit, *Eam scilicet propositionem nihil præterquam adhortationem ad pacem terminis generalioribus à Papa, Communi Parente, omnibus Christianis Principibus propositam existere.* Quandoquidem Ecclesiæ Capiti conveniebat Pacem majorem in modum commendare & Christiani sanguinis profusioni, quantum posset, occurrere. Ac quamvis nihil aliud esset, neque oblationis quidquam neque postulationis dicta propositio contineret, eam tamen (vi superiorum Tractatuum) Nomine Majestatis Suæ Domino Heemstedio indicatam fuisse, quem ad modum etiam à Domino Bresæo & Charnassæo Arausionensium Principi ac Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis fuerat indicata. Quibus ipsi, Domino Heemstedio sc. responsum fuit, Dominum Graphiarium Musch jam Mense Septembri Cranebergam sæpius Induciarum Tractationis causa profectum, & cum Duce Johanne Aspæo colloquutum fuisse, idque non solum clam Marescallum Bresæum, verum etiam cum negatione, quod dictus Graphiarius eâ de caussâ Craneburgum missus atque Induciarum Tractationi adhibitus fuisset, quamvis satis sudaverat, ad rumoris istius veritatem exsculpendam. Postremo Domino Heemstedio à Majestate Suâ, quantum ea res à superiorum Tractatuum Fœderumque sinceritate, quantum insuper à Majestatis Suæ fidelitate in istoc negotio demonstratâ, utpote quæ omnem pacis oblationem communicarat, discreparet, ob oculos positum fuit.

Hoc itaque pacto & Rex & Ministri ejus sibi Tractationem summopere displicere, quamvis immeritò, ostenderunt: quippe Dominus Heemstedius Ordinibus Galliæ, simul etiam Dominus Noortvicius & Dominus à Waveren Marescallo Bresæo & Charnassæo tempestivè satis, ut postea cognitum fuit, dictam Hostium Propositionem indicaverant.

Quinto die Novembris Wittenhorstius Magister Equitum novum conventum Hispanorum Nomine postulavit: quoniam vero tempus jam præterlapsum, atque

que

que Concilium Arnhemio Hagam-Com. reversum fuerat, dicto Conventui decimo & tertio die Novembris habendo, Turnhoutum designatum fuit: cum Mandato ac Proposito, si Induciarum Tractatio succederet, ut Breda, cujus mentio ante facta fuerat, eo modo, quo ab Hispanis capta erat, simul cum agro suburbano ejusdemque Jurisdictione, Scenchianum quinctiam Castellum atque Urbs Gelria restituerentur, & sexies centena Florenorum millia offerrentur, eo fine, quo deinde videri posset, num Præpotentes Ordines Generales assiduâ Hispanorum petitione, Regi Hispaniarum, *Trajectum ad Mosam, Limburgum, una cum quatuor Tractibus Trans-Mosanis, oppida ac fortalitia Brasiliensia, cum omnibus Iurisdictionibus, tradere, atque Inducias ineundas effectum similiter in Orientali Indiâ obtinere vellent.* Ac si remedia quædam, quibus hoc negotium expediri posset, adhibenda forent, jam tum dicto Graphiario licitum esse dicere, spem datam fuisse Ruremundæ mœnia diruendi, cujus etiam loco Strala ac Gelria mœnibus suis exuerentur. Porrò autem visum consultumque fuit ut Dominus Graphiarius declararet, tempus ab utraque Parte postulare, ut cum Gallis etiam tractari, resque eò deduci posset, quo Gallos inter & Hispanos pax confirmaretur, quandoquidem universum negotium inter Hispanos & Fœderati Belgii Ordines decidendum ad Tractatus conclusionem differri posset, dummodo Galli suam interea cum Hispanis Tractationem absolverent. Graphiarius insuper perciperet, num Hispani satius esse ducerent, ut conventui proximo Regis Galliarum Legatus aliquis, Gallorum res causasque curaturus, interesset. Quorum omnium jam memoratorum Domino Charnassæo, in quantum ad Gallos attineret, indicium factum fuit; qui insuper rogatus est, num ipsi placeret, quod videlicet occasio ferret, ut Gallorum proximo conventu aliqua etiam fieret mentio? Sed verò cùm D. Charnassæus tum D. Bresæus, utrique à Rege Extra-Ordinarii & Ordinarii Legati qualitate muniti, atque Hagæ-Com. commorantes, tam publico quam privato colloquio atque conventu illud summopere sibi displicere ostenderunt.

Quinto die Decembris Graphiarius Musch retulit, quintum conventum ab altera Parte in vicesimum & secundum Novembris diem dilatum, ac postremo utriusque Partis consensu in tertium jam nunc vertentis Mensis diem constitutum fuisse; huic quidem conventui se, supra memoratum nimirum Graphiarium post meridiem interfuisse, uti etiam Ducem Martinium Aspæum, qui postquam Dominum Graphiarium adventus sui certiorem fecisset, dictâ utrinq; salute ac gratulatione, de successu optimo, solito quinctiam honore exhibito, ab utraque Parte decretum fuisse ut postero die, qui erat quartus dicti Mensis Decembris, utriusque Partis conventus in Curia Turnhoutensi hora matutina nona haberetur, eum tamen hora undecima propter casum aliquem fuisse habitum, Eoque se cum Duce Aspæo, dictâ salute, sermones pauculos habuisse; dictumque conventum dimissum, ac tempore pomeridiano ad horam quartam productum fuisse, in quo postquam supra memorati Domini consedissent, se à Domino Aspæo plenissimam procurationem à Rege Hispaniarum impetrandam petiisse, quâ cum Ordinibus Generalibus agere posset, cujus ille quidem spem nonnullam antehac concitaverat, quam à Rege Hispaniarum Procurationem accepisse se negavit, eam nihilominus quotidie expectare, ac propter impedimenta quædam Ejusdem moras excusasse.

eusasse. At postquam supra memorato Duci Aspæo per dictum Graphiarium fuisset indicatum, Ordines Generales Fœdere atq; Societate Gallis devinctos teneri, eaque propter sine Gallis nihil quidquam agi posse, de illo negotio actum, ac denique decretum fuisse, ut Tractationis loco, Cæsaris, Regis utriusq; & Galliæ & Hispaniarum, atque Ordinum Legatorum conventus aliquis institueretur; idque illum, quantum in ipso erat, concessisse, simul etiam promisisse se omnem operam atque auxilium apud Cardinalem Infantem eâ de causâ adhibiturum esse, minimè dubitando, quin & ipse Cardinalis propter Hispanos dictæ Propositioni annueret. Quocirca etiam sermonibus nonnullis de loco, in quo ejusmodi conventus institueretur, ultrò citròque habitis, propositum fuisse, num Oosterhoutum, municipium quoddam Baronatus Bredanensis Arausionensium Principis proprii, dicto conventui magis inservire posset? Porrò autem occasionem commodam fuisse datam de maritimorum captivorum utriusque Partis commutatione agendi, eo quod Rosendaliensis Prætor Turnhoutum venisset, quod sibi à Præpotent. Ordinibus demandatum fuisse ajebat, de quo tamen negotio agendo nullâ se auctoritate munitum Ducem Aspæum declarasse, veruntamen, quo pacto atque ubi oporteret, auctoritate de negotio illo agendo, muniri se atque instrui curaturum promisisse, atque ejus Graphiarium octo decemve dierum spatio certiorem redditurum esse, utrum de omnibus, quæ memorata forent, ab utraque Parte ulterius ageretur, ac tum se die quodam opportuno Turnhoutii oretenus debitam declarationem exhibiturum. Quibus in consilium vocatis, visum decretumque fuit, ut supramemorato Domino Graphiario pro suscepto labore gratiæ agerentur, atque ex iis quæ jam retulerat, decretum fuit, ut ipse secundum mandata Arnhemii ipsi præscripta, cujusmodi supra memorantur, tempore pomeridiano tam Ordinario quam Extra-Ordinario Galliarum Regis Legatis Hagæ-Com. commorantibus enarraret.

Regis Galliarum Ministris Cranenburgensis & Turnhoutensis Tractationis communicationem summopere displicere, superioribus demonstratum fuit; at multo magis Tractatio ipsa postmodum displicebat. Quorum tamen querelæ, rationes, protestationes ac petitiones è sequenti Propositione, decimo & quarto die Decembris, Anno 1635 habita, satis superque innotescent.

Præpotentes Domini, Alterum hoc à Vobis colloquium eo fine postulavimus, „ quo Vobiscum de iis rebus, quæ hoc tempore oboriuntur, ageremus, simul „ etiam Majestatis Suæ animum ac benevolentiam, qua semper hunc Statum prosequuta fuit, & Nostrum Vobis inserviendi studium singulare indicaremus & confirmaremus: „

Hocnamque mihi persuasum habeo, Vos, Præpotentes Domini, adhuc in memoriâ habere summam illam defuncti Henrici Magni, Gloriosissimæ memoriæ, curam ac diligentiam quam hujusce Reipubl. saluti atque incolumitati assiduè intendit, voluntatem insuper animique affectionem, cujus indicium fecit, „ quod Vos, Præpotent. Domini, ab omnibus Fœderatis Suis Sociisque liberos ac „ nemini subjectos haberi atque appellari curavit, qui mediusfidius ægrè tales Vos „ agnovissent, nisi Ejusdem Majestatis Suæ exemplo atque authoritate effectum „ fuis-

,, fuiſſet, ſingularem denique amorem, quo Vos omni loco ac tempore ad extremum uſque vitæ ſuæ halitum ſubvenit, idque tanto animi ſtudio, quanto propriis ſuis Regnis opitulari unquam potuiſſet.

Rex, Præpotentes Domini, Parenti ſuo non tantum in Regnis, verum etiam in curis ac ſollicitudinibus, nec non benevolentia ac ſingulari animi voluntate, quâ ſemper Remp. hanc complexus eſt, ſucceſſit. Tot millionum millia, tot Virorum fortium vita, quam in Vobis adjutandis propugnandiſque conſumpſit, nimis magna ac recentia exiſtunt indicia, ut horum omnium Vobis ſurrepſiſſet oblivio.

Tot ac tanta beneficia quum neque ſufficerent, neque animum Veſtrum explerent; Ne Vos graviſſimo bello impliciti, laſſi & curis viribuſque fracti tandem vel ſuccumberetis, vel ejuſmodi Tractationem iniretis, è qua tantum ad Remp. Veſtram mali evenire poſſet; Idcirco Majeſtas Sua, Vobiſcum ſentiens, ad Vos Dominum Charnaſſæum, qui majora, quam hactenus, ſubſidia atque auxilia offerret, miſit. At verò Propoſitiones, quas tunc temporis Hiſpani inſtituebant, quæque non niſi apparenter ac ſpecie quadam utiles videbantur, quarum finis non alio tendebat, niſi ut commodiſſimum & maximè opportunum tempus, atque in apparando confirmandoque exercitu animum Vobis atque alacritatem priſtinam ſurriperent, diſſenſiones atque Provinciarum Veſtrarum diſſolutiones concitarent, Voſque optimorum & potentiſſimorum Veſtrorum Amicorum ſocietate atque amicitiâ exuerent, Illi mentes Veſtras adeò præoccupaverant, ut dictum Dominum Charnaſſæum auribus propemodum adverſis audiretis. Sed poſtquam Majeſtatis Suæ longanimitate tempus ad cogitandum conſequuti eſtis, quo tandem aliquando in penitiores conſiliorum ac propoſitorum partes vultu Veſtro dimiſſo, animum atque intentionem eorum pernoſceretis, qui injurias ſibi à Vobis illatas, ex animo nunquam exturbantes, nunquam alii ac Hoſtes Vobis exiſtere poſſunt; Spe itaque cum Hiſpanis componendi & concludendi Sereniſſimæ Infantis obitu ac Deputatorum in Brabantiam reditu fruſtratâ penituſque ſublatâ, tandem tamen Tractationem cum ſupramemorato Domino Charnaſſæo iniiſtis, quo Majeſtas Sua Semetipſam bis centenorum librarum millium, quotannis annumerandorum, inſuper etiam in exercitu Veſtro duorum peditum millium, Equitum centum exſolutioni obſtrinxerat; cui pleniſſimè ſatiſfecit; quem ad modum etiam promiſſa omnia hactenus ſervavit.

At verò, Præpotent. Domini, non omnia hæc ſunt, quæ ad Vos è dicto Fœdere bona atque commoda pervenerunt: quandoquidem non aliam ob cauſam collata videntur, quam ut alia eaque majora ac meliora Vobis conferrentur, nimirum ut Majeſtas Sua ſemetipſam *Fœderi defendendi & offendendi adverſus Hiſpanos, Domum Auſtriacam Ejuſdemque Socios ac Fœderatos* obſtringeret. Cui quidem Fœderi nullâ aliâ cauſâ devincta dici poteſt, præterquam eorum, quos *in communem omnium tranquillitatem ſalutemque* adſcitos ſummoperè cupiebat, atque imprimis in hujuſce Status incolumitatem, qui tanto in periculo verſabatur, quanto in Europâ antehac alius nunquam, partim, quod ingenium omnium eſt, invito relinquere aliiſque concedere ea, quorum jus legitimum competere ſibi firmiter perſuaſum habent; partim etiam, quod Hiſpani nunquam derelinquent prætenſionem ſeu petitio-

titionem, quam ſemper circa *Europæ Monarchiam* inſtituerunt, quandoquidem cognitum perſpectumque habent, harum Provinciarum opportunitatem permagnum ſibi impedimentum obicemque exiſtere ejuſmodi conſilio ac propoſito, quod de Statibus finitimorum Principum ſibi adſcribendis atque pro ſuis uſurpandis ceperunt. „

Quocirca, Præpotent. Domini, Majeſtas Sua & ſtudio ac benevolentiâ quâ Amicorum ſuorum & Fœderatorum ſalutem atque incolumitatem amplectitur, & petitionibus Veſtris crebris impulſa Hiſpaniarum Regi bellum indicere conſtituit, in quo non tantum multa, præter quæ promiſerat, verum etiam quorum ſpes tenere Vos potuiſſet, præſtitit, M. *de Rohan* in Valtelinam cum ingenti exercitu apparato mittendo, cujus operâ atque auxilio plurimas atque inſignes victorias adverſus Hoſtes conſequuta fuit, & quæ loca oppidaque armis capta fuere, adhunc uſque diem feliciter reſervavit „

Dominus Mareſcallus *de Crequy* in Italiam itidem miſſus eſt, Sabaudiæ, Mantuæ Parmæque Ducibus ſe adjuncturus. Ac fieri vix poteſt, quin Hiſpanorum Copias ſummopere diſtrahant, eò quòd commodiſſimam atque intimam ipſorum Regnorum Partem invadant. „

Dominus Cardinalis *de la Valette*, Bernhardus Angouleſmæ Dux, Dominus Mareſcallus *de la Force* triplici exercitu ingenti omnes Imperii Copias in diverſum trahunt. „

Et quoniam, Præpotent. Domini, Majeſtas Sua in haſce Provincias viginti ſupra quinque peditum millia, Equitum verò quinque millia cum ingenti tormentorum bellicorum Copiâ, utque uno verbo eloquar, firmiſſimum optimumque exercitum, qualem antehac Principum nemo in Amicorum Sociorumq; auxilium atque ſubſidium adhibuit, educi curavit, dubium nullum eſt, quin Majeſtas Sua omnibus & ſingulis ſuis promiſſis omni ex Parte præſtitura ſit, in quorum ſatisfactionem poſtquam Rochefortium ſe tempore ſtatuto contuliſſet, atque ibi neque exercitum Veſtrum inveniſſet, neque certi quidquam de Vobis percepiſſet, ii, quorum ductui atque auſpiciis omnis exercitus fuerat relictus, neutiquam moleſtum neque periculoſum eſſe arbitrati ſunt, ſi Copias ulterius deducerent, Veſtraſque in ipſis Provinciarum finibus quærerent, quo Negotio impliciti, cum Hiſpanorum Copiis, locis quamvis parum opportunis, obviam factis confligere non dubitarunt. Cujus tamen prælii eventus Vobis cognitus eſt. „

Eodem quoque tempore, ut ex hac victoriâ aliquid commodi perciperetur, exercituſq; *Huiam* trans Moſam ſitam deduceretur, atq; Hoſtium agros interiores invadere decretum fuerat; in quo, omni dubio procul, multa evieiſſemus antequam Hoſtes, jam tum metu perterriti, reſpiraſſent, atque noviſſimo prælio vires fractas damnumque acceptum reſarciviſſent. At verò Regii exercitus ductores illud noverant, Majeſtatem Suam *ex hoc bello nihil quidquam commodi ſibi capere conſtituiſſe*, ſed commodum aliquod Amicis Sociiſque ſuis ferendi ſtudio impulſam fuiſſe, quod ipſos ante omnia conſilia propoſitaque cogunt ea executioni mandare, quæ Majeſtas Sua promiſit ac pollicita fuit: adeò ut longius proceſſum Trajectumque ad Moſam perventum fuerit, quo Celſiſſimum Arauſionenſium Principem necdum adveniſſe compertum erat: ſive tarditate factum ſit, ac tempore „

pore

„ pore quod in Hostibus impugnandis consumebatur, quo ad se redire, atq; omnia, „ quæ ad tanto impetui occurrendum, eumque depellendum necessaria videbantur, „ apparare possent, impediti fuerimus ne quidquam effectum redderemus; sive ad „ consiliorum ponderis alicujus propositorum eventum difficillimè perveniatur, „ aut Cœleste Numen Propositi eventum exoptatum Nobis negaverit; Quicquid „ sit, hoc unicum certum est, rerum earum omnium exitum cognitum Vobis com- „ pertumque haberi.

„ Hæc profectò multaque alia, quæ nunc silentio transeo, ac quibus percipere „ possetis, quam firma, quam necessaria atque utilis Gallorum amicitia Vobis sit „ futura, neutiquam memorassem, nî ea, quæ hisce temporibus in Repub. Vestra „ geruntur, firmiter mihi persuasissent horum omnium Vos memoriam depo- „ suisse.

„ Frequentes Graphiarii Vestri ad Hostes meatus ac remeatus, variæ quinetiam „ Assignationes Ejusdemque cum Hostibus Deputatis conventus & colloquia, abs- „ que Nostri communicatione, non sine damno optimi, firmissimi & maximè sinceri „ Fœderis, quod inter Majestatem Suam atque inter Vos antehac fuit initum con- „ firmatumque, institui atque haberi queunt.

„ Non equidem incertus sum, Præpot. Domini, Eos, quibus hujusce Tractatio- „ nis negotium curæ est; ad id operam dare & manibus pedibusque obnixè omnia „ facere, aliis ut persuadeant, Nobilissimos Dominos, D. Knuytium, D. Noortvi- „ cium, & D. Graphiarium Musch, tertiâ vice Nos, Me sc. & D. Charnassæum, visi- „ tasse, ut Nobis, quæcunque gesta forent, indicarent: At verò nihil quidquam in „ eâ re agi, semper Nobis affirmârunt, utque omnem Nobis dictæ Tractationis „ notitiam adimerent, rationes quasdam infirmas minusque solidas allegarunt. „ Nos autem non ignoravimus malum tantò majus existere, quantò magis huic si- „ letur, qui eidem remedium optimum adhibere valet. Vos autem, Præpotent. „ Domini, facilè intelligetis, qualis Majestas Sua, de qua jam nunc loquor, exi- „ stat, eo quod ipsius auxilium atque subsidium, non sine Vestro commodo maximo „ latum videtur, insuper etiam quod Majestatis Suæ voluntas atque animi benevo- „ lentia in Vestram salutem & incolumitatem prompta semper ac parata repe- „ riatur.

„ Hæ itaque, Præpotent. Domini, rationes sunt, ob quas Majestas Sua (Anni „ tempestate Copiarum in campo detentionem ulteriorem non ferente) Dominum „ Charnassæum Meque ad Vos miserit, qui voluntatem Regis ergà Vos jam à mul- „ to tempore cognitam perspectamque habent, & quæ majorem me expeditionem, „ cui in Germania incumbebam, differre impulit, ut aliam in hisce Provinciis ductu „ atque auspiciis Celsissimi Arausionensium Principis capesserem, cujus fidei non „ modo Nosmetipsos verum etiam tantas ac tam insignes Gallorum Copias com- „ misimus, in quas haud aliter imperium hactenus obtinuit, ac si Vestrorum ære „ fuissent exsolutæ.

„ Non immeritò, Præpotentes Domini, notitia, quam curæ Vestræ habemus, „ quâ Vos semper in promissis constanter atque inviolabiliter servandis teneba- „ mini, singularis quinetiam animi providentia, & rerum tot Annorum spatio „ magnificè feliciterque gestarum, credere Nobis prohibet certis rumoribus, qui

Bruxel-

Bruxellis, Coloniâ, Amstelredamo, Londino, quin etiam ex hisce Provinciis ad „
Nos perferuntur, Vos, sc. non Propositiones duntaxat Articulosque Tractationis „
cujusdam accepisse, sed in eadem quoque eò pervenisse, ut parum absit, quin „
de omnibus Tractationis Articulis inter Vos conventum sit.

Quæ quidem rationes omnes & singulæ incomparabilibus Celsissimi Arausio- „
nensium Principis qualitatibus confirmantur, qui, ut mihi persuadeo atque in „
animum induco, actiones tam parum justas honestasque invitus planè admissu- „
rus est. „

Quod ad me attinet, oculorum profectò meorum prospectioni diffidere mal- „
lem, quam ut Vos Tractationem inire posse crederem, quæ promissa Vestra fi- „
demque maximo & potentissimo universi Orbis terrarum Regi, Amico Vestro „
summo tam solenniter datam solvens, illud effectum redderet, quo verbis dehinc „
Vestris nulla fides haberetur. „

Quid spei igitur, Præpotent. Domini, quid fiduciæ reliquum est, ut sibi quis „
persuasum habere possit, Vos, solitâ Vestrâ animi prudentiâ posthabitâ, nimia „
festinatione, quæ non nisi damnum inferre poterit, scienter ac prudenter in „
eam iri præcipitatos foveam, quam implacabiles Vestri prorsusque irreconcilia- „
biles Hostes Vobis effoderunt? „

Aut quo pacto credi poterit, Ejusmodi homines, qui Annos sexaginta aut „
plus eo tam strenuè feliciterque pro libertate suâ pugnârunt, jam nunc irrepara- „
bili Auctoritatis suæ jacturâ, & malefacto, quod nullam postmodum apud Ami- „
cos Sociosque reconciliationem consequetur, certissimæ durissimæque servituti „
sese dederent? Talis quippe conditio Vestra habenda foret, in qua tum siti esse- „
tis, ubi privatam cum Hostibus Tractationem iniissetis. Vestra quininsuper li- „
bertas non nisi apparens, fucata & temporaria existeret. „

Ad aures quin etiam Nostras pervenit, Vos præter reliquos cum Hostibus „
institutæ Tractationis Articulos concessisse, ut utraque tam Orientalis quam „
Occidentalis India dictæ Tractationi includeretur. Nos autem, Dominus Char- „
nassæus & Ego, falsa hæc atque vana esse duximus; utpote, qui Nobis in animum „
inducere neutiquam potuimus, Eos scilicet, quorum prudentia ac provida ani- „
mi circumspectio tanta semper exstitit, Ejusmodi quid omissuros aliisque con- „
cessuros, cujus amissio certa ac perpetua, jactura quinetiam magna ac præsens „
est, Idque pro tantillo nummorum, atque incerto Induciarum beneficio, qua- „
rum vox ipsa quandam inconstantiam clarissimè exprimit, quodque tantum tem- „
poris durabit, quantum Hispanis ad respirandum, pecunias nummosque curan- „
dum, Copias prælio imminutas restaurandum opus habebunt, denique ad semet- „
ipsos iis Hostibus accommodandum, quos fortissimos atque adversus sese va- „
lidissimos comperient, quales tamen ad Provincias Vestras rursus subigen- „
das semper habituri estis. Hoc ipsimet sine famæ ac Nominis sui jactura fieri „
posse arbitrantur; Idque partim exemplo, quod Hostibus præsenti Tractatione „
(quemadmodum à Vobis fieri rumor est) præbebitis, partim etiam, quod certissi- „
mum hoc sibi axioma retinent, *Principem neque verbis, neque promissis, Hæreticis at-* „
que subditis suis (quales Vos habet) *datis confirmatisque ullâ lege devinctum obligatum-* „
que teneri: præsertim si quidquam *armatis subditis, ipsemet coactus*, fuerit pollicitus. „

„ At nemo Vestrum, Præpotent. Domini, dubitat, quin Hispani Vos & Hæreticos „ & Subditos habeant.

Complures aliæ rationes sese offerunt, quæ Nos prohibent, ut iis credamus „ fidemque habeamus, quæ de Tractatione cum Hostibus ad Nos perferuntur: quæ „ tamen Tractatio tantum Auctoritati & Rerum ac Fortunarum Vestrarum incolu- „ mitati detrimentum allatura esset. Sed verò prudentiæ Vestræ summæ atque judi- „ cio sagacissimo injuriam faceremus, quod si Vos eâ re, quæ pro ipso loquitur, diu- „ tius detineremus.

„ Majestas Sua Ejusdemque Consiliarii, non magis ac Nos, tantum sibi nefas „ in animum inducere possunt, Idque ab Ejusmodi hominibus patrari, qui summo „ honore summaque justitiâ abundant. Adeò tamen omnibus in ore est, ut, non „ obstante fiduciâ, atque iis, quæ ad Majestatem Suam per literas dedimus, nihilo- „ minus tamen Me & Dominum Charnassæum Legatos Suos, ad Vos mittere in „ rem fore duxerit, qui Vobiscum de Tractatione cum Hostibus colloqueremur, „ ea quæ oboritura sunt transigeremus, atque à Vobis totius rei veritatem & quic- „ quid actum foret cognosceremus; ut, quid Majestas Sua actura sit, sciret, Vos- „ que ut malum satis ingens evitaretis, rogaret, cui equidem præcaveri poterit, si „ omnis cum Hostibus Tractatio prohibeatur prorsusque abrumpatur, quæ ab ipsis „ duntaxat Hostibus instituta ac promota fuit, cujus etiam continuatio perniciosa „ foret, propterea quod primus ejusdem effectus quem produceret, animos No- „ stros invicem distraheret, mutuamq; societatem atq; amicitiam disturbaret; quam „ ipsi quidem mutuam Societatem atq; amicitiam Domûs Suæ aut saltem proposi- „ torum ambitiosorum perniciem interitumque apportaturam esse, non ignorant.

„ Considerandum Vobis, Præpotent. Domini, etiam atque etiam venit, vix de- „ cem Menses abiisse, quod Gallia, ne petitionibus Vestris crebris, multoties pro- „ positis ac repetitis deesset, hoc bellum contra Hispanos paraverit, quod res & for- „ tunæ Vestræ in pristinum restitutæ fuerint locum, quod denique Castellum Scen- „ chianum, in eum locum redactû sit, ut non tantum ejusdem recuperatio certa at- „ que indubitata, atque Hostibus expugnatio inutilis facta, verum etiam ejusdem „ retentio sumptuosa ipsis sit reddita.

„ Adeò ut quivis facilè sibi persuadere possit (quandoquidem nulla alia ratio da- „ ri potest, ob quam tanta Partis utriusquè commutatio oboriatur) Vos non con- „ stituisse superiorem cum Majestate sua Fœderationem contrahere, nisi *ut Vobis* „ *maximo medio foret, quo commodiorem postmodum cum Hispanis ineundi Copia daretur.* „ Atque in eo casu, Præpotent. Domini, si peccata, in quantum ab Insignioribus „ committuntur, graviora censeantur, ac si Insigniores minus æquiore animo *inju-* „ *rias noxasque*, quàm mediocres homines, ferant, quanto dolore, injuriâ noxâque „ Majestatem Suam afficiant, id Vestro arbitrio relinquitur.

„ Verum enimverò si Vobis incommoda quædam privata (quod tamen neuti- „ quam creditur) oborta sint, quibus ante Menses decem nondum impliciti era- „ tis, quæque ante præuideri non poterant, Majestas Sua per Nos rogari atque „ obsecrari Vos jussit, ut eadem sibi indicare velitis, *operam suam consilium atque au-* „ *xilium pollicendo.*

„ Ac si incommoda talia Vobis imminere cognoverit, ut nihil nisi pax ipsa, quæ opti-

optimum est remedium, sit superstes, promittit ac pollicetur, se Eam neutiquam „
esse recusaturam, quandoquidem unicam hanc ob causam bellum susceperit. „
Hoc autem Majestas Sua petit atque urget, ut Pax certa firma atque honesta obti- „
neatur, hoc est, ut Pacis Tractatio conjunctis Sociis atque Amicis omnibus Eo- „
rumque consensu mutuo, non autem festinanter, privatim atque occultò insti- „
tuatur, qualiter præsens cum Hostibus Tractatio instituta videtur. Quam qui- „
dem Majestas non sui, verum universi Orbis Christiani, imprimis autem Vestra- „
rum salutis atque incolumitatis causa dolet; non verò metu aut timore aliquo, „
quod sola adversus Hispanos arma gerere cogitur; quippe tali in loco se consti- „
tutam (pro quo beneficio Cœlesti Numini laus & honos debetur) comperit, ut „
Eorundem conatus, ac proposita haud multum extimescat, propterea quod Ma- „
jestas Sua Regnum jam nunc majori atque arctiori concordiæ vinculo unitum, „
opibus & facultatibus pluribus adauctum, bello quinetiam armisque magis exer- „
citatum possideat, quàm temporibus Francisci Primi exstiterat, adversus quem „
omnes Hispaniarum, Italiæ, Provinciarumque septemdecim, tum adhuc Unita- „
rum & Britanniæ conatus, vires opesque nihil quidquam evincere poterant. „

Præter hæc Majestas Sua, pignora asservat, ut juxta ea, quorum causa bel- „
lum inferri sibi posset, quæque Hostes vi erepturos se diffidunt, eo, quo libet „
modo, se accommodare queat. At primum quod cepit consilium, cum bellum „
susciperet, in Amicorum duntaxat & Sociorum commodum atque communem „
omnium salutem & tranquillitatem, nimis justum atque æquum existit, ut eo- „
dem desisteret; Vobis, Præpotent. Domini, affirmando, Majestatem Suam Re- „
gnum periculis exposituram, quemadmodũ semetipsam multoties armorum pe- „
riculis objecit, potius quam *Vos Vestramque Rempub. deserat, minimum Articulorum* „
solvat, aut ea, quæ verbo regio Vobis promisit, solvat. His omnibus, Præpot. Domi- „
ni, nimis magno cum honore hactenus satisfactum esse, vidimus, animum quin- „
etiam Majestatis Suæ nimis honestum nimisque probum cognovimus, quam „
promissorum solutione ejusdem splendor obfuscari sinat. Sed quid opus est ver- „
bis, quum universum hoc Ordinum Collegium ea, quæ jam commemoravi, me- „
cum cognita habeat? „

Nonnulli autem sunt, qui sibi persuasum habent, se, per crebros hosce ac con- „
tinuatos Domini Graphiarii Conventus & colloquia cum Domino Martino „
Aspæo omnibus incommodis ac difficultatibus, quæ inter Vos & Hispaniarum „
Regem intercedunt, compositis, satisfacturos esse, si Nos Eidem Tractationi „
includerent: quæ quidem respectu Vestri inita jam ac confirmata videtur, at ra- „
tione Majestatis Suæ necdum inchoata, idque vi obligationis atque devinctionis, „
qua Majestas Sua Vosque, Præpotent. Domini, ita obstringimini, ut nisi conjun- „
ctim Tractationem qualemque inire liceat. Tantum verò abest, ut perfidia in eâ „
re & noxa minor evaderet, ut ad utramque potius quàm maximus cumulus ac- „
cesserit, eò quod injuriæ noxæque neglectum contemptumque adjunxisse vi- „
deamini. „

Hæc quum neque ab antiqua illa & consueta Vestri fidelitate, æquitate, grati- „
tudine ac prudentia expectanda neque cogitanda veniant, plenissimam à Vobis „
satisfactionem sperabimus, simul etiam rogabimus, ut dictam cum Hostibus „

„ Tractationem, quæ Nobis justissima irascendi causa foret, dissolvere, ac bellum, „ quod eadem animi alacritate, quam in reliquis Vestris propositis assiduè commonstrastis, à Vobis susceptum fuit, continuare, aut, si ad pacem animum adjecistis, firmam ac perpetuam, honestam insuper fidamque, non autem cæca festinatione turbatam atque infectam, inire velitis.

„ Nobis quinetiam Majestas Sua mandavit ac præcepit, ut Vobis affirmaremus fidemque daremus, Majestatem Suam amicitiam ac benevolentiam Vobis promissam constanter fideliterque collaturam, simul etiam Tractatus quotquot Vobiscum confirmavi, inviolabiliter servaturam esse; sic ut nullo casu eosdem solutura sit.

In quorum omnium testimonium, pro Partibus Nostris Vobis, Præpotent. Domini, promittimus ac pollicemur, Nos omnia, quæcunque poterimus, adhibituros esse, Vestro quandoquidem commodo atque incolumitati plenissimè consulimus. Actum Hagæ-Com. decimo & quarto die Decembris, Anno 1635. Subsignatum erat, Bresæus, Charnassæus.

Ad supramemoratam Propositionem ac querelam sequentia, responsi loco, reddita fuere.

„ AD Propositionem, quam Dominus Bresæus Galliæ Marescallus, Legatus Extra-Ordinarius, & D. Charnassæus in Concilio Regni Ordinum Consiliarius, Exercitus Regis Marescallus ac Militiæ Præfectus, Legatus Regis Galliarum Extra-Ordinarius Nomine locoque Majestatis Suæ Christianissimæ in Concilio Ordin. Generalium Unitarum Provinciarum, decimo quarto die Decembris proximè elapsi, habuerunt,

„ Declarant Ordines Generales recordationem beneficiorum, auxiliorum & subsidiorum ac benevolentiæ, quibus variis temporibus Rex Henricus Magnus, gloriosissimæ memoriæ, ac quibus Majestas Sua, quæ Parenti suo non tantùm in Regno, verum etiam in Ejusdem Curis, sollicitudinibus ac benevolentia successit, in hujusce Reipub. incolumitatem atque incrementum contulerunt, nunquam intermorituram esse: pro quibus omnibus dicti Ordines Generales summas Majestati gratias agunt, easque honore, reverentia atque animi gratitudine in omnibus actis & factis agnoscunt. Quemadmodum etiam mediis, quibuscunque fieri poterit optimis, amicitiam & societatem tanti ac tam magnifici Principis sibi comparare atque effectam reddere student. Ad quod etiam hactenus, atque dehinc quocunque tempore collaturi sunt, quæ Regiæ dignitati atque auctoritati, Regnique amplificationi atque incolumitati inservire poterunt, cujus quidem erga Majestatem Suam Ejusdemque Regna ac Status voluntatis singularis variis temporibus indicium maximum fecerunt. Adeò ut Ordinibus Generalibus mirum videatur, Celsitudines suas crebros discessus Domini Graphiarii in pejorem Partem rapuisse, quoniam crebri discessus compositioni ab Hispanis propositæ inservierunt, eo fine, ut Generalis inde suboriretur Tractatio, quam ipsi quoque Galli semper desiderarunt. Fœderatio quinetiam inter Gallos Ordinesque Generales, offendendi & defendendi ergò inita, vix aliud præterquam rerum

rum omnium Instaurationem, quin imo universi Orbis Christiani Pacem perpetuam ac tranquillitatem intendit; sic ut Majestas Sua absque ulla causa ac ratione honesta crebros Graphiarii meatus ac remeatus ad Hostes doleat, quum D. Noortvicius, D. à Waveren & D. Knuytius sincerè ac perfectè ea omnia Celsitudinibus Vestris indicaverunt, quæ hactenus cum Hispanis acta fuere: Dominus insuper Graphiarius per expressum Ordinum Mandatum Domino Martino Aspæo jam tum Turnhouti commoranti indicavit, Fœderati Belgii Ordines Gener. arctissimo Fœderis vinculo Gallis unitos esse, neque sine iis cum Hispanis, utpote Hostibus utriusque Partis, componere velle. Quibus ac communi Tractationi respondendum ipsis venit. Eapropter etiam Ordinibus Generalibus visum consultumque fuit Dominum Musch Graphiarium suum quamprimum Turnhoutum delegare, propter Negotium Captivorum maritimorum & difficultatem quandam, super interruptione Neutralitatis Sualuæ & Sevenbergæ concessæ, obortam. Quin imo Ordines Generales Majestati Suæ affirmant, sese nullam aliam pacem, quam honestam, quam firmam ac perpetuam, hoc est, secundùm Fœderationem Majestatem inter & Ordines initam, cupere: ac Majestati Suæ, quod eandem minime recusatura sit, agunt gratias. Ad hæc etiam Ordines Generales non ignorant, Hispanos, quo inter amicos optimos falsos rumores ac diffidentiam concitent, operam dare, ut eosdem à se invicem divellant, ipsique prætensam Europæ Monarchiam consequantur. Idcirco etiam supramemorati Ordines Generales rogant atque obsecrant ut Majestati Suæ placeat ipsis, quæcunque Romæ de pace universali aguntur, indicare; & majorem in modum ab utraque Celsitudine Sua petunt ut benevolam hujusce Declarationis relationem coram Majestate Sua instituere atque omni cura eidem incumbere dignentur, plenissimè asserentes, se omni studio, curâ ac diligentiâ sinceram ac firmam Societatem atque amicitiam perpetuam cum Majestate Sua expetere, officia quin etiam voluntatem ac benevolentiam erga eandem continuare velle. Actum in Concilio memoratorum D. D. Ordinum Generalium, tertio die Januarii, Anno 1636.

Hanc tamen Ordinum Excusationem Regii Legati neutiquam acceperunt; verum septimo die Ianuarii, in Concilium Ordinum reversi, sequentia proposuerunt:

Præpotent. Domini, Posteaquam non exiguum temporis spatium Responsionem ad ea, quæ decimo & tertio die Mensis, proximè elapsi, scripta Vobis tradidimus, expectavimus, tandem Dominus Noortvicius, & Dominus Ruytenburgius proximo die Sabbathi quandam ad Nos pertulerunt, quæ mihi, meâ quidem sententia, hisce quatuor punctis principalibus consistere videtur.

Primum subsidia atque auxilia, voluntatem ac benevolentiam tam à Serenissimo Rege Henrico Magno, gloriosissimæ memoriæ, quam à Majestate Sua jam nunc in vita commorante, huic Reip. data concernit; ac quoniam eorum omnium Vos haud immemores esse cognovimus, minimè dubitamus, quin eorundem similiter usum maximum perceperint.

Secundum indicat, Graphiarii crebros meatus ac remeatus ad Hispanos continuare velle, illud Majestate Suâ inscia atque inconsulta fieri, impunè Nobis dicere licet; quandoquidem ea, quæ aguntur, ignoramus, præterquam quod è meatibus ac remeatibus ejusdem, nihil mali ad Nos sit perventurum.

„ Tertium declarat eundem Graphiarium propediem à Vobis ad Hostem denuo „ missum iri.

„ Quartum modestam exprobrationem continet, sub prætextu petitionis eorum, „ quæ Romæ cæterisque in locis cum Hostibus communibus aguntur.

„ Ea propter Vobiscum agere visum fuit, quò Nostram super dictis punctis quatuor sententiam diceremus, atque ea proponeremus, quæ hujusce Reip. saluti & communi commodo inservire posse existimamus.

„ Quod ad *primum* attinet, Præpotents Domini, nimis rectè de Vobis sentimus, quam ut Vos ingratitudinis arcesseremus; qua de causa etiam non dubitamus, quin de Majestate Suâ, prout decet, sentiatis.

„ Quod ad *secundum* attinet, demiramur omnes, quod arguamur, Nos Graphiarii ad Hostem meatum ac remeatum indirectè interpretatos fuisse, ac si Nos soli ejusmodi essemus, qui illud reprehendere sciremus: Neque tamen dubitamus, aliquem hujusce Concilii dari, quin secum concessurus sit, justissimam Majestati succensendi, Nobis etiam dolendi causam fuisse datam. Quinetiam hæc cum Hispanis Tractatio tam extra ordinem tamque ab iis, quæ à Vobis, vi Fœderationis formulis adeo solennibus initæ, sperari poterant, aliena est, ut omnem demirationem exsuperet.

„ *Tertium* quod spectat, illud Nos de improviso oppressit, quod malum Nobis majus, quam quidem persuasum habueramus, obvenerit, idque ex eo contigerit, quod memoratam Tractationem non nisi à quinque duntaxat aut sex hujusce Concilii Deputatis institutam, neque ab universo Ordinum Concilio promotam fuisse, existimavimus.

„ Nunc autem Vos non modo iis, quæ Acta sunt, approbantes, verum etiam cum Fœderationis inter Majestatem suam & Vos initæ violatione ac derogatione, non obstante Declaratione, quam de Majestate nonnihil infensâ habuimus, promoventes & continuantes vidimus.

„ Nos verò, quî sese Tractationis Negotium habeat, scire neutiquam posse, concedimus. Quippe si de Pace quadam Universali agatur, quid Privati conventus & clandestina colloquia? Si de singulari aliqua, quid admonitiones, aut rei unius tam seriæ negationes prosunt, quas equidem paucorum dierum spatium promet, ac præsenti Tractatione noxam adaugebit, quæ per se ipsam satis sentietur?

„ Quocirca Vos etiam atque etiam rogamus ut Nobis, quid sentiatis indicare velitis, quod si commodum, quod si utile fuerit (quemadmodum etiam in Vestram speramus incolumitatem fore) ut efficiatis, ne boni cujuspiam speciei adversetur, progressus dictæ Tractationis tam exitiosæ dissolvendo, atque meatus Domini Graphiarii ad Hostes impediendo, aut saltem eos tamdiu differendo, donec Majestatis Suæ de eâ re consilium perceperimus, ac quid adversus tantam mutuæ Fœderationis violationem fieri velit, cognoverimus. Hæc causa fuit, ob quam in Concilio hocce tam Illustri tantopere urgeremus, neque ut Nostro duntaxat officio fungendo, verum etiam voluntate & benevolentiâ, quâ rerum Vestrarum incolumitatem salutemque amplectimur, comprobandâ, satisfaceremu

Quod

Quod ad quartum attinet, Præpotentes Domini, Vobis vel adjurare possemus, neque Romæ, neque alibi quidquam directè, sive indirectè actum fuisse, quod verbo Regio, promissioni, aut quæ Majestas Sua Vobis fuit pollicita, obesse possit; Vobis affirmantes ejusdem Nomine locoque, nullam hactenus Tractationem, præterquam illam, de quâ ante duorum Mensium spatium Vobiscum colloquuti sumus, neque oblatam neque propositam fuisse; Quæ tamen non alia fuit, quam quod Papa Romanus, universi Orbis Christiani Pacem ac tranquillitatem etiam atque etiam expetens, posteaquam Cæsaream Majestatem ad eam invitasset, etiam Regiam Galliæ Majestatem, ne dictæ universi Orbis Christiani tranquillitati deesset, rogârit.

Cui Majestas Sua Regia respondit, se nihil propter semetipsam magis expetere, hoc autem non solū suum esse; se neque posse neq; velle quidquam absque Amicorum Sociorumque, imprimis autem Vestri conjunctione ac communione, agere, quibus etiam hanc Pacis Tractationis detectionem indicaturam, ac si annuerent, se neutiquam defuturam esse respondit. In quibus omnibus Majestas Sua clarissimè ostendit, *se religiosius sanctiusque quàm Vos, promissa omnia servasse.* Quoniam autem factum infectum reddi nequit, nihilominus noxa, licet magna, ejusmodi tamen non est, ut ei remedium nullum adhiberi possit, dummodo tempestivè adhibeatur. Quinetiam Nobis persuasum habemus Vos, Præpotentes Domini, judicaturos primum ac primarium esse, uti à Nobis dictum fuit, ut supramemoratæ cum Hispanis Tractationis progressus penitus succidatur. Hoc omne est, quod à Vobis petimus, utque sententiam Vestram Nobis quamprimum exponatis rogamus; quò Majestati Suæ, cui tandem per literas significabimus, tempus aliquod, consilium ineundi ac pro re natâ decernendi, detur. Actum Hagæ-Com. sexto die Januarii, Anno 1636. Subsignatum erat,

Bresæus. Charnassæus.

Quibus perpensis, visum tamen consultumque fuit superiori Responsioni, tertio die Januarii ad Propositionem eorundem, decimo & quarto die Decembris habitam, traditæ inhærere; Dominus itaque Florentius, Comes Cuilenburgensis, & Dominus Noortvicius, delegati fuerunt, ut supramemoratis Dominis Legatis alteram Responsionem traderent; iisque insuper significarent, Præpotentes D. D. Ordines Generales etiam atque etiam optasse, ut secundùm Præpotentium D.D. Ordinum admonitionem Majestatis Suæ Deputatus aliquis cum Domino Graphiario Turnhoutum discessisset; ac si posset, ut etiamnum, discederet, quò Præpotentium D.D. Ordinum Generalium sinceritas simul ac fidelitas in universo hoc Negotio omni ex parte se ostenderet.

Exemplar Responsionis Præpotentium D. D. Ordinum Generalium ad Propositionem Majestatis Suæ Legatorum sexto die Ianuarii tradita.

Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, firmiter sibi persuaserant, Christianissimæ Majestatis Legatos Responsionem ad Propositionem eorundem

rundem

„ rundem habitam accepturos. At hesterno die cognito perspectoque summedictæ „ Majestatis Regiæ Legatos etiamnum in curis ac sollicitudinibus versari, summo „ quinetiam cum dolore Domini Comitis Cuilenburgensis & Domini Noortvici relatione perceptâ, supramemoratorum Legatorum studio in comprobandâ Ordinum sinceritate nullo pacto verbis satisfieri potuisse, sed vero Lega- „ tos ulteriorem Propositionis suæ hesternæ Declarationem postulasse. Idcirco „ summedicti Ordines Generales asserunt atque affirmant, discessum D. Graphiarii „ sui Turnhoutum, ad Hostium de Pacis Universalis Tractatione animum cogno- „ scendum, neutiquam discrepare ab optima fidissimaque Regiæ Majestatis inten- „ tione, eâ Responsione comprehensâ, quam decimo & nono die Decembris, pro- „ ximè elapsi, D. Heemstedio Ordinum Generalium apud Majestatem Regiam Legato Extraordinario tradidit: exoptantes, ut summedicti Legati optime de Or- „ dinum Generalium actis factisque sentire velint, quem ad modum ipsi etiam Or- „ dines Generales de omnibus actis factisque Regiis optimè sentiunt, neque tam „ citò falsi ac vani quidquam in animum inducere. Ordines namque Generales „ nullam prorsus malè ac perversè de se cogitandi causam præbuerunt (quod tamen „ summedicti Legati facere videntur) quandoquidem fidem suam Amicis, Sociis „ ac Fœderatis datam ante hunc diem nunquam solverunt. Neque etiam existima- „ runt, quod mutuæ atque utriusque Partis Contestationes nullo pacto inservire poterunt ad Hostium vires opesque frangendas ac disturbandas, quod neque „ vera media existunt, quibus hostes ad compositionem adigi possunt. Sed verò „ quod optima certissimaque media ad Pacem Universalem consequendam, quam „ etiam Christianissima Majestas se unicè expetere, superiori decimo & nono die „ Decembris exhibitâ Responsione declaravit, sint, Res omnes hoc modo dispo- „ nere ac dirigere, ut prompti atque expediti reddamur ad bellum aliquod ingens „ mutuo consensu, operâ atque auxilio conficiendum; ad quod Summedicti Le- „ gati Ordines Generales promptos paratosque semper comperturi sunt, ac quotiescunque ipsis de tali Negotio agere placuerit. Quapropter iterum iterumque „ rogantur, ut omne studium, laborem atque industriam conferre velint, quò mu- „ tuâ inter utramque Partem amicitia firma ac perfecta conservetur & confirmetur. „ Actum in Concilio Ordinum, Hagæ-Com. octavo die Januarii, Anno 1636.

Hæc itaque Induciarum Tractatio hactenus incerta quum esset, visum consultumque fuit, sive succisa sive continuata foret, loco unius Hostis validissimi, alterum neutiquam excitare. Copiæ Cæsaris auxiliariæ, ductu atque auspiciis supremi Moderatoris Picolhominei intra ac prope terminos Provinciarum, quinimo intra ipsa loca præsidiaria juxta Rhenum consederant. Hoc non tantum sæpius dehinc futurum, sed etiam dissolutionis inter Romanū Imperium & Nationem Germanicam causam fore credebatur. Quam dissolutionem Galli simul & quidem Sueci summopere expetebant; Celsissimus verò Arausionensium Princeps atque Ordines Generales longè aliter sentiebant; huic videlicet Reip. Neutralitatem cum Cæsareâ Majestate & S. Romano Imperio omnibus modis expetendam esse. Quapropter etiam variæ, per Dominum Vosbergium aliosque, diversis temporibus Legationes ad Coloniensem Principem Electorem fuerunt institutæ. Similiter etiam per Dominum ab Aitzma, Patruum meum, ad Ducem Fritlandiæ, Supremum

premum Cæsareæ Majestatis, atque ad Comitem Tillæi Ligiorum exercitus, Moderatores. Sed quoniam Declarationes ad omnes illas Legationes, nunquam tam plenæ perfectæque conscriptæ fuerant, quin novæ semper earundem violationes atque infractiones committerentur, idcirco visum consultumque fuit ad Sacram Cæsaream & Regiam Majestatem Romanam summememoratum Dominum ab Aitzma delegare; qui non modo cogitatam ac persuasam dissolutionem sive Copiarum auxiliarium missionem præveniret; verum etiam solennem Neutralitatis securæque affinitatis Tractationem iniret.

Hæc, quamvis non alio fine instituta fuisset delegatio, Succis tamen Gallisque plurimæ obumbrationis causam præbuit; propterea quod illi, ut supra commemoratum fuit, omnem simulationem prorsus amotam, & quem ad modum ipsi, eum ad modum quoque cum Cæsareâ Majestate Imperioque abruptam volebant.

Duodecimo Jannarii die, Anno 1636. alter Turnhouti Conventus institutus fuit, qui simili ludificatione, quâ denique omnis Induciarum Pacisque Tractatus succidebatur, evanuit. Dominus Musch Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Graphiarius Turnhoutum delegatus, ad decimum Jannarii diem Hagæ-Com. se ad tempus pomeridianum continuit, quò cognosceret, num alterius Partis Deputati constitutum Tractationis diem rursus differrent; nulla vero diei constituti commutatione perceptâ, tanta festinatione iter suum confecit, ut vento licet ac flumine adversis, tam maturè Sylvam-Ducis appulerit, ut vel constituto die Turnhoutum devenire potuisset. Nullo autem à parte Hostium Sylvæ-Ducis Tybicine, cum quo tantò securius iter Turnhoutum conficeret, reperto, expediti itineris nuncium eò permisit, qui sciscitaret, num quis diei constituti error fuisset obortus: Qui postridie ejus diei, decimo tertio scilicet, Sylvam-Ducis reversus, Domino Graphiario retulit, Dominum Wittenhorstium, qui Salvos-Conductus diesque Assignationis ultrò citroque tradere consueverat, Turnhoutum cum Salvo-Conductu Domiño Graphiario ab altera concesso transiisse; è quibus cogitare cœpit nonnihil ab altera Parte impedimenti obortum fuisse; quapropter dictus Graphiarius decimo quarto die Sylva-Ducis discessit, Hagam-Com. reversurus: Mosam vero quum navigaret, prope Almkerckam, supramemoratus Dominus Wittenhorstius ei obviam factus fuit, qui Salvum-Conductum Graphiario tradidit, simul etiam petiit, ut vicesimo & secundo die vertentis Mensis Januarii Sylvam-Ducis redire vellet, quò tantò commodius Turnhoutum perveniret. Eapropter Dominus Graphiarius Dordrechtum se ad Amicos ac Familiares contulit, atque ibi ad vicesimum usque diem Mensis, sine publicis sumptibus, commoratus, tandem navem conscendit, quo vicesimo & secundo die Sylvam-Ducis perveniret; nihilominus tamen prope urbem navi sese ad sequentem diem continuit, cum dictus Wittenhorstius ipsum conveniret atque annunciaret, se scire cupere, num Dominus Graphiarius potestate atq; auctoritate plenissimâ munitus adesset; cui Graphiarius, se alterius Partis Deputatis, ubi Turnhoutum pervenisset, satisfacturum esse, respondit. Quibus habitis, dictus Wittenhorstius discedens Dominum Graphiarium rogavit, ut Oosterhoutum sive ad alium quempiam subjacentem locum se conferre vellet, quò tanto maturius ipsi indicare posset, utrum

conventus Turnhoutensis haberetur nec ne: ac postquam ad tricesimum Januarii diem ad Steelhoviæ propugnaculum, in navigio quodam bellico expedito fuisset commoratus, Tubicen quidam à Parte hostium advenit, qui pro certâ conventus constitutione scripta quædam ipsi tradidit, quæ D. D. Ordinum Deputatis misit, qui eorundem Præpotentibus D.D. Ordinibus copiam fecerunt. At quoniam Domino Graphiario è variis dilationibus, ab alterâ Parte adhibitis, subolebat non alio fine hæc omnia fieri, quam ut diutius detineretur, ac per se Præpotentes Ordines Infamiæ exponerentur, quo tanto malo occurreret, omnem operam ac laborem adhibuit, quo efficeret ut alterius Partis Deputatus Dominus Aspæus Turnhoutum perveniret, quod tamen adeo ipsi è sententiâ excessit, ut dictus Dominus Aspæus septimo die Februarii advenerit, ubi ad Dominum Wittenhorstium, secundùm Præpotentium D. D. Ordinum intentionem, Acta illa missa fuere, quæ Dominus Graphiarius ab Ordinum Deputatis per literas Domino Aspæo tradenda acceperat, eo fine tamen, ut Dominus Aspæus apertis verbis declararet, *num simul cum Gallia tractare decrevisset*; Graphiarius insuper verbis humanissimis rogavit, ut se Wittenhorstius excusatum haberet, quod Turnhoutum non adveniret, donec Dominus Aspæus sententiam suam ad supradicta Acta explicuisset. Quinetiam Graphiarius humanitatis ergò retia quædam piscatoria, viginti aut triginta florenis dono dedit; quibus septimo die Turnhoutum perlatis, simul etiam dictis Actis Domino Martino traditis, eo ipso die, tempore vespertino, tabellarium quendam ad Dominum Graphiarium misit, cum literis à Wittenhorstio exaratis, quæ octavo die Mensis horâ quintâ matutinâ fuerunt redditæ, quibus petiit, ut Turnhoutensis conventus institueretur, & quod necessarium foret ageretur; qua de causa etiam Dominus Martinus Aspæus Dominum Graphiarium totum diem expectaret, ipse vero die 9. Mensis Antverpiam sive ad alium locum discederet, propterea quod salvus conductus eodem die expiraret Adeo ut Præpotentes D.D. Ordines Generales pro summa suâ prudentiâ ac sapientiâ satis cognoverint, ac porrò cognoscere potuerint, quid dilationes ab alterâ Parte institutæ profuerint, atque etiamnum prodesse potuissent, quod supradictus scilicet Aspæus nihil aliud protulisset, præterquam quod hactenus protulerat. Idcircò Graphiarius, non convento Aspæo, Hagam-Com. reversus discessit, & qui ipsum eludere voluit, ipsemet elusit.

Quibus perpensis, visum consultumque fuit ut Domino Graphiario pro tanto labore ac studio gratiæ agerentur; quinetiam ut Celsissimo Arausionensium Principi, nec non Præpotentium D.D. Ordinum Generalium ad Concilium secretum Deputatis eadem referre juberetur.

Quo facto (propterea quod ea cum Hispanis Tractatio magno cum eorundem dedecore atque infamia abrupta fuerat) Galli acquiescere cœperunt, videntes nihil quidquam è Cranenburgensi ac Turnhoutensi Tractatione eventurum esse; quamvis non exiguus respectus haberi potuisset ad debilem rerum Statum. Primo enim Castellum Schenchianum captû atque ab hostibus expugnatum erat, terror unde maximus plerosque invaserat; Betua, quæ quidem optima Gelriæ Ducatus Pars est, vastata jacebat; plurimi sumptus eâ æstate frustra impensi; ad Lovanium plurimum auctoritatis amissum fuerat; in Gallorum exercitum non exsolutum

solutum varia morbi mortisq; genera, fames quinetiam ingruere ceperat, adeò ut in Hollandiæ civitatibus multa millia, etiam qui genere ac familia opibusq; domi eminebant, cibum nummosque domatim mendicare cogerentur: quo factum est, ut generalis prope morbus omnes Provincias inficeret; unde secundò cogitatum fuit; quod si hæc in ipso abruptionis bellique Gallos inter & Hispanos principio, in viridi ligno obtingerent, postmodum Gallorum militum exsolutionem in pejorem partem evasuram. Tertiò, quandoquidem Pace Pragensi Cæsar in Germania multum evicerat; ac præteritâ jam æstate Copias omnes, quas Galli Ordinesque pro viribus comparare potuerunt, eductæ fuerant, quinetiam pro Victoria cladibus nonnullis acceptis, metuendum erat, ne parum ex hoc bello commodi perciperetur, proindeque Pacem multò commodiorem esse.

Rex Galliæ Ejusdemque Regni Ordines ex Cranenburgensi & Turnhoutensi Tractatione tam voluntate quam necessitate D. D. Ordin. ad Pacem conflandam cognitâ perspectâque, metuentes ne Pacis iterum Tractationem, quæcunque optima & commodissima offerretur, arriperent; Idcircò visum fuit Gallos non minus ac Ordines Pacem amplecti reipsa ostendere; si videlicet utrisque simul daretur. Quapropter Ordinibus ipsam Pacis Tractationem offerre Rex satius esse duxit. Quæ quidem posterioris, sive quæ dicitur Pacis Universalis Tractationis Principium exstitit, quo in duodecennalium annorū spatium producto, non nisi ad particularem Pacem perduci potuit; quamvis ut Universalis obtineretur, tantopere laboratum fuerit. Quippe Annorum plurimorum spatium tractandi loco, & Salvorum Conductuum formulis, quibus ad Tractationem Deputati commodè pervenire possent, consumptum fuit.

Dicta Pacis Universalis Tractatio à Gallorum Rege sequenti modo inchoata fuit.

Tricesimo die Aprilis, Anno 1636 Dominus Charnassæus Ordinarius Galliæ Regis Legatus, Christianissimæ Majestatis Regiæ Nomine, in Concilium Præpotentium D. D. Ordinum Generalium pervenit, ac primo verbis, postmodum autem literis conscriptam Propositionem, quæ sequentibus inseritur, habuit, qui à Domino Noortvicio, jam tum in Concilio præsidente, verbis præmeditatis rogatus, num Majestatis Suæ consilium ac propositum foret, ubi ad constituendum ac determinandum tempus locumque perventum esset, ut Fœderatorum atque Amicorum quisque Legatos suos eodem mitteret, *de rebus causisque propriis, seu interesse*, ageret, prorsusque conficeret? Disertis verbis tale Majestatis Suæ consilium ac propositum esse respondit. Hæc posteaquam Provinciarum Ordines perpendissent, à Domino Præside responsum fuit, Præpotentes D. D. Ordines Gener. quamprimum ad ea Responsionem Suam tradituros esse. Legati autem Propositionis exemplar Provinciis petentibus concessum fuit.

Præpotentes Domini, quoniam Papa Romanus per Nuncium Suum Majestatem Galliæ nuperrimè certiorem fecit, Hispanos sibi indicasse, velle se ad Universalem ac Generalem Conventum Deputatos Suos mittere, quò de Pace cum

„ Majestate Suâ Ejusdemque Fœderatis Sociisque agerent, quapropter etiam Deputatos Suos elegerant *Ducem Alcalæ, Dominum Franciscum de Melos, & Vicarium Cancellarium Mediolanensem, quemadmodum Cæsar jam ante suos elegerat, Episcopum VVirtsburgensem, Ducem Foucræ & Baronem Curtsium,* qui in unum è quatuor hisce locis à Cæsare ad tractandum propositis consentiebant, *Tridentum* sc. *Constantiam, Augustam Vindelicorum, & Spiram Nemetûm.* Neque tempus Tractationi determinabant, hoc Papæ Romani arbitrio relinquentes, qui Majestatem Suam ad Tractationem quamprimum incundam adhortabatur. Quibus Majestas Sua respondit, se pristinum propositum neutiquam commutaturam, neque Socios & Fœderatos suos deserturam, sive specie aliqua, sive reipsa, sive bellum continuando, sive ab eodem discedendo, se tamen ejusce prudentiam laudare quod ejusmodi Proposito annuisset, illud scire se, omnibus, quibuscunque tandem, impossibile esse ut Majestatem Suam ab eo deducant.

„ Quinetiam Majestatem Suam loci ac temporis determinationem minimè concedere, nisi simul cum Fœderatis ac Sociis suis; hoc unum se dicere posse, nullum è quatuor locis iri acceptum, propterea quod nimis longè à Vobis distarent: sed verò Majestatem Suam Vobis omnem operam collaturam, si aut Colonia aut Leodium, aut alius denique tractandi locus propior Vobis placeret, seque quod ad tempus attineret, idem, quod Socii ac Fœderati sui optimum esse arbitrarentur, acturam, nunquam tamen permissuram, ut Deputati in eum locum ad Tractandum convenirent, in quo Fœderati Sociique eodem tempore non essent affuturi.

„ Illud summum est, Præpotent. Domini, quod Majestas Sua mihi demandavit ut Vobis proponerem, Vosque ipsius Nomine invitarem, ut quamprimum de iis consilium iniretis, idque Majestati Suæ indicaretis. Quod facturos Vos confidens, significare voluit, se minimè credere tempus Tractationis ante Mensem Augustum determinari posse; quandoquidem tanta opus est temporis dilatione, ad Sociorum ac Fœderatorum suorum sententiam, Cæsaris quinetiam Regisque Hispaniarum responsionem cognoscendam, ut in iis, quæ Majestas Sua Ejusdemque Fœderati de tempore locoque statuerint, consentiant, quo quidem neque meliorem neque commodiorem universo Orbi Christiano, imprimis autem Vobis Tractandi locum, quam Coloniam aut Leodium aut alium denique haud longè à Vobis dissitum, Majestas Sua neque invenire neque excogitare potest. Postremo autem Majestas Sua Vos per me rogari jussit, ut unum aut alium eligatis locum. Actum Hagæ-Com. tricesimo die Aprilis, Anno 1636. Subsignatum erat, Charnassæus.

Ad

Ad quam Propositionem sequens ipsi Responsio, quarto die Maji, tradita fuit.

Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, perlectâ ac perpensâ Propositione, literis à Domino Charnassæo in Concilio Ordin. Regni Consiliario, Militiæ Regiæ Præfecto, ac Regis Legato Ordinario, Regiæ Majestatis Nomine locoque in Concilio Fœderati Belgii Ordinum Generalium tricesimo die Aprilis, proximè elapsi, exhibitâ, quantas possunt, Majestati Regiæ gratias agunt, pro communicatione, quam ipsius Nomine perceperunt, de Hispanorum promptitudine ad Deputatos suos ad Universalem Conventum mittendos, ut cum Majestate Sua Regiâ Ejusdemque Sociis ac Fœderatis de Pace agerent; simul etiam declarant acceptissimum sibi fuisse, quod Majestati placuerit D. D. Ordines Gener. ad eundem benignè invitare, quo & ipsi de loco ac tempore quamprimum certi quid constituerent. Quapropter Ordines Generales in mittendis Deputatis suis minimè defuturi sunt, & quo Regiæ petitioni respondere, & quo cum summè dicta Majestate optimum diuturni belli eventum consequi possint; insuper etiam rogant, ut quamprimum, &, si fieri poterit, Mense Iulio ea Tractatio instituatur; ac Majestatem Suam obsecrant, ut ipsum tractandi diem sibi indicare velit. Quod autem ad locum attinet, qui Tractationi addicendus veniet, minimè dubitant, quin eum Majestas Sua electura sit, de quo inter Majestatem Suam atque Ordines Generales decimo & quinto die Aprilis, Anno 1634 conventum fuit, atque imprimis Trajectum ad Rhenum, utpote civitatem magnam, insignem atque in medio hujusce Statussitam. At verò Præpotentes Ordines non tam vehementer Santium Coloniæque assignationi inhærebunt, quod si Majestas Sua Hispanos aut cæteros quorum interest, eò adducere nequeat, ut iis, quæ de loco inter Majestatem Suam atque hunc Statum acta fuere, annuere velint. Actum Hagæ-Com. quarto die Maji, Anno 1636.

Vicesimo & tertio die Augusti Rex Galliarum per Legatum suum Dominum Charnassæum indicari jussit, Hispaniarum Regem Coloniam ad tractandum accepisse, seque ad Tractationem elegisse Cardinalem Londini, ceu Legationis Supremum, cumque eo Dominos *Avancium* & *Feuquierum*. Sed verò quia Hispaniarum Rex Salvos-Conductus Majestatis Galliarum Fœderatis Sociisque negabat, Idcircò Majestas Sua Deputatos Coloniam dimittere quoque recusabat, donec ab Hispaniarum Rege memorati Salvi-Conductus mitterentur.

Tantum de Pacis Tractatione eâ æstate actum fuit. Quod autem Dominus Charnassæus præterea Hagæ-Com. egit, illud Gallorum militum Hospitii exsolutionem plurimùm concernebat; qui passim in Provinciarum oppidis collocati, ægri autem per Xenodochia passim distributi erant. Quorum sumptuum exsolutionem ab Ordinibus fieri oportere existimabat. Tandem tamen sequenti Tractatione de iis conventum fuit.

Exemplum Tractatus initi inter Ludovicum XIII. Galliarum Regem atque inter Fœderati Belgii Ordines Gener. sexto die Septembris, Anno 1636.

Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Omnibus & singulis, ad quos præsentes pervenerint, Salutem. Constare volumus, sexto die Septembris, proximè elapsi, Tractatum

ctatum aliquem subsidii Haga-Com. initum fuisse inter Dominum Charnassaeum, Majestatis Suæ Consiliarium in Ordinum Regni Concilio, atque Majestatis Suæ à Secretis, Supremum Civitatis & Comitatus Clermontii Moderatorem, Regiæ militiæ Præfectum, Ordinarium Regis in hisce Provinciis Legatum, atque inter Dominos Nostros Commissarios ad Tractatum subsidii Delegatos; cujus Exemplum tale est:

Majestas Sua, sumptibus extra-ordinariis Magnis, quibus Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Generales, hyeme proximè elapsâ involuti, quosque propter Castelli Schenchiani recuperationem exsolvere obligati fuere, atque etiamnum propter Copias, quas eductas habent, ut, quantum in se est, Hostibus impedimentum ac detrimentum inferant, exsolvere tenentur, cognitis perceptisque, potestatem atque Auctoritatem plenissimam dedit Domino Charnassæo, Consiliario in Ordinum Regni Concilio, atque Regiæ Majestati à Secretis, Supremo Civitatis & Comitatus Clermontii Moderatori, Militiæ Regiæ Præfecto, Ordinario suo in Fœderati Belgii Provinciis Legato, ut cum summè dictis Ordinibus Generalibus ea omnia ageret, quæ Majestas Sua, si coram adesset, tali occasione agere posset, quo tantò magis pristinam suam erga memoratos Ordines benevolentiam comprobaret. Quapropter etiam plurimis conventibus ultrò citròque habitis, tandem vi literarum suarum Auctoritatis, quæ sequentibus inseretur, in sequentes Articulos convenerunt:

1. Majestas Regia Fœderati Belgii Ordinibus quindecies centenis librarum millibus subveniet, idque Annum unicum, à primo hujus Tractationis die exsolvendo.

2. Summè dicti Ordines Generales supramemoratis nummis militibus conscribendis, aut manipulis, quas hoc tempore sub Signis habent, confirmandis replendisque satisfacient: adeò ut jam dicta nummorum summa nulli præterea rei impendatur: quod Ordines quoque Generales fideliter se facturos & strictè observaturos esse promittunt; quo tanto commodius ac facilius, *impedimentum & detrimentum Hostibus inferatur.*

3. Eâ lege tamen ac conditione, ut supradicta quoque nummorum summâ (secundum Regiæ Majestatis beneplacitum) ejusmodi civitates atque oppida exsolvantur, in quibus Copiæ Regiæ collocatæ fuerunt, idque pro justo Hospitii officiique pretio, à primo adventus, ad ultimum discessus diem. Quibus insuper Copiis Legiones Domini Mulartii & Domini Wardenburgii, tamdiu includentur, quamdiu in Provinciis commoratæ fuerint, atque etiamnum commorabuntur. Quem in finem etiam summe dicti Ordines Generales tribus Mensibus à Tractatus hujusce confirmatione, Syngraphum debitis formulis conscriptum, quo civitatibus Earumque Xenodochiis, quibus Majestatis milites morbo conflicti excepti fuerunt, & supradictis Legionibus satisfieri poterit, in Regiæ Majestatis liberationem ac remissionem, curabunt.

4. Majestas Sua, dicto temporis spatio, Legiones Domini Mulartii & Domini Wardenburgii, proprio ære exsolvet, quæ ad tantum peditum equitumque numerum explendæ erunt, quantum Instructio ipsis exhibita continet; Iisque, secundùm album militare ea de causa, institutum, satisfiet, & quantum universa albi militaris summa conficiet, à Majestate Sua de supradictis quindecies centenis librarum millibus deducetur.

5. Quod si Majestas Sua memoratas Legiones ab Ordin. Gener. in sui officium petie-

petierit, summè dicti Ordines Easdem in Galliam reverti haud impedient; quo tempore tamen Majestati Suæ à præfata nummorum Summa, in ipsarum exsolutionem, à primo die, quo navem conscenderint, deducere minimè licebit.

6. Majestas Sua in nummorum securitatem Assignationem, quam vocant, sive vadimonium firmum ac sincerum tradi curabit, in quo ille, quem Ordines Generales dictæ nummorum Summæ in Gallia annumerandæ præfecturi sunt, acquiescat, eo fine, quo universa ipsi Summa exsolvatur.

7. Supramemorata insuper Summa, tribus partibus exsolvetur; nimirum, quinquies centena librarum millia, post Tractatus præsentis confirmationem, quinquies itidem centena librarum millia, Mense Martio; denique quinquies centena librarum millia Mense Julio annumerabuntur.

8. Summè dicti Ordines Gener. insuper concedunt, ut ab universa nummorum summa, nimirum à quindecies centenis librarum millibus, Gallorum Præfectorum stipendia deducantur ac retineantur, ut statim exsolvantur ac distribuantur, secundùm Articulos Fœderis decimo & septimo die Junii, Anno 1630. & decimo quinto die Aprilis, Anno 1634. initi confirmatique; atque ut ille, quem Ordines Gener. nummorum Parisiis annumerandorum receptioni præfecturi sunt, dicta Præfectorum stipendia posterioris Partis, ibidem loci exsolvere obstrictus obligatusque teneatur.

9. Majestas Sua Ordinesque Generales præsentem Tractatum sex septimanarum spatio, siquidem id fieri possit, confirmabunt.

10. Præsens denique Tractatus nihil quidquam superioribus Majestatem inter & Ordines Gener. initis derogabit, utpote qui vim & vigorem suum in omnibus obtinebunt, quosque Partes utræque constanter atque inviolabiliter observabunt.

Superioribus autem literarum Auctoritatis Exemplum debitis formulis conscriptum subjunctum erat, quod à Regiâ Majestate Domino Charnassæo concessum fuerat, exaratum in Versaillez, decimo & quarto die Maji. Ab Ordinibus autem concessum fuerat Domino Comiti Culenburgensi, D. à Bouckhorst, D. Beaumontio, D. Oetgenio à Waveren, D. Catzio, D. Knuytio, D. Swartsenburgio, D. ab Haarsolte, & D. Schaffero. Actum Hagæ-Com. sexto die Septembris, Anno 1636.

Appositum erat, *In quorum testimonium*, &c. atque ab Omnium Provinciarum Ordinibus subsignatum, Hagæ-Com. sexto die Septembris, Anno 1636.

Quo Tractatuum omnium inter Principem Electorem Brandenburgensem atque inter Præpotentes D. D. Ordines Generales initorum ac confirmatorum, rerum quinetiam gestarum ordo ac series universa pernoscatur, non abs re fore duxi, si eum quoque, qui sub idem fermè tempus iniebatur, superioribus adjunxero.

Exem-

Exemplar Tractatus initi confirmatique inter Præpotentes D. D. Ordines Generales atque inter Sereniſſimum Principem Electorem, quarto die Septembris, Anno 1636.

„ QUandoquidem Anno 1622. inter Sereniſſimum Principem Elect. Brandenburgicum & Præpotent. D. D. Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum Fœdus quoddam defendendi ad ſummè dicti Principis Electoris Cliviæ cæterorumq; eò ſpectantium Principatuum recuperationē concluſum confirmatumque fuit. Quod equidem Fœdus multa alia, quinetiam variæ Declarationes poſtmodum ſubſequutæ fuerunt, prout latius in iiſdem videre eſt; quemadmodum etiam Anno 1629. & 1630. Præpotent. D. D. Ordinum interventu Tractatus quidam Proviſionalis, ut vocant, inter Sereniſſimum Princip. Elect. Brandenb. & Dominum Comitem Palatinum Neoburgenſem initus fuit, qua de cauſa etiam inter Præpotentes Ordines & Sereniſſimum Principem Electorem variæ ſententiæ atque opiniones fuerunt obortæ, num videlicet Sereniſſimus Princeps Elect. vi Tractatus Anno 1629. & 1632. initi, obſtrictus atque obligatus foret, quidquam inſuper nummorum aut Copiarum conferre, adeò ut ad dictas opiniones decidendas, varii Conventus ac communicationes inſtitutæ atque habitæ fuerunt, ubi tum poſteriori ac noviſſimo Anno 1632. Tractatu conſultum decretumque fuit, ut ea res intra certum quoddam temporis ſpatium unius aut trium Regum arbitrio judicioque vel Galliæ, Britanniæ, Sueciæ, vel Eorundem Legatorum decidenda ac conficienda traderetur, niſi fortaſſis ab utraque Parte cum bona gratia compoſita foret, ut è ſupradicto Tractatu pluribus innoteſcit.

„ Idcircò tam Sereniſſimo Principi Elect. quam Præpotentibus D. D. Ordinibus, quò omnis Amicitia ac Societas mutua, hactenus ab utraque Parte ſincerè ac fideliter obſervata, conſervetur, perplacuit rem dictam novæ atque benevolæ communicationi & perpenſioni ſubjicere; Eaque propter Sereniſſimus Princeps Elector Conſiliarios ſuos, nimirum Cliviæ & Marcæ Cancellarium D. Weynandum ab Heimburgh & D. Johannem à Braal, dictum Platerum, pleniſſimâ Auctoritate munitos ad Præpotentes D. D. Ordines delegavit, qui cum ſummè dictorum D. D Ordinum Gener. Deputatis varios ac diverſos Conventus inſtituerunt, atque tandem, Celſiſſimo Arauſionenſium Principe conſulto, in ſequentia convenerunt:

„ Primò itaque Præpotentes D. D. Ordines Generales renunciare volunt, quemadmodum etiam per præſentes renunciant, omnes & ſingulas prætenſiones ſive competitiones quaſcunque tum vi Fœderis Anno 1622. inter Sereniſſimum Principem Elect. atque inter Ordines Præpotentes initi, ſive decimo & ſexto, ſive reliquis dicti Fœderis Articulis, tum vi cæterorum Tractatuum ac Declarationum inſtituere potuerunt. Adeò ut Sereniſſimus Princeps Elector dehinc omnibus D. D. Ordinum Gener. Actionibus & prætenſionibus, quæcunque tandem fuerint, prorſus liber atque immunis futurus ſit; Neque ſupramemorati Ordines à Sereniſſimi Principis Electoris Principatibus, Comitatibus, Oppidis Subditiſque vi ſuperiorum Tractatuum quicquam, præterquam quod in ſequentibus exprimitur, petituri ſint.

Pri-

Primò scilicet, Serenissimus Princeps Elect. præter trecentena supra sexaginta Florenorum millia, Tractatu Anni 1631. quinetiam *supra quindecim Florenorum millia*, singulis Mensibus, vi Tractatus Anni 1635. quæ promissa atque exsoluta fuere, ut è Chyrographis demonstrari potest, Præpotentib. D. D. Ordinibus *centum supra viginti & septem Florenorum millia* annumerabit; ea tamen lege ac conditione, ut, quoniam in Serenissimi Principis Electoris Ducatu Cliviæ nulla media ad tantam tamque expeditam nummorum Summam exsolvendam, inveniri queant, Serenissimus Princeps Elect. pignus aliquod sufficiens in supra dicto Cliviæ Ducatu, quod ob memoratam Summam in Præpotentium D. D. Ordin. usum oppignorari poterit, traditurus est.

Secundò, quoniam Præpotentes D. D. Ordines Gener. in Serenissimi Principis Elect. commodum fidem suam pro *centies Imperialium mille* interposuerunt, eâque de causâ Anno 1624. 1629. & 1632. variis modis, absque ullâ tamen rei confectione; idcirco jam nunc rursus ac de novo conventum est, ut Serenissimus Princeps Elector hoc debitum, videlicet centies Imperialium mille, Summam Ejusdemque versuram & versuræ itidem aliam versuram, propterea quod dictæ summæ versura assiduè negotiationi impendi debuit, in se ac divisos Ducatus, Comitatus, Ditionesque reciperet, quemadmodum etiam per præsentes recipit; Adeò ut supramemorata summa Ejusdemque versura atque hujus itidem alia versura una cum mercede Intercessoria (Belgicè, *Maeckelaerdy-gelt*) & quæ adhuc solvenda restabit, quinquaginta Imperialium millibus exsolvendæ veniant, ad dictæ summæ, ejusdemque versuræ, & mercedis Intercessoriæ plenissimam exsolutionem.

Eapropter etiam Præpotentes Ordines in se receperunt, ac promiserunt:

PRimò, se Principem Electorem in Cliviæ Ducatu, cæterisque Ditionibus adversus quemcunque defensuros ac propugnaturos esse, quantum scilicet Status sui vires opesque ferent; ac si quis in Serenissimi Principis Principatus Ditionesq; irrumpendo atque hostiliter invadendo aggressus fuerit, aut alio quocunq; modo infestaverit, contra eosdem auxilium atque subsidium sedulò apportaturos esse; Serenissimo quinetiam Principi Electori Principatuum, ac ditionum suarum, civitatum insuper ac munitionum omnium & singularum, tam illarum, quæ sine Præpot. Ordin. præsidio, quam quæ Eorundem præsidio jam nunc tenentur, aut quæ ex Hostium faucibus postmodum eripientur, uti etiam Subditis atque Incolis, absque ulla, *jure belli*, prætensione seu Actione instituendâ, plenissimæ Neutralitati relicturos, neque Serenissimo Principi Electori quidquam incommodi aut detrimenti in Ejusdem Ducatibus, Comitatibus, Ditionibus, Dominiis, Oppidis, Civitatibus, summo ac jure optimo acquisitis Jurisdictionibus, aliisque in locis esse allaturos; neque etiam Serenissimi Principis Ditionibus, Dominiis, Principatibus, Oppidis & Civitatibus, cæterisque locis, *Incolis aut Subditis ulla onera, tributa aut vectigalia imperaturos*, præterquam quæ Civitates Rheza, Embricum ac Vesalia, vi superiorum Fœderum Tractatuumque, promiserunt: Ac

quo tempore Sereniſſimo Principi Electori Ducatibus, Principatibus, Dominiis cæteriſque locis Imperio ſuo obtemperantibus onera quædam, tributa ſive vectigalia in Sereniſſimi Principis Electoris uſum ac Præpotentium D.D.Ordinum expeditiorem exſolutionem imperare viſum fuerit, eaque de cauſa auxilium Præpotentes Ordines rogaverit, *tum ſumme dictos Ordines Sereniſſimum Principem pro temporis opportunitate adjuturos:* Eâ lege tamen ac conditione, ut, ſi è dictis Principatibus, Dominiis cæteriſque locis ſupramemorata nummorum Summa non tam citò ac maturè, quam quidem promiſſum fuerat, Præpotentibus D. D. Ordinibus annumeretur, Sereniſſimus tamen Princeps Elector præfatam nummorum Summam pleniſſimè exſolvere teneatur. Quocirca etiam Præpotentes Ordines Gener. pollicentur, ſe Præfectis ſuis omnibus & ſingulis interdicturos ac prohibituros eſſe, ne ſeſe Ducatuum, Comitatuum, Dominiorum, Civitatum, Oppidorum, & quæ eò pertinent, regimini interminſceant, ſeu quidquam moleſtiæ inferant. Quemadmodum etiam Præpotentes D. D. Ordines Gener. promittunt ſpondentque, ſe diligenter fideliterque cauturos, ne Præfecti ſui quæcunque onera, pecuniarum exactiones, aut quo Nomine tandem venerint, directè ſive indirectè ſibimetipſis attribuant, ac retineant, atque ea, quæ ſibi jam attribuerunt, quamprimum reſtituant reddantque.

Secundò, Præpot. D.D. Ordines Gener. promittunt ac pollicentur, nullas ſeſe Retorſiones, quas vocant, in dictis Ducatibus Comitatibus, Dominiis, Civitatibus Oppidiſque Sereniſſimi Principis eo tempore inſtituturos, quo tempore Ducatus, Comitatus, Dominia, Civitates atque Oppida à Præpotentium D.D. Ordinum Gener. Hoſtibus nummorum aliquam Summam erogare coacta fuerint; quinetiam Copiarum ſuarum tranſitum, & Caſtrorum metata, quantum fieri poterit, cohibituros, aut ſi quæ Copiarum Introductio, Tranſitus, & Caſtrorum metata ad Præpotentium D. D. Ordin. Gener. neceſſariam defenſionem ac propugnationem inſtitui debeant (quippe aliam ob cauſam neutiquam inſtituenda venient) ea omnia diſciplinâ quacunque optimâ, qualis in Fœderati Belgii Provinciis exercetur, ſedulò eſſe curaturos.

Tertiò, quoniam Sereniſſimus Comes Palatinus vi Tractatus Proviſionalis Anno 1629. & 1630. initi, ad pleniorem Præpotentium D. D. Ordinum Gener. ſatisfactionem, à Sereniſſimo Principe Electore ſtipulatus ſit, trium Annorum, jam diu expiratorum, intervallo, centies Imperialium mille exſolutionem Juliaci Ducatu, ſimiliter etiam à media Ravenſbergenſi Comitatus, qui Sereniſſimo Comiti Palatino in Principatuum ac Dominiorum diviſione attributus fuerat, parte decem Imperialium millia, atque è Ravenſteinienſi Ditione ſex Imperialium millia Sereniſſimo Principi Electori exſolvenda veniant, ſumme dicti Ordines Præpotentes promittunt ſpondentque, ſe ea quoque in re Sereniſſimo Principi Electori ſubventuros, quo pleniſſimam nummorum omnium Summam, abſque ullâ dilatione ulteriori, conſequatur, ſic tamen, ut hujus Summæ, quam Sereniſſimus Comes Palatinus debet, exſolutionis moram à Sereniſſimo Principe Electore exſolvendam ſummam nequidquam differat.

Quartò, quod ſi præter expectationem eveniret, ut Sereniſſimus Princeps Elector, ejuſdemque Ducatus, Comitatus, Dominia, Ditiones, Incolæ ac Subditi

diti

diti propter præsentem Tractatum cæteraque cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. inita Fœdera ab aliquo hostiliter invaderentur, damno ac detrimento afficerentur, Præpotentes D. D. Ordines promittunt ac pollicentur se, quoad ejus fieri poterit, Eorundem defensionem ac propugnationem suscepturos esse. „ „ „ „ „

Postremò, ad mutuæ ac sinceræ Amicitiæ, Affinitatis & Societatis conservationem decretum fuit, quod si Parti alterutri quidquam in alterius Partis Dominia, Incolas Subditosque competere videretur, quod altera negaret, ut hostile nihil, neque *de facto* quidquam occiperetur, sed verò Negotium integrum cum bonâ gratiâ componeretur, sive Arbitris, uni aut pluribus ab utraque Parte electis, quorum animus nullo partium studio turbatus tenetur, decidendum atque expediendum relinqueretur. Ac priusquam conficeretur, neutri ambigentium Parti exactionem quamcunque adversus se invicem, sive vi, sive facto, instituere atque exercere liceret. „ „ „ „ „ „ „ „ „

Præsens insuper Tractatus Fœderi Anno 1632. sancito nihil omnino derogabit, præterquam quod in præsenti ejusce causa commutatum fuerit. „ „

Ac quoniam Serenissimi Principis Elect. Deputati vi literarum suarum Auctoritatis præsentem Tractatum cum Præpotentibus D. D. Ordinibus, salvo Serenissimi Principis Electoris consensu ac confirmatione, concesserunt atque acceperunt, Idcircò etiam Ejusmodi confirmationem, duorum Mensium proximè sequentium intervallo, solennibus formulis conscriptam, & Serenissimi Principis Electoris Sigillo munitam, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. tradi curabunt, Qui suam similiter, formulis solennibus conscriptam confirmationem ac Præpotentium D. D. Ordin. Sigillo itidem munitam, supramemoratis Deputatis reddituri sunt. In quorum omnium testimonium ac securitatem Partis utriusque, Deputati præsentibus subsignârunt. Actum Hagæ-Com. quarto die Septembris, Anno 1636. Signatum erat, Weynandus ab Heymbach, Johannes à Braal, dictus Platerus, A. Rantvicius, Nicolaus à Bouckhorst, Casparus Vosbergius, A. Ploos ab Amstel, Fredericus Liber Baro in Swartsenburg. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

Verum enimverò, ut ad propositum redeam, Majestatis Regiæ Legatus Charnassæus per Memoriale aliquod vicesimo & nono die Novembris significavit, Majestatem Suam Galliæ, ut Salvos-Conductus iis, qui Tractioni Universali interessent, accipere vellet, rogatam fuisse: ad quod Majestas Sua respondit, Cæsarem atque Hispaniarum Regem Amicis & Fœderatis suis Salvos-Conductus itidem curare oportere. Nihilominus tamen Majestatem Suam Præpotentes D. D. Ordines Gener. rogarunt, ut ejusmodi Salvos-Conductus Cæsaris, Regis Hispaniarum, Principumq; Electorum, tum Catholicorum tum Protestantium, Deputatis concedere vellent. Eapropter, D. Comes Culenburgensis, D. Noortvicius, & D. Musch Graphiarius delegati fuerunt, ut cum D. Charnassæo Legato super Ejusmodi Salvorum Conductuum conceptibus formulisque agerent. Sic res erat; Cæsar, quantopere Majestas Galliarum promovere, tantopere Tractatus ejusmodi Pacis Universalis Institutionem, utpote impossibilem plane, quod postmodum apparuit, succidere prorsusque abrumpere studebat. Quamvis enim Reges Principi Electori & Comiti Palatino Salvos-Conductus rogatos peterent

tandemque impetrarent, non tamen eo magis pleniſſimam utriuſque compoſitionem effectam reddiderunt, aut effectam reddere voluerunt. Quod equidem factu haud difficile fuiſſet, ſi uterque pari modo de jure competente (pro gravitate atque æqualitate, Principi Electori Palatino in Tractatione Pacifica Oſnabrugenſi ſubtracta) locisque occupatis quidquam diſcedere voluiſſent: Quemadmodum etiam utraeque Majeſtates ſe nihil niſi Reſtitutionem & Satisfactionem oppreſſis Romani Imperii Principibus jam ab initio belli expetere declararunt.

Quod ad Fœderati Belgii Provinciarum Ordin. Generales attinet, nunquam ejuſmodi à Cæſare Salvos-Conductus poſtulavere, neque etiam indiguere; utpote qui cum Cæſareâ Majeſtate & Sacro Romano Imperio perfectam Neutralitatem & tranquillitatem conſervare ſtudebant.

Galli verò, eo quod directè hunc Statum bello adverſus Imperium implicare non poterant, tali tamen modo Eundem inſignire, ac ſi bellum cum Imperio gereret, cupiebant, quippe qui Salvo-Conductu indiget, hoſtis Nomine venit. Quæ quidem omnia iis adverſabantur, quæ ſupramemoratus Dominus ab Aitzma tam Viennæ Auſtriæ, quam poſtmodum Ratiſbonæ, Nomine locoque Præpotentium D D. Ordinum Gener. agebat. Quod etiam Cæſarea Majeſtas per literas quaſdam Ratiſbonâ ad Deputatos ſuos Coloniam, viceſimo & quinto die Septembris, Anno 1641 exaratas, verbis ſequentibus indicabat:

Quantum ad Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Gener. attinet, nullo iiſdem prorſus Salvo-Conductu opus eſt, utpote cum quibus & Nos & Sacrum Romanum Imperium bellum nullum gerimus. Qua de cauſa etiam Foppius ab Aitzma Fœderati Belgii Ordinum Legatus, quum ipſis, Magno Duce Etruriæ petente, publicæ fidei ac ſecuritatis literæ ad Tractationem Anno 1636. ineundam, datæ conceſſæque forent, eaſdem reddidit.

Gallorum autem & Suecorum haud parvi intererat, hunc Statum etiam Tractationibus Univerſalibus Monaſterii & Oſnabrugis inſtitutis involvi atque implicari. Hoc enim pacto Status hic tacitè atque implicitè Gallorum & Suecorum in Germania rebus cauſiſque ſive intereſſe alligabatur. Idcircò etiam Eorundem commodis in Germania, maximopere favebat, neque ſatisfactionis quidquam ſibi vel petebat vel accipiebat; quod tamen æquali cum Gallis Sueciſque jure ipſi competebat.

Hæc igitur cauſa fuit, ob quam Status hic privatim atque à reliquis ſejunctus agere debuerit; quum is Gallorum ac Suecorum commodis & ſatisfactionibus quibus neque finis neque modus ullus erat, non ſemper alligari voluerit. Quod tamen non neceſſarium fuiſſet, quod ſi Univerſalis illa Pacis Tractatio non Monaſterii, verum, quemadmodum Fœdere cum Gallis inito conventum conceſſumque fuerat, Hagæ-Com. aliiſve Unitarum Belgii Provinciarum locis inſtituta fuiſſet. Tum enim reliquæ omnes atque externæ quæſtiones & ſatisfactiones breviter diſſolutæ ſucciſæque fuiſſent; è quibus poſtmodum plurimæ difficultates Monaſterii fuerunt exortæ. Ea propter igitur ſupramemoratus Dominus ab Aitzma non tam æquum juſtumque verum etiam mandatum præceptumque executus fuit, præfatas publicæ fidei & ſecuritatis literas reddendo. *Primò* enim eo mandato præceptoque edoctus atque inſtructus delegatus fuerat, ut declararet

Sta-

Statum hunc cum Sacro Imperio bellum neque gerere, neque etiam cupere; sed potius optimum ac firmissimum Neutralitatis atque affinitatis perpetuæ modum Ordinemque instaurare velle. *Secundò*, inter Gallos & Ordines Generales decretum ac constitutum fuerat quamcunque Pacis sive Induciarum cum Hispanis Tractationem non nisi in Fœderati Belgii Provinciis institutam iri. *Tertiò*, quod si ejusmodi Salvum-Conductum sive publicæ fidei & securitatis literas ad Pacis universalis Tractationem à Cæsarea Majestate accepisset, Statum hunc implicitè *vel quasi* bello cum S. Imperio (quo tamen officium ac mandatum suum fuisset egressus) constituisset. Quâ quidem literarum publicæ Auctoritatis denegatione, ab iis, qui Gallorum & Suecorum satisfactionibus favebant, in pejorem partem acceptâ, omne ipsius cum Gallis Suecisque negotium odiosum reddiderunt. Neque minus etiam supradicta universalis Pacis Tractatio, ab Hispanis & qui à partibus ipsorum stabant, majorem in modum disturbata atque abrupta fuit: quandoquidem illi Cæsaream Majestatem eo adductam obligatamque iri, ne unquam adversus hunc Statum copias auxiliares, Hispanis mitteret, perpeti nullo modo poterant. Qua universalis Tractationis à contrariis partibus oborta perturbatione non obstante, nihilominus tamen Dominus ab Aitzma Mense Maijo, Anno 1636. à Cæsarea Majestate sequentem Declarationem consequutus fuit.

Sacra Cæsarea Majestas, Dominus Noster Clementissimus æquo, animo accepit quæ ad eam nomine Ordinum Fœderati Belgii Dominus Foppius ab Aitzma, liber Baro, de proximè præteritorum Annorum gestis, ac si per ea sinceritati Pacis, quoad Bellum Hispanicum, quam summedicti Ordines cum Sacra Cæsarea Majestate & S. Romano Imperio hactenus coluerunt, quidquam derogatum sit, retulit; insuper etiam quæ de voluntate ac studio Pacis summedictorum Ordinum cum eadem Sacra Cæsarea Majestate & S. Imperio Romano porro continuanda commemoravit; simul etiam quæ à Majestate sua & Sacro Imperio respectu militis Picollominæi abducendi postulavit. Quæ quidem Sacræ Cæsareæ Majestati de prælibato Pacis studio ac voluntate D. D. Ordinum majorem in modum placuere, utpote cui nihil potius est, quam ut quietè & pacificè sibi eidemque Sacro Imperio non modo cum supramemoratis Fœderati Belgii Ordinibus, verum etiam cum aliis quibuscunque Regibus, Principibus, & Statibus, tam extra, quam intra ipsum S. Romanum Imperium comprehensis, degere, & sinceræ benevolentiæ officiis potius, quam alia quacumque ratione cum iisdem concertare possit. Ad res gestas verò præteritorum Annorum quod attinet, Sacra Cæsarea Majestas existimat, si Fœderati Belgii Ordines æquo animo perpenderint ea, quæ tam intra, quam extrà S. Romanum Imperium ab ipsis acta & transacta, seu quæ à Sacra Cæsarea Majestate suscepta fuere, vel suscipi debuere, summemoratos Ordines nullam de ipsa conquerendi causam justam habituros, contrà vero comperturos esse, quæcunque ab ea vel contra ipsos, vel pro Serenissimo Hispaniarum Rege Catholico, Nepote suo charissimo, transacta fuerunt, imprimis autem subsidium atque auxilium, quod Serenissimo ac honore summo dignissimo Domino Cardinali Infanti Hispaniarum, Anno proximè elapso, per Marescallum suum Picollominæum præstitum fuit, id non alia quam necessaria de causa ac pro defensione non minus propria, quam Provinciarum illarum, *quas supradictus Rex Catholicus etiamnum ab ipsa Sacra Cæsarea Majestate & S. Romano Imperio agnoscit, susceptum fuisse: posteaquam videlicet constitit, non modo summedictos Fœderati Belgii Ordines cum Galliarum Rege in Imperio Pacis publicæ pertur-*

perturbatore, & qui jam pridem hostilia quæcunque adversus Sacram Cæsaream Majestatem ejusque Domum Augustam intra & extra Sacrum Imperium moliri non desistit, fœdus offendendi & defendendi ergo, nulla vel Majestatis Cæsareæ vel Imperii Romani habitâ ratione, junxisse, verum etiam Eundem Galliarum Regem præmemoratas Provincias & ditiones, aperta hostilitate Serenissimo Regi Catholico Nepoti ejusdem Sacræ Cæsareæ Majestatis denunciata, invadere atque adeo invasisse. Quo tempore mediusfidius Majestas sua Cæsarea neque dictas Provincias, feudi & clientelæ jure sibi adstrictas, neque summe præmemoratum Hispaniarum Regem Serenissimum tam propinqua generis necessitudine conjunctum, adeoque nec se ipsam, cujus hac in re tam variis rationibus causa agebatur, deserere potuerit; prout quivis, animum nullarum Partium studio disturbatum habens, facillime percipiet. Adhæc quinetiam Majestas sua Cæsarea adjungit continuas novarum rerum molitiones & Consiliorum cum aliis hostibus, atque Ejusdem Imperiique Romani adversariis communicationem, qua dicti Ordines jam à multis retrò annis Majestatis Cæsareæ & S. Romani Imperii quietem ac tranquillitatem lacessere non dubitarunt, quibus equidem Consiliis, machinationibus & conatibus si Fœderati Belgii Ordines abstinuisse, ac fœdera dissolvisse Sacra Cæsarea Majestas perceperit, tum se quoque ad ea, quæ tranquillitatis publicæ ratio in Imperio postulare videbitur, in quantum ea, de quibus supra dicti Ordines sibi expostulandum esse duxerunt, haud invitam condescensuram declarat. Cujus tamen causæ & negotii hujus accuratior tractatio fortè nec hujus temporis esse, nec ad se solam pertinere videtur. Ac si id, quod res est quodque sentit, dicendum etiam sit, rebus post maturam deliberationem perpensis, sic existimat; hujusce rei controversiam litemque haud alia fortasse commodiore viâ è medio tolli posse, quam si, eliminato penitus bello, pax firma utrique Parti tolerabilis, inter supra memoratum Regem Catholicum ac dictos Ordines Fœderatos, coëat, sive ad longius aliquod tempus Induciæ contrahantur. Horum alterutrum Sacra Cæsarea Majestas studio Pacis & tranquillitatis publicæ & universalis majorem in modum se expetere asserit; eapropter dictos Fœderati Belgii Ordines benignè ac benevolè hortatur, omnem ad id operam, studium atque auxilium pollicendo, simul etiam benevolentiam suam Cæsaream ipsis confirmando. Quæ quidem responsi loco dicto D. Ablegato dari voluit; cui similiter gratiam suam Cæsaream offert. Actum Viennæ, decimo sexto die Maji, Anno Domini, Millesimo, sexcentesimo & tricesimo.

Inde vero Ratisbonam (quò Comitia erant convocata atque Hungariæ Rex Romanorum delegabatur) discedens, ac rebus suis sedulò gerendis incumbens, majora adversus ea, quæ agebat, incommoda, ac difficultates sese ostenderunt: quippe Castellum Scenchianum interea temporis recuperabatur, Induciarum cum Hispanis tractatio Craneburgensis & Turnhoutensis succidebatur, fiducia cum Gallis in integrum locum restituebatur, omne denique secundùm alium ac communem Induciarum tractationis modum Coloniam dirigebatur.

Ad hæc multifariæ querelæ accedebant super tributis quæ Fœderati Belgii Ordines è regione Juliaca & Imperio Aquisgranensi exigebant atque accipiebant: quæ utraque S. Romani Imperii membra neutralia existunt.

Hæc autem tributorum exactio Ratisbonæ veluti hostilitatis actus censebatur; atque ab Hispanis eorumque Fautoribus ceu medium firmissimum, quo non tantum Neutralitatis, ut vocant, tractationem, quam Præpotentes Ordines per memoratum Dominum ab Aizma petebant, impedirent, verum etiam ut S. Romanum Imperium, aut saltem exercitum Cæsareum ad dissolutionem cum Ordinibus impellerent.

Idem

Idem ipſe Dominus Charnaſſæus per Memoriam quandam indicavit; quâ militum Reductionem, quam Hollandiæ Ordines Menſe Decembri hujus vertentis Anni agitabant, avertere ſtudebat; Inter alia, quæ in Reductionis averſionem proponebat, hæc ſubjunxit, *præterquam quod Vos*, tantopere, *Voſmetipſos debilitando* (Reductionem namque reſpiciebat) *omni dubio procul, in vos atque in Provinciarum Veſtrarum limina, quæ à parte Germaniæ plurimum patent, Cæſaris ejuſdemque Sociorum Copias abducturi ſitis, quamprimum illud efficere poterunt, non obſtantibus vanis cogitationibus ac perſuaſionibus* (quibus eos, qui Domini ab Aizma delegationis auctores fuerant, denotabat) *quas concitare nonnulli cupiebant, Cæſarem videlicet ad Neutralitatem, ut vocant, facillime adduci poſſe, de qua ipſemet nuperrimè cum Hiſpaniarum Regis Legato pluribus egit* (rationes quippe variæ erant, quibus Hiſpaniarum Regis Legatus Cæſari Neutralitatem diſſuadere conabatur: Regem ſcilicet ſuum membrum & Vaſallum Imperii, idque propter Burgundiæ Circulum; quinetiam propter res cauſaſque, vulgo Intereſſe, Domus Auſtricæ, quæ quidem rationes expreſſæ erant) *Præpotentes Dominos, D. Ordines Generales non minorem poteſtatem atque auctoritatem Scriptis ſuis habituros eſſe, ſatis ſuperque omnibus comprobant, nihil quidquam ab iſthac parte, præter hoſtilitatem quamcunque, ubi tempus dabitur, expectandum eſſe.*

Poſtea vero, quo ſupra dictus Dominus ab Aitzma tanto ingratior redderetur, exemplum quoddam literarum, quas Miniſter aliquis Regis Galliarum ad Dominum Charnaſſæum Hamburgo decimo & ſeptimo die Januarii Anno 1637. exaraverat, traditum fuit. *Iam dies aliquot elapſi, quibus Dominus Salvius, cognito perceptoque quod Dominus Foppius ab Aitzma in aulâ Cæſarea magna quadam moliretur, eidem indicavit, regnum Sueciæ nihil aliud niſi bonam firmamque Pacis tractationem cum Cæſarea Majeſtate inire velle, ſeque ea de cauſa rogare, ut ſi quam Ratisbonæ tractationis voluntatem animadverteret, omnem operam, ſtudium ac laborem, quibus propoſitum hoc promoveri poſſet, adhibiturum eſſe.*

Supra memoratus Dominus ab Aitzma eo ipſo tempore Cæſareæ Majeſtati ac Concilio Principum Electorum dictæ Propoſitionis indicium facere non neglexit. At vero de ſuo adjunxit, Regnum Sueciæ Legatos nonnullos Ratisbonam miſſurum eſſe, ſi videlicet Cæſarea Majeſtas & Principum Electorum Concilium dictam Pacis tractationem benigne ſuſciperet.

Ea propter dictum Principum Electorum Concilium Marchioni Sigiſmundo, qui Berlini commoratur, præcepit ut Miniſtrorum, quos Regnum Sueciæ in Germania habet, animos perſentiſceret, utrum Sueci ea, quæ Dominus ab Aitzma indicaverat, amplecti vellent.

Animadverto autem dicto Marchioni reſponſum fuiſſe, Suecos quidem ſummo Pacis deſiderio teneri, ac, ſi Cæſarea Majeſtas dictumque Principum Electorum Concilium eandem tractationem Hamburgi ſive Lubecæ inſtituere vellent, continuò ſe Legatum eò miſſuros eſſe: nullum vero Ratisbonam mitti poſſe. Domino ab Aitzma talia dicendi nullam auctoritatem accepiſſe; præterquam declarandi, Suecos ne tam à pace abhorrere quam quidem credebatur.

Literas interim, quas Dominus ab Aitzma ad Virum quendam Ordine hujus loci inſignem dederat, perlegi, quibus referebat, Regis Romanorum electionem propediem futuram, utpote cui fundamentum Pacis Germanicæ univerſalis innitteretur.

Qui-

Quibus literis in margine responsum fuit; *tradantur in manus Domini Florentii Comitis Culenburgensis, Domini Noortvici, Domini Vosbergii, & Domini ab Haarsolte*, ut cum *Celsissimo Arausionensium Principe* super iisdem deliberent, Consilium ejus prudentissimum percipiant idque Ordinibus quamprimum significent.

At vero quum ea omnia vana atque inania existerent, neque in finem alium adhiberentur, quam ut Tractatio Neutralitatis cum Cæsarea Majestate abrumperetur, atque hic Status Tractatibus generalioribus, & Gallorum & Suecorum rebus causisque obstringeretur atque obligaretur. Res itaque in medio relicta est. Dicto literarum argumento (sive vero sive falso) pro simplici significatione habito.

His tam Gallorum quam Hispanorum & Suecorum Officiis non obstantibus, secundam suam Declarationem Cæsar in lucem edidit; cujus exemplum tale est.

Quæ Sacra Cæsareæ Majestati, Domino nostro Clementissimo, Nomine Ordinum Unitarum Belgii Provinciarum, Eorundem Legatus Foppius ab Aitzma, liber Baro, diversis Memorialibus proposuit, eadem Sacra Cæsarea Majestas ac loco ejusdem S. Romani Imperii nec non Hungariæ & Bohemiæ Regia Majestas Dominus item Noster Clementissimus, benigne percepit ac perpendit. Ad quæ dictæ Sacræ Cæsareæ Majestatis Nomine memorata Romanorum Regia Majestas vigore plenissimæ auctoritatis & potestatis ab eadem sibi concessæ supramemorato Legato Clementer respondet, fuisse Majestati suæ Cæsareæ, sicuti omnibus cognitum est, jam à multis Annis hoc summæ curæ ac sollicitudini, atque eidem quoque Negotio jam nunc in præsenti conventu Electorali, collaborante eodem Sacri Romani Imperii Principum Electorum Collegio, omni studio incubuisse, quo tandem aliquando jam diu exoptata Pacis tranquillitas, S. Rom. Imp. atque inclytæ Nationi Germanicæ, nec non finitimis regionibus & Provinciis postliminio quasi restituatur: cui fini consequendo etiam de mediis, quæ illi opportuna forent, diligenter inquisitum & deliberatum fuerit; Quapropter quum cognitum perspectumque sit supradicto S. Romano Imperio, Nationi Germanicæ aliisque eidem finitimis regionibus & Provinciis plenam quietem & tranquillitatem comparari non posse, nisi Belgii Provinciarum bellum *(è quo plurimorum malorum seges & principium quasi è fonte promanavit)* per firmam, sinceram ac perpetuam pacem compositum, aut saltem perniciosi illius funestique effectus per diuturnas aliquas Inducias sopiti fuerint: *Eapropter Majestas sua Cæsarea & dicta Regia Majestas una cum prædicto Collegio Electorali minime dubitat, quin & supra memorati Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Gen. quæ tali Negotio inservire possunt, libenter amplexuri, & promoturi, proindeque in Tractatus ob eam rem instituendos ac promovendos, (si modo, quod sperandum etiam venit, Serenissimus Hispaniarum Rex Catholicus eos admiserit) haud gravatim consensuri sint, ut videlicet jam simul ubique* Pacis illius universalis tam necessarium Negocium, *serio ac sedulo tractetur, atque ubi cum aliqua Natione extera in pristinum tranquillitatis Statum reditum fuerit, tum nihil relinquatur, unde aliæ perturbationes suboriri, sive exoptatus è tot laborum ac sumptuum impensis fructus aliquo modo intercipi queat; Atque in hunc finem Sacra Cæsarea Majestas ejusque loco dicta Romanorum Regia Majestas clementer sese offerunt, non modo ut Serenissimum Hispaniarum Regem Catholicum adducant, quò in eosdem Tractatus consentiat, verum etiam ut interventu suo Cæsarea Majest. una cum prælibato Collegio Electorali omnem operam, curam ac diligentiam conferre studeat, ne ipsi sperato plenæ perfectæque Pacis sive Induciarum ad*

tem-

tempus aliquod longum exitu careant. Interim tamen, loco ac Nomine supradictæ Cæsareæ Majestatis, Majestas Sua Regia declarat, dictam Cæsaream Majestatem & Sacrum Romanum Imperium, durantibus etiam his Tractatibus, aut si (contra ac à Divinâ Bonitate omninò sperandum est) ipsi non admitterentur, sive ad optatum rerum suarum finem non perducerentur, nihilominus tamen erga sæpedictos Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Gen. haud aliter, quam Constitutionibus S. Romani Imperii convenienter acturam esse; Ea lege tamen ac conditione, ni Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Gen. adversus dictas Constitutiones commiserint, neque Sacram Cæsaream Majestatem Ordinesque Imperii qualicunque injuria affecerint, hostibus quinetiam & adversariis Sacræ Cæsareæ Majestatis & S. Romani Imperii sese neutiquam conjunxerint, neque directè neque indirectè iisdem opitulati fuerint. Et quum summa rei ipsius necessitas postulare videatur, ut ejusmodi Tractatus tantocyus promoveatur; Idcircò Majestati suæ Cæsareæ & Regiæ visum consultumque fuit, ut iisdem inchoandis certus aliquis dies locusque quamprimum constituatur, quemadmodum ejus rei gratia, diem quidem Dominicum præsentem stylo novo hujus Anni, locum autem Tractationis Aulam suam Cæsaream, sive ea Viennæ Austriæ, sive Pragæ fuerit, vel etiam Civitates, Noribergam, vel Augustam Vindelicorum, proponit. In rem etiam fore arbitrans, quo dictum negotium tantò magis promoveatur, donec ad ipsos Tractatus deveniatur, ut Armorum suspensio *inter partes bellantes decernatur. Quod reliquum est, Eadem Majestas Sua Cæsarea Ejusdemque Nomine jam sæpius memorata Romanorum Regia Majestas gratiam Suam Cæsaream Regiamque supradicto D. D. Ordinum Gen. Legato clementer offert. Signatum Ratisbonæ, vicesimo & nono die Ianuarii, Anno* 1637.

Decimo Februarii die, Anno 1637. Legatus Charnassæus ab Ordin. Generalibus denuò Salvos-Conductus majorem in modum Legatis ac Deputatis petiit, quorum opera Majestas sua Cæsarea, Rex Hispaniarum, cæterique neutrarum Partium Principes in Tractatione Coloniensi opus haberent. Cæsare tamen cæterisque neutrarum Partium Principibus iis non indigentibus, neque Salvos-Conductus directè petentibus. Quinetiam Fœderati Belgii Ordinibus neque nunc neque postmodum Imperii negotiis cæterisque Tractatibus Neutralibus se, nisi intercessu suo, admiscentibus.

Præpotentes tamen Ordines Generales Salvos-Conductus concipi Eosque postmodum per Dominum Catzium & Vosbergium Cellissimo Arausionensium Principi tradi curarunt, imprimis autem eas difficultates; quas Rex Hispaniarum in Salvis-Conductibus hujusce Status Deputatis concedendis movebat. Quibus non obstantibus, dicti Salvi-Conductus decimo & nono die Februarii ad Dominum Oostervicium D.D. Ordinum Gen. Legatum Parisiis commorantem missi fuerunt, ut eum Hispaniarum Regis Salvis-Conductibus, quos Ordinum Deputatis concessurus esset, commutaret.

Domino autem Charnassæo reliqui Salvi-Conductus Deputatis Cæsareis cæterisque neutrarum Partium Principum Catholicorum Deputatis postulati traditi fuerunt, qui omnes ac singuli decimo & nono die Februarii, Anno 1637. exarati erant. Is qui Cæsareæ Majestatis Deputatis concessus inscriptus erat, *Mutatis Mutandis*, cum titulo, Cæsareæ Majestatis. Regis vero Hispaniarum Deputatis Salvi-Conductus traditi exemplum tale est.

Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales,

OMnibus & singulis Gubernatoribus, Legatis, Archithalassis, Legionum Tribunis, Moderatoribus Civitatum, locorum & Munitionum Præfectis, Ducibus & Conscriptoribus militum terrâ marique, Magistratibus quinetiam, Prætoribus & Iustitiam administrantibus aut qui Nostro Officio adstricti atque obligati Imperio Nostro subjiciuntur, Constare volumus, Nos per Præsentes Salvum-Conductum dare ac concedere Dominis D. . . . .

. . . . .

Deputatis Regis Hispaniarum omnibus & singulis, quo tantò securius terra marique per regna hostium, & neutrarum partium Principum regiones, & quæ Imperio nostro obtemperant, ad universalem Coloniensem conventum discedant ac proficiscantur, atque ibidem loci universum tempus, quod dicto conventu consumetur, cum omni securitate commorentur, idque cum potestate speciali, ut, durante Tractationis tempore, aliquem è Deputatis suis, tabellariis atque expediti itineris nunciis servisque, terra marique per hostium regna, Principum Neutrarum partium regiones ditionesque aut quæ Nostro subsunt imperio, ad Hispaniarum Regem & Cardinalem Infantem sive alios quoscunque mittere ac delegare possint certificationem duntaxat manibus sigillisque suis munitam atque obsignatam mittendis concedendo: Quemadmodum etiam Hispaniarum Regi & Cardinali Infanti, vi præsentium literarum, durante supradicto conventu, reipsâ ejusmodi tabellarios sive expediti itineris nuncios, seu alios quoscunque volent, ad supra memoratos Dominos Coloniæ congregatos, mittere atque delegare licebit, Certificationem duntaxat debitis formulis exaratam concedendo; quinetiam post discessum, & durante Coloniensi conventu, supradictis Deputatis Coloniam Eadem securitate terrâ marique per Neutrarum partium hostiumque Imperia, regna ditionesque, terrâ ac mari ad Regem Hispaniarum & Cardinalem Infantem reverti integrum erit: Ea lege tamen ac conditione, ne Præsentium literarum prætextu quicquam occipiatur, quod Fœderati Belgii Statui damno ac detrimento esse queat. Quocirca Nos Vobis omnibus & singulis mandamus ac præcipimus, ut supradictos Deputatos universos & singulos, cum omnibus suis equis, carrucis, curribus, navibus, bonisque discedere, proficisci, commorari ac reverti sine ullo impedimento permittatis, tabellarios quinetiam, & expediti itineris nuncios, qui, ut supra commemoratum est, missi ac delegati fuerint, neque quidquam ipsis injuriæ, damni aut molestiæ inferatis aut inferri sinatis, ea lege atque omine, ut in contrafacientes animadvertatur; contra vero omnem operam subsidium atque auxilium ipsis conferatis. Dabantur Hagæ-Comitis, decimo & nono die Februarii, Anno 1637.

Formula, secundùm quam Ordines Generales Salvum-Conductum Deputatis suis ab Hispanis institutum volebant, eadem ferme existebat; omisso duntaxat *Vnitarum Belgii Provinciarum* titulo. A Majestate vero Cæsarea & Regia cæterisque Neutrarum partium Principibus juxta similem formulam, *Mutatis Mutandis*, conscriptum volebant. At quemadmodum Cæsareis Hispanisque nullam præter Cæsareæ Majestatis, Hispaniarum Regis & Neutrarum partium Principum Statuumque Deputatorum qualitatem Præpotentes D. D. Ordines Gen. concedebant, ita etiam in eodem hujusce Status Ordines acquiescebant, ut Unitarum Belgii Provinciarum Ordinum Generalium Deputati appellarentur.

Decimo & tertio die Maji Gallorum Regis Legatus rogavit, ut etiam aliquis ex Ordi-

Ordinum Deputatis Hamburgum delegaretur, ubi conventus quidam Gallorum, Suecorum, Danorum aliorumque Ministrorum, ad Præliminaria confirmanda, institutus fuerat.

Nono die Junii Coloniensis Princeps Elector Salvum-Conductum Duci Francisco de Melo à Præpotentibus Ordinibus petiit, eo fine, ut Hispaniarum Regis Nomine ac loco Coloniensi Tractatui interesset: cui responsum fuit, Salvum-Conductum paratum fore ut commutaretur cum eo, qui ab Hispaniarum Rege hujusce Status Deputatis requirebatur.

Quapropter etiam ad Coloniensem Principem Electorem supradictæ formulæ fuerunt missæ, quarum similiter exemplar Venetorum Legato Michaëli Hagæ-Com. commoranti traditum fuit.

Decimo & nono die Junii Legatus Charnassæus significavit, Majestatem Suam Dominum de la Garde Coloniam delegare; quapropter etiam ex Ordinum Deputatis aliquis cum ipso illuc discederet, aut Agenti Bilderbeeckio mandata mitterentur: quo simul tractationi interessent ac demonstrarent, nullam in Majestate suâ vel Ordinibus, utpote ad tractandum promptis paratisque, inesse moram; sed vero Hostes, utpote Salvum-Conductum detinentes, in noxa esse. Eapropter Domino Bilderbeeckio mandatum præceptumque fuit, ut sese Domino de la Garde adjungeret ac Dominum Ginettum Papæ Romani Nuncium conveniret, atque ea, quæ à dicto Domino de la Garde Domino Ginetto proponerentur atque offerrentur, perciperet seduloque animadverteret; ac quamprimum Dominus de la Garde propositioni finem imposuisset, se continuò Domino Ginetto Præpotentium D. D. Ordinum Agentem Coloniæ commorantem esse diceret, seque à Præpotentib. Ord. in mandatis accepisse, ut Celsitudini Suæ indicaret, Gallorum Regem Præpotentibus Ordinibus, Ordines itidem Gallorum Regi arctissimâ Fœderatione mutuâ devinctos atque obligatos teneri, eâ lege tamen ac conditione, ut vel simul in Belgii Provinciis bellum adversus Regem Hispaniarum continuarent, vel simul Pacis Tractatione ab eodem discederent: quapropter etiam summedicti Præpotentes Ordines Deputatos suos ad Tractationem Coloniensem misissent, si ad Præpotentes Ordines Salvus-Conductus, à quibus oportebat, missus fuisset, eo modo quo Præpotentes Ordines suos Salvos-Conductus aliis concedendos jam diu in Galliarum Regis manus consignarant.

Porro autem sedulò animadverteret, ne à supramemorato Domino *de la Garde* interpellaretur, ipse autem solus Nomine locoque Præpotentium D. D. Ordinum Gener. verba faceret, ac Præpotentibus D. D. Ordinibus, quæcunque in hoc negotio egisset, rationem redderet. Quinetiam ut cum dicto Domino *de la Garde*, uti etiam cum omnibus ac singulis Majestatis Regiæ Ministris, familiariter viveret.

Secundo die Augusti Regiæ Majestatis Galliæ Legatus Dominus Charnassæus in Concilio D. D. Ordinum retulit, *Papam Romanum perpendentem, ac prospicientem Tractationem Coloniæ instituendam, propter plurima impedimenta, perlongam fore, ac prælium aliquod, obsidionem, sive Partis alterutrius expeditionem quamcunque maximam rebus animisque commutationem assiduè apportare posse; Eapropter declarasse, Induciis sive armorum suspensione quinque aut sex annorum angustè peropus esse; quo Induciarum tempore*

pore universi negotii summum facili Negotio componi ac confici posset. Quæ armorum ad dictum tempus suspensio ut tanto facilius ac commodius concedi atque obtineri poßet, neceße eße, ut Regia Majestas Galliæ à Fœderatis ac Sociis suis ad dictam armorum suspensionem clam cum Hostibus Romæ confirmandam, auctoritatem impetraret. Illud tamen Majestatem Suam recusaße, atque ut omnem à se suspicionem prorsus *semotam haberet, prius de Tractatione Coloniæ instituenda consilium decretumque suum retinuiße.*

Decimo die Septembris Regiæ Majestatis Secretarius Dominus Brassetius, (Legato Charnassæo simul & Tribuno Legionis, ad Bredam in viis obsidionalibus primo die Septembris, horâ vespertinâ decimâ capite globuli ictu trajecto) longissimo Memoriali retulit; *Hispanos etiamnum Salvos-Conductus Majestati Suæ Fœderatis Sociisque denegare: Qua de causa etiam cum Majestas Regia Deputatos suos ad Coloniensem Tractationem mittere recusaret, Hispanos sparsiße, Galliæ Majestatem Regiam, quod dicta Tractatio parum procederet, solam in noxâ eße.*

Legatus *D. Avaucius* postquam Hamburgum advenisset, supramemorato Domino Brassetio literas misit, quibus majorem in modum adhortabatur, ut operam daret, quò Præpotentes D. D. Ordines Gener. aliquem suorum Deputatorum Hamburgum ad Tractandum mitterent.

Vicesimo & tertio die Decembris Regiæ Majestatis Britanniæ Residens Dominus Boswellius apud Præpotentes D. D. Ordines Gener. instare cœpit, ut Ordinum quispiam Deputatus Hamburgum mitteretur, *ad Fœdus aliquod inter Britannos, Gallos atque hujusce Reip. Ordines ineundum, aut saltem in quantum res causæque Germaniæ ad ipsos pertinerent.*

Eâ æstate, Anni 1637. hujusce Reip. Ordines Gener. Bredam, Hispani autem Ruremundam Venloamque ceperunt.

Loco Domini Charnassæi in viis obsidionalibus ad Bredam trajecti, Marchio Estampius, Ordinarii Legati qualitate, Mense Novembri Hagam-Com. advenit.

Decimo & septimo autem die, Anno 1637. cum Rege Galliarum sequentia confirmata fuerunt.

1. Regia Sua Majestas Fœderati Belgii Ordinibus integri Anni spatium, cujus initium erit primo die Januarii, Anni 1638 proximè venturi, *duodecies centenis librarum millibus* subveniet, quibus summè dicti Ordines Gener. Copiis Extraordinariis jam nunc conscriptis, aut etiamnum conscribendis satisfacturi sunt. Adeò ut dictam nummorum summam in nullum alium usum adhibere Ordinib. liceat: quod se facturos & fideliter observaturos esse eâ lege ac conditione promittunt spondentque, ut Hostibus, quibuscunque mediis optimè fieri poterit, damnum ac detrimentum inferant.

2. Majestas Sua propter dictam nummorum Summæ assignationem, quam vocant, sive vadimonium debitis conscriptum formulis concedet, in Ejusce satisfactionem, quem Præpotentes D. D. Ordines in Gallia memoratæ summæ receptioni præfecturi sunt, eo fine, quo nummorum Summa plenissimè exsolvatur. Nummorum autem Summa tribus terminis exsolvetur; nimirum, quater centena librarū millia primo hujusce Tractatus Confirmationis die, quater centena librarum millia Mense Junio, proximè venturo, quater denique centena librarum millia Mense Septembri subsequuturo exsolventur.

3. Ea-

3. Eapropter etiam summè dicti Ordines Generales promittunt spondentque, Se Copias suas debito modo confirmatas atq; instructas educturos, easque expeditioni magnæ adhibituros esse: Quem ad modum etiam Rex Christianissimus promittit ac pollicetur, Se Copias suas satis exornatas educturum, easque expeditioni itidem eximiæ in Belgio adhibiturum, &, quodcunque poterit, Hostibus damnum ac detrimentum illaturum esse.

4. De hisce autem expeditionibus inter Celsissimum Arausionensium Principem duntaxat atque eos, quos Majestas Regia iis præfectura est, agetur ac decernetur, quandoquidem omnibus facile notum est, taciturnitatem præcipuam earum partem existere, neque possibile esse, ut eventum prosperum ac felicem à Parte utraque consequantur, nisi silentium rebus omnibus adhibeatur.

5. Summè dicti Ordines concedunt ac promittunt, Gallorum præfectorum stipendia in supramemoratis duodecies centenis librarum millibus deducta, eo modo atque ordine exsoluta iri, de quo in Tractatu decimo septimo die Junii Anno 1630. & decimo quarto die Aprilis Anno 1634. conventum fuit; atque eum insuper, qui à Præpotentibus Ordinibus nummorum receptioni præfectus fuerit, stipendiorum Summam ab ultimo exsolutionis termino Parisiis conficere atque annumerare obstrictum obligatumque fore.

6. Majestas Sua uti etiam summè dicti Ordines sex septimanarum spatio, si fieri poterit, præsentes Articulos confirmabunt.

7. Præsens Tractatus nihil quidquam superioribus inter Majestatem Ordinesque Gener. sancitis derogabit, sed omnes & singuli vim suam ac vigorem obtinebunt, eosque Partes utræque fideliter ac constanter observabunt.

Supramemorati Tractatus Commissarii Regii erant, Dominus Bullionius & Bouthillierus, Ordinum verò, Dominus Vosbergius.

Eventus belli Anno 1638. gesti haud insignes fuere. Recedendum quippe à Calloo, St. Odomari Fano, insuper & Fontarabiæ obsidio dissolvenda erat.

Anno 1638. de Pacis Tractatione nihil quidquam, prætarquam quod de Præliminariis Hamburgi actum fuerit.

Mense Septemb. Legatus *Estampius* literas quasdam, à Legato Domino Avaucio Hamburgo missas, exhibuit, *quibus Præpotentes Ordines adhortabatur, ut per literas Reginam rogarent, ne Deputatos suos ad Pacis Tractationem Lubecensem mitteret, antequam Rex Hispaniarum requisitos Præpotentibus Ordinibus Salvos-Conductus, quibus ad Coloniensem Tractationem admitterentur, concessisset.*

Quæ quidem sedulò animadvertenda veniunt, primum sc. propositum fuisse, ut Pacis Tractatio inter Suecos ac Germanos Lubecæ, quemadmodum à Gallis Belgisque Coloniæ, institueretur, quæ postmodum Monasterium & Osnabrugas traducta fuit.

Vicesimo die Octobris Salvus-Conductus quidam à Cardinali Infante per Venetorum Legatum, Domino Catzio, D. Capellæ, & D. Vosbergio, utpote ad eum recipiendum Deputatis, fuit traditus. Sed verò, cum nullos nisi Galliæ Socios ac Fœderatos voce generaliori concerneret, neque Fœderati Belgii Provinciarum Ordines speciliori voce denotaret, supramemorato Legato redditus fuit,

 addi-

additâ declaratione, *nullum hic Salvum-Conductum, nisi formulis supra relatis, conscriptum accipi atque admitti posse.*

Vicesimo & octavo die Octobris Sueciæ Legato Domino Camerario & Residenti Spieringio earundem formularum exempla Ordines tradi curarunt, simul etiam rogari, ut operam darent, quo Status hic ejusmodi consequeretur, neque Pacis Tractatio sejunctim, verum conjunctim atq; ab omnibus simul instituere-tur: quod facturos se promiserunt atque uno insuper ore declararunt, Coronam Sueciæ non nisi conjunctim agere velle.

Undecimo die Decembris Dominus Vosbergius in Concilio præsidens retulit, Dominum Residentem Spieringium sibi indicasse, quantopere Dominus Salvius Sueciæ Ablegatus Hamburgi apud Daniæ Regem elaborasset, quò requisitos Ordinibus Salvos-Conductus impetraret, cujus rei quoque Dominus Cracovius Residens literis suis mentionem fecerat; Majestatem Suam dixisse, *Præpotentes Ordines nunquam eos à Se petiisse.*

Quibus perpensis, à Domino Rantvicio, D. Noortvicio, D. Vosbergio, & D. Ripperda, de'ea re cum Domino Spieringio actum fuit; Qui serio admonuit, ut Salvi-Conductus iterum à Majestate Daniæ per literas peterentur: quæ Mense Decembri ad summè memoratam Majestatem missæ fuerunt.

Quum sub finem Anni 1638. Dominus Knuytius de rebus Matris Reginæ in Gallia ageret, nihil ipsis potius fuisset, quam ut de rebus bellicis in proximè venturum Annum agendi, simul etiam novam subsidii atque auxilii Tractationem ineundi, mandatis instrueretur.

Sed verò quum ejus rei mandatum nullum acciperet, neque tantum Ordinibus Tractationem confirmandi studium inesse videretur, Idcircò Dominus Chavignyus Mense Januario ad Celsissimum Arausionensium Principem literas dedit, quibus indicavit, Gallos Responsionis moras, ad Memoriale D. Knuytio eam in rem traditum, demirari. Haud dissimiles quoque Sermones Regii Ministri cum Ordin. Legato habuerant, dicentes, Reginam subsidii auxiliique silentium demirari, neque hoc tempore illiberaliorem, quam dudum, existere. Quapropter ex Ordinibus nonnulli, cum Regio Legato acturi, delegati fuerunt. Qui Ordinum Delegatis respondit, non abs re fore, si quispiam ad Majestatem Galliæ, subsidii continuandi causâ, mitteretur. Idcircò ad Dominum Oostervicium Præpotentium D. D. Ordinum in Gallia Legatum Ordinarium, sub finem Januarii, Anni 1639. literæ exaratæ fuerunt, quibus duodecies centena Florenorum, Batavis receptorum, millia à Majestate Galliæ in subsidium petebant.

Literas Auctoritatis, uti etiam earundem initia, utpote benevolentia atque humanitate plena, argumento insuper ac stylo non ita dissimili conscripta, brevitatis ergò silentio præterire, Articulos verò duntaxat commemorare, satius esse duxi.

1. Regia Majestas Galliæ duodecies centena librarum millia Fœderati Belgii Ordinibus Generalibus in Anni unius subsidium concessura est, cujus initium erit à primo die Januarii, Anni hujus millesimi, sexcentesimi, tricesimi & noni, quibus summè dicti Ordines Generales Copias Gallorum aut jam conscriptas, aut postmodum conscribendas, exsoluturi sunt; Eâ lege ac conditione, ut nullis rebus

rebus aliis impendi liceat: quod memorati Ordines fideliter ac constanter se facturos atque observaturos esse promittunt: eo fine, ut Hostibus, ubicunque & quibuscunque modis poterunt, damnum ac detrimentum inferant.

2. Majestas Sua, propter exactiorem nummorum exsolutionem atque ejusce, cujus curæ Ordines receptionem demandabunt, satisfactionem, assignationem optimis formulis conscriptam dari curabit. Supramemoratæ nummorum Summæ exsolutio in tres distribuetur Partes, quater sc. centena librarum millia, primo Tractatus Præsentis confirmationis ac ratihabitionis die, quater itidem centena librarum millia Junio, quater denique centena librarum millia Mense Septembri exsolventur.

3. Ea lege tamen ac conditione, ut summè dicti Ordines Generales promittant ac polliceantur, Se Copias suas confirmatas suppletasque educturos, quo expeditionem aliquam eximiam incipiant, quem ad modum etiam Majestas Sua promittit ac pollicetur Se Copias suas confirmatas suppletasque, ut, quantum in se est, cœptum aliquod magnum in Belgii Provinciis exequantur, educturam esse.

4. De quibus propositis cœptisque inter Celsissimum Arausionensium Principem duntaxat, atque inter eos, quos Majestas Sua iisdem præfectura est, agetur ac decernetur, quoniam omnibus facilè notum est, taciturnitatem præcipuam eorum Partem existere, neque possibile esse, ut eventum prosperum felicemque consequantur, nî à Parte utraque silentium rebus omnibus adhibeatur.

5. Summè dicti Ordines Generales concedunt ac promittunt, Gallorum Præfectorum stipendia à memoratâ nummorum Summâ deducta eo modo atque ordine exsoluta iri, de quo in Tractatu decimo & septimo die Junii, Anno 1630, & decimo quarto die Aprilis, Anno 1634. inito, conventum fuit: Quin insuper etiam illum, quem summè dicti Ordines nummorum Parisiis annumerandorum receptioni præfecturi sunt, stipendiorum Summam ab ultimâ nummorum Parte Parisiis conficere atque annumerare obstrictum obligatumque iri.

6. Majestas Sua Regia, uti etiam Ordines Generales præsentem Tractatum sex septimanarum intervallo, si fieri poterit, confirmabunt.

7. Præsens Tractatus superioribus inter Majestatem Suam Ordinesque Generales sancitis nihil quidquam derogabit, sed vim ac vigorem suum obtinebunt, Eosque Pars utraque constanter ac fideliter observabit.

In plenlorem tertii Articuli Tractatus Parisiis inter Majestatem & Fœderati Belgii Ordines Generales, vicesimo die Martii, Anno 1639. initi explicationem, conventum ac concessum fuit, ut Pars utraque exercitum octodecim aut viginti peditum millium, Equitum quatuor, supra quingentos, aut quinque millium educeret, eoque exercitu primo die Maji, absque ulla mora, Belgium invaderet; Ordinum quinetiam exercitus locum aliquem insignem, ac cujus expugnatione maximum Hostibus damnum inferri poterit, obsideret; idem etiam Majestatis Suæ exercitus ageret. Sin autem Majestas Sua oppidum quoddam in oris Flandriæ maritimis oppugnare decreverit, summè dicti Ordines, durante obsidione sive oppugnatione, Classem aliquam triginta navium bellicarum, quibus obsessi Oppidi aditus omnis conservari possit, proprio ære exsoluturos esse promittunt spondentque, omni exceptione prorsus semotâ.

Postre-

Postremò Majestas Sua verbo Regio pollicetur, se memorati Tractatus Articulos constanter atque inviolabiliter esse observaturam eosque executioni mandaturam. Actum in Fano St. Germani, vicesimo & sexto die Aprilis, Anno 1639.

Mense Februario, Anno 1639. Legato Regis Domino *Estampio* in Galliam revocato, ut itineris sui Vesaliensis rationem redderet, Manipuli Præfectus *Estrades* missus fuit, qui tanquam Nobilis Delegatus cum Celsissimo Arausionensium Principe de Copiarum eductione ageret.

Præpotentium D.D. Ordinum Copiæ ductu atque auspiciis Celsissimi Arausionensium Principis Mense Junio Bergozomio navibus conscensis ad St.Philippi arcem pervenerunt. Comes interim Henricus cum exercitu alio expedito, quo Hostium Copias distraheret, trans Mosam atque in Brabantiæ Partem citeriorem iter suum instituit. Nihil autem eâ æstate commemorabile factum fuit, præterquam quod Hesdinum à Gallis occuparetur. At verò sub Anni illius finem Deus Optimus Maximus adversus Hispanorum Classem, ductu auspiciisq; D. Anthonii d'Oquendo, in Dunis victoriam eximiam benignè concessit.

Anno 1639. de Pace nihil, quod commemorari posset, perceptum fuit: quo tamen ea tantò facilius ac commodius effecta redderetur, sub finem Anni 1639. sequens expeditionis Conceptus inter Cardinalem & Arausionensium Principem propositus fuit.

Ad Propositionem, quam Celsissimus Arausionensium Princeps Domino Estampio mihi exhibendam tradidit, quod sc. Celsitudo Sua, Anno 1640. proximè venturo, Dammum Brugasque simul cum propugnaculis ac munitionibus à flumine ad Blancebergam usque, ipsam quinetiam Civitatem obsidere in animum induxit, si Majestas Sua tantam pecuniæ Summam concederet, quantam ad duodecim peditum millium, & sex insuper Mensium stipendia opus esset, supra tamen Copiarum extra Ordinem, Anno ante Trajectensem obsidionem, conscriptarum exsolutionem.

Eum quandoquidem Regiæ Majestati Suæ Expeditionis conceptum exhibui, Ejusdem Majestatis Regiæ Nomine locoque Celsissimo Arausionensium Principi promitto spondeoque, me decies supra quinquies centena librarum millia quatuor partibus annumeraturum, sive ut annumerentur effecturum, quarum prima Mense Ianuario, proximè venturo, exsolvetur, si nimirum Celsissimus Arausionensium Princeps, se promissa similiter servaturum, promiserit, fidemque dederit se Copiis extra Ordinariis ac præter Ordinarias, quas Ordines singulis Annis educere solent, ad Supradictam Expeditionem conscribendis satisfacturum esse. Vtque tanto plenius & fidelius omnia observentur & conserventur, promitto spondeoque, me dictam nummorum Summam quatuor partibus æqualibus absque ullo Celsissimi Principis sumptu Collybistis debito in Civitate Amstelodamensium annumeraturum, Ejusque Partem primam Mense Ianuario, ac deinceps tertio Mense exsoluturum esse.

Quinetiam promitto spondeoque, Marescallum Dominum de Melleray Regias Copias primo die Maji educturum, sin minus, aut si diutius expectatum fuerit, promissorum inter Celsissimum Arausionensium Principem & Me Regiæ Majestatis Suæ Ordinumque loco sancitorum violatorem & transgressorem habitum iri, Eumque Copiarum Hostium in varias partes distractionem effecturum, sive cum Hostibus cum omni exercitu conflicturum esse: Insuper etiam, si prælio superatus victusque fuerit, nihilominus tamen Majestatem Suam ingentem exercitum in Hostium agris retenturam. Actum Ruelii, vicesimo & quarto die Novemb. Anno 1639.

Promit-

Promitto spondeóque Domino Cardinali Richelio, sub eorum, quæ superioribus promissa fuerunt, præstatione, Me curaturum atque effecturum esse, ut Copiæ in Ejusdem promissis memoratæ, præter eas, quas D. D. Ordines Generales sub signis plerumque habere solent, conscribantur, quibus tantum exercitum comparare possim, ut Dammum, Brugas ac Munitiones, quas Hostes Slusam inter & Blancebergam milite præsidiario tenent, quin ipsam etiam Blancebergam simul oppugnare queam; Me insuper Propositioni supramemoratæ ac meo Nomine & titulo per Dominum de Estrades *exhibitæ omni ex parte satisfacturum esse: Cui Me Ipsum fide, quæ est optima Principis, obstringo devincioque, sic ut causam nullam habeam, non præstandi ea quibus hisce scriptis obstrictus devinctusque teneor; nisi ipsa propositi cœptique executione, sive cum Hostibus, qui expeditioni dictæ occursuri sunt, conflictione. Quinetiam polliceor, Me primo die Maji universum exercitum educturum esse; aut alioquin promissorum inter Dominum Cardinalem & Me Nomine locoque Regiæ Majestatis Ordinumque Generalium sancitorum, violatorem & transgressorem habitum iri.*

Hujus autem Tractatus, Anno 1640. confirmati, effectus nullus fuit.

Fœderati Belgii Provinciis Hispanico bello implicitis, Rex Daniæ otiosus atque ab omni bello vacuus earundem Incolarum Subditorumq; Commercia ac Navigationes liberas incommodis molestiisque afficere instituit: primo enim vectigalia atque onera tot ac tanta, quanta exsolvi vix poterant, Ostio Baltico imperavit; 2. præsertim quæ Sali petroso imperavit; 3. Provinciarum Unitarum Subditis balenarum captionem prope Spitsbergam interdixit. 4. Commercia itidem & Navigationes quas Colam in Lapponia instituere consueverant, prohibuit: naves, bona, ac merces nummosque destituit: 5. Nautarum, qui aliquid mercium prohibitarum, sive quidquam Salis petrosi, ipso inscio, portabant, diripuit. Quapropter etiam Præpotentes Ordines, ut tantis incommodis occurrerent, in Sueciam Deputatos suos miserunt, & sequentem Tractatum concluserunt.

SErenissimæ ac Potentissimæ Principis & Dominæ, Dominæ Christinæ, Dei Gratiâ Suecorum, Gothorum, Vandalorumque designatæ Reginæ ac Principis hæreditariæ, Magnæ Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, Ingriæque Dominæ, &c. Dominæ Nostræ Clementissimæ, Regnique Sueciæ Senatores ad hanc Tractationem specialiter Deputati Axelius Oxenstirna Regni Cancellarius & Iudex Provincionalis Occidentalium Norlandiarum Lapponiæque, Liber Baro in Kimitho, Dominus Fiholmiæ & Tidoeniæ, Eques Auratus; Iohannes Skittaus Supremi per Regnum Gothiæ Iudicii Præses, & Iudex Provincialis Finlandiæ Septentrionalis, Liber Baro in Duderhof, Dominus in Gronsoo, Stromsrum, & Skitteholm, Eques Auratus; Claudius Flemingius Admirallus, Supremus Castellanus Holmiensis & Iudex Provincialis Finlandiæ meridionalis, Hæreditarius in Hornas & VVilnas, Iohannes Oxenstirna Collegii Cancellariæ Consiliarius, Liber Baro in Kimitho, Dominus in Horningsholm & Tulgarn, Nec non Fœderati Belgii Præpotentium Dominorum, D. Ordinum Generalium pro tempore in Sueciam Legati, ibidemque ad hanc Tractationem plenissimâ Auctoritate ac potestate muniti, Gulielmus Boreelius, Dunbequæ & VVesthoviæ Dominus, Ambagti Dominus in Domborg, Consiliarius Syndicus Civitatis Amstelodamensium, Albertus Sonckius, Eques Auratus, Ex-Consul & Prætor Primarius Vrbis & Territorii Hornensis, Nomine locoque Provinciæ Hollandiæ & VVest-Frisiæ in Concilio Ordinum Generalium Vnitarum Belgii

Provinciarum Deputatus, Epeus ab Ailva in Iellum, Grietmannus in Baarderadeel Frisiorum, Omnibus & singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, Constare volumus, quod cum ante sex & viginti circiter Annos, inter Serenissimum ac Potentissimum Principem & Dominum, Dominum Gustavum Adolphum II. Magnum Suecorum, Gothorum & & Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Esthoniæ, &c. gloriosissimæ memoriæ, ab Unâ, & Præpot. Dominos, Dominos Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales ab Altera parte, gravibus de causis, imprimis autem pro libertate ac securitate Navigationis & Commerciorum per mare Balticum & Septentrionale, ac mutuam utriusque Status salute atque incolumitate, Fœdus quoddam sancitum fuerit, idque jam ante Annos aliquot expirârit, eum vero, qui ab utraque Parte intendebatur, effectum habuerit; Nunc posteaquam moderna Regia Majestas Sueciæ, nec non Præpot. D.D. Ordines Gen. in animum sibi revocarunt, quantum utriusque Partis Statibus periculi impendeat, & perturbationis ac violentiæ libertati Navigationis & Commerciorum in utroq; mari intentetur atque instituatur, quo tantis malis tempestivè occurrerent, ac remedia quæ ejusmodi rei quantopere inservire possunt, adhiberent, in rem fore utrique Parti visum fuit, pristini Fœderis Articulos renovare, idque præsentiarum accommodatis & compositis legibus illustrare.

Nos itaque vi literarum Auctoritatis tam à Sacra Majestate Regiâ Sueciæ, quam Fœderati Belgii Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus acceptarum congressi, consilia mutua contulimus, priora pacta recognovimus, ea accepimus atque in sequentes Articulos utrinque convenimus.

1. Fœdus mutuum erit inter Reginam Regnumque Sueciæ ab Unâ, & Præpotentes Dominos, Dominos Ordines Generales Provinciasque Belgii Fœderatas ab alterâ Parte, pro asserenda securitate & libertate Navigationis & Commerciorum in utroque mari Baltico & Septentrionali ad angustias usque Maris Anglo-Gallici sive Canalem exclusivè extendendo, ad defensionem suorum Regnorum, Provinciarum & Subditorum ex utrâque Parte & pro conservandis Dominiis, Privilegiis, libertate, securitate, Pactis & receptis consuetudinibus tam Terrâ quam Mari.

Quod si comperiatur *libertati Commerciorum ac Navigationis in Mari Baltico & Septentrionali aliquid impedimenti, remoræ aut oneris molestiæque supra consuetum morem hactenus injectum,* aut durante Fœdere contingat, vel supramemoratam Sacram Regiam Majestatem Regnumque Sueciæ ac ejusdem subjectas Provincias subditosque, vel Præpotentes D. D. Ordines Generales Fœderati Belgii eorumve Subditos in libero usu Commerciorum ac Navigationis, in dicto Mari Baltico & Septentrionali, *contra Ius Gentium, receptam consuetudinem & obtenta Privilegia* turbari atque supra modum onerari & aggravari; vim & injuriam passus cum altero Fœderatorum communicabit; ac primo quidem uterque Fœderatorum ad hoc inprimis operam dabit, quo consilio operâque mutua is, qui libertatem Navigationis ac Commerciorum turbavit ac oneravit, optimâ gratiâ persuadeatur, ut Navigationem ac Commercia pristinæ libertati atque securitati restituere velit; ne rem ad arma venire necesse sit; quod si verò tanta lædentem ceperit obstinatio, ut nullis rationibus æquis justisque se induci patiatur, ideoque ea perturbatio sine Navigationis ac Commerciorum interitu aut magno detrimento tolerari nequeat; Eapropter convenit inter Sacram Regiam Majestatem atque inter Regnum

gnum Sueciæ, & Præpotentes Ordines Gener. ut vindicare libertatem Commerciorum ac Navigationis in Mari Baltico & Septentrionali debeant Viribus omnibus, quas tutò possint terra mariq; contrahere, prout super eo & de modo rei gerendæ inter ipsos convenerit, nec prius desistere cœpto, quam læsæ Parti fuerit satisfactum & supra dicta Commerciorum ac Navigationis libertas in dictis maribus in pristinum locum, ex præscripto Juris Gentium, Pactorum & receptarum consuetudinum fuerit restituta.

3. At si in præsens cum bona gratia res fuerit opera atque interventu seu Fœderatorum seu aliorum transacta, is vero qui offendit, odio in alterum Fœderatorum concepto, aut Sacram Regiam Majestatem Regnumque Sueciæ, vel ei subditas Provincias atque Subditos, aut Præpotentes D. D. Ordines Generales, eisque subjectas Provincias & Subditos, postmodum quacunque alia de causa aut prætextu bello adoriatur; Sacra Regia Majestas ac Præpotentes D.D. Ordines Generales non minus tenebuntur, admoniti primo se interponere, ac bellum prævenire. Quod si verò Partis adversæ pertinaciâ id amoveri nequeat; Sacra Regia Majestas Regnumque Sueciæ Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus terra marique auxilio & subsidio venient, & vice versa, Præpot. D. D. Ordines Generales & Fœderati Belgii Provinciarum Sacram Regiam Majestatem Regnumque Sueciæ terra marique viribus eis, eoque modo, juvabunt, ut superiori Articulo dictum fuit, adversus illum qui libertatem Navigationis & Commerciorum turbaverit, cœptoque insistent, donec læso Fœderato satisfactum fuerit.

4. Quod si contingat, ut vel Sacra Regia Majestas ac Regnum Sueciæ, vel Præpotentes D. D. Ordines Generales Fœderati Belgii nunc futurisve temporibus aliis de causis *bello involverentur*, *cum aliis Regibus*, Principibus, Rebuspub. aut potestatibus, unde rationibus optimis emergi non poterit, tenebitur quisque Fœderatorum *Fœderato suo armis succurrere*, modo ut specialius convenit, aut in posterum conveniri poterit. Ea lege tamen, ne se ulterius, aut alia ratione, quam submittendis subsidiis ex præscripto pactorum Fœderati sui privatis litibus immiscere, neve cultam hactenus amicitiam, atque Commerciorum usum cum Fœderati hoste interrumpere necesse sit.

5. Uterque Fœderatorum mutuum alterius commodum Salutem atque incolumitatem, quantum fieri poterit & necessitas requisiverit, promovebit; alter alterum de imminentibus ei periculis, & hostium machinationibus admonebit, & quantum fieri poterit, malum omne prævertere & amoliri conabitur.

6. Interest autem & Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ ab una, & Præpotentium D. D. Ordinum ab altera parte, ne hosti alterutrius quicquam aut emolumenti aut virium quocunque tandem modo accedat; Idcirco neuter Fœderatorum alterius hostem, qui nunc est in præsens hostis, aut deinceps existere poterit, consilio, ope, pecuniâ, commeatu, *Milite*, *navibus*, *nautis*, *armis*, *pulvere pyrio*, *aut munitionibus ullisve rebus bellicis adjuvabit*.

7. Quanquam verò neutri Fœderatorum licitum sit hostem sui Fœderati dictis priori Articulo rebus juvare, id tamen hoc modo interpretandum venit, ut *Navigatio atque usus Commerciorum cum hoste liber sit* cujusque Fœderati *Subditis*, qui alia

alia de causa quam ob hoc Fœdus bello cum Fœderatorum alterutro fuerit immixtus, ut salvo hoc Fœdere, Subditis ejus, cui bellum non est, libere liceat navigare & commercia sua quæcunque exercere cum subditis Hostium dicti Fœderati; Hoc tamen excepto & reservato, ut si quis vel urbem vel munimentum quodcunque aliud seu justa obsidione aggredi, seu obsidere cupiat, eo consilio, quo in potestatem suam redigere possit; alter Fœderatorum tamdiu Navigationibus in ea loca, atque Commerciorum usu abstinebit, eumque Subditis suis interdicet, donec illa urbs vel munimentum vi aut Pactis occupatum, vel occupatione desperata, obsidio sive oppugnatio soluta fuerit.

8. Liberum erit Universo hujus Fœderis tempore Sacræ Regiæ Majestati Sueciæ in Provinciis Dominorum Ordinum Generalium Fœderati Belgii, & vicissim Præpotentibus Dominis, D. Ordinibus Generalibus in Regnis & Provinciis Sacræ Regiæ Majestatis conscribere, colligere, & in naves imponere, milites, nautas, itemque naves emere vel conducere, pulverem pyrium, arma omnis generis & cætera quæcunque ad bellum necessaria sunt comparare & exportare. Licitum quinetiam utrisque Fœderatis & eorum Subditis erit, in Portus alterius naves suas subducere, ibi hybernare, morari, illorumque immunitatibus ac Privilegiis frui, & quæ ab Hostibus suis interceperunt in iis absque ullo impedimento ex more & lege loci vendere: Quæ omnia Hostibus, qui vel nunc tales sunt, vel inposterum tales futuri, prohibebuntur.

9. Præsens Fœdus inter Sacram Regiam Majestatem & Præpotentes Dominos, D. Ordines initum & renovatum Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ Præeminentiæ, Regalibus, Juribus, & Dominio Maris Baltici nequicquam derogabit, sed illa omnia Sacra Regia Majestas Regnumque Sueciæ cum omnibus, quæ inde dependent, sicuti nunc ita inposterum integra retinebit, iisque liberè & sine contradictione fruetur. Eodem modo præsens Fœdus non derogabit Præpotent. Dominorum Ordinum Generalium Juribus, libertatibus & consuetudinibus, sed iis omnibus, sicuti jam nunc ita inposterum liberè & sine impedimento fruentur; quæ quidem omnium horum fruitio utrinque intelligi debet, salvo præsente hoc Fœdere.

10. Subditi Præpotentium D. Dominorum Ordinum Generalium in Regnis ac Provinciis Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ fruentur omnibus illis Privilegiis, Tractatibus & stipulationibus, quæ in eis pro immunitate à Vectigalibus, impositionibus, atque oneribus illorum locorum, à prædecessoribus ejus Majestatis collata sunt, pariter ac illis, quæ Sacra Regia Majestas inposterum largiri poterit. Et vice versa, Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ Subditi fruentur in Unitis Belgii Provinciis omnibus illis Privilegiis, Tractatibus & stipulationibus quæ in eos, pro immunitate à Vectigalibus, impositionibus, atque oneribus illorum locorum antiquitus collata sunt, pariter ac illis quæ inposterum à Præpotentibus D.D. Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii in ipsos conferri poterunt.

11. Ut autem rectius intelligatur quousque se extendat Subditorum utriusque Partis Fœderatorum libertas commorandi in Regnis ac Provinciis eorundem; Ideir-

Idcirco convenit utrinque, ut liceat Subditis unius commercari in Regnis ac Provinciis alterius Fœderati: Ita tamen, ut id fiat ex præscripto Statutorum loci in quo commercia exercentur: quod si quispiam Subditus aut Civis Fœderati Belgii in Regnis aut Provinciis Sacræ Regiæ Majestatis quæ Jure suo utuntur, sine certo intra Regnum & dictas Provincias hærede moriatur, tenebitur Magistratus illius loci relictas merces, pecuniam, debita atque libros rationum cum scriptis & documentis relata in certum Indicem sub manu & sigillo Notarii Publici & testium asservare, atque illico obitum hominis literis suis binis significare, Magistratui Urbis illius, in qua defunctus domicilium aut Civis Jus habuit, ut per ipsum Magistratum indicetur legitimo hæredi, quo intra Annum & noctem hæreditatem in Regno Sueciæ dictisque ejus Provinciis relictam repetat, facto initio numerandi à die scientiæ sive notitiæ mortis, Magistratui istius Urbis per literas indicatæ; quod si venerit intra præscriptum tempus, licitum erit ei, postquam se legitimum hæredem indubitatis documentis probavit, adire & repetere hæreditatem; Ita tamen, ut si Civis Subditusque Sacræ Regiæ Majestatis extiterit, qui mortuus est, hæres Jus Statutarium (modo non excedat trientem hæreditatis) persolvat Civitati illi in qua alter moriebatur; antequam bona illa hæreditaria Urbe aut Regno evexerit, aut in Regno vendiderit, omnibus aliis Caduci Juribus quæ ex tali hæreditate Sacræ Regiæ Majestati aut Regno Sueciæ competere, seu quibus adaugeri solebat, deinceps, aut inposterum remissis & cessantibus; Quod si vero Institor tantum fuerit, qui alterius Civis subditique Dominorum Ordinum bona in se receperat vendenda, tenebitur similiter Magistratus illius loci, in quo is mortuus fuerit, obitum Institoris hujus binis significare literis Magistratui illius Urbis, in qua is habitat, cujus bona ea esse, aut Institor manifestaverit, aut alias ex relictis Codicillis aliisve documentis certis constiterit, quo indicetur legitimo possessori, ut bona sua repetitum veniat; si venerit & sufficienter probarit, relictorum bonorum se possessorem esse, liberum ipsi erit repetere ac corradere bona sua integra, eaque omnia sine comminutione aliqua divendere aut exportare. Eâdem humanitate tractabuntur Subditi Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ in Fœderati Belgii Provinciis, eodémque jure & libertate utentur atque fruentur dicti Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ Subditi in supradictis Fœderati Belgii Provinciis, tam ratione hæreditatum, quæ iisdem tali loco obtingere possunt, quam ratione mercium ac bonorum Institori concreditorum; ac tenebitur Magistratus cujusque loci, ubi possessorem aut Institorem mors præoccupaverit, obitum hominis binis literis perscribere ad Magistratum ejus loci, in quo hæres commoratur, aut qui suo Institori crediderit, ut sua ab Institore relicta sine defalcatione recuperare, hæreditatemque sine impedimento ex præscripto juris aut statuto loci adire queat, Insuperque Magistratus omnem operam atque auxilium petenti exhibere tenebitur.

12. Requirit autem tum Justitia ipsa, tum necessitudo mutua atque emolumentum utriusque Partis Fœderatæ, ut altera alterius Subditos Civesque juvet, ac promoveat in omnibus quæ commodum illorum spectant; Idcirco Præpotentes D. D. Ordines Generales Fœderati Belgii Subditis ac Civibus Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ Justitiam imploratam absque mora in Provinciis unitis

administrari curabunt. Et vice versa, Sacra Regia Majestas Subditis ac Civibus Dominorum Ordinum Generalium Justitiam absque mora administrari curabit in Regnis ac Provinciis ejus Majestati subjectis, eaque quam citissimè sine dilatione aut longis ambagibus sedulò præstabitur.

13. Cumque præcipuus hujus Fœderis scopus sit, ut Fœderatorum Negotiationes & Commercia eorumque Regna, Provinciæ & Subditi conserventur & hostili aggressioni resistatur, Idcirco hoc ipsum Fœdus nihil quidquam derogabit Fœderi, quod Sacræ Regiæ Majestati intercedit cum Rege Galliarum aut Principibus Germaniæ: Neque etiam derogabit Fœderibus, quæ Præpot. D. D. Ordinibus Generalibus cum Regibus Galliæ & Magnæ Britanniæ, nec non Republica Veneta intercedunt; multo minus tollet aut diminuet amicitiam aut pacta conventa, cum dictis aliisque Regibus, Principibus, Rebuspub. & Civitatibus, quin potius firmabit & roborabit dictam amicitiam & pacta, salvo nihilominus per omnia hoc Fœdere.

14. Quod si vel Sacra Regia Majestas Sueciæ vel Præpotentes D. D. Ordines Generales bellum suscipere coacti fuerint, in quo alter alteri vi hujus Fœderis suppetias laturus est, neutri liberum erit, sine scitu ac consensu alterius, cum hoste pacisci aut Inducias inire.

15. Sacra Regia Majestas Ordinarium Legatum aut Residentem suum apud Præpotent. D. D. Ordines Gener. habebit Hagæ vel alibi, prout Majestati visum fuerit; similiter quoque Præpotentes D. D. Ordines Gener. suum Stockholmiæ aut alibi in Aulâ Regiæ Majestatis prout ei visum fuerit, vel rerum conditio & temporum ratio exegerit, commorantem habebunt.

16. Fœdus quinetiam Præsens per quindecim Annorum spatium durabit; quibus elapsis, erit penes utrosque Fœderatos & in liberâ cujusque voluntate illi renunciare vel idem continuare.

17. Quod si alii quoque Reges aut Principes liberæque Urbes Imperiales atque Hanseaticæ hoc Fœdere se includi velint, id ipsis liberum erit, iisque conditionibus, quæ Fœderi & utrique Fœderatorum Parti satisfaciunt, admittentur.

18. Pacta hæc concludentur cum liberâ approbatione & solenni ratihabitione Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ ac Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii; atque intra sex Mensium spatium reddentur; Ratificata verò bonâ fide observabuntur ac conservabuntur.

19. In quorum omnium supradictorum Articulorum certitudinem ac testimonium conscripta sunt bina hujus Tractatus & Fœderis ejusdem tenoris exemplaria; quæ utrinque nos supra nominati propriis manibus subscripsimus & sigillorum Nostrorum impressione atque appensione munivimus. Actum Stockholmiæ, primo die Septembris, stylo Regni, Anno millesimo sexcentesimo & quadragesimo.

Postquam Nomine ac Mandato Serenissimæ & Potentissimæ Principis ac Dominæ, Dominæ Christinæ Dei Gratiâ Suecorum, Gothorum Vandalorumque Reginæ & Principis hæreditariæ, Magnæ Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ Dominæ, &c. ab unâ, & Nomine ac Mandato Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii ab al-

ab alterâ Parte, pro afferendâ libertate, Navigationis ac Commerciorum in Mari Baltico & Septentrionali *& præstanda utriusque Partis Regnorum, Provinciarum, atque Subditorum securitate, mutuum Fœdus contractum ac renovatum fuit, prout illud liquet ex Instrumentis solenniter conscriptis à Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ Senatoribus, ad Negotium illud specialiter Deputatis, Illustribus, Magnificis ac Generosis, Domino* Axelio Oxenstiernâ, *Regni Sueciæ Cancellario, ac Iudice Provinciali Occidentalium Norlandiarum Lapponiaque, Libero Barone in Kymitho, Domino in Fyholm & Tidoen, Equite Aurato; Domino* Johanne Skyttæo, *Supremi per Regnum Gothiæ Iudicii Præside & Iudice Provinciali Finlandiæ Septentrionalis, & Libero Barone in Duderhof, Domino in Gronsoo, Stromsrom & Skitteholm, Equite Aurato; Domino* Claudio Flemmingio, *Admirallo, Supremo Castellano Stockholmiensi & Iudice Provinciali Finlandiæ meridionalis, hæreditario in Mornas & VVilnas; Domino* Johanne Oxenstiernâ, *Collegii Cancellariæ Consiliario, Libero Barone in Kymitho, Domino in Horningsholm & Tulgarn; Nec non Fœderati Belgii Præpotentium D. D. Ordinum Generalium pro tempore in Sueciam Legatis, itidemque ad hoc Negotium plenissima potestate ac Mandatis instructis, Illustribus, Magnificis ac Generosis, Domino* Guilielmo Boreelio, *Duynbequiæ ac VVesthoviæ Domino, Ambagti Domino in Domburgh, Consiliario & Syndico Civitatis Amstelodamensium; Domino* Alberto Zonckio, *Equite Aurato, Ex-Consule, & Prætore Vrbis & territorii Hornani, Nomine Provinciæ Hollandiæ & VVest-Frisiæ in Consilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputato; Domino* Epæo ab Ailva *in Iellum, Grietmanno in Barderadeel Frisiorum; In cujus Fœderis Articulo secundo, quem ad modum utrinque convenit, ut operâ utriusque Fœderatorum mutuâ, is, qui libertatem Navigationis Fœderatorum turbavit ac oneravit*, amicâ ratione persuaderetur, *quo Navigationem & Commercia pristinæ libertati & immunitati restitueret, aut, si rejecerit amicam transactionem, vindicare libertatem Commerciorum ac Navigationis in dictis Maribus viribus omnibus terrâ marique tenerentur, donec iste Fœderis scopus obtentus fuerit, prout super iis viribus & de modo rei gerendæ inter Fœderatos convenerit; Eum ad modum quoque in Articulo tertio promissum est, quod si transactâ hac lite dictâ, contingat ut altera Fœderatorum Pars ab eo, qui ante offendit, postmodum quacunque alia de causa aut prætextu* bello impetatur, *alteram Fœderatorum, optima atque amicissima intercessione, cum conservatione Iurium sui Fœderati bellum prævenire obstrictam obligatamque teneri; Si verò id amoveri ea ratione nequeat, altera alteri terra marique adversus eum hostem viribus omnibus succurrere debebit, donec læsæ Fœderatorum Parti satisfactum fuerit, prout de auxilio atque modo rei gerendæ mutuò conveniri poterit. In Articulo autem quarto conventum utrinque est, si contingat ut alterutra Fœderatorum pars* aliis de causis bello, *cum aliis Regibus, Principibus, Rebuspub. aut potestatibus involveretur, cujus explicandi atque expediendi nullum remedium inveniretur, quaque Fœderatorum Pars* teneretur Parti Fœderatæ sibi armis succurrere, *modo, prout specialius convenit aut convenire poterit, iis tamen, quæ in prædicto Articulo exprimuntur, salvis. Idcircò ut huic Conventioni præfato Articulo quarto generaliter comprehensæ re ipsa satisfiat, inter prænominatos Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ Deputatos, & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii Legatos vi literarum potestatis & Mandatorum, ad ratihabitionem ipsorum principalium* porro transactum, promissum ac conclusum est hoc modo, quo sequitur.

1. Sacræ Regiæ Majestati Sueciæ tempore belli Articulo quarto prioris Tra-

ctatus

ctatus summemorati Domini, D. Ordines Fœderati Belgii Gener. præstabunt *quatuor millia militum*, quos Præpotentes Domini Ordines, ad inserviendum Majestati Suæ propriis sumptibus toto Fœderis tempore, aut quamdiu Sacra Regia Majestas hoc auxilio opus habebit, exsoluturi sunt.

2. Eum ad modum quoque Præpotentes Domini, D. Ordines Generales belli tempore pari auxilio, *quatuor sc. millium militum*, quibus Majestatis Suæ sumptibus satisfiet, durante hoc Fœdere aut quamdiu Præpotentes D. D. Ordines Gener. iisdem opus habituri sunt, fruentur.

3. Intelligenda verò est hæc auxilii sive subsidii præstatio ad hunc modum, ut penes utramque Fœderatorum Partem *optio sit capiendi aut totum illum numerum aut Partem dictorum militum*, utpote duobus vel tribus millibus, atque alteram Partem pecuniæ, munitionis, sive rerum ad bellum necessariarum, navium & eorum, quæ exornationi earundem inserviunt, aliarumve rerum pro temporis necessitate, & beneplacitis cujusque, hac inita æstimatione, ut pro *mille militum auxilio solvantur, quolibet Mense, quatuor millia Imperialium*.

4. His tamen conditio per expressum annexa est, ut si contingat ut Sacra Regia Majestas aut Præpotentes Domini, D. Ordines Generales, juxta tenorem Fœderum antehac cum aliis Regibus, Principibus, Rebuspub. aliisve Fœderatis factorum, illis Fœderatis auxilio venirent, sive ad auxilium ferendum sollicitarentur, antequam de auxilio ex præscripto hujus Fœderis requirantur, Eo casu Pars utraque officio satisfecisse judicabitur, si dimidium subsidii quatuor millium militum numerum aut ad dictum in priori Articulo modum æquivalens præstiterit.

5. Cum altera Fœderatorum Pars requisita fuerit ad præstandum auxilium, sufficiens ipsi temporis spatium, illud præparandi dabitur, trium videlicet Mensium ab insinuatione requisitionis numerando, quibus præteritis auxilium promptè & sine omni morâ submittetur.

6. Quod si contingat, ut Sacra Regia Majestas aut Præpotentes D. D. Ordines Generales in propriis Regnis ac Provinciis hostiliter infestarentur, Ita ut Sacra Regia Majestas & Præpotentes D. D. Ordin. Gener. infestationem illam pro vero bello habeant, cui avertendo res opesque illius Partis Fœderatæ, quæ tali bello impetitur, dicta auxilia vel tota, vel partem eorum præstare non permittant, Pars illa quæ taliter infestabitur, non modo non obligabitur durante illâ invasione promissa auxilia præstare; verum etiam, si quæ missa sunt, post significationem tribus Mensibus ante factam, poterit revocare.

In quorum omnium testimonium ac certitudinem, bina ejusdem tenoris exemplaria conscripta, & Nomine Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ per Ejusdem Deputatos, & Nomine Præpotentium D. D. Ordin. Gen. Fœderati Belgii per eorundem Legatos subsignata atque sigillorum eorum impreßione & appensione confirmata sunt Stockholmiæ primo die Septembris, stylo Regni, Anno millesimo sexcentesimo & quadragesimo.

Hæc autem Regiæ Majestatis ratihabitio per Regni Sueciæ Senatores atq; Administratores Anno 1641. decimo die Maji, Stockholmiæ subsignata; nec non Præpotentium D. D. Ordin. Gener. ratihabitio subsignata inserta, atque eodem tempore invicem commutata fuit.

Ipso Novembris initio, Anno 1640. Legatus Dominus *Tuillerius* Hagam-Com. pervenit, è cujus Legatione quandoquidem Memoriale sequens in lucem prodiit, ad propositum quam maximè pertinere existimavi, si superioribus adjunxero, præsertim quum illud præcipuam Pacis Tractationis Partem concernat, ac, ne sejunctim sed conjunctim eadem instituatur, plurimum inserviat.

Exemplum Memorialis, quod Domino *Tuillerio*, Regis Galliarum in Concilio Ordinum Consiliario, Legati qualitate in Hollandiam, Anno 1640. discedenti datum fuit.

Supramemoratus Dominus Tuillerius, *quamprimum poterit, Hagam-Com. discedet, indeque ad Celsissimi Arausionensium Principis castra iter instituet.*

Tenendum verò hoc ipsi est, præcipuum itineris sui finem ac scopum esse, ut Inducias, atque omnem prorsus earum causâ institutam Tractationem impediat.

Sed verò neutiquam indicabit, Nos nonnihil subvereri, ne Ordines Generales atque insuper Celsissimus Arausionensium Princeps ejusmodi Consilium tam initis Tractatibus, tam honori ac dignitati, tam suis denique commodis adversum capere possint. Quod si verò Ordines Generales ejusmodi Tractationem occipere atque moliri persentisceret, jam tum, ut decuerit, mandata sua proponet.

Huic itineri prætextum talem adhibebit, quod Majestas Sua Fœderati Belgii Ordines Legato Ordinario diutius destitutos esse noluerit, quodque Legatum mittendo commodâ hac occasione uti voluerit, Eosdem consolandi super hujus Aestatis infelici minusque prospero Copiarum suarum exitu, non autem infectam eorum, quæ Majestati Suæ fuerant promissa, præstationem dolendi, quandoquidem Majestati Suæ dubium nullum esset, quin Celsissimus Arausionensium Princeps, quo felicem Rerum suarum exitum consequeretur, omnes nervos suos intenderit.

Supradictus Dominus Tuillerius *cum D.D. Ordinibus Gener. tum Arausionensium Principi, certum Consilium ac Propositum, quod Majestas Sua de bello strenuè continuando ceperit, communicabit, donec & sua & Fœderatorum atque Amicorum suorum arma Hostes ad pacem firmam, perpetuam fidamque offerendam, in qua Fœderati, Socii, atque Amici omnes acquiescere possint, adegerint.*

Quod si ad hanc propositionem Arausionensium Princeps Ordinesque Generales, auxilio atque nummorum subsidio, quo bellum strenuè fortiterque conficiant, sibi opus esse dixerint, Dominus Tuillerius *se neutiquam dubitare respondebit, quin Majestas Sua omni tempore locoque pristinam voluntatem ac benevolentiam erga Ordines Generales, quibuscunque rebus poterit, comprobatura sit; quin etiam, quandoquidem Annis singulis, ut bellum, quod plurimis in locis tam intra quam extra Regna gerit, fortiter viriliterque finiret, minus æquum justumque videatur, ut hoc tempore ærario suo magis quam alio parceret, imprimis autem propter D. D. Ordines Generales, qui perquam necessarium esse duxerunt, ut Majestas Sua cum Hostibus dissolutionem firmiter decerneret: Cujus causa etiam Fœdere Anno 1635. inito, Eosdem obstringi, atque obligari ad bellum propriis sumptibus, absque ullo nummorum subsidio, gerendum. Præter hæc autem supradictus Dominus* Tuillerius *pluribus demonstrabit, sicuti est verissimum, quod, postquam dissolutio cum Hostibus Anno 1635. facta fuit, nullum pecuniæ subsidium fuerit concessum, nisi ut Extraordinarias expeditiones quasdam majo-*

majores, quam vires opesque eorum permittunt, & tamen præstare tenentur, effectas redderent.

Quibus auditis, Dominus Tuillerius *respondebit, se ea, quæ narravit, è Rerum cognitione, quam habet, percepisse, non autem ex mandato aliquo, ut de rebus hoc modo judicaret, accepisse; eo quod neque Majestas Sua neque Ejusdem Ministri talia quæsita iri præviderint, contra verò neutiquam rogata iri existimarint; propterea quod Præpotentes D. D. Ordines Generales officium suum Tractatu promissum præstare decreverant, bellum pro viribus continuare cupientes potius quam ejusmodi expeditiones instituere, quæ propter suarum magnitudinem parum procederent, quod quidem præteritâ æstate ipsis obtigit. Ordinibus interim ad Majestatem Suam literas mittere licere comprobabit, quibus ea, quæ ad publicum commodum pertinere arbitrabuntur, exprimant, sive id legato suo præcipiendo, sive Extraordinarium quendam ad Regem mittendo, obtestans, Eum qui ab Ipsis delegabitur, Majestati Suæ Ejusdemque Ordinibus gratissimum fore.*

Dominus Tuillerius *cognitum perspectumque habet, omnia Celsissimum Arausionensium Principem animo sincero peragere, simul etiam ad id operam dare, quo proximè venturâ æstate ab ejusmodi infortunio caveat, quod præteritâ sibi obvium habuit. Idcircò Dominus* Tuillerius *haud neglecturus est, quin omnia, quibus proposita Celsissimi Principis clam promovere possit, adhibeat conferatque.*

At si Ipsum alia quædam moliri ac conari, suumque animum ad Tractationem clam cum Hostibus ineundam adjicere persentiscat, operam dabit, ut eos, qui in Concilio Ordinum optime & volunt & sentiunt, cognoscat (de quo dubitari nequit, quin plurimæ rationes ac demonstrationes sese oblaturæ sint, quibus facillimè perspici poterit, à Gallis dissolutionem, maximam sui esse perniciem) Eosque, quantum fieri poterit, ad harum rationum perpensionem, quæ publicum ipsorum commodum spectant, adducat.

Tanta interim prudentia atque arte omnia transiget, ne quidquam Celsissimus Arausionensium Princeps falsi suspicionis, è qua mali quid concludere posset, capiat.

Porrò autem summè dictis Ordinibus omnibus, Eorumque singulis recensere poterit, quanta hactenus subsidia atque auxilia à Gallis perceperint, fundamentum ac certitudinem commonstrando quâ Regnum Galliæ Ipsorum commodis devinctum semper fuit, utilitatem & securitatem, si cum Gallis conjuncti, certissimum verò Ipsorum interitum, si ab iis disjuncti ac dissoluti permanserint, *demonstrando.*

Supradicto Domino Tuillerio, *Tractatuum omnium ab Anno 1634. inter Majestatem Regiam Ordinesque Gen. sancitor. exempla tradentur, quibus pernoscere poterit, quantæ utrique Parti devinctiones atque obligationes intercesserint, omnemque operam, studium ac laborem eo conferet atque intendet, quo dicti Tractatus constanter atque inviolabiliter observentur, quem ad modum à Majestate Regia hactenus observata fuere, atque etiamnum observantur.*

Tractatuum omnium novissimus inter Dominum Cardinalem & Celsissimum Arausionensium Principem fuit initus, quo similiter Dominus Tuillerius *cognoscere poterit, Majestatem Suam multò plura præstitisse, quam Celsitudo Sua Regiæ Majestatis Nomine locoque promiserat, Celsissimum verò Arausionensium Principem omnibus fermè promissis defuisse, quibus devinctus obligatusque tenebatur, nihilque aliud, præterquam Brugensium fossarum altitudinem, explorasse, neque propositum, quod primò instituerat, executioni mandasse, neque etiam Hostium Copias expeditionem impedientes, oppugnasse, quod tamen vi Tractatus initi fuerat pollicitus.*

Quod

Quod si Celsissimus Arausionensium Princeps cum Domino Tuillerio *loquatur de quibusdam sermonibus, quos Domino* Estradi *de se in Galliâ habitos narravit, pluribus Celsitudini suæ obtestabitur, relationes duntaxat fuisse, malitiose scelesteque eo fictas quo Celsitudo sua instigaretur; Majestatem vero ac Celsitudinem Suam semper à se ejusmodi suspiciones prorsus semotas habuisse; Eidemque indicabit, Eum nimia rerum omnium notitia præditum, quam ut ignoraret rerum eventus parum felices, rumores semper deteriores ac pejores habere comites, quin Ipsum etiam Regem Ipsosque Regni Ministros Præfectosque ab hoc malo neutiquam immunes existere. Quum tot linguarum millia comprimi nequeant.*

Memorato Domino Legato hoc insuper tenendum erit, Celsissimum Arausionensium Principem animi consilium summopere celare, Eumque ad id operam dare, quo omnes suas cogitationes sibi retineat. Quapropter etiam incumbendum ipsi ut easdem pernoscat, quo scire ac judicare possit, num promissorum securitas Majestatis Nomine Ipsi oblata, in debitum locum Celsitudinem suam restituerit.

Summa familiaritas, quæ Domino Estradi *cum Celsissimo Principe jam à multis annis intercessit, plurimum dicto Legato inservire poterit ad Principis animum mentemque, qualis ipsi fuerit, cognoscendam.*

Domino Legato ad illud etiam animadvertendum venit, Dominum Estradem *antehac à Majestate Sua mandatum accepisse, ut Celsissimum Arausionensium Principem unice rogaret, ne exercitum in Stationibus Vrbium ante Mensem Novembr. locaret; quibus quid Celsissimus Princeps responderit, à Domino* Estrade *percipiet; simul etiam cognoscet, utrum illud denuo rogandum sit nec ne, ut Celsissimus Arausionensium Princeps ad hæc certum quid promittat.*

Illud Majestas Sua Celsissimo Arausionens. Principi Ordinibusque Generalibus ad ea, quæ Majestas sua proposuit, indicatum voluit, Cardinalem sc. Infantem constituisse expeditionem aliquam sub finem æstatis incipere, eumque in finem Copias Comitis de Fonteyne *cum suis, quas in hisce regionibus ducit, conjungere velle; idque facili negotio effectum reddere posse, quod si Celsissimus Princeps Copias suas ante Mensem Novembr. in stationibus urbium locaret. Illud quidem minimum est, quod Majestas Regia, post extraordinaria illa subsidia atque auxilia, quæ à Gallis acceperunt, sperare ab Ordinibus Gen. audet. Idem illud ab Ordinibus Generalibus Dominus* Tuillerius *petiturus est; sed si à Domino* Estrade *intellexerit, Celsissimum Arausionensium Principem jam nunc promisisse, se omnia, quæ Majestas sua voluerit, esse facturum, nihil de ea re cum Ordinibus acturus est.*

Si de rumoribus, tractationem quandam cum Sylvæ-Ducensi Episcopo concernentibus, cum Domino Tuillerio *actum fuerit, respondebit, optimam responsionem, quam ipsemet poterit dare, & gravissimum supplicium, quod Hispani pro tantâ astutiâ ac caliditate sufferre possent, esse Atrebati expugnationem, damnum ac detrimentum, quod Regiis armis in Italia ipsis infertur, denique victoriam quam Dominus Bresæus ab ipsis retulit.*

Interim tamen ipsi dicere licebit, Regem fortassis haud dissimilem Hispanorum calliditatem evitasse, Salvum-Conductum fratri Iohanni ex Ordine S. Augustini, Cardinalis Infantis Confessario, quem in Hispaniam mittere cupiebat, denegando.

Dominus Legatus Tuillerius *iisdem similiter demonstrabit, tantum abesse, ut quidquam suspicionis falsi habere meritò possint, ut nihil excogitari queat, quod Majestas Sua in commodum publicum non conferre velit.*

Eapropter etiam Majestatem suam M. Mazarinum, quo Capitulationi Augustæ Thaurinorum

rum interesset, si Deo Optimo Max. visum fuerit, eam in manus Regis tradere, ac si efficere queat, ut non urbem duntaxat expugnemus, verum etiam ut Princeps Thomaso semetipsum totum adversus Hispanos Regiis armis adjungat.

Dominus Legatus Tuillerius *imprimis ad id operam dabit, ut cum Dominâ Principe Auriacâ familiariter blandeque, quantum poterit, converfetur, nullum tamen submissionis neque humilitatis signum exhibeat.*

Dominus Legatus Tuillerius *huic incumbet, ut Celsissimo Arausionensium Principi voluntatem ac benevolentiam Majestatis suæ erga Celsitudinem suam comprobet, Ejusdemque æstimationem quam omnibus declarat, quæ tanta est, ut ipsamet Celsitudo sua pluribus cognoscere potuerit, quo non obstante temporis incommoditate, qua Celsitudo sua ea quibus Tractatu, Anno proximè elapso cum Majestate Regiâ inito, obstricta ac devincta tenebatur, efficere impedita fuerit, neutiquam tamen deesse voluerit, quin tertiam nummorum partem, secundum memoratum Tractatum, exsolverit. Dominæ quinetiam Principi Cardinalis benevolentiam atque animum erga Eandem singularem demonstrabit.*

Domino Legato insuper hoc tenendum venit, Dominum Cardinalem quartam etiam nummorum partem exsolvere constituisse. Qua in re nihil Ipsi impedimento futurum est, nisi fortassis Celsissimus Arausionensium Princeps rebus Gallicis totum se opponeret, aut Copias suas in Urbium stationibus ante Mensem Octobr. locaret.

Prudentia atque arbitrio Domini Legati relinquetur, ut sedulo animadvertat, ne Celsissimus Arausionens. Princeps Ordinesve Generales suspicionem duntaxat Induciarum falsam præ se ferant, quo à Majestate Sua tantò commodius ac facilius rogatum quæsitumque subsidium impetrare possint. In quo Negotio Dominus Legatus Tuillerius pedetentim procedet, Ipsisque commonstrabit, Majestati Suæ tale quid non timendum esse, quum cognitum ac compertum habeat, tantum Ipsis honoris inesse, ut nihil adversus fidem promissumque acturi sint, Eosque insuper majori animi prudentiâ ac providentiâ præditos, quam ut sese ab Ejusmodi Regno sejungant, quod solum ipsos incolumes conservare ac propugnare possit.

Haud parvi quoque interest, ut Dominus Legatus Celsissimo Arausionens. Principi leviter suggerat, nonnihil de rebus Sedanensibus compertum fuisse, Dominum sc. Bullionium cum Hispanis, ceu hospitibus suis, agentem, eosdem spe maximâ Tractationis cujusdam Induciarum cum Arausionensium Principe Ordinibusque privatæ alere. Quorum tamen omnium Celsitudinem Suam ignaram esse Regem non dubitare, quapropter etiam tantò magis Eam certiorem reddendam esse, quo ea, quæ commodiora videbuntur, agat atque adhibeat.

Memoratus Dominus Legatus Celsissimo Arausionensium Principi atque Ordinibus Generalibus demonstrabit ex præscripto Propositionis, Anno proximè elapso, à Domino Estrade *Nomine locoque Celsissimi Principis hîc habita, optimum certissimumque* hostes in Belgii Provinciis opprimendi ac delendi *remedium in eo situm esse, ut impediatur, ne quidquam ipsis frumenti Dunquercam navibus è Mari advehatur. Cujus Propositionis utilitatem Majestas Sua perpendens, atque imprimis hoc tempore, quo propter expugnationem Atrebatensem, simul etiam propter vastationem prope Atrebatum institutam, fructibus, quos ex optimis suis agris recipere consueverant, penitus destituantur, constituit decrevitque, siquidem Ordines Generales ad id operam dare velint, ne quidquam ad hostes frumenti advehatur, octo decemve minoris generis naves instructas (Belgis* Fregatten*) in Statione Caletensi proprio ære exsolvere.*

Ac quoniam hi novi & ante hunc diem Majestati insueti sumptus existunt, idcirco arbitratur

tur eosdem ab Ordinibus Generalibus novum quoddam voluntatis ac benevolentiæ qua Majestas Sua bonum publicum prosequitur, signum haberi atque æstimari oportere; cujus benevolentiæ ac voluntatis causa numerum Earundem navium, quem ad Dunquercam in Statione habere consueverunt, adaugere cuperet, eosque diligentiores atque attentiores, quam dudum fuerunt, ad navigationem Dunquercensem impediendam, redderet.

Dominus Legatus Ordinibus Generalibus promittet, si illud, quod præcedentibus commemoratum fuit, efficere decreverint, Majestatem Suam Gubernatoribus Præfectisque Caleti & Boloniæ privatim mandaturam esse, quò Ordinibus General. succurrant, Eorumque navibus, eo modo, quo Majestatis Suæ navibus subvenire solent, omnibus viribus succurrant. Cujus tantum in sui commodum specimen aliquod jam jam perceperunt, ut non diffiteantur, impossibile sibi fuisse tantam ab hostibus victoriam, qua Resp. eorum in æternum celebrabitur, navali prælio reportare, nisi Comitis Charrotii auxilio fuissent adjuti.

Hispani Venetorum crebrâ petitione moti, Salvum-Conductum Nomine ac titulo Cardinalis Infantis conscriptum, mitti curarunt, iis omnibus & singulis, quos Ordines Generales ad Tractationem universalem Coloniensem delegabunt; cujus quidem Salvi-Conductus exemplar supradicto Domino Legato tradetur.

Hujusce Salvi-Conductus formula non omni ex parte Ordinibus Generalibus satisfaciunt, præsertim in eo, quod Ejusmodi, quos Ordines Generales ad Coloniensem Tractationem delegarent, iu Salvo-Conductu Legatorum, sive Plenipotentiariorum Deputatorum, sive solâ Deputatorum qualitate non insigniantur.

Quod autem Legatorum qualitatem spectat, significatum ipsis fuit, rem neutiquam esse necessariam; quandoquidem iis, qui à Majestate cæterisque Principibus, Hispaniensis atque Hungariensis Salvi-Conductus beneficio, isthoc nomine non appellentur, eo quod Deputantibus ipsorum competat, quo placuerit modo, suos insignire.

Quod vero ad Plenipotentiariorum Deputatorum titulum attinet, jure meritoque ipsis eâ de causa instare licet, propterea quod Cardinalis Infans similibus Salvis-Conductibus Civitatum Principumque Germaniæ, Regis Fœderatorum Deputatis eandem qualitatem titulumque concesserit.

Nihilominus tamen Ordinibus Generalibus persuadere studuimus, ut Salvum-Conductum Cardinalis Infantis acciperent, neque hunc scrupulum moverent, propterea quod in Salvis-Conductibus, quos Ordines Generales ad Coloniensem Tractationem missuri sunt, eodem planè modo excipiat, cum iis, qui ab Hispaniarum Rege eòdem mittentur. Quæ in re tituli ac qualitatis æqualitatem observabit; quemadmodum supradictus Legatus è Salvorum-Conductuum perlectione satis superque cognoscet. Atque, hæc ut apparet, Ordinibus Generalibus satisfacere debebant.

His illi rationibus non planè abnuerunt; quippe Celsissimus Arausionensium Princeps aliqua ex parte concessit, si videlicet in missione duntaxat Ordinum Deputatorum ad Coloniensem Tractationem scrupulus consisteret, Salvo-Conductu, qualicunque formulâ conscripto, ipsis uti licere. Interim tamen eum se accepturos declarare non poterant, quod aut Legatorum aut Deputatorum Plenipotentariorum qualitatem Salvo-Conductu expressam oportere protestabantur.

Sed de Negotio hoc supra memoratus Legatus Tuillerius nihil acturus est, quoniam consultum non videtur ut sese tali negotio intermisceat, ne summedictis Ordinibus quidquam loci suspicionis detur, quâ cogitare atque existimare possent, Majestatem Regiam se iis oblectare

 velle,

velle, quæ ipsi ad Summi Imperii ac Dignitatis diminutionem pertinere arbitrarentur. Dictus Legatus tamen, quæ supra de Salvo-Conductu commemorata sunt, instruendus erit, deque rationibus, quâ Ordinibus Generalibus satisfacere possent, si fortasis alius denegaretur, qui, ut ad Coloniensem Tractationem admitterentur, necessarius esset. Datum in Fano St. Germani, decimo & septimo die Septembris, Anno 1640. subsignatum erat, Ludovicus, pauloque infra, Bouthillierus.

Anno 1641. Mense Februario, is, qui sequitur, Tractatus cum Gallis initus fuit.

1. MAjestas Sua Regia, hoc vertente Anno 1641. Ordinibus Generalibus duodecies centenis librarum millibus subveniet, quibus extraordinariis aut jam conscriptis aut in posterum conscribendis Copiis satisfacturi sunt; eâ lege tamen ac conditione, ut dictam nummorum Summam nullis rebus aliis impendere liceat: quod memorati Ordines Generales facturos se atque observaturos esse pollicentur, eo fine, quo hostibus quodcunque & quibuscumque modis poterunt, damnum ac detrimentum inferant.

2. Majestas Sua Regia propter exactionem nummorum exsolutionem, atque illius, cujus curæ receptionem nummorum Ordines demandabunt, satisfactionem, assignationem, sive vadimonium, optimis formulis conscriptum dari curabit. Supramemoratæ autem nummorum summæ exsolutio in tres partes distribuetur, quarum prima, quater scilicet centenorum librarum millium primo hujus Tractatus confirmationis ac ratihabitionis die, altera itidem, quater centenorum librarum millium Junio, tertia denique quater centenorum librarum millium, Mense Septembri proximè venturo, exsolvetur.

3. Ea lege tamen ac conditione Majestas Sua dictam nummorum Summam pollicetur, ut summememorati Ordin. Gener. promittant, Se Copias suas confirmatas suppletasque educturos esse, quo expeditionem aliquam eximiam instituant, quemadmodum etiam Majestas Regia se copias suas confirmatas suppletasque eo fine educturam promittit, quo cœptum aliquod magnum in Belgii Provinciis occipere possint.

4. Summedicti Ordines Generales concedunt ac promittunt, Gallorum Præfectorum stipendia, à memorata nummorum Summa deducta, eo modo exsoluta iri, de quo Tractatu decimo & septimo die Junii, Anno 1630. & decimo quarto Aprilis Anno 1634. conflato, conventum fuit. Quin insuper etiam eum, quem à summedictis Ordinibus nummorum Parisiis receptioni præfecturi sunt, stipendiorum Summam, ab ultimâ nummorum à Majestate Regiâ annumerandorum parte, Parisiis conficere atque comparare obstrictum obligatumque iri.

5. Majestas Sua Regia, uti etiam Ordines Generales præsentem Tractatum, sex Septimanarum intervallo ad summum, confirmabunt.

6. Præsens denique Tractatus superioribus inter Majestatem atque Ordines Generales initis confirmatisque nihil quidquam derogabit, utpote qui vim ac vigorem suum obtinebunt, Eosque partes utræque constanter fideliterque observabunt ac conservabunt.

In

In pleniorem tertii articuli superioris Tractatus explicationem, constitutum ac decretum est, Partem utramque exercitum octodecim aut viginti peditum millium, Equitum quatuor, supra quingentos, aut quinque millium educturam, Eoque exercitu primo die Maji, longiori morâ ac dilatione exceptâ, Belgium invasuram esse. Ordinum quinetiam exercitum locum aliquem insignem, Gelriam, Hulstum sive Antverpiam aggressurum. Idem etiam Regium exercitum occepturum esse, sive hostium Provincias invadendo, sive tantam Copiarum hostium distractionem effectam redditurum, ut plurimam suarum Copiarum partem Majestati suæ adversam habere cogantur; quo Celsissimus Arausionens. Princeps eorum, quæ occepturus est, feliciorem eventum consequatur; eâ lege tamen, ut, si Majestatis Suæ Copiæ nihil præterquam simplicem Copiarum hostium distractionem efficere queant, diebus quatuordecim ante Ordinum Generalium Copias educendæ sint. At si constitutum decretumque fuerit, ut utriusque Partis exercitus obsidionem aliquam instituant, uno eodemque die educendus, ac pars alterutra remorans, fidei non præstitæ arcessenda sit.

Summedicti Ord. Gener. promittunt fidemque dant, se curaturos, ut triginta 200, 300, 400. & quingentorum vehium naves debito modo exornatæ atque apparatæ propriis sumptibus octavo die Aprilis Caletum præternavigent, quo hostes Flandriam à parte maritimâ intrare prohibeantur. Ac si Regiæ Majestatis Copiæ oppidum aliquod in oris Flandriæ maritimis aggressæ fuerint, dicta navium triginta Classis in oris Flandriæ permanebit, quamdiu expeditio ejusmodi instituetur; Ipsum quientiam oppidum eo modo oppugnabit, ne quis, aut Hispanorum armis aut aliorum quorumcunque, obsesso oppido sive directè sive indirectè succurrere queat. Summè dicti Ordin. Gen. tali quoque casu commeatum omnem, qui è Gallia terrâ mariq; supportabitur, sufficienti Præsidio ad Regia castra deducturos, sive ut pretio mediocri eodem advehatur curaturos esse promittunt, si ventus, ut è Gallia navibus apportari nequeat, adversus, aut si secundus fuerit, ut è Fœderati Belgii Provinciis ad dicta Majestatis Suæ castra perferri commodiùs possit: quo expeditionem, quam inceperint, exequantur: cui quidem Majestas Regia arma viresque suas nunquam implicuisset, nisi fiduciâ, quam in Ordinibus Generalibus positam habet, Eos sc. præsentis Tractatus Articulos constanter ac fideliter esse observaturos, qui idem quoque promittunt ac pollicentur, aut si contrarium patrarint, ut perfidiæ ac violationis Tractatuum, cum Majestate Sua initorum, arguendi veniant.

In quorum omnium testimonium Nos Commissarii & Legati, vi literarum Nostrarum Auctoritatis, præsentibus solito more subsignavimus annulisque Nostris signatoriis munivimus. Actum Parisiis, decimo & quarto die Februarii, Anno 1641. Signatum erat, *Bouthilierus, & Gulielmus à Lier.*

Quoniam

Quoniam sub finem Anni 1640. Regnum Portugalliæ à Philippo Hispaniarum Rege defecerat, Ducemque Bragancæ Regem suum elegerat, Idcircò Rex ille primis Regni sui auspiciis publicum commodum Fœderati Belgii Ordinibus adversus communem hostem offerri, ac sequentem Tractatum cum iisdem iniri mandavit.

EXperientia pluribus commonstravit D. Philippum II. Castiliensem Regem vi armisque belli Regnum Portugalliæ hactenus occupasse, eoque Serenissimum & Potentissimum Regem D. Johannem (antehac Bragancæ Comitem) jure suo justissimo,& de quo nemo dubitat,in Regno Portugalliæ ceu legitimum & proximum Dominæ Catharinæ hæredem succedendi, quâ de causa etiam dicti Regis Castiliensis Successores, jam à multis Annis retro subsequentibus, violentam Portugalliæ Regni occupationem continuarunt, Tractatus quoscunque, Fœdera ligasque Amicitiæ, Societatis & Commerciorum, quas Reges Portugalliæ assiduè cum exteris Europæ Principibus, Nationibus, Populisque initas sancitasque habuerunt, dissolvendo & abrumpendo, atque ejusdem Regni Vasallos, Incolas subditosque juribus, privilegiis & legibus suis privando ac destituendo, injusta quinetiam & non ferenda onera imponendo & variâ insuper tyrannide afficiendo, tributa quoque extraordinaria, quæ Reges Castilienses una cum Regni Portugalliæ bonis hæreditariis bellis injustissimis & maximè illegitimis effuderunt & consumpserunt, imperando atque exigendo: quibus omnibus optimi Regni Portugalliæ Subditi Vasallique instigati atque ad iracundiam provocati, post longam animi patientiam, magnâ cum virtute ac providentiâ tandem injusto Regis Castiliensis & non ferendo jugo cervicibus suis subductis, iisque in libertatem assertis, communi omnium applausu ac suffragio summememoratum D. Johannem, ejus Nomine Quartum, Regem elegerunt, crearunt ac declararunt. Quemadmodum etiam Præpotent. D.D. Ord. Gen. non ferendam dicti Regis Castiliensis Tyrannidem perpessi, neque Propositi ac Consilii Ejusdem nefarii & scelerati, quò ad Europæ universæ jam à multis annis prætensam Monarchiam perveniret, ignari, in publicum fore commodum existimarunt, Serenissimi Regis D. Johannis Quarti Propositis succurrere, & cum eodem Tractatum sequentem inire, has plurimas commoditatis atque utilitatis propriæ occasiones, quas ab utraque parte Liniæ rerum jam nunc bene gerendarum consequi poterant, omittentes, pristinas illas & antiquas Amicitias, Societates, Commercia & Navigationes, quæ jam à plurimis retrò Annis inter Portugalliam & Belgii Provincias mutuo initæ, confirmatæ & sancitæ fuerunt, reviviscere maluerunt.

1. Primo itaque firma, constans & perpetuò cessatio omnium hostilitatis actuum terra marique futura est inter Serenissimum Regem atque Ordines Generales, tam respectu Fœderati Belgii Subditorum & Incolarum omnium, cujuscunque tandem conditionis ac qualitatis fuerint, quam respectu Subditorum & Incolarum omnium Regni Majestatis Suæ, cujuscunque tandem conditionis ac qualitatis fuerint, absque ullâ locorum & personarum exceptione, quæ Majestatis Suæ causâ

causâ Regi Castiliensi adversum eunt, sive dehinc Eidem adversum ire percipientur. Idque omnibus locis iisque conditionibus, quæ sequentibus inserentur, tam terra quam mari ab utraque parte Lineæ, in decem Annorum spatium. Quæ quidem Induciæ, sive omnium hostilitatis actuum cessatio, in regionibus Europæ cæterisque in locis, extra publicas literas, antehac à Præpotentibus Fœderati Belgii Ordinibus Generalibus utriusque Indiæ Orientalis & Occidentalis Societati datas concessasque, à primo hujus Tractatus confirmationis die initium capient.

2. In Orientalis vero Indiæ partibus terrâ marique, quæ continentur sub Districtu ac potestatis literis ab Ordinibus Generalibus Orientalis Indiæ in Fœderati Belgii Provinciis Societati concessis, Anno, postquam præsentis Tractatus confirmatio à Serenissimo Rege Ordinibus Generalibus tradita fuerit. Sed si Induciarum sive omnium hostilitatis actuum cessationis divulgatio ac publicatio aliquibus terræ marique adsitis locis, ante dicti Anni expirationem annunciata ac perlata fuerit, ab illo relationis atque annunciationis tempore, ejusmodi locorum Gubernatores, Præfecti, Incolæ Subditique utriusque Partis omnibus hostilitatis actibus abstinebunt.

3. Eâ lege tamen ac conditione, ut supramemoratis Induciis comprehendantur omnes Ejusmodi Indiæ Principes ac Nationes, cum quibus Præpotentibus Ordinibus sive Indiæ Orient. Societati, Præpotentium D. D. Ordinum Nomine locôque aliquod Fœderis Amicitiæque vinculum intercedit.

4. Neque Partis utriusque Incolis Subditisve, dicto Annorum decem intervallo, aliquem hostilitatis actum, sive aggressionem adversus invicem instituere atque exercere licebit. Omnes quinetiam Portugallorum naves è Portugalliâ, jussu ac mandato Summedicti Regis Johannis Quarti, ad omnia loca, quæ à partibus Majestatis Suæ stabunt, similiter etiam naves, quæ inde in Portugalliam cursum suum instituent, liberè secureque ad modum hujusce Reip. Indiæ Orient. Societatis navium, Commercia ac Negotiationes suas instituere licebit.

5. Quemadmodum etiam hujusce Reip. Subditorum naves, illuc tendentes sive illinc solventes, nullâ molestia nullaque injuriâ à Portugalliæ Incolis Subditisque afficientur.

6. Quinetiam Fœdera, Ligæ & Tractatus liberè secureque ab utraque Parte observabuntur ac conservabuntur.

7. Loca insuper possidebunt, Commercia etiam ac Navigationes suas liberè secureque exercebunt, quemadmodum eodem tempore, quo Induciarum sive omnium hostilitatis actuum cessationis confirmatio ipsis innotuit, in Orientalis Indiæ partibus eadem possederunt, & Commercia ac Navigationes suas exercuerunt.

8. Memoratarum Induciarum, omniumque hostilitatis actuum cessatio in decem Annorum spatium effectum suum obtinebit in locis ac maribus, sub districtu literarum Auctoritatis à Præpotentibus Ordinibus Generalibus Indiæ Orientalis in hisce Provinciis Societati concessæ dataeque, postquam præsentis Tractatus confirmatio, Nomine locoque Serenissimi Regis, Ordinibus fuerit tradita, atque Induciarum sive omnium hostilitatis actuum cessationis indicium aliquibus locis

 mari-

maritimis factum fuerit, à quo tempore partes utræque omnibus hostilitatis actibus omnino abstinebunt. Eâ lege tamen ac conditione, ut octo Mensium spatio, postquam Induciarum confirmatio seu ratihabitio Ordinibus Generalibus exhibita ac tradita fuerit, utræque Partes de Pace sive Induciis in supramemoratis locis maritimis, quæ pertinent ad districtum vi literarum auctoritatis ab Ordinib. Indiæ Orientalis Societati concessum, acturæ sint. Eapropter Dominus Tristoa de Mendoza Furtado, Legatus ac Consiliarius Regiæ Suæ Majestatis per præsentes promittit ac pollicetur, octo supradictorum Mensium spatio, postquam Induciarum confirmatio ac ratihabitio a Rege Portugalliæ ad Præpotentes Ordines fuerit missa, necessariam ac debitam instructionem, Ordinem ac mandatum exhibita; viros quinetiam debita auctoritate ac potestate munitos, quâ de Pace plenissimè agere possunt, delegatos iri. Sin verò præter spem atque opinionem eveniat, ut de Pace Induciisve conveniri non posset, nihilominus tamen præsens Induciarum Tractatus, atque omnium hostilitatis actuum cessatio in decem Annorum spatium conditionibus supra infraque memoratis effectum suum plenissimum obtinebit.

9. Qui sunt Occidentalis Indiæ Societatis in Fœderato Belgio participes, uti etiam ejusdem Indiæ Subditi atque Incolæ, & qui ab iisdem dependent, cujuscunque Nationis, Conditionis ac Religionis fuerint, in omnibus Regis Portugalliæ locis, Regnis ac Ditionibus quibuscunque ad Regnum Portugalliæ pertinentibus atque in Europâ sitis, Commerciis, Immunitatibus, Libertatibus ac Privilegiis unà cum Portugalliæ Incolis Subditisque vi præsentis Tractatus gaudebunt. Ea tamen lege ac conditione ut iis, qui sunt Indiæ Occident. Societatis in Fœderato Belgio participes, uti etiam ejusdem Incolæ ac Subditi in India Occident. commorantibus atque ab iis dependentibus, Saccharum, lignum aut alia quæcunque bona mercesque ex India Occident. in Regnum Portugalliæ apportari nullo modo liceat, quemadmodum etiam Portugalliæ Incolis Subditisque, aut qui ab illis dependent, ex India Occident. omnia ejusmodi bona mercesque in Fœderati Belgii Provincias apportare neutiquam concedetur.

10. Fœderati Belgii, uti etiam Portugalliæ Incolæ Subditique prædictarum Induciarum tempore sibi invicem pro viribus auxilium atque Subsidium ferent, quocunque loco ac tempore necesse fuerit.

11. Castella quæcunque, Indiæ Occident. oppida, naves hominesque sive Portugalli sive alii fuerint, quamdiu à Partibus Regis Castiliensis stabunt, sive postmodum Ejus Imperio obtemperabunt, haud aliter quam Hostes communes censebuntur, quos absque ullo terminorum respectu persequi, invadere, oppugnare atque expugnare utrique Parti licebit; eâ lege tamen, ut si Pars alterutra ejusmodi Castella, atque oppida caperet, ad eandem quoque oppidorum & Castellorum ager suburbanus cæteraque Emolumenta, quæ semper iisdem annexa fuerunt, pertinerent, quamvis eadem in alterius Partis terminorum Districtu sita forent.

12. Utriusque Partis Incolarum & Subditorum bona sua in eo statu, quo Induciarum perceptionis tempore fuerunt, relinquentur, quemadmodum etiam inter Partis utriusque munitiones atque oppida ager patens, (qui absque dubio

occu-

occupatus ſubactuſq; habendus erit) inter utramque Partem diviſus relinquetur, quo Nationes Populique eodem contenti comprehendentur, quibus confinibus hoc modo ordinatis atque inſtitutis, Pars utraque cognoſcet, quot ac qualia loca ſibi colenda & conſervanda venient.

13. Quod autem ad proprias quaſcunque poſſeſſiones attinet, quæ dictâ agrorum locorumque diviſione alterutri attribuentur, Eorum, omni dubio procul, nonnulla deſerta, nonnulla verò culta hominibuſque repleta comprehendentur. Illa verò, quorum Subditi ac poſſeſſores alterutri Parti ſe adjunxiſſe comperientur, quinetiam bona, quæ ab iiſdem relicta erunt, neutiquam reſtituentur; ſed iis duntaxat, quæ ſecum è locis deſertis relictiſque comportaverint, contentos eſſe oportebit.

14. Sed verò in iis locis agriſque, in quibus Eorundem poſſeſſores, ſeu ipſorum Nomine locoque alii remanſerint, illi ab utraque Parte cognitâ, quinetiam remanſionis certitudine exhibita, relinquentur.

15. De quibus etiam utriuſquePartis Gubernatoribus in ſuis diſtrictibus agendum ac judicandum veniet, prout æquum juſtumque videbitur, Eâ lege, ut nemini de iiſdem agere ac dijudicare liceat.

16. Parti utrique in Indiâ Occidentali Commercia, cæteris excluſis, relinquentur, quinimo, neque Portugallis, neque Ordinum Subditis eadem inſtituere atque exercere licebit, niſi poſtmodum communi ſuffragio aliud ſtatueretur.

17. Portugallis neque Commercia in Occidentali Indiâ exercere, neque Navigationes eodem, aut ſuis, aut alienis navibus, aut cum ipſis Nationibus Populiſque exteris inſtituere licebit: Sed ſi navibus alienis opus ſit, ut dictam Indiam Occident petant, atque ibidem loci Commercia exerceant, eas à Fœderati Belgii Incolis aut locare, aut emere cogentur. Quo quidem caſu (locationis videlicet ſive emptionis)non pauciorum quam ducentorum & ſexaginta vehium naves, ſexdecim anguſtè machinulis bellicis, quibus quinq; aut ſex librarum globi emitti poſſunt, commeatu inſuper rebuſque bellicis exornatas eo deducere licebit: ac ſi quæ plurium vehium naves ad Indiam Occident. à Portugallis ſive ementur, ſive locabuntur, eædem pro vehium pluralitate majori commeatus rerumque bellicarum Copiâ exornabuntur, eâ lege ac conditione, ut contra facientium naves earumque merces in dictæ Occidentalis Indiæ Societatis, ſive eorum qui in hiſce Provinciis ab eadem dependent, uſum, publicandæ veniant.

18. Neque Portugallis, neque Fœderati Belgii Subditis Naves, Nigros, Bona, Merces, aut ſi quæ ſint alia, ad Indias Caſtilienſes cæteraque loca à Rege Caſtilienſi ſubacta quæque à Partibus ipſius ſtabunt, apportare licebit, eâ lege, ut contra facientium naves, bona merceſque publicandæ, quin ipſi etiam nautæ, hominesque quotquot in ejuſmodi navibus deprehendentur, haud aliter quam Hoſtes tractandi atque excipiendi veniant.

19. Loca, quæ Portugalli & Fœderati Belgii Subditi in oris Africanis poſſident, nullâ terminorum diviſione indigent, propterea quod inter Partis utriuſque loca Nationes Populique interiacent, quibus ea dividuntur.

20. Sed quod Navigationes, & Commercia in oris maritimis Africæ, Inſulæ

 St.Tho-

S^t^. Thomæ & reliquarum eidem adjacentium Insularum spectat, ea utriusque Partis Subditis libera ac communia sunt futura, eâ tamen lege ac conditione, ut, si ejusmodi Navigationes ac Commercia sive auri, sive Nigrorum aut aliarum mercium, quocunque tandem nomine veniant, prope sive in Partis alterutrius locis instituta fuerint, ea onera ac vectigalia exsolvent, quæ Incolæ Subditique Portugalliæ hominesq; liberi in iisdem locis exsolvere consueverunt: & vicè versâ.

21. Ac quoniam Præpotentes D. D. Ordines Generales proprio Marte sine ope auxilioque alterius loca sua, quæ jam nunc tenent, ceperunt atque in potestatem suam redegerunt, cum Eorundem Incolæ Regis Castiliensis Imperio parebant cumque hoc Statu inimicitias colebant, atque ejusdem qualitatis & ingenii cum iis existebant, qui sese jam nunc Regi Portugalliæ dederunt atque Status hujusce Amicitiam & Societatem expetierunt, unde perpetuæ quoque dehinc mutuæ Amicitiæ & Societatis veræ magna fenestra aperta est, quinetiam non sine ratione optima quibuscunq; in rebus Justitia ab utraq; Parte administranda veniet.

22. Nihilominus tamen evenit, ut commutatione, quæ in omnibus possessionibus & hypothecis nefario ac pernicioso bello oborta est, multi & varii Subditi atque Incolæ jam à principio ac postmodum à Fœderati Belgii Ordinibus subacti fuerint, atque in gravissimam paupertatem inciderint, contra verò plurimi Batavi, varias diversasque hypothecas emendo, sedes suas firmas collocarint; Ac quoniam agrorum & locorum occupatio neutiquam permittat, ut quidquam bonorum, *Iure postliminii vel quasi* repetitum, quinetiam Fœderati Belgii neque Regni Portugalliæ Subditi quidquam debitorum à se invicem exigant, multò verò minus in dictorum bonorum recuperationem quidquam incipiant, Ea propter utrique Parti omnia, quæ ante Induciarum perceptionis diem possederunt, relinquentur.

23. Serenissimi Regis D. Johannis IV. quemadmodum etiam Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Subditi decennalium Induciarum tempore, absque ullâ damni ac detrimenti, tam perpessi, quam illati recordatione, Societatem atque Amicitiam veram, perpetuamque inter se colent.

24. Quod si autem Occidentalibus Indiis, quæ Regis Castiliensis Imperio obtemperant, arma utriusque Partis consensu inferrentur, ac loca quædam ab Hostibus interciperentur, de eorundem divisione, possessione ac commutatione, cum bonâ gratiâ agetur, quemadmodum etiam, durantibus Induciis atq; omnium hostilitatis actuum cessatione, communi consensu ac suffragio in supramemoratis Articulis sive eorum aliquibus mutari quidquam poterit.

25. Quin insuper etiam Partis utriusque Subditis cujuscunque Nationis, Conditionis ac Religionis fuerint, nullis exceptis (sive Partis alterutrius Subditi, sive prognati, sive aliquamdiu in iisdem commorati fuerint) utriusque Partis Regna, Provincias Ditionesque in Europa atque ab hac Lineæ parte frequentare, navigare, mercaturam cujuscunque generis agere liberè ac securè licebit. At verò Partis utriusque Subditorum Regna sive Provincias alterutrius petentium, navigantium & mercaturam agentium bonis mercibusq; apportatis, sive exportatis onera atque vectigalia non majora, quam ejusdem Regni aut Provinciarum Subditorum bonis mercibusque, imperabuntur, omnibus quinetiam Privilegiis atque immunitatibus

nitatibus iis gaudebunt, quibus ante Portugalliæ à Rege Castiliensi subactionem gaudere consueverant.

26. Incolæ Subditique harum Provinciarum Christiani, in omnibus locis, Oppidis, Regionibus, Provinciis Insulisque Regni Portugalliæ, seu ab eodem dependentibus, à Parte Lineæ utraque, sive intra sive extra Europam sitis, in quibus & navigatio & mercatura conceditur, intra ædium suarum parietes atque intra naves conscientiæ & religioni liberæ relinquentur. Ac si in Portugalliam ex Hollandiâ Legatus quis sive Residens missus fuerit, ejusmodi religionis libertas concedetur, cujusmodi præsens Regis Portugalliæ Residens in hisce Provinciis jam nunc gaudet.

27. Fœderati Belgii Ordines Generales, absque ulla præsentis Tractatus confirmationis exspectatione Majestati Suæ Portugalliæ quindecim navibus, supra quinque minoris generis, propriis suis sumptibus exornatis, militibus, commeatu, tormentis bellicis cæterisque rebus necessariis munitis optimi cujusdam Archithalassi & reliquorum Præfectorum Imperio relictis subvenient.

28. Quapropter etiam Serenissimus Rex Portugalliæ totidem naves, quindecim supra quinque minoris generis (Belgis *Fregatten*) similem in modum exornatas, militibus Sociisque navalibus commeatu, tormentis bellicis cæterisque rebus necessariis supradictis Ordinum navibus Præfectorum suorum ductu atque auspiciis adjunget; quo mutuâ operâ atque auxilio in oris Portugalliæ Hispaniæque Regi Castiliensi, communi omnium Hosti, damnum ac detrimentum inferant.

29. Rex insuper Portugalliæ decem pluresve Galeas (Belgis *Galliot*) in Portugalliâ propriis sumptibus apparari, easque cæteris adjungi curabit, quo simul adversus Regem Castiliensem Ejusdemque Subditos ducantur.

30. Naves, quæ è Portugalliâ solverunt, earumque merces, aut Regi aut Ejusdem Subditis propriæ, hoc si legitimè demonstrare queant, nunquam prædæ loco habebuntur, licet ejusmodi naves mercesque sub vexillo Castiliensi, intra sive extra Classem illam, interciperentur, verum legitimis suis possessoribus restituentur.

31. Naves mercesque ab Hostibus per dictam navium Classem direptæ, juxta Classis memoratæ acies distribuentur; idque eâ de causa, ne quidquam litis ac dissensionis, quemadmodum tali casu plerumque fieri solet, oboriatur.

32. Majestati Suæ Portugalliæ in hisce regionibus ejusmodi Præfectos Militares, tormentorum variique operis Magistros, cæterosque operarios, quorum operâ indigere posset, propriis sumptibus conscribere licebit; Eodemque in dictæ conscriptionis progressu atque administratione fideliter adjutabitur.

33. Nullo autem prætextu, quocunque Nomine veniat, licebit in ædes irrumpere, literas aut codices computationum, sive ipsas rationes perscrutari Mercatorum sive Fœderati Belgii Subditorum, qui Regnum Portugalliæ, sive Insulas aut regiones ei subjectas atque in Europa sitas frequentant ac navigant; neque etiam dictos Mercatores Subditosve, ante legitimam justamque rerum inquisitionem, secundùm receptam ejusmodi locorum consuetudinem, in vincula conjicere licebit, solo *Majestatis læsæ Crimine*, proditione apertâ, aut cum Hostibus conjuratione, exceptis.

 34. Quin-

34. Quinetiam summè dictis Ordinibus in omnibus Regni Portugalliæ, Ejusdemque Insularum ac Regionum in Europa sitarum Portibus ejusmodi Consules plenissimâ auctoritate eligere licebit, qui Subditorum suorum, eosdem Portus frequentantium, optimam curam gerere possent; Quod Majestati Suæ Portugalliæ itidem in hisce Provinciis facere licebit.

35. Præsens Induciarum Tractatus à Majestate Suâ Portugalliæ, ac Præpotentibus Ordinibus trium Mensium spatio, à primo hujus dieci momento formulis solennibus confirmabitur, atque ab utraque Parte constanter ac fideliter observabitur: quocirca etiam Majestatis Suæ ratihabitio ac confirmatio dicto temporis intervallo Præpotentibus Ordinibus tradita, cum Eorundem ratihabitione ac confirmatione commutabitur.

Nos itaque Legati ac Commissarii supramemorati præsentibus propriâ manu subsignavimus, annulisque Signatoriis munivimus. Actum Hagæ-Com. vicesimo & secundo die Junii, Anno 1641.

Conventu Hamburgensi, de quo supra commemoravi, post Annorum aliquot deliberationem tandem vicesimo & quinto die Decembris, Anno 1641. Tractatus quidam præliminaris, atque ad Pacis Universalis inter Cæsareos ab una & Gallos Suecosque ab altera Parte Tractationem, præparatorium quoddam, quale inferius sequitur, initum ac institutum fuit: ut videlicet ea Tractatio Monasterii atque Osnabrugis institueretur.

Hoc autem sedulo observandum venit, Pacis Tractationem inter Cæsareos & Suecos complures Principes mediatores tentasse, atque ut institueretur summam operam dedisse; tandem tamen inter Cæsareos & Saxonicos tricesimo die Maji, Anno 1635. Pragæ inita, Comes Meklenburgensis, Marchio Dux Brandenburgensis, Dux Saxonicus, Lauwenburgensis, ac denique Serenissimus Rex Daniæ intercesserunt.

Anno 1637. Comes Curtzius Vicarius Regni Cancellarius ad Imperium delegatus fuit, cui, postquam aliquamdiu Hamburgi commoratus fuisset, Dominus Lutzovius successit, ac primo quidem cum Suecorum Legato D. Salvio, postmodum vero cum Domino *Avaucio* agendi potestatem accepit, quapropter etiam intercessu Domini Langermanni, Serenissimi Regis Daniæ Nomine, utpote communi suffragio admissus, Partis utriusque Mediatoris, sequens Tractatus præliminaris Hamburgi initus fuit.

Sacræ Cæsareæ Majestatis & Imperii Aulicus Consiliarius ad Circulum inferioris Saxoniæ, & ad Pacis præliminaria potestate munitus Legatus Conradus Lutzovius, &c. Omnibus & singulis, quorum interest, constare volumus; Postquam jam multis retrò annis agitatum fuit de rationibus instituendis de Pace Vniversalis Tractatione, atque alia ex aliis difficultates in præliminaribus emerserunt, tanquam Deo adspirante & Serenissimi Regis Daniæ, tanquam Mediatoris interposita auctoritate, factum fuisse, ut inter Nos, Nomine locoque dictæ Cæsareæ Majestatis & Regis Hispaniarum ab unâ, atque Illustrissimum & Nobilissimum Legatum, Dominum Claudium de Mesmes, *Comitem Avaucium Nomine locoque Regis Christianissimi ab altera Parte, dicta præliminaria sequentem in modum conclusa sint.*

Loca Vniversalis Tractatus sint Monasterium & Osnabruga VVestphalorum, ex quorum utroque statim post commutatos (ut infrà dicetur) Salvos-Conductus, educantur militaria

Partium

Partium præsidia, & durantibus Conventibus, dictæ Civitates Sacramento erga utramque Partem solutæ ad neutralitatem obligentur.

Magistratui interim proprio cum milite & Civibus sua cujusque Vrbis custodia relinquatur, ipse vicissim; dato reversali, obstringatur ad fidelitatem & securitatem universo Conventui præstandam, & tractantium res & personas Comitatumque sanctè habendum & custodiendum; ac si quid ab eo in commune Tractatus bonum requisitum fuerit, præstet se quidem obsequentem, neutrius tamen Partis jussa exequatur, nisi ab utroque Legatorum Collegio insinuata fuerint.

Vterque Conventus pro uno habeatur, atque ideò non solum itinera, inter Monasterium & Osnabrugas omnibus, quorum interest, ut ultrò citròque liberè securèque commeari possit, tuta sunto: sed & quicunque interjectus locus particulari Tractantium Conventui, pro mutua communicatione commodus visus fuerit, eadem, qua dictæ Vrbes, securitate fruatur.

Si verò, quod Deus avertat, Tractatus Vniversalis, re infectâ, dissolvatur, recipiant Monasterium & Osnabrugæ Statum & Præsidia, quæ nunc habent, omni ex Parte, interim tamen sanctè religioseque servetur neutralitas ad sex hebdomadarum spatium, postquam Tractatus fuerit abruptus.

Salvi-Conductus ad Monasteriensem Conventum, infrà recensiti, utrinq; omnes commutentur intra Menses binos, à primo hujusce Conventionis die, & ne diversis ac longè dissitis locis facienda commutatio Negotium quocunque modo impedire, aut novas quasdam moras injicere possit, fiat illa Hamburgi per Regis Daniæ Ministros.

Et quidem ab unâ Parte tam Imperator, quam Rex Hispaniarum tradat quisque suos Salvos-Conductus;

1. *Pro Plenipotentiariis Regis Christianissimi.*
2. *Pro Residente Suecico.*
3. *Pro Plenipotentiariis Serenissimæ Ducissæ Sabaudiæ.*
4. *Pro Plenipotentiariis Fœderati Belgii Provinciarum Ordinum Generalium.*
5. *Pro Deputatis Electoris Trevirensis.*
6. *Pro Principe Carolo Ludovico Comite Palatino Rheni Ejusque Fratribus, sive Eorundem Deputatis.*
7. *Pro Ducibus Brunsuicensibus & Lunenburgensibus, eorumve Deputatis.*
8. *Pro Illustrissimæ Principis Ameliæ Land-Gravii Hassiæ Viduæ Deputatis.*
9. *Pro Vniversis Imperii Ordinibus, Galliæ Fœderatis Sociisque sive generatim, sive eorundem Deputatis speciatim.*

Ab alterâ Parte per dictos Daniæ Ministros dictoque loco & tempore tradantur ad eundem Monasteriensem Conventum Christianissimi Regis Salvi-Conductus,

1. *Pro Plenipotentiariis Imperatoris.*
2. *Pro Plenipotentiariis Regis Hispaniarum.*
3. *Pro Vtriusque Fœderatis Sociisque sive generatim, sive Eorundem Deputatis speciatim.*
4. *Pro Deputatis Electoris Coloniensis.*
5. *Pro Deputatis Electoris Bavariæ.*

Salvi-Conductus Cæsarei & Hispanici pro Plenipotentiariis Ducissæ Sabaudiæ, sub ea forma concepti tradantur, quæ in exemplari apud Serenissimum Regem Daniæ deposito, expressa est, titulo duntaxat, Tutricis Filii Sui Sabaudiæ Ducis, & ejus Statuum Regentis, *addito.*

Cæteri

Cæteri omnes & singuli tam ex Parte Imperatoris & Regis Hispaniæ, quam ex Parte Galliæ, iis formulis conscripti, quæ novissimè per Mediatorum Legatos communicatæ Partibus & ab illis probatæ fuerunt.

Quo autem facilius à Parte Regis Hispaniarum Salvorum-Conductuum commutatio procedat, valeant qui antehac à vivo Serenissimo Cardinali Infante formulis supradictis expediti fuerunt, si à Rege Catholico confirmentur & ratihabeantur.

Singulis Salvis-Conductibus dicta Tractatus Universalis loca diesque ex præscripto sequentis Articuli inserantur, & præsentis Tractatus autographum, datâ singulis Legatis Copiâ authenticâ, apud Serenissimum Daniæ Regem deponatur.

Dies autem auspicando utrique Conventui Monasteriensi nimirum & Osnabrugensi, dicta constitutaque esto vicesima & quinta Mensis Martii, proximè venturi: Quod felix faustumque Orbi Christiano det esse Deus!

Præsens Tractatus cum altero super iisdem Pacis Universalis præliminaribus hodierno quoque die concluso inter Nos, Conradum Lutzovium loco ac Nomine Serenissimi Imperatoris ab unâ, & Illustrissimum Legatum Dominum Iohannem Salvium Nomine ac loco Serenissimæ Reginæ Sueciæ ab alterâ Parte, unus idemque sit Tractatus, nec nisi adimpletis utriusque conditionibus, alteruter pro impleto habeatur.

In quorum omnium testimonium fidemque præsentes literas manibus Nostris signavimus, sigillis quoque mutuis firmavimus, earumque ratihabitionem à Principalibus utrinque Nostris confirmatam, simul & memoratos Salvos-Conductus, Statuto tempore ac loco commutatos iri promisimus. Actum Hamburgi 15 *Decembris, Anno* 1641.

L. S. Conradus Lutzovius.

Cum Legatis Suecicis eodem planè modo, Mutatis Mutandis, *actum fuit.*

RAtihabitiones ac confirmationes Regum vicesimo & quinto die Februarii quidem tradebantur, non autem Imperatoris, quippe ratihabitionis mittendæ loco Cæsareæ Majestatis Legatus Lutzovius revocatus fuit. Quod Gallis & Suecis plurimarum querelarum materiem præbuit: adeò ut Legatus *Avaucius* tricesimo die Maji 1642. longiores ac mordaciores literas ad Regem Daniæ miserit; quibus inter alia exprobravit, *Imperatorem sc. hoc tempore largitionibus multis, & iniquissimis legibus pagorumque ad Ipsius Austriæ fines ducentorum deditione ac servitute Pacem Ottomannicam redimere maluisse, quam Germanicæ operam dare.*

Cæsareos insuper Regi Daniæ recusasse ea, quæ ipsimet Turcarum Osmanno Agæ, Mehemeto Effendi, Tirnari Teftedar, & Mustaphæ Alai obtulissent.

Adeò ut dixerit, Annum Mensemque (Martius quippe Mensis Anni 1642. in Tractatu præliminari constitutus fuerat) quos Christianorum omnium Pacis initio notatos ac celebratos oportuerat, eos jam nunc Fœderatione inter Turcas & Domum Austriacam illustriores evasisse.

Ad hæc autem Cæsarei responderunt; quod si animo sincero Pacem Galli fuissent amplexi, eos Coloniam, quò Tractatio sub Papæ Romani mediatione atque intercessu fuerat destinata, pervenire oportuisse: at verò Dominum *Avaucium*

cium (absque ullo à Cæsare Salvo-Conductu petito) Hamburgum devenisse: atque Cæsareæ Suæ Majestati diu alium titulum, præterquam Regis Hungariæ denegasse, quapropter eum, ad belli incendium magis nutriendum, quam Pacem promovendum, eò advenisse credebant.

Dominum insuper Lutzovium nullâ Auctoritate, qua tam latè, quam quidem Tractatus præliminaris sese extendebat, ageret, munitum fuisse; quippe de tempore duntaxat locoque agere jussus fuerat. In specie autem Cæsaream Majestatem, Ducissam Sabaudiæ Nutricem ac Regentem agnoscere noluisse, eo quod illud non ad præliminaria, verum ad principalem Tractationem attinere diceret.

Quinetiam Cæsarei dicebant, Dominum *Avaucium* in literis, quas ad Regem Daniæ dederat, confessum, se in constituendo die mandatum suum excessisse.

Cæsaream Suam Majestatem eo, quo solet ac debet, titulo neutiquam fuisse appellatam. De Neutralitate quoque Monasteriensi & Osnabrugensi. Gallis etiam objiciebant, eos Ratisbonæ solenni aliquo Tractatu, Anno 1630. duodecimo die Octobris inito, promisisse, se nihil subsidii nihilque auxilii cuiquam Cæsareæ Majestatis, Sacri Romani Imperii, sive Regionum Cæsaris hæreditariarum Hostibus rebellibusve laturos esse; veruntamen decimo & tertio die Januarii, Anno 1631. per Dominum Charnassæum cum Suecis Tractatum quendam iniisse.

Quod verò ad Pacem cum Turcis conflatam attinebat; ad hoc Cæsarei, non Pacem sed paucorum duntaxat Annorum Inducias esse dixerunt. Cujus quoque rei gratia Gallis Pacem, inter Franciscum Primum & Turcas antehac conflatam, exprobrabant, eo quod Galli, utpote longissimè à Turcis dissiti, non tam Pacificationem cum Turcis, quam quidem Austriaci, instituere cogebantur.

Imperator tamen vicesimo & secundo die Julii, Anno 1641. præfata præliminaria confirmavit.

Austriaci verò adversarios suos & numero & viribus augeri sentiebant, quocirca etiam sæpiuscule per quosdam suorum clam inquiri jubebant, num Præpotentes D. D. Ordines Generales ad Tractationem quandam adduci possent, cujus tamen repulsam assiduè tulerunt. Postremò autem, Anno 1641. rem quoque per Illustrem quendam Virum & per viam honoris occipere ipsimet voluerunt; quippe Comitem Awersbergium, tanquam Cæsareæ Suæ Majestatis Legatum, Coloniam, unde Hagam-Com. deveniret, miserunt. Ejusdem Tractationis exemplum tale fuit.

Secundo die Februarii Dominus Bilderbequius literas, tricesimo die Januarii exaratas, Præpotentibus D. D. Ordinibus Coloniâ misit, quibus Præpotentes Ordines certiores fecit, Comitem Awersbergium, Cæsareum Aulæ Regni Consiliarium & Marescallum hæreditarium, &c. Cæsarei Legati qualitate Hagam-Com. adventare, paululum verò Coloniæ commorari, seque dicto Legato in memoriam redegisse incommoda illa, quæ aliis in itinere Hollandiam versus, antehac oborta fuerant: quo in consilium vocato, visum consultumque fuit Salvum-Conductum suprememorato Domino Legato ad Bilderbequium missum iri, ac si prius Coloniâ discessisset quam Salvus-Conductus eo fuisset allatus, continuo

Hh ipsum

ipsum per D. Bilderbequium ad Fœderati Belgii terminos Domino Legato missum iri.

Quarto die Februarii, postquam in Concilio Ordinum deliberatum fuisset, quibus modis Cæsareæ Majestatis Legatus, quem iter suum in Hollandiam instituisse Bilderbequius indicaverat, exciperetur, ac quid de Mustapha Siao à Turcis Deputato fieret, quum supradictus Cæsareæ Majestatis Legatus in Hospitium ordinarium perduceretur. Antequam verò de eâ re certi quidquam statueretur commodius esse duxerunt, qualitatem Cæsareæ Legationis ab eodem exquirere, quamprimum Fœderati Belgii Provincias ingressus fuisset; quod ubi cognitum foret, de eâ re pro temporis opportunitate decernere.

Vicesimo & octavo die Februarii Dominus *Tuillerius* Regiæ Majestatis Galliæ Legatus in Concilium Præpotent. D. D. Ordinum pervenit, ibidemque literarum quarundam à Rege Galliæ in Fano St. Germani decimo & tertio die Februarii datarum *Exemplar* tradidit, ipseque secundùm literarum tenorem Præpotentibus D. D. Ordinib. plurimas rationes suggessit, quas etiam undecimo Fœderationis octavo die Februarii Anno 1635. Parisiis conflatæ, Articulo confirmare studebat, in eum omnes finem tendentes, quò Cæsarei Legati Comitis Awersburgii in Hollandiam à Cæsare missi, ac jam aliquamdiu Coloniæ commoranti, adventus Hagiensis interdiceretur. Quo perpenso, decretum fuit ut literarum exemplar Domino Catzio traderetur, quo cum Celsissimo Arausionensium Principe de ea re deliberaret, Ejusdem Consilium prudentissimum cognosceret, &, quod percepisset, Præpotentibus Ordinibus referret.

Primo die Martii, Dominus Catzius, qui secundùm Præpotentium D. D. Ordinum decretum cum Celsissimo Arausionensium Principe de literarum Regis Galliarum decimo & tertio die Februarii proximè elapsi, pridie ejus diei per Dominum *Tuillerium* Legatum Regium Præpotentibus Ordinibus traditarum tenore egerat, ordine retulit, simul etiam addidit ea, quæ ipsemet subjunxerat, de Comitis Awersbergii Cæsarei Legati, ac Coloniæ commoranti, in Hollandiam adventu interdicendo. Quo perpenso, decretum fuit, ut Dominus Rantvicius & Dominus Catzius rogarentur ac delegarentur, ut Dominum Tuillerium convenirent, Eidemque rationibus quibuscunque honestis ac solidis in animum inducerent, quod, quum Fœderati Belgii Ordines Generales mutuam Neutralitatem cum S. Romano Imperio colerent, & dicti Comitis Awersbergii mandata nescirent, Ejusdem in Hollandiam adventus difficile interdici ac prohiberi posset; interim tamen Domino *Tuillerio* affirmarent, quod si Dominus Awersbergius quidquam eorum, quæ de Fœderatione inter Majestatem Galliæ atque inter Præpotentes D. D. Ordines Gener. initâ continentur, attingeret, ea omnia Celsitudini suæ relata, neque alia quædam, præter Tractatus sive Fœdera, translata iri.

Quarto die Martii, Dominus Rantvicius & Dominus Catzius, qui jussu & mandato Præpotentium D. D. Ordinum decreti, Dominum *Tuillerium* Regiæ Majestatis Galliæ Legatum convenerant, retulerunt, se cum supradicto Legato de Comitis Awersburgii aliquamdiu Coloniæ commoranti in Hollandiam adventu pluribus egisse, simul etiam ea, quæ Præpotentes Ordines de isthac re decrevissent, exposuisse; denique ea quæ dictus Legatus de legatione in Portugalliam ac constitutione

tutione Domini Ser. Pè, circa idem Negotium, utpote à Majestate Regia in Portugalliam missi, proposuit, ordine enarrarunt. Quibus perpensis, Præpotentes Ordines supramemoratis Dominis & pro labore & pro sedulitate gratias egerunt, remque hactenus reliquerunt.

Vicesimo & primo die Martii, postquam Comes Awersbergius Legatus Cæsareus Hagam-Com. pervenisset, Præpotentibus Ordinibus literas quasdam consignatas tradi curavit, quæ ipsius literæ Auctoritatis à Cæsareâ Majestate ad Præpotentes Ordines datæ habebantur; quarum subscriptio hæc erat, *Illustribus, Generosis, Nobilibus, & Honorabilibus Nostris & Sacri Romani Imperii Fidelibus, Dilectis N. N. Ordinibus Vnitarum Belgii Provinciarum.* Quibus perpensis ac deliberatis, Præpotentibus Ordinibus visum consultumque fuit, ut dictæ literæ consignatæ manerent, atque ea, quæ in ejusmodi casu obtigerant Actisque diurnis Publicis inserta erant, investigarentur atque unâ cum memoratis literis Domino Vosbergio traderentur, quo cum Celsissimo Arausionensium Principe de iis omnibus deliberaret, consilium Ejusdem prudentissimum perciperet, idque Præpotentibus D. D. Ordinibus renunciaret.

Vicesimo & secundo die Martii auditâ perceptâque relatione Domini Vosbergii, qui juxta Præpotentium D. D. Ordinum decretum super literarum Comitis Awersbergii Cæsarei Legati Præpotentibus Ordinibus traditarum inscriptione, consilium inierat, simul etiam Retroactis, quæ in ejusmodi casu tricesimo die Septembris, Anno 1632. cum Domino Grammay super eadem re obtigerant, exhibitis perspectisque, post deliberationem, secundùm Retroactorum argumentum, ac Celsissimi Arausionensium Principis de eâ re consilium, institutam, decreverunt Dominum Linteloe, D. Brouckhovium, & D. Vosbergium, rogare ac delegare, ut supradictum Dominum Legatum in Hospitio suo convenirent, Eidemque proponerent, Præpotentes D. D. Ordines Generales ad id operam dare, quo cum Cæsarea Suâ Majestate & Sacro Romano Imperio optimam ac sinceram Affinitatem, Amicitiam & Societatem colerent proindeque Majestatis Suæ Cæsareæ Legatos Affines debito honore prosequi possent, Ipsos tamen dignitatem Summumque Jus suum defendere oportere, prout Majestas Sua Cæsarea cæterique Reges Principesque ea summo studio defendere ac tueri solent: Sed quum ex literarum, à Comite Awersbergio traditarum, quas literas Auctoritatis ipsi concessas esse opinantur, inscriptione percipiant, se ejusmodi neutiquam haberi neque agnosci cujusmodi ab omnibus Regibus, Principibus Ducibusque habentur atque agnoscuntur, Idcircò easdem neque aperire, neque quidquam rerum Eosdem cum dicto Legato aut incipere aut transigere posse, quamdiu literarum titulus immutatus atque incorrectus maneret. Ac deinceps memoratas literas dicto Legato reddere jussi sunt, addita declaratione, Præpotentes Ordines ad ejusmodi literas ipsum neutiquam exauditiuros esse. Quibus habitis, plurimâ salute impertitâ, discesserunt.

Vicesimo & quinto die Martii, auditâ relatione Domini Linteloe, D. Brouckhovii, & D. Vosbergii, qui juxta Præpotentium D. D. Ordinum decretum vicesimo & secundo die Martii, supradictum Dominum Legatum in Hospitio suo convenerunt Eidemque Præpotentium D. D. Ordinum consilium ipso die super

literis Auctoritatis, pridie in Concilio D. D. Ordinum per Camerarium traditis, initum exposuerunt, ipsum quinetiam Comitem Awersbergium animo oppidò iniquo ferentem exhibuisse, à literis nonnihil descissum, partem scilicet aliquam pergamenæ, cui sigillum literis impressum fuerat, ac declarasse, se ejusmodi literas scissas Romanæ Cæsareæ Majestati Domino ac Committenti suo reddere non audere; ipsum tamen dictas literas multis protestando accepisse, seque Easdem in Hospitio Legati reliquisse. Postremo autem, sermones super titulo atque literarum inscriptione, quam sibi jure optimo competere Præpotentes Ordines censent, ultrò citroque habitos, quinetiam propositiones moderationis super literarum titulo & vocis *Fidelibus* omissione, à Cæsarea Majestate instituendis retulerunt. Quibus ordine enarratis, supradicti Domini Deputati discedentes ad Celsissimum Arausionensium Principem sese contulerunt; Cui postquam jam supra memorata ordine repetiissent, ac consilium ejus prudentissimum percepissent, omnibus perpensioni ulteriori subjectis, visum consultumque fuit, ut supradicti Domini Deputati iterum rogarentur ac delegarentur, quò Comitem Awersbergium in Hospitio suo convenirent, atque auctoritate publica ab Eodem exquirerent, num ipsi cognitum foret, quo titulo ac qualitate Populus Venetus à summe dictâ Cæsareâ Majestate literis suis insigniretur, hoc sive sciret, sive nesciret, nihilominus tamen, memorati Domini Præpotentium Dominorum Ordinum Deputati, nullas dehinc à Cæsareâ Majestate ad Præpotentes Ordines datas literas, quarum Titulus æq; ac inscriptio minorem Titulum, Inscriptionem ac qualitatem exhiberet, quam ejusmodi qualitas, Inscriptio Titulusque, cujusmodi Populus Venetus à Cæsareâ Suâ Majestate literis insignitur, acceptas iri declararent, simul etiam dictum Comitem Awersbergium rogarent, ut tantum laboris assumeret, quo illud apud Romanam Cæsaream Majestatem ipsemet effectum ire vellet, pro quo etiam beneficio à Parte utrâque gratiam suam reportaret. At verò, si supra memoratis Dominis Deputatis quidquam occurreret, quod huic rei inservire non existimarent, illud ad referendum conservarent.

Nota: *Quod autem rogabatur, ut illud apud Cæsaream Majestatem ipsemet effectum ire vellet, eo tacite humaniterque ipsius discessus expetebatur.*

Vicesimo & septimo die Martii, auditis ac perceptis, quæ Dominus Linteloe, D. Brouckhovius & D. Vosbergius, postquam ulterius cum dicto Comite Awersbergio fuissent colloquuti, retulerunt, res hactenus relicta est.

Vicesimo & octavo die Martii, postquam Præpotent. Ordines ulterius deliberassent, visum consultumq; fuit Dominum Linteloe, D. Brouckhovium, D. Vosbergium, D. Waltam & D. Aldringam rogare ac delegare, ut cum Celsissimo Arausionensium Principe colloquerentur ac consilium inirent, super titulis & literarum inscriptionibus, quas Præpotentes Ordines literis conscriptis à Cæsareâ Majestate exspectandas esse declararent, secundùm quas Cæsareos Ministros exaudire possent, similiter etiam super clausulis ac terminis Ejusmodi literis inserendis.

Vicesimo & nono die Martii, cognitis perceptisque omnibus, quæ à Domino Linteloe, D. Brouckhovio, D. Vosbergio, D. Walta & D. Aldringa relata fuerant, qui secundùm decretum hesternum cum Celsissimo Arausionensium Principe

cipe super Titulis literarumque inscriptionibus, uti etiam clausulis ac terminis qualitatis dignitatisque, quæ à Cæsareâ Majestate ad Præpotentes Ordines literas exarante desiderari atque exspectari possent, colloquuti erant; postquam rem acrius perpendissent, atque ad decretum Præpotentium Ordinum simili in casu, Anno 1639. vicesimo & nono die Novembris, animadvertissent, visum consultumque fuit Dominum Linteloe, D. Brouckhovium, & D. Vosbergium rogare ac delegare, ut pristinum laborem susciperent, & supradictum Comitem Awersbergium convenirent, Eidemque indicarent, quum Cæsareæ Suæ Majestati ad Præpotentes Ordines epistolam quamcunque literis Latinis, Gallicis, Italicis, Belgicis aut Germanicis conscriptam mittere placeret, Præpotentes Ordines desiderare, ut istius epistolæ Titulus, quemadmodum etiam suprema cjus Inscriptio hoc modo institueretur: si Latinis literis, *Celsi & Potentes Domini*, atque in ejusdem argumento, *Vestra Celsitudo:* si Gallicis, *Hauts & Puissants Seigneurs*, atque in ejusdem argum. *Vous:* si Italicis, *Celsi Potenti Signori*, atque in cjusdem argum. *Vostra Celsitudo:* si Belgicis, aut Germanicis, *Hoogh Mogende Heeren*, atque in ejusdem argum. *Vwe Hoogh Mog.* Ac quoniam hoc sic habetur, supradictum Comitem Awersbergium dictos Præpotentium Ordinum Deputatos præter exspectationem facillimè prævertere posse, Idcircò Comiti Awersbergio proponerent, num ipsi commodius esse videretur, si hoc literarum suarum moderamen, respectu Præpotentium Ordinum, apud Romanam Cæsaream Majestatem Dominum ac Deputantem suum ipsemet effectum redderet, gratiam ab utraque Parte pro tanto labore accepturus, aut saltem in tempus aliquod se ad Coloniensem Principem Electorem conferret, utpote qui propter dignitatem atque affinitatem suam ad Rerum & Cæsareæ Suæ Majestatis & Præpotentium Ordinum cognitionem pervenisset, quem consulere facillimè posset, cumque eodem certum aliquod remedium excogitare atque invenire, quo negotium Titulorum & Inscriptionum uti etiam terminorum in literarum argumento haud difficulter confici atque expediri posset, additâ declaratione, literas quæ à Cæsareâ Suâ Majestate ad Præpotentes Ordines iisdem titulis atque inscriptionibus, jam recensitis, destitutæ dabuntur, nullo modo iri acceptas; relinquentes Cæsareæ Suæ Majestatis beneplacito, quâ Linguâ easdem exarare vellet. Porrò autem decretum fuit, ut supra memorati Domini Deputati cum dicto Comite negotio confecto, Dominum Tuillerium Regiæ Majestatis Galliæ Legatum Ordinarium convenirent, atque ea, quæ supramemorata, quæque Comiti Awersbergio responsa fuerunt, ipsi indicarent, quo tempore locoque & quibus oportet, referret.

Primo die Aprilis, postquam deliberatum fuisset super Præpotent. D. D. Ordinum Gener. decreto vicesimo & sexto die Novembris, Anno 1639. super negotio Titulorum atque Inscriptione literarum, quemadmodum etiam in ipsarum literarum exordio, clausulis & qualitatis ac dignitatis terminis, qui à Regibus, Principibus, Ducibus & Rebuspub. ad Præpotentes Ordines literis mittuntur, desiderantur, visum consultumque fuit supradictos Ordinum Deputatos rogare atque delegare, ne porrò graventur memoratum Comitem Awersbergium rursus convenire eidemque indicare, ut, si Romana Cæsarea Majestas ad Præpotentes Ordines literas sive Latinâ, Gallicâ, Italicâ, Belgicâ sive Germanicâ Linguâ

exaratas mitteret, summè dictos Præpotentes Ordines exspectare, ut externus literarum titulus, atque interna inscriptio hoc modo instituantur; si Latinâ linguâ, *Celsi & Potentes Domini*, atque in earundem literarum argumento: *Vestra Celsitudo*: si Gallica, *Hauts & Puissants Seigneurs*, atque in earundem argum. *Vous*: si Italicâ, *Celsi Potenti Signori*, atque in earundem argum. *Vostra Celsitudo*: si Belgicâ aut Germanicâ, *Hoogh Mogende Heeren*, atque in earundem argumento, *Uwe Hoogh Mog.*

Secundo die Aprilis, auditis & perceptis iis, quæ supradicti Deputati Dominis Linteloe, & D. Vosbergius (quippe D. Brouckhovius aberat) retulerunt, utpote qui secundùm Præpotent. Ordinum decretum vicesimo & nono die Martii, proximè elapsi, Comitem Awersbergium adierant, Eidemque Præpotentium D. D. Ordinum sententiam ac voluntatem annunciaverant, de Negotio videlicet titulorum atque inscriptionum, & terminorum qualitatis ac dignitatis, quos Præpotentes Ordines in iis literis desiderant, quas Cæsareæ Suæ Majestati ad Eosdem exarare placuerit; visum fuit supramemoratis Dominis Deputatis pro labore ac sedulitate in hoc negotio susceptis gratias agere.

Vicesimo & primo die Junii, à Celsissimo Arausionensium Principe literæ, decimo & octavo die Junii exaratæ, ad Præpotentes Ordines perlatæ fuerunt, quibus petebat, ut, quidquid de mansione Comitis Awersbergii decrevissent, ejus se quamprimum certiorem redderent, quo in consilium vocato, decretum fuit Celsissimo Arausionensium Principi per literas respondere, Comitem Avversbergium haud aliter ac Privatum hominem Hagæ-Com. commorari, neque de rebus ullis, bonum publicum concernentibus, cum quopiam sive generatim sive speciatim agere, quin imo sic eum se continere, ut vix ab homine conspici possit. Ac quoniam Præpotentes Ordines assiduè declarant se & cum Cæsarea Majestate Suâ & cum S. Romano Imperio Neutralitatem, ut hactenus, colere velle, Ipsosque utriusque Incolas Subditosque cum suis bonis mercibusque non aliis modis, quam Neutrales solent, excipere, Idcircò nullam prorsus causam nullamque rationem invenire posse, quâ sæpius memoratum Comitem Avversbergium hinc discedere juberent, nisi causam aliquam violatæ Neutralitatis dare vellent.

E sequentibus Hispanorum propositum satis superque liquet (à Galliæ Ministris probato aut saltem demonstrato, Comitem Avversbergium Regis Hispaniarum sumptibus in Hollandiam pervenisse) Eos sc. cum Præpotentibus Ordinibus de Pace agere velle: In quem finem etiam Comes Avversbergius literis Auctoritatis Latinâ linguâ conscriptis munitus erat, quas plurimis Hagæ-Com. in Originali suo exhibuit, asserens, quod ad titulum attineret, sibi auctoritatem fuisse factam, qua cum Præpotentibus Ordinibus eo modo, quo cum Venetorum Repub. Cæsarea Majestas tractare consuevit, tam literarum Inscriptione quam allocutionis formulis, ageret.

Coram iis, qui ipsum privatim domi conveniebant, sæpiuscule in hæc verba erumpebat, Pax æterna, faciant Pacem æternam; quibus id volebat, Præpotentes Ordines nihil laudabilius nihilque exoptabilius quidquam agere posse, quam quo Pacem æternam conflarent, ut hoc pacto à latere quasi mandatum atque animum suum indicaret, atque utrumque acceptissimum redderet.

Postre-

Postremò autem Petitionem aliquam litteris conscriptam Præpotent. Ordinibus tradidit, quâ secundo à Commissariis exaudiri se petebat; indicans, se novas Auctoritatis literas accepisse.

Ad Petitionem verò respondebatur, scripta illa à Comite Avversbergio non esse subsignata; secundò, nihil ipsi præterquam literas suas Auctoritatis simpliciter tradendas esse; ut, num formulis debitis ac solennibus conscriptæ essent, perspici possent.

Quod tamen facere dubitabat, veritus num fortassis iisdem titulis atque inscriptionibus (Serenissima sc. & Serenitas) quibus Resp. Venetorum, insignirentur, quibus Præpotentes Ordines contentos fore metuebat, verum præcisè supradicto titulo (Celsi, Potentes sc.) inhæsuros, quo vel ipsi Galli Præpotentes Ordines non appellant. Insuper etiam Romanæ Cæsareæ Majestati in dedecus cessurum, si supradictæ literæ redderentur.

Quibus denique perspicere potuit (quod quidem erat verissimum) neque Gallos, neque Præpotentes Ordines ad Pacis Tractationem animum adjecisse, aut saltem Præpotentes Ordines sine Gallis separatim tractare noluisse, utpote queis Portugallorum & Catalonorum defectione, è continuato bello spes major rei feliciter adversus Hispanos gerendæ affulserat: quamvis de eo neutiquam dubitari possit, quin Hispani Præpotentibus Ordinibus seorsim à Gallis tractantibus, plura concessissent.

Nonnihil etiam apud illum temporis consumpsit Dominus Friquetius Burgundus, qui postmodum Tractationi Monasteriensi frequens adfuit, hujus Friquetii communicatio cum Celsissimo Arausionensium Principe sola atque in ipsius satisfactionem fuit instituta.

At verò Celsissimus Arausionensium Princeps & Præpotentes Ordines, rerum Domini, Gallis adhæserunt, neque aliquam oblationem privatam sejunctamque acceperunt.

Quo cognito perceptoque, supramemoratus Comes Avversbergius ulterius semetipsum Negotio immiscere noluit, sed verò Salvum-Conductum sibi suisque omnibus, & quæ portabant, petiit, ut per Brabandiam, Namurcum, Creutsnachum & Ratisbonam discederet, quo quidem Ipsi simul cum omnium tributorum onerumque immunitate concessis, vicesimo & nono die Junii Haga-Com. profectus est. Anno autem post, Hamburgum, Tractationem præliminarem conclusurus ac confirmaturus advenit.

Ea æstate, Anni 1641. Gennapum à Præpotentibus Ordinibus, atque Dorstenium à Coloniensi Principe Electore expugnata fuere.

Regina Mater, Brittannis summopere invisa, ex Anglia in Zelandiam recessit, indeque juxta Rhenum Coloniam pervenit, ubi Anno 1642. secundo die Julii naturæ concessit. Mense Decembri Nuptiæ minoris natu filiæ Celsissimi Arausionensium Principis cum Majoris natu filio Comitis Oost-Frisiæ confectæ fuerunt.

Mense Januario, Anno 1642. Præpot. D. D. Ordines Gener. Comiti Guebrianensi, Weymarienses Copias ducenti Vesaliam usq; per fines suos transitum concesserunt, quem clades Coloniensium militum, qui à supremo Duce *Lamboy* ducebantur,

bantur, prope Brabantiam Campestrem sequuta est, qua ipsa quoque *Lamboy* captus fuit.

Quæ quidem Victoria Majestati Suæ spem maximam dederat magna quædam atque eximia efficiendi, neque Circulum duntaxat Westphaliensem, verum etiam Orientalem Hispaniensium Provinciarum subactam Partem invadendi. Eaque propter sequentem cum Præpotentibus Ordinibus Tractatum iniri jussit, quo Guebriano tria peditum millia, triginta cohortibus distributa, traderentur. Eapropter etiam Rex quatuor millia Britannorum ex Galliâ misit: quæ Copiæ Hassiacis & Weymariensibus conjunctæ, ingentem exercitum confecerunt.

Tractatus autem, cum Legato *Tullerio* octavo die Martii initus, hic fuit.

Majestas Sua Galliæ, Hostium communium ad Pacem inclinatione perexiguâ cognitâ perspectâque, simul etiam percepto, Eosdem haud facile ad Pacem, nisi vi armorum, adduci posse; quo belli finis tam exoptatus obtineri queat, uti etiam Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Gener. supradictos Hostes, quantum hac æstate fieri poterit, strenuè fortiterque invadere atque oppugnare decreverunt. Et quo summè dictis Ordinibus tanto commodiora subsidia, quibus magnam atque eximiam aliquam expeditionem instituere obstricti obligatique erunt, supportentur, Idcircò Majestati Suæ in Annum 1642. subsidium aliquod nummarium iisdem, juxta Articulos sequentes, concedere placuit.

1. Majestas Sua Regia hoc vertente Anno 1642. Ordinibus Generalibus duodecies centenis librarum millibus subveniet: quibus extra Ordinem jam conscriptis aut dehinc conscribendis Copiis satisfacturi sunt: eâ lege tamen ac conditione, ut dictam nummorum Summam nullis rebus aliis impendere ipsis liceat. quod summè memorati Ordines Generales observaturos se esse promittunt; ut Hostibus, quodcunque & quibuscunque modis poterunt, damnum ac detrimentum inferant.

2. Majestas Sua Regia in exactiorem nummorum Parisiis exsolutionem, atque in ejus, quem nummorum supradictorum receptioni Domini D. Ordines Generales præfecturi sunt, satisfactionem, vadimonium sive assignationem, optimis conscriptam formulis dari curabit. Supra memoratæ autem summæ exsolutio in tres partes distribuetur, quarum prima, quater sc. centenorum librarum millium, primo hujusce Tractatus Confirmationis die; altera itidem quater centenorum librarum millium, Junio, proximè venturo, tertia denique quater centenorum librarum millium pars, Mense Octobri exsolvetur.

3. Quapropter etiam summè dicti Ordines Generales obstricti atque obligati erunt, ad Copias suas suppletas confirmatasque educendum, quibus expeditionem aliquam insignem & memorabilem occipere possint, dum eam quoque Majestas Regia à Parte sua in Belgii Provinciis occeptura, Hostibusque detrimentum, quodcunque poterit, illatura est.

4. Summè dicti Ordines Generales concedunt ac promittunt, Gallorum Præfectorum stipendia, à memoratâ nummorum Summâ deducta, eo modo exsoluta iri, quo Tractatu decimo & septimo die Junii, Anno 1630. ac decimo & quarto die Aprilis, Anno 1634. inito, conventum fuit. Quin insuper etiam illum, qui à summè dictis Ordinibus nummorum, qui Parisiis exsolventur, receptioni præfectus erit, stipendiorum summam ab ultimâ nummorum, à Majestate Regia annume-

numerandorum, parte Parisiis conficere ac comparare obstrictum obligatumque iri.

5. Majestas Sua Regia, uti etiam summè dicti Ordines Generales præsentem Tractatum sex septimanarum, sive duorum Mensium intervallo, si fieri poterit, confirmabunt.

6. Præsens denique Tractatus superioribus inter Majestatem Suam, atque inter D. D. Ordines Generales conflatis confirmatisque nihil quidquam derogabit, utpote qui vim ac vigorem suum obtinebunt, Eosque Pars utraque constanter ac fideliter observabunt & conservabunt.

Sequentibus autem insertum erat literarum Auctoritatis exemplar, quod Domino *Tuillerio* à Regiâ Majestate concessum fuerat. Exaratum in Fano S. Germani, septimo die Januarii, Anno 1642. Eum admodum etiam literarum Auctoritatis exemplar subjunctum erat, qua Præpotentes D. D. Ordines Generales Deputatos suos, Dominum Huygenium, D. Teresteinium, D. Brouckhovium, D. Catzium, D. Vosbergium, D. à Rensvvouda, D. à Donia, D. ab Haarsolte, & D. Aldringam præmuniverant. Exaratum Hagæ-Com. sexto die Martii, Anno 1642.

In quorum omnium testimonium Nos Regiæ Majestatis Suæ Legatus & D. D. Ordinum Generalium Deputati, vi literarum Nostrarum Auctoritatis, præsentes Articulos solitâ manuum Nostrarum subsignatione atq; annulorum signatoriorum impressione munivimus ac confirmavimus. Actum Hagæ-Com. Batavorum, Octavo die Martii, Anno 1642. Signatum erat, Tuillerius, R. Huygenius, C. Teresteinius, I. Brouckhovius, I. Catzius, D. Vosbergius, I. à Rheede, F. à Donia, S. ab Haarsolte, VV. Aldringa, annulisque signatoriis obsignatum. Atque à Regia Majestate solitis formulis confirmatum, sigilloque magno munitum. Actum Narbonæ tertio die Aprilis, Anno 1642. Notatum Bouthillier.

In pleniorem Articuli tertii superioris Tractatus, Hagæ-Com. Batav. confirmati, explicationem, constitutum ac decretum fuit, ut Majestas Sua Regia Ordinesque Generales utrinque exercitum octodecim aut viginti peditum millium, Equitum quatuor supra quingentos, sive quinque millium educerent, eoque exercitu decimo & quinto aut decimo & sexto die Maji, non autem serius, Belgis Provincias invaderent, Ordinum quinetiam exercitus locum aliquem insignem, cujus expugnatione plurimum Hostibus damni inferri poterit, oppugnaret, quemadmodum etiam Majestatis Suæ exercitus similem expeditionem occiperet, sive Hostium Copias tantopere distraheret, Provincias Eorundem invadendo, ut maximam Copiarum suarum Partem Majestatis Galliæ Copiis adversam habere cogantur, utque Celsissimus Arausionensium Princeps propositi sui feliciorem exitum consequatur. Eâ lege tamen ac conditione, ut, si Majestatis Suæ Copiæ nihil præterquam simplicem Copiarum Hostium distractionem efficere queant, diebus quatuordecim ante Ordinum Copias educendæ sint. At si constitutum decretumque fuerit, ut utrinsque Partis exercitus obsidionem aliquam instituat, tum uno eodemque die educendus, ac pars deficiens fidei non præstitæ arcessenda foret.

Summè dicti Ordines Generales promittunt ac pollicentur, se triginta ducentorum, 300. 400. *&* 500. *vehium naves, octavo die Aprilis, ad Oras Caletenses Maritimas explorandum missuros esse, quò Hostes à Parte maritimâ Flandriam intrare prohibeantur. Ac si Regiæ Majestatis Copiæ oppidum aliquod ad oras Flandriæ maritimas aggressæ fuerint, supramemorata navium triginta Classis tamdiu in Oris Flandricis permanebit, quamdiu ejusmodi expeditio*

ditio conficietur. Ipsum quinetiam oppidum eo modo à Parte maritimâ oppugnatura, quo nullus sive Hispanorum sive aliorum Regum & Principum Copiis armisque obsesso Oppido, sive directè sive indirectè succurrere queat. Summè dicti Ordines Generales tali quoque casu commeatum omnem, qui è Gallia supportabitur, ad castra Regia militum præsidio sufficienti advecturos, sive ut pretio mediocri eodem advehatur curaturos esse promittunt; nimirum, si ventus, ut è Gallia navibus abundè satis apportari nequeat, adversus, aut si secundus fuerit, ut è Fœderati Belgii Provinciis ad dicta Majestatis Suæ castra perferri commodius possit, quò expeditionem, quâ Copia tenebuntur implicita, facilius maturiusque conficere possint: cui quidem expeditioni arma viresque Suas Rex nunquam intendisset, nisi firmiter sibi persuasum habuisset, D. D. Ordines Generales præsentis Tractatus Articulos fideliter ac constanter esse observaturos, quos etiam fide qua est optima, se observaturos pollicentur, aut si contrarium patrarint, ut perfidiæ ac violationis Tractatuum cum Majestate Sua sancitorum arcessendi veniant.

Quin insuper etiam summè dicti Ordines Gener. promittunt ac pollicentur, se Majestatis Suæ Copiis concessuros ac permissuros esse, ut Rhenum Vesaliensem & Mosam Trajectensem liberè secureque transjicere possint, eâ lege tamen, ne illud in Provinciarum suarum præjudicium cedat.

Ordines quoque Generales promittunt ac pollicentur, se Copias suas in urbium stationibus neutiquam esse locaturos, quamdiu publicum commodum ac tempus idem postulare videbitur. In quorum omnium testimonium Nos, Majestatis Suæ Regiæ Legatus, Ordinumque Generalium Deputati, vi literarum Nostrarum Auctoritatis præsentibus manu Nostrâ subsignavimus, annulisque signatoriis munivimus. Actum Haga-Com. Batavorum, octavo die Martii, Anno 1642. Atque hoc modo signatum, Tuillerius, *R. Huygenius, I. Brouckhovius, I. Catzius, G. Vosbergius, I. à Reede, F. Doma, S. ab Haarsolte, VV. Aldringa. Annulisque signatoriis obsignatum; formulis quin insuper solennibus à Majestate Regiâ approbatum, Magnoque Sigillo munitum. Actum Narbonæ, tertio die Aprilis, Anno 1642. Notatum erat,*

Bouthillierius.

Exemplum secundi Articuli Privati.

Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, vi Tractatus hodierno die cum Regiâ Majestate initi confirmatique, promittunt ac pollicentur, se Majestati Suæ, ubi præsentem Tractatum confirmaverit, tria millia virorum integrorum unâ cum Præfectis suis, quos jam nunc sub signis habent, concessuros, ac juramento suo liberaturos esse: adeò ut cum reliquis Copiis Regiis transire, ac Majestati Suæ juramentum præstare possint. In cujus rei testimonium Nos, summè dictorum D. D. Ordinum Generalium Deputati, vi literarum Nostrarum Auctoritatis præsentibus more solito subsignavimus, annulisque signatoriis obsignavimus. Actum Haga-Com. Batavor. octavo die Martii, Anno 1642. Signatum erat, Tuillerius, *R. Huygenius, C. Teresteynius, F. à Doma, I. Brouckhovius, I. Catzius, S. ab Haarsolte, G. Vosbergius, Iohannes à Rheede, VV. Aldringa, annulisque suis munitum. Formulis insuper ordinariis à Majestate Regia approbatum, Magnoque Sigillo munitum. Actum Narbonæ tertio die Aprilis, Anno 1642. Subscriptum* Bouthillierius.

Exem-

Exemplum Declarationis sive Explicationis Præpot. D. D. Ordinum Generalium.

Nos, Unitarum Belgii Provinciarum Ordinum Generalium Deputati, quorum Nomina sequentibus inseruntur, posteaquam à Regia Majestatis Sua Legato D. Tuillerio *percepimus ordinem modumque, sibi à Rege Instructionis loco datum concessumque, mutatum esse,* ac loco Copiarum supramemoratarum, *sibi imperatum esse, ut indicaret Majestatem Suam tantum Copiarum subsidium mutuo duntaxat postulare, ac si fortasse formula, quibus illud Copiarum subsidium privato Articulo, hoc die inito confirmatoque, conceditur, Regi non placerent, supradictum tamen Legatum* ad id Auctoritate munitum fuisse certo credimus, *idque firmiter Nobis persuademus, Regem tam humanum fore, ut libenti animo confessurus sit, varios respectus ac circumstantias, quinetiam hujusce Reip. constitutiones, ut aliud quidquam Majestati Sua concedatur, neutiquam permittere. In quorum omnium testimonium præsentibus manu Nostra subsignavimus annulisque signatoriis munivimus. Actum Haga-Com. Batav. octavo die Martii, Anno* 1642. *Signatum R. Huigenius, C. Teresteynius, I. Brouckhovius, I. Catzius, G. Vosbergius, I. à Rheede, F. à Donia, S. ab Haarsolte, VV. Aldringa, annulisque signatoriis obsignatum.*

Exemplum Eorum, quæ Præpotentibus D.D. Ordinibus Generalibus promissa fuere.

Legatus Regis Christianissimi Tuillerius, *cujus nomen inferius exprimitur, promitto spondeoque tria peditum millia, simul cum Præfectis suis, quos Ordines Generales Majestati Sua, vi Tractatus hoc die cum Ordinibus Gener. initi confirmatique, se concessuros ac juramento suo liberaturos esse polliciti fuerunt, post duodecim Mensium intervallum unà cum Præfectis suis ad summè dictos Ordines reversuros esse. In quorum testimonium præsentibus manu propriâ subsignavi annuloque signatorio munivi. Actum Haga-Com. Batavor. octavo die Martii, Anno* 1642. *Signatum erat*, Tuillerius, *atque à Majestate Suâ debitis formulis confirmatum Narbona, tertio die Aprilis, Anno* 1642. *Notatum* Bouthillierius, *sigilloque gentilitio munitum.*

Tractatus ille Copiarumque eductio neque Gallis neque huic Statui in Belgii Provinciis quidquam profuit: quippe Hassiaci & Weymarienses, uti etiam Præpotentium D.D. Ordinum exercitus, universum æstatis tempus in castris ab utraque Parte Orsoyæ consumpserunt. Cumque jam Præpotent. Ordinum Copiæ in Urbium stationibus, propter Anni tempestatem, locarentur, Hassiaci & Weymarienses Rhenum Vesaliensem rursus trajecerunt, Nussio, Campinia Brabantiæ, cæterisque munitionibus parvulis milite præsidiario munitis.

Ab altera verò Parte Galli celeberrimam Perpignaniensem arcem cum universo Ruscinoniensi Comitatu occuparunt. Eodem quoque Anno miserrimæ Rerum Anglicarum commutationes apparere cœperunt. Regina ipsa cum Principe Regiâ initio Martii Hagam-Com. ex Angliâ pervenit: ac Rex Londino discedens, vexillum suum magnum erexit. A quo etiam tempore bellum in Angliâ continuatum fuit. Rex Ejusdemque Senatores percipientes causam suam religionis

gionis prætextu omnibus odiosam reddi, spem omnem in hoc conjugio positam habebant, eoque Britannis dubitantibus persuaderi posse sperâbant, quod, Natam suam, carissimum pignus, Reformatæ Religionis Principi elocando, Regi ne in mentem quidem unquam venisse de religione sua fideque commutandâ; neque dubitabant, quin Ordin. Generales ostenderent, eodem se matrimonio summopere condecoratos Regique devinctos esse; atque à Partibus suis starent, aut saltem majorem in modum faverent.

Primò itaque in hisce Provinciis de Legatione: Secundò de rerum bellicarum, armorum naviumque emptione atque exportatione: Tertiò de Præfectorum concessione militumque conscriptione actum fuit. At verò Nobiles & Potentes Hollandiæ Ordin. ut ab alterutrâ Parte starent, adduci neutiquam potuerunt; sed Partium Neutralitatem amplexi fuerunt. Adeò ut Matrimonium hoc contrarios planè effectus, quam quidem utræque Partes sibi in animum induxerant, obtinuerit.

Hujusce Anni initio, Serenissimus Rex Daniæ Præpotentibus Ordinibus operam atque intercessionem suam, quâ exoptatum belli finem ab Hispanis consequerentur, offerri jussit. Ad quam intercessionis oblationem per Domin. Vosbergium, D. Weeden, & D. Veltrielem Serenissimi Regis Residenti responsum fuit, antequam ad rem tantam perveniri posset, requisitis Salvis-Conductibus debitis formulis conscriptis opus esse.

Decimo & quarto die Januarii, satis ingens Hollandiæ Ordinum numerus in Concilium Præpotentium D. D. Ordinum Gener. pervenit, dicens, quandoquidem rumores spargerentur diem aliquem Tractationi Monasteriensi constitutum esse, neque certi quidquam è Gallia perciperetur, Idcircò petere se, ut, quum de subsidio nummario deque Copiarum eductione cum Domino Legato *Tuillerio* ageretur, idem illud proponeretur, quo sciri posset, num de ea re ipsi quidquam innotuisset. Quibus supra dictus Legatus respondit, sibi nullum, præterquam privatum aliquod D. *Avaucii* indicium, factum fuisse, nimirum, vicesimum & quintum diem Februarii, proximè venturi, Salvorum-Conductuum commutationi constitutum diemque Conventui Monasteriensi vicesimum & quintum Martii, proximè venturi, decretum fuisse. Quibus in Concilio relatis, Domini Provinciarum Ord. Deputati admoniti fuerunt, ut sese ad supra dictum Conventum appararent, suamque de Legatis eodem mittendis, simul etiam de literis Auctoritatis concipiendis sententiam dicerent.

Vicesimo & sexto die Januarii, Celsissimus Arausionensium Princeps literas quasdam Auctoritatis à Comite Trautmansdorpio Patri cuidam Georgio ex Ordine Dominicanorum reddendas, D. Eversteinio tradidit, qui Easdem D. Cardinali Richelio redderet; Is verò, quoniam quarto die Decembr. Anno 1642. è vitâ excesserat, easdem Domino Cardinali Mazarino tradidit. Ille autem nihil, præterquam benevolam admonitionem de Plenipotentiariis Gallicis ad Pacis Universalis Tractationem mittendis, retulit. Cui à Majestate Sua Regia pluribus responsum fuit, Pacificæ Tractationi moras non nisi ab Imperatore & Rege Hispaniarum hactenus interjectas fuisse, eo quod Salvos-Conductus formulis debitis institutos concedere negabant.

Deci-

Decimo & nono die Februarii, D. Catzius Præpot. D. D. Ordinibus Gener. Exemplum quoddam literarum Regii *Residentis S. Romani* Hamburgo decimo die Februarii ad D. Brassetium missarum, exhibuit: quibus indicabat, quum ipse Salvos-Conductus Hispanicos Nomine ac Titulo D. Francisci de Mello accipere noluisset; Comitem Avversbergium proposuisse, ut à Rege Hungariæ (eo namque Nomine Cæsar jam tum appellari consueverat) utpote à Rege Hispaniarum Auctoritate munito, traderentur. *Harum autem Partium Principes* (inquiebat supra dictus *S. Romanus*) *eo quidem Titulo ac Nomine Salvum-Conductum accipi posse judicant.*

Illi vero Salvo-Conductui, Viennæ Austriæ, vicesimo & octavo die Januarii, Anno 1642. exarato, hæc clausula inserta erat; Fœderatii Belgii Ordinum *Plenipotentiariis, ad Monasteriensem Tractationem ibidem institutam discedentibus, videlicet* . . . . *per omnia territoria, ac loca, &c. unà cum comitibus, familiaribus, familiis, equis, curribus, navibus, rebus, sarcinis scriptisque, &c. liberè secureque ire, transire, &c. licitum esto.*

Vicesimo & septimo die Februarii literæ quædam per D. Mathenesium, Celsissimi Arausionensium Principis jussu ac mandato, fuerunt traditæ ab eodem S. Romano Hamburgo decimo & septimo die Februarii unà cum Salvo-Conductu quodam missæ, qui quidem Salvus-Conductus ab Hispaniarum Rege Saragossæ decimo & nono die Novembris, Anno 1632. Subsignatus erat, *Io el Rey*, paulò infra, *Andreas de Roca:* omisso Unitarum Belgii Provinciarum Titulo, Argumentum Salvi-Conductus tale erat, quod *Plenipotentiariis, à Fœderati Belgii Provinciarum Ordinibus electis, sive adhuc eligendis, Salvum-Conductum concederet.*

Quibus cum Celsissimo Arausionensium Principe ulteriori examini subjectis, is qui à Rege Hispaniarum subsignatus erat Salvus-Conductus, Ipsi maximè placuit: at verò, quia expediti itineris Nuncius è Gallia in exspectatione erat, res hactenus dilata est.

Secundo die Martii Dominus *d'Estrades* literarum quarundam Auctoritatis, à Majestate Sua, in Fano S. Germani, octavo die Februarii conscriptarum causa in Concilium adductus fuit, ubi multa de Regis sui fidelitate animique sinceritate in Tractatibus, Fœderibus Ligisque cum Fœderati Belgii Ordinibus fideliter observandis conservandisque disseruit; insuper etiam adversus Hispanorum astutias eximiam admonitionem habuit, Eos scil. ubi tempus educendi Copias imminet, Pacis semper Tractationem offerre, neque alio fine, quam ut belli apparatui moras aliquas injicerent. Regem porrò, cohortium quarundam reductionem ab Ordinibus institutam, demiratum ajebat; ducentorum videlicet militum numerum ad centum supra quinquaginta, 150 ad centum supra viginti, & 120 ad centum deductum fuisse, quapropter existimabat Fœderati Belgii Copias parum instructas repletasque, eo quo oporteret modo, educi vix posse. At verò Hollandiæ Ordines, qui supra dictæ Copiarum reductionis causa fuerant, longè aliter sentiebant; nimirum quos dimittebant viros, nunquam Manipulis suis adesse; Seque Copias (ære debito tempore exsoluto) æque validas repletasque educturos esse.

Multa quoque super Copiarum eductione memoratus Dominus *d'Estrades*, multa quinetiam super rei bellicæ statu ac conditione disseruit.

Decimo & ſeptimo die Martii Præpotentes Ordines Salvi-Conductus Regis Hiſpaniarum conceptum ſibi gratum eſſe, Reſponſione quadam conſcriptâ, declararunt.

Decimo & tertio die Maji, Celſiſſimo Arauſionenſium Principe præſente, ſuper Mandatis literiſque Auctoritatis ad Monaſterienſem Tractationem deliberatum fuit.

Interea dum hæc geruntur, per Legatum hujuſce Reip. Ordinarium ſequens Tractatus cum Regia Majeſtate Pariſiis initus confirmatuſque fuit.

LVdovicus, Dei Gratiâ, Franciæ & Navarræ Rex, Omnibus & Singulis, ad quos præſentes pervenerint, Salutem: Conſtare volumus, in Concilio Noſtro Ordinum perlectum ac perpenſum fuiſſe Tractatum, quem Nomine locoque Noſtro fideliſſimi & dilectiſſimi Noſtri in Concilio Noſtro Ordinum Conſiliarii, Dominus Bouthillierus Chavignius, *Ordinis Noſtri Moderator Supremus; Ordinum & Mandatorum Secretarius, & Dominus* Tuillerius, *Ordinarius Noſter apud Fœderati Belgii Ordines Generales Legatus, jam verò in Aulâ Noſtrâ commorans, hujuſce Negotii Commiſſarii, cum D. Gulielmo de Lier, D. Ooſtervicio, ſummè dictorum Ordinum apud Nos Legato, vi literarum ſuarum Auctoritatis, quâ Noſtri Commiſſarii à Nobis, & ſupradictus Legatus ab Ordinibus Generalibus, muniti inierunt ac confirmarunt; Cujus exemplum tale eſt:*

Majeſtas Sua Galliæ, Hoſtium communium ad Pacem inclinatione perexiguâ cognitâ perſpectâque, ſimul etiam percepto, Eoſdem haud facile ad Pacem, niſi vi armorum adduci poſſe, quo belli finis tam exoptatus obtineri queat, nec non Fœderati Belgii Provinciarum Ordines conſtituerunt ac decreverunt, ſe Hoſtes ſupradictos, quantum hac æſtate fieri poterit, ſtrenuè fortiterque aggreſſuros atque oppugnaturos eſſe. Et quo ſummè dictis Ordinibus tanto commodiora ſubſidia, quibus magnam atque ingentem aliquam expeditionem conficere tenebuntur, ſupportentur, Idcircò Majeſtati Suæ in Annum 1643. ſubſidium aliquod nummarium pro more conſueto iiſdem largiri placuit.

1. Majeſtas Sua Regia hoc vertente Anno 1643. Ordinibus Generalibus duodecies centenis librarum millibus ſubveniet; quibus ſummè dicti Ordines Gener. extra ordinem jam conſcriptis ſive dehinc conſcribendis Copiis ſatisfacturi ſunt: eâ lege tamen ac conditione, ut dictam nummorum Summam nullis rebus aliis impendere Ipſis liceat, quod ſummè dicti Ordines Generales obſervaturos ſe promittunt ac pollicentur; ut Hoſtibus, quodcunque & quibuſcunque modis commodè poterunt, damnum ac detrimentum inferant.

2. Majeſtas Sua Regia in exactiorem nummorum Pariſiis exſolutionem, atque Ejuſce, cujus curæ receptionem dictæ Summæ Ordines demandabunt, ſatisfactionem, vadimonium, ſive aſſignationem, debitis formulis conſcriptam, dari curabit. Supradictæ autem ſummæ exſolutio in tres partes diſtribuetur: prima quater centenorum librarum millium primo hujuſce Tractatus ratihabitionis die, altera itidem quater centenorum librarum millium, Junio proximè venturo, tertia denique quater centenorum librarum millium pars, Menſe Octobri exſolvetur.

3. Quapropter etiam ſummè dicti Ordines Generales obſtricti atque obligati erunt ad Copias ſuas ſuppletas confirmataſque educendum, quibus expeditionem aliquam

aliquam memorabilem occipiant, dum eam quoque Majestas Sua in Belgii Provinciis occeptura Hostibusque detrimentum, quodcunque poterit, illatura est.

4. Summè dicti Ordines Generales concedunt ac promittunt Gallorum Præfectorum stipendia, à memoratâ nummorum summâ deducta, eo modo exsoluta iri, quo Tractatu decimo & septimo die Junii, Anno 1630. ac decimo & quarto Aprilis, Anno 1634. inito, conventum fuit. Quininsuper etiam illum, qui à summè dictis Ordinibus nummorum, qui Parisiis exsolvendi erunt, receptioni præficietur, stipendiorum Summam ab ultimâ nummorum à Majestate Regiâ annumerandorum parte Parisiis conficere atque exsolvere obstrictum obligatumque iri.

5. Majestas Sua, quemadmodum etiam Ord. Generales, per præsentem Tractatum sex septimanarum, sive duorum Mensium intervallo, si fieri poterit, confirmabunt.

6. Præsens denique Tractatus superioribus, inter Majestatem atque inter Ordines Generales initis confirmatisque, nihil quidquam derogabit; utpote qui vim ac vigorem suum obtinebunt, Eosque Partes utræque constanter fideliterque observabunt & conservabunt.

Exemplum Articulorum quorundam Privatorum.

Cognitis perspectisque à Regiâ Sua Majestate Articulis tricesimo die Martii, proximè elapsi, initis confirmatisque inter Dominum Bouthillierum Chavignium, *Majestatis Suæ in Concilio Regni Ordinum Consiliarium, Moderatorem Ordinis Regii Supremum, atque Ordinum & Mandatorum Secretarium, & Dominum* Tuillerium, *Ordinarium Majestatis Suæ apud Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Generales Legatum, jam verò in Aulâ Suâ commorantem, utrumque Majestatis Suæ Commissarium ab unâ, & Dominum de Lier, Dominum Oostervicium, summè dictorum Ordinum Gener. apud Regem Legatum, ab alterâ Parte, secundùm Tractatum ab iisdem vi literarum suarum Auctoritatis eo die initum confirmatumque,*

Idcirco in pleniorem tertii Articuli Tractatus, hoc die initi, explicationem constitutum decretumque fuit, ut Majestas Sua Regia Ordinesque Generales, utrinque exercitum octodecim aut viginti millium peditum, Equitum quatuor supra quingentos, sive quinque millium educerent, atque exercitu utroque decimo & quinto aut sexto die Maji Provincias Hispanorum Imperio subjectas invaderent, nisi fortassis Hispanorum Copiæ maturius eductæ fuerint: quo etiam tempore Majestas Sua Ordinesque Generales Copias suas educere tenebuntur, quocunque etiam sese movere constituissent. Ordinum quinetiam exercitus locum aliquem insignem, cujus expugnatione plurimum Hostibus damnum inferri poterit, oppugnaret: quemadmodum etiam Majestatis Suæ exercitus similem expeditionem occiperet; seu Hostium Copias tantopere distraheret, Eorundem Provincias invadendo, ut maximam suarum Copiarum Partem Majestatis Suæ Copiis adversam habere cogantur, utque Celsissimus Arausionensium Princeps propositi sui feliciorem exitum consequi possit. Eâ lege tamen ac conditione, ut, si Majestatis Suæ Copiæ nihil præterquam simplicem Copiarum Hostium distractionem efficere queant, diebus quatuordecim ante Ordinum Copias educendæ forent. At si constitutum decretumque fuerit, ut utriusque Partis Copiæ obsidionem aliquam sive munitionis cujuscunque oppugnatio-

nem

nem instituerent, ut uno eodemque die educendæ, atque in eo deficientes violatæ & non præstitæ fidei arcessendæ forent.

Summè dicti Ordines Generales promittunt ac pollicentur, se triginta ducentorum, 300. 400. *&* 500. *vehium naves ad oras Caletenses maritimas explorandum missuros esse, quo Hostes à Parte maritimâ Flandriam intrare prohibeantur. Ac si Majestatis Suæ Copiæ oppidum aliquod ad oras Flandriæ maritimas aggressæ fuerint, supra memorata navium triginta Classis tamdiu in oris Flandricis permanebit, quamdiu ejusmodi expeditio conficietur. Ipsum quinetiam oppidum eo modo oppugnabit, ne quis aut Hispanorum aut aliorum Regum Principumque armis Copiisque obsesso oppido, sive directè sive indirectè subvenire queat. Idcircò etiam Ordines Generales se commeatum omnem, qui è Gallia supportabitur, ad castra Regia præsidio militum satis magno deducturos, sive, ut pretio mediocri eodem advehatur, curaturos esse promittunt; videlicet, si ventus, ut commeatus è Gallia navibus abundè satis apportari nequeat, adversus fuerit, aut secundus, ut è Fœderati Belgii Provinciis ad castra Regia pervehi commodius possit, quò expeditionem, qua Copiæ implicitæ tenebuntur, faciliùs maturiusque conficere possint. Cui quidem expeditioni arma viresque Suas Rex nunquam intendisset, nisi firmiter sibi persuasum habuisset, Ordines Generales præsentem Articulum fideliter ac constanter esse observaturos, quod fide, qua est optima; se facturos pollicentur, aut si contrarium patrarint, ut perfidiæ ac violationis Tractatuum cum Regia Majestate initorum arcessendi veniant.*

Quin insuper etiam summè dicti Ordines Generales promittunt spondentque, se Majestatis Suæ Copiis concessuros ac permissuros esse, ut Rhenum Vesaliensem & Mosam Trajectensem liberè secureque transmittere possint. Eâ lege tamen, ne illud in Provinciarum Suarum præjudicium cedat.

Postremò autem D. D. Ordines Generales promittunt ac pollicentur, se Copias suas in urbium stationibus non locaturos, quamdiu publicum commodum ac tempus illud postulare videbitur.

In quorum omnium testimonium Nos, Regiæ Majestatis Suæ Commissarii Ordinumque General. Legatus, vi literarum Nostrarum Auctoritatis, præsentibus manu Nostrâ subsignavimus annulisque signatoriis munivimus. Actum Parisiis, tricesimo die Martii, Anno 1643. *Signatum erat,* Bouthillierus, Tuillerius *&* Gulielmus à Lier, *annulisque signatoriis munitum.*

Ac quoniam Majestas Sua Galliæ, Mense Majo, vitam cum morte commutaverat, & Ludovicus, eo Nomine XIV. Eidem in Regno successerat, hujusce Regis Galliarum supramemoratus Tractatus per sequentia Acta confirmatus ac ratihabitus fuit.

Exemplum Actorum super Tractatus Anni 1643. renovatione.

Q*Vandoquidem Dominus* Tuillerius, *Majestatis Suæ in Concilio Regni Ordinum Consiliarius, atque apud Fœderati Belgii Ordines Generales Legatus, decimo & quinto die Iunii, proximè elapsi, Fœderati Belgii Ordinibus Gener. exhibuit, Majestatem Regiam consilio Matris Suæ Regentis in rem fore duxisse, ut Tractatus, tricesimo die hujus Anni* 1643. *quem cum Parente suo, gloriosissimæ memoriæ, defuncto Ordines Gener. inierunt, hujusce Maje-*

Majestatis Nomine renovaretur. Idcircò summedicti Ordines Generales Regia petitioni ac voluntati satisfacere cupientes concesserunt, ut supramemoratus Tractatus cum dicto Majestatis Suæ Legato renovaretur rursusque confirmaretur.

Sequentibus nova quadam Auctoritatis litera, à Rege Ludovico XIV. *decimo & sexto die Maji exarata; inserebantur. Quemadmodum etiam litera Auctoritatis ab Ordinibus Generalibus, vicesimo & quarto die Augusti, Anno 1643. conscripta, Renovatio autem tricesimo die Augusti subsignata ac confirmata erat, ac Notata, Bartius à Gent, Hogendorpius, I. à Reede, A. Vierssen, VV. Ripperda, annulisque signatoriis munita.*

Rex Galliæ postquam longè diuque cum morbo conflixisset, tandem decimo & quarto Maji, sub horam secundam pomeridianam tertiamque è vita discessit, eo ipso die, quo ante triginta supra tres Annos, Parente ejus sicario interempto, Ipsemet ad sceptrum promotus fuit. Hoc igitur pacto Mater Regina, Cardinalis & Rex intra Anni spatium diem suum obierunt.

Decimo & nono die Maji, Hispanorum Copiæ ad Rocroium à Principe Condæo superatæ sunt. Quo novus hic Rex, quinto die, quo Parenti suo successerat, ingentem ab Hostibus suis victoriam consequutus est, quæ Pacis Tractationi haud multum inservivit.

Eo quod dies Conventus Monasteriensis undecimo Julii, stylo novo, & primo die, stylo veteri, proximè venturi, constitutus decretusque fuerat, primum omnium de legatione eo mittendâ agi cœptum est. Hollandiæ Ordines tres, aut ad summum quatuor Deputatos mittendos ducebant; reliqui autem Provinciarum Ordines, ex unaquaque Provinciâ unum mittendum esse judicabant. Hollandiæ Ordines, quatuor Provinciæ suæ Ordinum Deputatos Tractatui Anno 1632. interfuisse dicebant. Reliqui verò Provinciarum Ordines adhæc respondebant, se Anno 1607. unum duntaxat Deputatum ad Tractationem misisse, atque è singulis Provinciis unum interfuisse. Sed Ordines Gener. suorum Nomine locoque binos Extraordinarios adjunxisse.

Vicesimo & tertio die Maji, Celsissimus Arausionensium Princeps, nec non Celsiss. Princeps Gulielmus, ac Præpot. D. D. Ordinum Senatores & Consiliarii in Concilium quum venissent, seriò Ordines admonere cœperunt, ne, si Pacis Tractatio felicem exitum consequeretur, sufficienti militum numero Rempubl. suam conservare negligerent. Idem ipsum etiam Provinciis omnibus per literas hortatorias indicatum fuit.

Vicesimo & quinto die Maji, Potentium ac Nobil. Ordinum Hollandiæ Deputati Plenipotentiarios, quorum Nomina sequentibus exprimuntur, elegerunt; D. Matenesium, & D. Heemstedium: Trajecti ad Rhenum Ordines, D. à Renswoudâ: Frisiæ Ordines se imparatos adhuc ajebant: Trans-Ysulaniæ, D. ab Haarsolte, sive Ejusdem Valetudinis causa, D. à Ripperda: Civitatis Groningæ Omlandiæque, D. Aldringam: Gelriæ autem Zelandiæque Deputati aberant.

Vicesimo & octavo die in Concilio Ordinum propositum fuit, num ad Legationis Magnificentiam adderet, si Comes Gulielmus ceu Ordinum Generalium Nomine locoque extra Ordinem cum Deputatis mitteretur; præsertim quum id non sine exemplo foret, quandoquidem Anno 1607. factitatum fuerat. Huic propositioni Ultrajecti, Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Deputati conti-

 nuò

nuò assenserunt. Hollandiæ verò Deputati, Dominos suos Principales ab eadem non alienos fore, dicebant.

Dominus *Tuillerius* Majestatis Suæ Galliæ Legatus Hagam-Com. reversus, postquam ad colloquium vicesimo & nono die Maji pervenisset, Salvos-Conduct. in Originali, ut vocant, ab Imperatore tradidit, literis Latinis conscriptos, & vicesimo octavo die Januarii, Anno 1642. exaratos, atque ab Ipso Imperatore, Curtzio & Walderodo subsignatos.

Insuper etiam alium quendam ab Hispaniarum Rege subsignatum, ut supra commemoravi, tradidit.

Nono, vicesimo & secundo die Junii Zelandiæ Deputati summoperè sibi displicere dixerunt, quod, cum abessent, de Legatione atque Instructione ad Tractationem Monasteriensem reliqui Provinciarum Deputati agere cœpissent.

Interim tamen Provinciarum omnium Deputatos rogare decreverunt, ut septimo die Julii Concilio interesse vellent, quo super Instructione componendâ sententiam suam dicerent.

Decimo & tertio die Julii, D. Franciscus de Melos Salvos-Conductus Comiti Waltero, D. Lopo Zapafæ, Marchioni Castel de Rodrigo, D. Diego de Savedra, quinetiam Consiliario D. Marco Brun, à Celsissimo Arausionensium Principe per literas petiit. Quibus omnibus & singulis Salvi-Conductus ad Celsissimum Arausionensium Principem, qui eos unicè petebat, in Castra ad Assenedæ missi, ac postmodum à Celsitudine sua ad D. Franciscum de Melos à Buccinatore quodam perlati fuerunt.

Vicesimo die Julii, D. Meyndersvicius in Concilio Præsidens retulit, Serenissimum Principem Electorem Palatinum in Hospitio suo ingentes sibi gratias egisse pro summo studio, labore ac diligentia, quibus Præpot. D.D. Ordines per Legatum suum Parisiis commorantem enixi fuerant, ut de suâ quoque causâ in Tractatione Monasteriensi agi posset; quemadmodum illud ipsum à Præpotentibus D. D. Ordinibus hactenus petierat.

Quinto die Augusti secundæ literæ ad Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, Trans-Ysulaniæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Ordines exaratæ fuerunt, quibus unicè rogabantur (propterea quod septimo die Julii, secundùm superiorem petitionem, Hagam-Com. non advenissent) ut tandem vicesimo & quinto die Augusti Concilio interesse vellent, eo fine, ut vicesimo & septimo sequenti cum reliquis Provinciarum Ordinibus de electione Deputandorum, Plenipotentiariorum eorumque Instructione agerent. Et quoniam inter Civitates Groningæ Omlandiæque dissensio nonnulla de Comitiis oborta fuerat, idcircò de eadem quoque materiâ literæ ad Præpotentium D. D. Ordinum Deputatos, jam tum Groningæ commorantes, missæ fuerunt. Eodem fermè tempore renunciatum fuit, Regios Galliæ Plenipotentiarios D. sc. Avaucium & D. Chavignium intra septimanæ spatium Parisiis discessuros, ut Hagâ-Com. Monasterium tenderent; quo in consilium vocato, num Ipsi extraordinario quodam modo excipiendi essent, nihil quidquam de eo decretum fuit.

Undecimo die Augusti D. Renswoudæ in Concilio Præsidens, proposuit, Comitem Gulielmum, Frisiæ Moderatorem Supremum, Ordinum Gen. Nomine supra

ſupra Legatorum numerum ad Monaſterienſem Tractationem invitari oportere. De quâ re agendâ Hollandiæ Gelriæque Deputati imparatos ſe eſſe dixerunt.

Viceſimo ſexto, & ſeptimo die Auguſti, Nomine locoque Bremenſium & Hamburgenſium Civitatum omnem operam, ſtudium ac laborem adhibui, ut ab Ordinum quoque Plenipotentiariis inter tractandum de liberâ ſecuraque trans Veſarim Albimque Navigatione Commerciiſque, deque continuis Regis Daniæ vectigalium exactionibus, deque minitatis Oldenburgenſibus oneribus illius Fluminis ageretur.

De quâ re ſecundùm voluntatem ac petitionem actum fuit.

Tandem initio Septembris de Legatione ad Tractationem Monaſterienſem, deque Plenipotentiariorum Inſtructione agi cœptum eſt. Prius tamen de re militari confirmandâ actum fuit; quam ob cauſam etiam Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps Ordinumque Conſiliarii, ut eam in rem Catalogum componerent, rogati fuerunt.

Zelandiæ Ordinum Deputati Actis Publicis diurnis inſeri juſſerunt, *ſe Negotium quidem occipere velle, ſi videlicet Provinciarum Ordinum Deputatis ſuper Inſtructione Articuliſque cum Hoſtibus tranſigendis ſatisfieret; quod ſi denegaretur, hanc ſuam veniam nullam fore.*

Septimo die Septembris in Concilio Ordinum propoſitum fuit, quiſnam Domino *Avaucio* & Domino *Chavignio* (cujus loco poſtmodum D. *Servientius* ſubſtitutus fuit) divertendi locus conſtitueretur. Ea propter viſum conſultumque fuit, ut per D. *Mortaigne*, Aulæ Præfectum, Legatus Portugalliæ (cui propter incendium in ædibus illius obortum, in publicis ædibus commorari conceſſum erat) rogaretur, num ex iiſdem excedere, atque apud Ordinarium Legatum diverti placeret. Cui ille, ſibi eaſdem, quamdiu hic commoraretur, per Acta quædam Præpotentium D.D. Ordinum occupandas datas conceſſaſque eſſe. Inſuper etiam facillimè evenire poſſe (indicabat enim vulgus aliquando ædes ſuas ſpoliaſſe, ſibique ædes alias conducere interdictum fuiſſe) ut Legatum quoque Ordinarium in ædes ſuas recipere cogeretur.

Duodecimo die Septembris D. *Tuillerius*, ac diebus paucis poſt Legatus Portus *Fr. d'Andrade Leitao* ad colloquium admiſſus fuit, idque ſemper vi literarum Regis Galliæ, eo fine, quo Galliæ Ordinumque patrocinio Portugalliæ quoque Legato Monaſterienſi Tractationi intereſſe liceret: aut ſaltem ut proviſionaliter Galliæ Ordinumq; Plenipotentiariorum Salvorum-Conductuum beneficio Monaſterium perveniendi venia daretur. De qua re nihil certi tunc temporis decretum fuit.

Viceſimo die Octobris Dominus Meynerſvicius, & D. Arnhemius à Gelriâ, D. Matheneſius, D. à Stevelshoeck, D. Schapius, D. Keſſelius, & D. Catzius ab Hollandiâ, D. Knuytius, D. Staveniſſe à Zelandiâ, D. Nederhorſtius, D. Hoolckius à Provincia Ultrajectenſi, D. Kraakius, D. Veltdrillius à Friſiâ, D. Aldringa, D. Klantius à Civitate Groningâ Omlandiaque, Trans-Yſulaniæ quippe Deputati aberant, ad Monaſterienſem Tractationem delegati fuerunt.

Triceſimo & primo die Octobris ſequentes Articuli præliminares literis propoſiti fuerunt.

Exemplum maximi ponderis Articulorum, qui, priusquam cum Hostibus Induciarum Pacisve Tractatio aliqua institueretur, decernendi confirmandique forent.

VT Reip. Administratio, Jus supremum, Libertas Summa, ac Provinciarum omnium Concordia atque unanimitas cum earundem Juribus & Privilegiis secundùm vim Unionis, atque ipsam denique Unionem, vicesimo & nono die Januarii, Anno 1579. initam confirmatamque, conservarentur ac propugnarentur.

Religio autem, quemadmodum ea Anno 1619. Synodo Nationali Dordracenâ confirmata, atque ab omnibus & singulis Fœderati Belgii Provinciarum Ordinibus accepta fuit, conservaretur.

Tertiò, ne quæquam Militum sive Peditum sive Equitum rerumque eo pertinentium, secundùm Statum atque ordinem, de iis Celsissimi Arausionensium Principis & Consiliariorum Ordinum consilio ineundum ac constituendum, ante Induciarum Pacisve cum Hostibus Tractationem, eaque durante, diminutio, multò minus reductio aliqua concederetur.

Atque ut, præcedentes Articulos tres, utpote hujusce Reipub. fundamentum, immutatos permansuros, omnes & singulæ Provinciæ sanctè adjurarent, & dextram fidemque invicem darent, se omnia, quæcunque tandem in dictorum Articulorum commutationem sive annihilationem afferrentur, longissimè semota habituros esse. Cujus rei ergò Acta quædam publica instituerentur, quibus singulæ Provinciæ Deputati, tam suo quam Dominorum suorum Deputantium eorumque Successorum Nomine locoque, subsignare tenerentur, Idque vi specialium literarum Auctoritatis à Deputantibus suis eam in rem exhibendarum; formulæ quinetiam Procurationis ea de causa instituerentur, ut eodem modo atque ordine omnia fierent.

Quartò, ut, si Pacis Tractatio cum Hostibus feliciter procederet, Majestas Sua Galliæ rogaretur, ut firmam ac perpetuam cum Fœderati Belgii Provinciis Fœderationem atque amicitiam conflare velit, quâ Majestas Sua promitteret sponderetque, si fortassis Rex Hispaniarum Pacis Tractatum dissolveret, aut locum sive munitionem aliquam à Præpotentibus D. D. Ordin. Eorumve Nomine hactenus possessam oppugnaret, jam tum ipso facto cum Hispanis abrupturam sese bellumque occepturam esse; quemadmodum etiam Fœderati Belgii Provinciæ, si Rex Hispaniarum Pacis Tractatum cum Majestate Suâ Galliæ dissolveret, locumque aliquem sive munitionem summè dictæ Majestatis oppugnaret, cum Eodem Hispaniarum Rege abrupturos sese promitterent.

Quintò, ne, durante Pacis sive Induciarum cum Hostibus Tractatione, aliquæ militum Copiæ dimitterentur.

Sextò, ut omnia ad bellum præparata haberentur, quemadmodum æstate singulâ à Fœderati Belgii Provinciis fieri consueverat.

Septimò, ut paria singulis Provinciis onera ac tributa, quorum etiam ratio reddi possit, sedulò imperarentur.

Octavò, ut Pacis sive Induciarum cum Hostibus Tractatione procedente, remedium

medium aliquod excogitaretur, de solvendis Generalitatis debitis, eumque in finem onera quædam generalia excogitarentur ac concederentur. „

Nonò, ut onera quæ commeatus ac Licentarum Nomine veniunt, secundùm Ordinem eâ de causâ institutum, continuarentur, donec debita exsolvenda, nummique versuræ lucro, Senatus Archithalassi Nomine ac Titulo conflati, exsolverentur. „

Quod ad Militum Copias attinet: *Equestres ad sexaginta supra octo, mediamque Cohortem, Pedestres ad quadringentos supra sexaginta & septem Manipulos redacti fuerunt: adeò ut Equitum numerus quinque millia supra quingentos & octoginta, Milites autem triginta supra novem millia, octoginta insuper contineret,* quorum omnium stipendia diebus quadraginta, supra binos, *septies centenis & octoginta Florenorum millibus, supra centum & triginta quinque Florenos, assibusque decem æstimantur*; adeò ut singulis Annis universa Summa *sexagies centena Florenorum millia, septies insuper centena, octoginta & quatuor millia, nongentos supra sexaginta & duos Florenos, assesque undecim conficeret.*

Insuper etiam visum consultumque fuit, ut Acta quædam conscriberentur, secundùm quæ tres Articuli præliminares juramento confirmarentur: quemadmodum etiam, postquam Instructiones ad Tractationem Monasteriensem legi cœperunt, jurejurando invicem promiserunt, se omnia sub fide taciturnitatis acturos: eâ lege tamen, ut sibi liceret eadem Deputantibus suis aperire. Quod ut tantò rectius perciperetur decretum fuit, ut de eadem materia per singulas Provincias exemplaria distribuerentur: ad ea autem recipienda, D. Meyndersvicius, D. Catzius, D. Stavenisse, D. Nederhorstius, D. Craackius & D. Clantius delegati fuerunt.

Comites Avaucius & Servientius Majestatis Suæ Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii tandem decimo & octavo die Novembris Mosâ navi Dordrechtum usque devecti, omnem operam intenderunt, quo modis extraordinariis exciperentur; eo prætextu, quod hæc magnifica admodum delegatio esset; at verò Ordines, ne ex illâ extraordinariâ ordinaria quædam exceptio fieret, subverebantur; eò quod, *Modum* tam in ceremoniis, quam rebus ipsis *excedere*, Magnates plerumque soleant.

Primò itaque in Concilio Ordinum propositum fuit, num præter Ordinariam exceptionem, quâ D. *de Mortaigne* Aulæ Præfectus utrumque excipiebat, quispiam è Concilio Roterodamum, ad ceremonias præstandas, mittendus esset: Secundò, num Roterodamens. Magistratus invitandus ac rogandus foret, ut per duos tresve Civium Manipulos eos reciperent, & sumptibus publicis exciperent. Eum ad modum etiam Delphis. Tertiò, quibus modis ad Pontem (dictum *de Hoorn-Brugge*) excipiendi: Quartò, num Hagæ-Com. diem atque alterum præter morem solitum detinendi forent. Quibus perpensis, visum fuit, quantum ad primum & secundum pertineret, de iis nihil quidquam agi posse, sed illa arbitrio atque humanitati Magistratus relinqui debere. Tertium verò, quemadmodum etiam exceptio, quæ publicis sumptibus fieret, quantum ad dierum numerum attineret, pristinæ consuetudini relictum fuit; Eâ lege tamen, ut in Epulis Provinciarum magnificentiæ ratio haberetur. Ad eos autem prope pontem, quem dixi *de Hoorn-Brugge*, excipiendos Celsissimus Princeps Gulielmus rogatus atque

 invi-

invitatus fuit, eò quod hæc delegatio propter operis gravitatem magna atque eximia erat. Et quamvis Dominus Brassetius postmodum rursus rogaret, ut supramemorati Legati per quosdam sive per unum duntaxat Civium Hagiensium Manipulum exciperentur; disertis verbis ipsi ut responderetur, decretum fuit, Eos more solito exceptos, & Celsissimum Principem Gulielmum ad eos excipiendos solum hâc vice rogatum atque invitatum iri.

Dominus *de Mortaigne* per literas indicavit, Dominos Legatos vicesimo die Novembris Roterodamum advenisse, eosque ad vicesimum & secundum, quibus quater epulis exciperentur, permansuros esse, & quoniam ibidem loci advenientes Legati sumptibus publicis non nisi bis exciperentur, Idcircò jam nunc cognoscere cupiebat, num ultra binas epulas exsolveret; quibus per literas itidem responsum fuit, propterea quod extraordinaria illa esset delegatio, omnes quatuor exsolveret. Vicesimo & secundo die Novemb. Ordines iterum per literas certiores fecit, Dominos Legatos ultra quatuor epulas commorari velle, cupiens percipere, quid sibi in reliquis, quæ appararentur, agendum foret. Cui tum expressis verbis per literas regestum fuit, quod si de quatuor epulis exsolvendis nullum ipsis verbum fecisset, binas tantum pro more solito exsolveret; Sed si quatuor exsoluturum se dixisset, jam tum pro iis, neque aliis ullis satisfaceret; Eo quod cognitum exploratumque habebatur, Dominos Legatos id neutiquam parsimoniæ causa agere; Sed vero ut semper longè supra Ordines eminerent; simul etiam tot retrò Annis Præpotentium D. D. Ordinum dignitatem atque auctoritatem nonnihil imminuerent. Quod postmodum pluribus innotescet.

Vicesimo & tertio die Novemb. Dominus *de Mortaigne* Præpot. D. D. Ordinibus indicavit, Dominos Legatos horâ illius diei quartâ pomeridianâ ad Pontem, qui dicitur *de Hoorn-Brugge*, pervenire constituisse; ubi à Celsissimo Principe Gulielmo, cum ingenti Nobilitatis Comitatu, & Carrucarum satis magno numero excepti, ad ædes Domini ab Assendelft, quæ ipsis in Hospitium fuerant præparatæ, perducti fuerunt. Quo peracto, Dominus Arnhemius, D. Camerarius, D. Vosbergius, D. Nederhorstius, D. Veltdriel & D. Aldringa delegati fuêre, ut supradictis Legatis in Hospitio adventum gratularentur, ac primâ vice cum ipsis cœnam sumerent. Cum quibus Dominus *Avaucius* propter valetudinem, ut ajebat, minime accubuit. Sed verò, propter superbiam noluisse credebatur, utque sibi summopere displicere ostenderet, Legatos non laute satis neque magnifice à Præpotentibus D. D. Ordinibus exceptos fuisse.

Dominus autem *Servientius*, qui assiduè epulis intererat, eo semper sermones suos dirigebat, Quod nimirum Serenissima Regina Ordinesque Regni Pacem inire constituissent, ac quoniam satis Christiani sanguinis ferro profusum esset, idcircò maturandum, neque tempus frustra consumendum esse.

Postquam primo die Decembris, cum Ordinario Legato, Domino *Tuillerio* (Domino *Avaucio* verba terminis generalioribus faciente, dextrum latus Dominus *Servientius*, sinistrum verò Dominus *Tuillerius* claudebat) patentibus Janais exauditi fuerant, Commissarios, quibuscum agere possent, petierunt: Quocirca etiam delegati fuerunt D. Meynersvicius, D. Mathenesius, D. Pauw, D. Knuytius, D. Hoolkius, D. Ripperda & D. Aldringa. Dominus autem Veltdriel, qui Ordi-

Ordinum Frisiæ Nomine solus hîc aderat, se Legatorum Conventui interesse posse negabat, interim tamen quæcunque in eodem agerentur, se concessurum esse asserebat.

Exemplum Potestatis atque Auctoritatis, quæ ad res præsentes haud parum attinet, hisce inserere visum fuit.

CHarißimi & Dilectißimi Amici, Socii & Confœderati Nostri; Hoc tempore in Germaniam mittimus precharum & predilectum Nostrum Nepotem, Henricum Orlientium, Longevillæ & Toutevillæ Ducem, absolutum Principem ac Comitem in Neufchastel, Comitem Dunoisiæ, & Tancarvillæ, Hereditarium Normandiæ Comitem Stabili, Moderatorem atque in ea Regni Parte Vicarium Nostrum, centum Ordinis Nostri militum Præfectum, atque Ordinis Nostri Equitem; Fidißimum Nobis & Charißimum Dominum Claudium de Mesmes, Comitem Avauciæ, Ordinum Nostrorum Supremum Moderatorem, rei Aerariæ in Galliâ Curatorem Summum, Territorii Præfectum; & Fidelißimum ac Charißimum Dominum, D. Abelem Servientium, Comitem de la Roche, in Concilio Ordinum Nostrorum Consiliarium, universos ac singulos, qualitate ac Titulo Plenipotentiariorum Nostrorum, eo tamen fine, ut simul cum Amicis & Confœderatis Nostris de Pace Vniversali agerent. Ac quoniam in Conventu Monasteriensis Tractationis ad id operam damus, quò Nostram erga Vos benevolentiam ac voluntatem ostendamus, Idcircò consilio atque arbitrio Serenißimæ Reginæ, Matris Nostræ plurimum honorandæ, hæc ad Vos dedimus, quò Vos certiores redderemus, quandoquidem eadem voluntate affecti simus, quam Reverendus Noster Parens aßiduò habuit, ad intimam Provinciarum Vestrarum Vnionem conservandam, Nos supradictis Comitibus Avauciæ, & de la Roche mandasse ac præcepisse, ut, titulo ac qualitate Legatorum Nostrorum Extraordinariorum, plenißimâ Auctoritate munitorum, in Hollandiam discederent, quo Fidelißimum & Charißimum Nostrum Legatum, D. Tuillerium, in Concilio Ordinum Regni Nostri Consiliarium convenirent, cumque iis, qui à Vobis Auctoritate munientur, omnes ac singulos Tractatus Articulosque inirent ac confirmarent, quos & Nostris & Vestris commodis & causis, quæ, ut ad Pacis conclusionem perveniri queat, componi debent, plurimum inservire arbitrabuntur. Quin etiam Legatis Nostris hoc imprimis mandasse, ut Vos de amore ac benevolentiâ Nostrâ certos facerent, Vestramque causam omni ex parte cognoscerent, quo ad Tractationem Vniversalem non minori, quam Nostram, vigore ac studio deferrent, Nostram quoque causam Vobis indicarent, eo fine, quo simul inter se de eadem agerent, atque inter Regnum Nostrum Vestrumque Statum sinceram ac firmam Amicitiam Societatemque conservarent, quò tanto facilius supradictam Pacem ejusdemque securitatem consequi poßimus. Plenißimam itaque fidem ipsis habebitis, in omibus iis, quæ Vobis exposituri sunt. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. rogamus, ut Vos, Charißimi, & Dilectissimi Amici, Socii ac Confœderati Nostri, in tutelam suam cœlestem suscipere velit. Actum Parisiis, postremo die Septembris, Anno 1643. Amicus & Confœderatus Vester, Ludovicus; *Pauloque infra,* de Lomenies.

Literarum Inscriptio hæc erat:

Charissimis & Dilectißimis Nostris Amicis, Sociis & Confœderatis Vnitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordinibus Generalibus.

In

In ipso Conventus initio, eò quod Regii Galliæ Legati majorem, quam quidem consueverant, inter excipiendum honorem tantopere postulârant, Ordines Generales causam ceperunt conquerendi de eo, quod Rex Galliarum Ejusdemque Ministri ac Legati huic Statui ejusque Legatis dignitatis atque Auctoritatis titulos surripere studebant. At verò quantopere etiam Ordines urgebant, tamen responsionem suam, eo quod nullâ se Auctoritate ad id munitos ajebant, excusârunt. Interim tamen de Copiarum Gubriani nuperrimè profligatarum restauratione, deque subsidio atque auxilio Serenissimæ Dominæ Principis, Hassiæ Land-Gravii Viduæ Ejusdemque exercitu, quo maximum Gallis incommodum obortum existimabat, multa egit; quapropter etiam rogabat, ut Ordines Generales qui propius aderant, tam Serenissimæ Principi, quam Gubriani Copiis, quamvis longè dissitis, ingenti aliquo, sive Copiarum, nummorum, commeatus, sive rerum bellicarum auxilio subvenirent. Quibus in Concilio Ordinum relatis, ex eorundem decreti præscripto, conventu proximo responsum fuit, Præpotentes sc. Ordines majorem in modum lætari, quod Majestas Sua Galliæ in Copiarum Gubriani restaurationem Vice-Comitem Turennium, strenuum atque egregium Ducem, iisdem præfecerat, ipsi interea per literas Eam consolarentur, ac pro temporis opportunitate succurrerent, absque ullâ tamen subsidii auxiliique promissione reali. Deinde autem à Majestatis Suæ Legatis propositum fuit, quo modo Tractatio Monasteriensis institueretur: quo in Consilium vocato, eoque in Concilio Ordinum relato, tandem responsum fuit, Præpotentes Ordines Plenipotentiarios suos ad Tractationem Monasteriensem missuros, atque eos, qui cum Hostibus acturi essent, ex ipso Ordinum Collegio immediatè, & singulas partes, tam Regiæ Majestatis Galliæ, quam Præpotentium D. D. Ordinum proprias res causasque acturos, ac, si fieri posset, rem ad Inducias, angustè duodecim Annorum, deducturos esse. Nihilominus tamen, non nisi communi consensu quidquam concedendum ac concludendum esse. Omnia denique pari passu, eodemque modo agenda, atque altera cum Hispanis dissolvente alteri quoque Parti dissolvendum esse. Zelandiæ verò Deputati, quemadmodum antehac, pristinas suas Protestationes repetierunt.

Vicesimo & primo die Novembris Dominis Legatis sequens Memoriale traditum fuit.

Celsitudinibus Suis Regiæ Majestati Galliæ annunciare placebit, Serenissimum Regem, Henricum Magnum, gloriosissimæ memoriæ, post Inducias, Anno 1609. confirmatas, declarasse Fœderati Belgii Ordin. Generalium Legatos absolutum & potentem Statum repræsentantem eodem modo ac qualitate cum Serenissimorum Venetorum Legatis habitos atque exceptos iri, quos immediatè sequerentur, Eosdem pallio quasi pone apprehendendo.

Eapropter etiam omnes Galliæ, Magnæ Britanniæ, Sueciæ Daniæque Reges, quin ipsos etiam Venetos in omnibus suis exceptionibus, colloquiis, ceremoniis actibusque solennibus Fœderati Belgii Ordinum Legatos haud aliter, quam Legati sui habentur atque excipiuntur, habuisse atque excepisse.

Iam autem obtenebrationem quandam Galliæ Ordinumque Legatorum errore obtigisse; utque incommodis atque interruptionibus hisce, quæ dehinc Monasterii in visitationibus, communicationibus ac Societate Legatorum & Plenipotentiariorum mutuâ suboriri possent, occurra-

curratur & resistatur, Idcircò Fœderati Belgii Ordines Generales Regiam Majestatem Suam unicè rogare, ut Legato ac Plenipotentiariis suis, qui Monasteriensi Tractationi interfuturi sunt, mandata ac necessaria injungere, Ordinumque Legatos eo modo, quo Serenissimorum Venetorum Legati excipiuntur atque habentur, excipere atque habere velit. Actum Haga-Com. in Concilio Fœderati Belgii Ordinum Generalium, vicesimo & primo die Novembris, Anno 1643.

Eodem fermè tempore inter Provincias, de sumptuum Monasterii impendendorum exsolutione, disceptatum fuit. Hollandia Provinciam quamque suorum Plenipotentiariorum sumptus exsolvere volebat: reliquæ autem contra, illud Generalitatis Ordini adversum esse; Præpotentes quinetiam Ordines tali casu neutiquam concessuros, ut è Collegio suo Generali quidam Monasteriensi Tractationi interessent; undè alia rursus incommoda suboritura essent. Tandem tamen suam quamque impensorum Partem exsoluturam concessum decretumque fuit.

Decimo & quarto die Januarii Majestatis Suæ Portugalliæ Legatus Andreas Leitaus rogari jussit, num se quoque in Societatem suorum Legatorum ad Conventum Monasteriensem recipere vellent. Quo perpenso, simul etiam quod Majestas Sua Galliæ alteras jam literas misisset, Ejusdemque Legati illius rei mentionem fecissent, ad eam petitionem respondere decretum est. Ipsum videlicet Legati qualitate cum Præpotentium Ordinum Legatis, ad Tractationem Monasteriensem admitti nullo modo posse; illud verò sibi in manu esse, ut ad eam præsidio aliquo securè ac liberè pervenire posset; Si Nobilis Aulici, seu privati cujusdam qualitate comitari cuperet, neutiquam ipsi denegatum iri: at verò postquam Monasterium pervenisset, Plenipotentiariorum suorum clientelæ non amplius confidendum esse.

Vicesimo & sexto die Januarii, Ordines Generales omni studio ac diligentiâ incubuerunt, quo Regios Legatos ad Inducias multorum Annorum adducerent; quod equidem nonum Articulum Ligæ Garantiæ, ut vocant, sive securitatis, postmodum initæ, respiciebat, de quibus pluribus. Interea autem Ordines Generales Titulorum Honorariorum, Dignitatis atque Auctoritatis Summæ satisfactionem sibi rursus postularunt.

Cujus quidem rei gratiâ Dominus Haga, qui Præpotentium Ordinum Nomine locoque Oratorem Constantinopoli egerat, per egregia quædam Acta conscripta pluribus demonstravit, Se Constantinopoli, in Poloniâ atque in Germania haud aliter quam Regium Legatum, habitum exceptumque fuisse. Idem quoque à Domino vander Mylen, & qui Constantinopoli hujusce Reipubl. Nomine locoque commorati fuerant, clarissimè demonstratum fuit. Deinde autem super malitiosa navium Fœderati Belgii Subditorum per Gallos in Mari Mediterraneo direptione conquesti fuerunt. Quibus cum propter Auctoritatis indigentiam de ea re agendâ, Regiæ Majestatis Galliæ Legati nihil respondissent, idcircò sequenti æstate Legati ab Ordinibus Generalibus in Galliam missi fuerunt, qui Tractatum quendam maritimum inierunt.

Proximo Conventu Legati Regii, ut Tractatus aliquis de Copiarum eductione deque armorum quadam expeditione iniretur, rogarunt, asserentes Serenissi-

mam Reginam ſequenti æſtate ingentem aliquam, atque eximiam expeditionem occepturam eſſe. Ac quoniam Majeſtas Sua novas quaſdam militum Copias conſcribere neceſſe haberet, Idcircò in luſtrationem & congregationem Copiarum Haram, pagum quendam propè Trajectum ad Moſam, ſibi concedi poſtularunt. Quinctiam miſerrimum Rerum Sereniſſimæ Principis Haſſiæ Landt-Gravii Viduæ ſtatum ac conditionem, propter profligatas Guibriani Copias, exhibuerunt. Caſſelienſem quoque Civitatem in ſummo obſidionis periculo verſari: quapropter ſummè dictæ Principi Copiarum aut nummorum auxilium iterum iterumque rogarunt.

Conventibus denique multis variiſque habitis Liga Securitatis ad octo Articulos redacta fuit; de quibus Pars utraque ſatis conveniebat, de nono autem aliqui ambigebant. Haram ipſis & congregandi & luſtrandi Copias conceſſam ajebant, inſuper etiam Sereniſſimæ Principi, tantum è penu, quo tormenta & res bellicæ conduntur, commeatus & tormentorum bellicorum, datum iri, quantum Reip. Status ferre poſſet, pro qua oblatione gratiis actis, octo Articulorum confirmationem urgebant, propterea quod alterius Partis Plenipotent. tantas in Hollandiâ moras non niſi Gallorum à Pace averſionem interpretari ajebant. Præpot. D. D. Ordinum Deputati tantas itineri Monaſterienſi moras non aliam ob cauſam interjectas fuiſſe reſpondebant, quam quod Provinciæ pleræque adhuc imparatæ forent, eaſque Reip. Status requiſiſſet. Ad hæc autem tertiam Legatorum ad Memoriale hoc ſuper Titulis Honorariis, Dignitate atque Auctoritate ſupremâ ad modum Venetorum, viceſimo & primo die Decembris exhibitum, ſolidam & nullis ambagibus implicitam Reſponſionem quærebant; de quâ re agendâ Regii Legati nullâ poteſtate ſe munitos dicebant; eamque in Gallicâ Aulâ quærendam eſſe. Illud omnibus mirum, quippe cognitum compertumque erat, Præpotentium D. D. Ordinum Legatos ad Annum uſque triceſimum ſupra ſecundum 1632. haud diſſimilem in modum cum Venetorum Legatis habitos exceptoſque fuiſſe. Ab iſthoc autem Anno Gallos non rogatos Arauſionenſium Principi Titulos majores magiſque honorarios conceſſiſſe; contrà verò huic Statui, *Invictiſſimi, Potentiſſimi* & *Glorioſiſſimi* Titulos ſurripuiſſe. Et quamvis Provinciæ omnes, imprimis Hollandia, ſummo ſtudio id agerent, ac ſatis declararent, ſe Monaſterienſi Tractationi nullo modo intereſſe poſſe, antequam ſibi in eâ re ſatiſfactum foret, fruſtrà tamen in eo laboratum fuit, quinimo ſatis apparebat, Gallos Præpot. D. D. Ordinum Plenipotentiariorum à Monaſterienſi Tractatione abſentiam animo haud iniquo ferre, quo univerſum Tractationis Negotium, ſequuturam ſaltem æſtatem (quâ Sereniſſimam Reginam expeditionem aliquam magnam atque ingentem moliri dixerant) producerent. Duodecimo die Februarii, complures Hollandiæ Deputati in Præpotentium D. D. Ordinum Concilium pervenerunt, ibique declararunt, ſe nequidquam de Tractatione nova cum Gallis aperire poſſe, niſi prius in Titulis Honorariis ſatisfactum foret. Quâ de re Celſiſſimum Arauſionenſium Principem conſulere decreverunt. Sed poſtquam deinde conveniſſent, res eâ lege ac conditione compoſita fuit, ut Galli Præpotentibus Ordinibus duodecies centenis Florenorum millibus ſubvenirent. Multum quinetiam de Tractatus initio, videlicet de verbis (*Seigneurs Eſtats*) pro quibus Galli

(*Sieurs*

(*Sieurs Estats*) scribere volebant, multum quoque de verbo (*Respectu*) ultrò citròque disceptatum fuit. Galli etiam Papæ Romani Nuncio Salvum-Conductum, quo Coloniâ ad Monasteriensem Tractationem pervenire posset, rogabant; de quo deliberatum fuit.

Quinetiam relaxationem Ecclesiasticorum quorundam Ordinis Romani, qui è Montium ditione evecti atque Orsoyam captivi perducti fuerant; ad hæc literas quasdam interceptas à *Petro de la Cotera*, Gelriæ Gubernatore commonstrabant, quibus satis superque liquebat, Præfectum *Lamboy* Copias Regis Hispaniarum stipendia mereri; proindeque ab Ordinibus ut Hostes, non autem ut Neutrales, habendos esse. Juxta supradictos Articulos, maximus quoque fuit de Ligâ Garantiæ sive Securitatis. Quamvis enim octo Articulis Pars utraque annueret, nihilominus tamen de nono quodam, sequentibus inserto, disceptabatur; Cui Provinciarum, imprimis autem Zelandiæ Deputati plurimum inhærebant, saltem ut Articulus quidam privatus haberetur: quod ut concederent Regii Legati nullâ Auctoritate munitos se prædicabant.

Zelandiæ Deputati rursum protestati sunt, se acceptatione octo Articulorum in mutationem, innovationem aut confirmationem Tractatuum Anni 1630. 1634. & 1635. neutiquam consentire; Verum eos valori ac robori suo permittere: priores quidem Articulos concesserunt; nequaquam verò se posse annuere, quod Articulo quarto & quinto dicebatur, neque Gallis neque huic Statui, Tractationes suas præ altero promovere, integrum esse, utpote *quod non modo non fieri solet*; verum etiam huic Statui noxium ac perniciosum est: eo quod sufficeret, alteri sine alterius consensu quicquam concludere non licere.

Apud Legatos Regis Galliarum secundò de Auctoritatis Dignitatisque *Titulis Honorariis* laboratum est, dicendo horum octo Articulorum sive Ligæ Garantiæ, quam vocant, conclusionem effectum nullum consequuturam esse, nisi huic Statui super solennibus istis Articulis satisfiat: quum nulla visitatio mutua, neque sine visitatione ulla communicatio fieri possit. Sed præter ablegationem ad aulam nihil obtinebatur: quocirca ad Commissarium Houstium (eò quod Legatus Lirius Hagæ-Com. commorabatur) literæ datæ fuerunt. Quum autem Legati Regis Galliarum nonum Articulum acceptare etiamnum renuerent, D.D. Deputati, eo non obstante, Articulum hunc Legatis Regis Galliarum tradendi Auctoritatem acceperunt: addendo Præpotentes D.D. Ordines supradictum nonum Articulum, quod si eveniat, supra memoratorum octo Articulorum Tractatui pro inserto habere. Zelandiæ autem Deputati declarabant, se needum in mandatis quicquam habere, neque supradictis annuere, nisi consensu Deputantium suorum salvo; & antehabitis protestationibus.

Subsignatio Tractatus super Copiarum eductione facta est Hagæ-Com. vicesimo & nono die Februarii, octo verò Articulorum seu Ligæ Garantiæ, quam vocant, Kalendis Martii, cujusmodi sequuntur.

LVdovicus, Dei Gratiâ, Galliæ & Navarræ Rex, omnibus & singulis, quibus continget præsentes literas legere audireve, Salutem: Constare volumus in Concilio Nostro visum examinatumque fuisse Tractatum, Nostro Nomine Hagæ-Com. Batavorum initum & subsi-

gnatum à Charissimo Nostro & Fidelissimo Claudio de Mesmes, *Comite* Avauciæ, *Ordinis Nostri Moderatore, Aerarii Nostri publici Præfecto, Regnique Nostri Ministro; & Dilectissimo & Fidelissimo* Abele Servientio, *Duce Rosæi, Consiliario in omnibus Nostris Conciliis, Extraordinariis Plenipotent. ac Legatis ad communem pacem; ut & Dilectissimo ac Fidelissimo* Gasparo Coigneto Tuillerio, *in Conciliis Nostris Consiliario, & Legato Nostro apud charissimos Amicos, Socios & Confœderatos D. D. Fœderati Belgii Ordines Generales, Commissariis Nostris hac in parte, cum D. D. Deputatis Bartoltio à Gent, Loenii & Meinersvici Domino, Senescallo Tiletensis Bommeliensisque Insulæ, Iohanne Matenesio, Toparchâ in Matenesse, Riviere, Opmaria & Souteveen; Iacobo Catzio, Equite, Hollandiæ & VVest-Frisiæ Syndico Supremo; Iohanne Knuytio, Equite, utriusque Vosmariæ Toparchâ, Primario atque Equestrem & Nobilium Zelandiæ Ordinem repræsentante, Ordinario charissimi & dilectissimi Nostri Nepotis, Arausionensium Principis Consiliario; Gisberto ab Hoolkio, Trajecti ad Rhenum Ex-Consule; Francisco à Donia, Toparchâ in Hinnema & Heytsum; Gulielmo Ripperda, Domino in Boxbergen, Boculo & Hengelo; & Adriano Clantio, Domino in Stedum, vi literarum Auctoritatis Legatorum Nostrorum supra memoratorum, & supra dictorum D. D. Deputatorum, quorum Tractatuum & utriusque Auctoritatis Exemplum subsequitur.*

Rex Christianissimus, consilio Reginæ Matris, communium Hostium exiguâ ad Pacem inclinatione & voluntate, quâ hactenus tenentur, cognitâ perspectâque, ipsi verò, quamvis propter ejusdem Tractationem tandem nonnullos è Plenipotentiariis suis Monasterium miserint, ut hoc prætextu acquiescere & negotio moram injicere possent, nisi æquas honestasque conditiones accipere armis cogantur; Idcirco ad tam exoptatum finem consequendum, Majestas Sua eos simul cum Fœderati Belgii D. D. Ordinibus Generalibus, quam poterit fieri infensissimè, aggredi constituit decrevitque. Ut autem summè memoratis D. D. Ordinibus medium sufferendi sumptus suppeditetur, quos magnæ cuidam expeditioni impendere tenebuntur, *summè dicta Majestas D. D. Ordinibus præsenti Anno 1644. extraordinarium quoddam subsidium nummarium, juxta conditiones sequentes, concessit.*

1. Majestas Sua hoc vertente Anno 1644. summè memoratis D. D. Ordinibus Generalibus duodecies centenis librarum millibus subveniet, quas summè dicti D. D. Ordines extraordinariorum militum stipendio solummodo impendent, qui aut jam conscripti sunt, aut in posterum conscribentur; adeo ut duodecies centena librarum millia nulli alteri usui applicanda sint: quod summè memorati D. D. Ordines se constanter ac fideliter observaturos promittunt, quò Hostes, modis quibuscunque fieri poterit optimis, facilius aggrediantur.

2. Majestas Sua in exactiorem nummorum exsolutionem assignationem, quam vocant, optimis conscriptam formulis, dari curabit, gratam quinetiam illi, cui summè memorati D. D. Ordines id negotium in Galliâ dabunt, ut intra vertentem Annum Parisiis certò exsolvantur. Solutio fiet tribus terminis, nempe quater centena librarum millia juxta Ratihabitionem præsentis Tractatus, quater centena libarum millia mense Julio, proximè venturo, quater centena librarum millia subsequente Mense Octobri.

3. Quibus summè dicti D. D. Ordines semetipsos obligant atque obstringunt, ad exercitum suum, qui firmus debitèque instructus erit, educendum, ad magnam aliquam expeditionem occipiendam, quemadmodum etiam Majestas Sua vicis-

viciſſim promittit ſpondetque, ſe firmum debitèque inſtructum exercitum educturam eſſe, quo ſimiliter magnum quid occipere, vel Hoſtibus, quam fieri poterit maximum, damnum inferre queat.

4. Summè memorati D. D. Ordines concedunt atque permittunt, ut ſtipendia Gallorum Præfectorum, à ſupra memorata nummorum Summa deducta, reſerventur, quo eundem ad modum exſolvantur, quem ad modum conventum eſt Tractatu decimo & ſeptimo die Junii, Anno 1630. decimo & quarto Aprilis, Anno 1634. inito, atque is, quem D. D. Ordines Pariſiis ad duodecies centena librarum millia recipienda committent, iſthic loci Summam, quam prædicta ſtipendia exæquabunt, ex poſtrema exſolutionis parte, ſolvere teneatur.

5. Majeſtas Sua & ſummè dicti D.D. Ordines præſentes Articulos ſex ſeptimanarum, aut duorum Menſium ſpatio, ſi fieri poſſit, confirmabunt.

6. Præſens Tractatus ſuperioribus inter Majeſtatem Suam & ſummè memoratos Ordines initis, nihil quicquam derogabit, ſed omnes & ſinguli vim ac vigorem ſuum retinebunt, quo utrimque fideliter ac religioſè exequutioni mandentur.

In cujus rei teſtimonium Nos ſupra dicti Legati ac Deputati, vi literarum Auctoritatis Nobis conceſſæ, præſentes hoſce Articulos ſolitâ Noſtrâ ſubſignatione ſigillique appendice muniri curavimus. Haga-Com. Batav. viceſimo & nono die Februarii, Anno 1644. Subſignatum, de Meſmes, Servientius, Tuillerius, Bartoltius à Gent, J. Matenefius, Jacobus Catzius, Knuytius, Hoolkius, Donia, Clantius: *Annuliſque ſignatoriis obſignatum.*

Ad pleniorem tertii Articuli, hoc die confirmati explicationem, conventum concluſumque fuit, ut Rex, ac ſummè dicti Unitarum Belgii Provinciarum D.D. Ordines Generales ſinguli exercitum, decem ſupra octo aut viginti millium peditum, quatuor inſuper millium & quingentorum aut quinque millium equitum educerent, ac ſupra memoratas Copias ad ſummum medio Menſe Majo, proximè venturo, in Belgii Provincias introducerent, niſi is, qui Hiſpaniarum Regis Copiis præeſt, ſuas maturius educat, quo caſu Rex & ſummè memorati D.D. Ordines ſuas quoque tempeſtivè eò educere tenebuntur, quò ſe Hoſtes movebunt: ut exercitus ſummè dictorum D.D. Ordinum locum aliquem tanti momenti aggreſſurus eſſet, ut haud exiguum inde damnum ad Hoſtes redire poſſit, utque exercitus Majeſtatis ſimiliter locum alicujus momenti oppugnaturus, ſive in Hoſtium regiones invadendo tantam diſtractionem effecturus, ut Copiarum ſuarum maximam Partem defenſione adverſus Majeſtatis Suæ Machinationes implicitam habere cogantur, ac Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps tantò feliciorem expeditionis ſuæ exitum conſequi poſſet. Eâ lege, ut, ſi Majeſtatis Suæ exercitus tantummodo diſtractionem efficeret, quatuordecim dies prius, quam ſummè memoratorum D.D. Ordinum educendus foret: quod ſi verò decerneretur ac concluderetur, ut uterque exercitus loca aggrederetur, eodem quoque die abſque ullo dubio in campum educeretur, ea conditione, ut, qui contra fecerit, fidei malè ſervatæ arceſſendus veniat.

Summè dicti D D. Ordines ſemetipſos obligant atque obſtringunt, effecturos ſeſe, ut octavo die Aprilis triginta ducentorum, 300. 400. & 500. vehium naves bellicæ debitè inſtructæ propriis ſumptibus pernavigent, quò Hoſtibus in Flandriam ingreſſus mari præcludatur atque eripiatur. Quod ſi etiam Regis Copiæ locum aliquem in oris Flandriæ maritimis aggrederentur, ſupra dicta triginta naves, durante expeditione, ſemper in ſupradictis oris paratæ ſemper habebuntur, locumque à Regiis Copiis obſeſſum mari cingent, ne aut Hiſpaniarum

Regis Viribus opibusque, aut alterius cujuspiam, qualiscunque tandem fuerit, qui quocunque prætextu opitulari vellet, mari subveniatur.

Summè memorati D. D. Ordines semetipsos etiam tali casu obligant atque obstringunt, ad commeatum universum, qui ex Galliâ supportabitur, ad castra Majestatis Suæ sufficient, militum præsidio perferri, sive commeatum mediocri pretio ipsis exhibendum, si ventus sufficientem ex Galliâ eò devehi non sinant, & se è regionibus summè dictorum D. D. Ordinum præmemoratum locum, & ubicunque Regis exercitus commorabitur, ad expeditionem suam conficiendam, subvectioni faveat atque inserviat: cui Negotio Majestas nunquam arma sua immisceret, nisi, quæcunque hoc Articulo continentur, à summè memoratis D. D. Ordinibus fidelissimè ac plenissimè observata iri, persuasum sibi haberet, qui illud ipsum promittunt spondentque seque ad id obstringunt ac devinciunt, eâ lege ac conditione, ut contrarium committentes fidei malè servatæ ac dissolutionis Tractatuum ab ipsis cum Majestate Suâ initorum arcessendi veniant.

Summè dicti D. D. Ordines Majestatis Suæ Copiis trans Rhenum Vesaliensem, ut & trans Mosam Trajectensem, meatus & remeatus sincerè promittunt, ubi à Majestate Suâ id rogati fuerint, ita tamen ne cum Status sui præjudicio ac damno id fiat.

Summè memorati D. D. Ordines semetipsos obligant atque obstringunt, se exercitum suum in urbium statione non locaturos, quamdiu Reipubl. salus atque incolumitas id exiget, & temporis cœlique opportunitas feret.

In quorum testimonium Nos Legati & Deputati, vi literarum Auctoritatis Nobis concessæ, præsentes hosce Articulos solitâ Nostrâ subsignatione sigillique appendice muniri curavimus. Hagæ-Com. Batav. vicesimo & nono die Februarii, Anno 1644. *Subsignatum* de Mesmes, Servientius, Tuillerius, B. à Gent, Joannes Matenesius, J. Catzius, J. Knuytius, G. Hoolkius, Fr. à Donia, Adrianus Clantius.

Exempla literarum Procurationis & Confirmationis solennibus conscripta formulis sequentibus inserta erant.

Exemplar Tractatus Garantiæ, quam vocant, seu Securitatis.

LVdovicus, Dei Gratiâ, Galliæ & Navarræ Rex, omnibus & singulis, quibus continget præsentes literas legere audireve, Salutem: Constare volumus in Concilio Nostro perlectum perpensumque esse Tractatum Nostro Nomine Hagæ-Com. Batav. initum & subsignatum à charissimo Nostro & fidelissimo Claudio de Mesmes, *Avauciæ Duce, Mandatorum Nostrorum Præfecto, Aerarii Nostri publici Curatore supremo, Regnique Nostri Ministro; & dilectissimo ac fidelissimo* Abele Servientio, *Duce* de la Roche, *Consiliario in omnibus Nostris Conciliis, Extraordinariis Nostris Legatis & Plenipotentiariis pro Christiani Orbis Pace; ut & dilectissimo ac fidelissimo* Gasparo Coigneto Tuillerio, *in Conciliis Nostris Consiliario, & Legato Nostro apud charissimos Amicos, Socios & Confœderatos Vnitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales, Commissariis Nostris hac in parte, cum D. D. Deputatis Bartoltio à Gent, Loenii & Meinersvici Domino, Senescallo Tiletensis Bommeliensisque Insulæ; Iohanne Matenesio, Toparchâ in Matenesse, Riviere, Opmeer & Souteveen; Iacobo Catzio, Equite, Hollandiæ & VVest-Frisiæ Syndico Supremo; Iohanne Knuytio, Equite, utriusque Vosmariæ Toparchâ, Primario atque Equestrem & Nobilium Zelan-*

Zelandiæ Ordinem repræsentante, Ordinario charissimi & dilectissimi Nostri Nepotis Arausionensium Principis Consiliario; Gisberto Hoolkio Civitatis Trajecti ad Rhenum Ex-Consule; Francisco à Donia, Toparchâ in Hinnema & Heytsum; Gulielmo Ripperda, Domino in Boxbergen, Boculo & Heugelo; & Adriano Clantio, Domino in Stedum, vi literarum Auctoritatis à Nobis Legatis Nostris, Eorumque Deputatis data concessæque, quorum Tractatuum Auctoritatisque exemplum subsequitur.

Rex Christianissimus, Consilio Reginæ Matris Suæ, Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordinibus Gener. eandem voluntatem continuare cupiens, quâ defuncti Reges, Henricus Magnus, & Ludovicus XIII. *gloriosissimæ memoriæ, ipsos prosequuti sunt, sedulò quin etiam perpendens, quantopere publicæ saluti atque incolumitati conducat atque inserviat, ut Unio isthæc mutuusque consensus, qui hactenus Galliæ cum præmemoratis Fœderati Belgii* D. D. *Ordinibus, durante bello, intercessit, in posterum observetur, magisque confirmetur vi Tractatus Monasterii ineundi in promotionem ac securitatem prædicti Tractatus. Præterea ut Hostes*, amicitiæ ac Fœderationis Galliæ cum prædictis Fœderati Belgii D. D. Ordinibus intercedentis dissolvendæ *spe omni sublatâ, tantò facilius adducantur ad conveniendum ac consentiendum in certam aliquam & æquam compositionem, quâ Christiano orbi, ac præsertim, Galliæ & supra memoratis Unitis Belgii Provinciis perpetua pax procurari atque confirmari possit, Majestas Sua voluit Extraordinarios suos Legatos & Plenipotentiarios, quos nominavit ac designavit communis Pacis Tractationi, antequam se Monasterium conferrent, Provincias hasce permeare, ad conveniendum & concludendum media quæcunque optima, quibus conjunctim tam exoptatus finis obtineri queat: Fœderati autem Belgii Provinciarum* D. D. *Ordines Generales, omni honore, reverentiâ ac gratitudine recolentes beneficia, officia atque auxilia, variis diversisque temporibus lata atque præstita, gratias insuper Majestati Suæ pro tam Magnificâ Legatione agentes, insignes loco atque Ordines Viros deputarunt, qui aliquoties cum supra dictis Galliæ Plenipotentiariis congregati fuerunt, ut & Majestatis Suæ Legatus cum* D. D. *Ordinibus, adeò ut, re post maturam & diuturnam deliberationem plenè perspectâ perpensâque, inter* D. Claudium de Mesmes, *Avauciæ Ducem, Mandatorum Nostrorum Præfectum, Ærarii Nostri publici Curatorem Supremum, Regnique Nostri Ministrum;* D. Abelem Servientium, *Ducem* de la Roche, *Consiliarium in omnibus Regis Conciliis, Majestatis Suæ Extraordinarium Legatum & Plenipotentiarium ad Pacis publicæ Tractationem, &* D. Gasparum Coignetum Tuillerium, *Equitem, supradicti loci Dominum, Baronem Coursoniæ, Cherullæ, Ville-portus aliorumque locorum, Consiliarium in omnibus Regis Conciliis, & apud summè memoratos* D. D. *Ordines Legatos, ut qui universi & singuli apertis literis privatâ Auctoritate instructi atque muniti erant, cujus deinceps exemplar inseretur, ab unâ, &* D. D. *Deputatos Bartoltium à Gent, Loenii & Meinersvici Dominum, Tiletensis Bommeliensisque Insulæ Seneschallum; Iohannem Matenesium, Toparcham in Matenesse, Riviere, Opmeer & Souteveen; Adrianum Pauw, Equitem, Heemstedæ, Hogersmildæ, Rietvici, Nieukerckæ Dominum, Consiliarium & Cameræ Computationum Hollandiæ West-Frisiæque Præfectum; Iohannem Knuytium, Equitem, utriusque Vosmariæ Dominum, Primarium atque Equestrem & Nobilium Zelandiæ Ordinem repræsentantem, Ordinarium Celsissimi Arausionensium Principis Consiliarium; Gisbertum Hoolkium, Civitatis Trajecti ad Rhenum Ex-Consulem; Franciscum à Donia, Toparcham in Hinnema & Heytsum; Gulielmum Ripperda, Dominum in Boxbergen, Boculo & Hengelo; Adrianum Clantium, Dominum in Stedum, ut qui sufficiente ad id Aucto-*

Auctoritate à summè dictis D. D. Ordinibus Generalibus muniti erant, apertis literis magno eorum sigillo ac Graphiarii subsignatione, cujus exemplar postmodum inseretur, ab alterâ Parte, conclusi confirmatique sunt sequentes Articuli.

1. Tractatus, antehac inter Galliarum Regem & Fœderati Belgii Provinciarum D. D. Ordines Gener. initi, vim ac vigorem suum retinebunt, ut dehinc fideliter ac religiosè utrinque exequutioni mandentur, iis exceptis, quæ supradictis Tractatibus per præsentem derogabuntur.

2. In Tractationibus Pacis vel Induciarum, *conjunctim ac communi consensu* cum Hispanis ineundarum, summè memorati D. D. Ordines res causasque suas *Ipsimet, non per alium,* expedient atque defendent, Regis autem Christianiss. & summè dictorum D. D. Ordinum Plenipotentiarii mutuas operas tradent, *ac conjunctim & æquali studio ac diligentiâ Galliæ & Fœderati Belgii* res causasque promovebunt.

3. Non nisi *conjunctim ac communi consensu* Tractatum aliquem inire ac concludere licebit, Galliæ quoq; & Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordinibus, alteri præ altero, suam cum Hispanis Tractationem promovere non erit integrum.

4. Ut autem Hostibus omnis spes adimatur Galliarum res causasque, vulgò *Interesse,* ab Unitarum Belgii Provinciarum rebus causisque separandi ac sejungendi, alterum Tractatum promovendo, alterum disturbando, supradicti Legati ac Plenipotentiarii, quoties id rogati fuerint, Ministris Hispaniarum Regis indicare tenebuntur, mutuam obligationem ac Fœderationem intercedere, non nisi *conjunctim atque communi consensu concludendi, alterumque Tractatum præ altero neutiquam promovendi.*

5. Ut etiam Hostib. eripiatur desiderium novarum dissensionum in Christiano Orbe serendarum atque excitandarum, cum ulteriori extensione, quod hactenus fecerunt, & cum *impunitate, quam sibi in posterum de hac re polliceri possent,* si, posteaquam se multorũ Principum bonis superioribus bellis ditarunt, per Tractationes, quicquid iis hoc bello ereptum est, recipiant, Rex ac summè dicti D. D. Ord. *conjunctim, fideliter constanterque* agent, commoda insuper ac bello partos, favente Dei benignitate, successus tuebuntur ac conservabunt: Utriusque autem Partis Plenipotentiarii operas mutuas tradent ne quidquam locorum captorum restituatur, conjunctim hoc quidem respectu res causasque, sive *Interesse,* Partis utriusque defendendo ac propugnando.

6. Si Rex ac summè memorati D. D. Ordines Pacem Induciasvè ineant ac concludant, ut suprà dictum est, Rexque vel D. D. Ordines deinde directè vel indirectè, quocumque tandem prætextu hoc fiat, ab Hispaniarum Rege, vel Imperatore, vel alio quocunque Domus Austriacæ Principe, impetantur bellumque inferatur, sextus, nonus & decimus Articulus Tractatus Anni 1635. ex omnibus Partibus exequutioni mandabitur; eâ lege ac conditione ut, quantum ad reliquum Articulorum attinet, nihil quicquam ipsi derogetur.

7. Si Rex ac summè dicti D. D. Ordines sejunctim Inducias componant, Majestas Sua Ordinesque finitis Induciis rursus *conjunctim* arma capere tenebuntur, nisi communi consensu continuentur, ita tamen, ut deinde novam Pacis, vel Induciarum, neque etiam armorum suspensionis Tractationem inire, nisi conjunctim

junctim ac communi consensu, neutiquam liceat: eâ lege ac conditione, ut, si ab Hostibus violetur Majestas Sua, Ordinesque conjunctim bellum palam adversus transgressores ac violatores suscepturi sint.

8. Præter ea, quæ dicta sunt, conclusum decretumque est, summè dictum Regem atque Ordines Plenipotentiariis suis mandaturos esse, ut, *quacunque Tractatus securitati Monasterii ineundi ullo modo inservient*, conferant, ac super mediis ad communem tranquillitatem asserendam simul consilium capiant.

Hisce insertæ erant literæ Auctoritatis: pauloque infra: *In quorum testimonium Nos supradicti Legati ac Deputati, vi Auctoritatis Nobis concessæ, præsentes hosce Articulos solitâ Nostra subsignatione annulisque signatoriis munivimus, promittentes ac spondentes, Nos, intra duorum Mensium spatium, aut, si fieri posit, maturius, confirmationes ac ratihabitiones Majestatis Suæ ac summè dictorum, D. D. Ordinum, solennibus formulis conscriptas procuraturos. Datum Hagæ-Com. primo die Martii, Anno* 1644. *Signatum erat* de Mesmes, Servientius, Tuillerius, Bartoltius à Gent, J. Matenesius, Adr. Paeuw, Knuytius, Hoolkius, Donia & Clantius: *annulisque signatoriis obsignatum.*

Suprà dictum est de nono quodam Articulo: quem Præpotentes D. D. Ordines ut insertum ac præcedentibus octo adjunctum habebant: Exemplum ejus tale est.

Quandoquidem necessarium est omnia incommoda ac difficultates præcaveri, quæ occasione Tractationis Monasteriensis instituendæ oboriri possent, in præjudicium Tractatus inter Extraordinarios & Ordinarios Christianissimi Regis Legatos, ac Fœderati Belgii D. D. Ordinum Generalium Deputatos initum, contra sinceram alterutrius voluntatem atque intentionem: Vnitarum Provinciarum D. D. Ordinum Generalium Deputati proposuerunt, atque etiamnum ante Tractatus conclusionem declarant, quanquam tertio Articulo expressis verbis conventum est, Tractatum nullum inire nisi conjunctim ac communi consensu licitum fore, idque secundùm petitionem ab ipsis institutam, ut Articulus quidam iniretur & Tractatui insereretur, ad mutuam defensionem ac propugnationem, nimirum, Quod si Majestas Sua Pacem, summè verò memorati D. D. Ordines Inducias multorum Annorum inire atque componere poterunt, prædicti D. D. Legati sæpius dixerunt atque asseruerunt, sese nec velle nec posse aliquem Tractatuum inire nisi conjunctim, ac Plenipotentiariorum D. D. Ordinum communi consensu, *absque prævia satisfactione, quæ tali casu in antecessum desideratur ac petitur utpote quæ necessaria est, quam securitatem prædicti Deputati summè memoratis Ordinibus, Dominis suis indicarunt atque confirmarunt. Nihilominus tamen teneri sese expresso mandato sequentes Articulos prædictis Legatis literis conscriptos tradere.*

Si Rex Pacem ineat; Ordines verò non nisi Inducias aliquot Annorum cum Hispaniarum Rege componant, conjunctim ac communi consensu summè dictus Rex semetipsum obstringit atque obligat, Se Ordinum Nomine biennio aut triennio ante finitas Inducias rogatum earundem continuationem ac prolongationem eodem Annorum spatio, iisdemque conditionibus ab Hispaniarum Rege impetraturum esse.

Quod si autem Hispaniarum Rex continuationem ac prolongationem eodem tempore, iisdemque conditionibus deneget, Christianissimus Rex, finitis Induciis, rursum in Fœderato Belgio arma adversus Hispaniarum Regem palam capiet; adeò ut nulla pax Induciæve deinceps ineundæ aut componendæ sint, nisi conjunctim ac communi Regis Ordinumque consensu.

Quod si verò D. D. Ordines, exspirantibus Induciis, bellum contrà Hispanos rursus suscipiant, vel ipsi prædictam continuationem ac prolongationem respuant, Christianissima Majestas Sua rursus contrà Hispaniarum Regem arma sumere non tenebitur.

Si Rex Pacem ineat, ac summè dicti D. D. Ordines Inducias cum Hispanis componant, quemadmodum suprà dictum est, & si Majestas Sua, vel summè dicti D. D. Ordines postmodum directè vel indirectè, quocunque tandem prætextu id fiat, ab Hispaniarum Rege, Imperatore, aut alio quocunque Domus Austriacæ Principe oppugnentur, omni ex Parte sextus, nonus, & decimus Articulus Tractatus Anni 1635. utrinque exequutioni mandabitur. Eâ lege ac conditione, ut nihil quicquam ei derogetur ac detrahatur quod ad reliquum Articulorum attinet.

Supradicti Deputati vi dicti sui mandati porrò declarant, quod si in Tractatione, Monasterii instituendâ, res sic sese habeant, ut communi consensu consultius videatur, ut de Pace cum Hispanis Nomine locoque Regis, deque Induciis Nomine locoque D. D. Ordinum Generalium agatur, eo casu D. D. Plenipotentiariis Majestatis Suæ Pacem Suam concludere, antequam summè dictis D. D. Ordinibus super præmemoratis Articulis satisfactum fuerit, integrum neutiquam fore.

Quocircà supradicti D. D. Deputati præmemoratos D. D. Legatos, ut declarationem hanc Majestati Suæ exhibere velint, etiam atque etiam rogant, quæ summè dictorum D. D. Ordinum Nomine, ut petitionem hanc benigno animo suscipere velit, eidemque favere se declaret, majorem in modum rogant atque obsecrant. Datum subsignatumque à Deputatis D. D. Ordinum Generalium, Hagæ-Com. atque Legatis ac Plenipotentiariis Galliarum Regis traditum vicesimo & nono die Februarii, Anno 1644.

Aliquamdiu autem antequam hic Tractatus concluderetur, Hispani *separatim agere* rursum tentârunt, eumque in finem D. Philippum *le Roy*, Brochemii & Olechemii Toparcham, eo tempore Graphiarium, deinde verò Regis Hispaniarum Ærarii publici in Belgio Consiliarium ac Commissarium, in hasce Provincias miserunt. Is autem ineunte Februario, Salvo-Conductu Præpotent. D. D. Ordinum General. munitus huc advenit, (cui plerumque hæc Clausula inserta est) *ad Negotia quædam privata peragenda*; ea propter de Negotiis publicis agi clanculum interdictum fuit. Geminum erat, quod in mandatis sese habere palam declaravit, ac primò quidem Tractationem de Hispanorum argento, tam signato quam non signato, quod per Britanniam Navibusque Britannorum impositum in Brabantiam ex Hispania advehi consueverat, deinceps per Fœderatas Belgii Provincias Earumque Navibus pervehendo, proposuit: quo non modo Commercia Navigationesque in hisce Provinciis promoveri, verum etiam publici Reditus sufficientis vectigalis, in quantum utrinque conveniretur, suprà dicto argento imperandi, augeri possent. Alterum quod in mandatis solebat, Tractatio quædam erat de *Calmynbergo* in ditione Limburgensi sito: in quo Præpot. D. D. Ordines Regi Hispaniarum haud exiguum damnum inferebant, ac vicissim ab eodem Rege plurimis molestiis incommodisque afficiebantur: proponere omnia & quæcunque ad difficultates dissensionesque super eâ re ortas aut in posterum oriundas tollendum proponerentur, sese accipere velle indicavit: quo quisque, quibus in Pace & citra ullam molestiam frui liceret, certus esset. Utrumque Negotium tale erat, ut ex eo Præpotent. D. D. Ordines plurima maximaque com-

commoda ſperare atq; exſpectare non immeritò poſſent: Præ cæteris autem notatu dignum eſt, ut omne *argentum necdum ſignatum* in hiſce Provinciis ſignaretur, oblatum fuiſſe. Quæ ratio in cauſa eſſe debuiſſet, ne omnia illa flocci fierent. Tale quinetiam utrumque fuit, ut privatorum Negotiorum nomine haud incommodè venire poſſet. At verò præter nudos prætextus nihil utrumq; fuit: Ipſum namque cum Celſiſſimo Arauſionenſium Principe aliiſque Reip. Moderatoribus de fine bello æquâ honeſtâque *Induciarum*, ut ante, Tractatione, ſive alio quocumque modo, imponendo egiſſe, deinceps cognitum compertumque fuit.

Id autem duabus rationibus gratum acceptumque reddebatur: ac primò quidem, brevi ac ſeparatâ Tractatione multas moras, ritus omniſque generis impedimenta atque obſtacula, quæ Monaſterii futura prævidebantur, ſuccisa iri: ſecundò, plurima commoda, ſi ſeorſim agere voluiſſent, ſtipulari potuiſſe: quemadmodum etiam deinde Monaſterienſis Tractatio ſeparatim, ſed abſq; ullo commodo, concluſa fuit. Quinimo ſeorſim agi potuiſſet, ut nihilominus poſtmodum Galli exſpectarentur, quemadmodum etiam Monaſterii accidit. Quum non ſine gravi de cauſâ credatur, conſolidationem, quam vocant, citerioris Gelriæ Partis, Tractuſque Trans-Moſanos, de quibus poſtmodum tantopere diſceptatum fuit, pluraque hac ſeparatâ Tractatione impetrari potuiſſe: Præmemoratus D. Brochemius ſufficienti ad id mandato à D. Franciſco *de Mellos* tunc Belgii Provinciarum, quæ Regis Imperio obtemperabant, Gubernatore, inſtructus erat, Negotiumq; cum apud Celſiſſimum Arauſionenſium Principem tum etiam alios mediocriter promoverat. Verum eo tempore Negotium confici non poterat: ſive quod fortuna, ut Hiſpani è graviſſimo ac diuturno cum Gallia, Portugallia, Sabaudia & hoc Statu bellis ſimul emergerent, recuſaverat; reſque cum D.D. Legatis Avaucio & Servientio eò perducta fuerat, ut commodè relinqui honeſteque prorſus omitti non poſſit; ſiquidem paulò poſt, ut ſupra commemoravi, prioribus inſertus, Garantiæ vulgò, ſeu Securitatis Tractatus concludebatur. Interea autem temporis cognitum perceptumque fuit, è primariis hujus Status Miniſtris unum, qui eo tempore plurimum in Concilio poterat, invidiâ motum Negotio adverſari; propterea quod, quemadmodum in magni ponderis Negotiis facere conſueverat, ipſe ſolus, vel ante omnes reliquos Collegas rei certior factus non erat, ejuſque conſilium ſequuti erant; verum etiam aliis indicata, qui plurimum etiam valere minuſque ad proprium ſuum commodum attenti videbantur. Hujus itaque æmulationis cauſa decretum fuit, ut à Domino Brochemio poteſtas atque Auctoritas exigeretur; quæ quidem Auctoritas, ſi de Induciarum Paciſve Tractationis Negotio quicquam explicuiſſet, Salvo-Conductu ejuſdem continente hanc clauſulam, eum propter Negotia quædam privata huc adveniſſe, neceſſariò ſequeretur eum Salvi-Conductus ſui veniam fuiſſe tranſgreſſum, ac proinde legitimæ juſtæque prædæ loco deputari. Hac autem de re, à fido quodam amico admonitus, Negotii finem fecit. Ad quod viceſimo & ſexto die Februarii ſequentia decreta fuere. Nempe, D. Aldringam in Concilio præſidentem Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus exhibuiſſe Scripta quædam Celſiſſimo Arauſionenſium Principi à ſuprà dicto D. Brochemio tradita, eo tendentia, ut Celſitudo Sua novum Salvum-Conductum veniamque per aliquot adhuc dies

 com-

commorandi vel, postquam in Brabantiam profectus esset, redeundi & de supradicto nondum signato rudisque formæ argento navibus Batavis imponendo atque per Hollandiam in Brabantiam asportando, ut & de difficultatibus *Calmynbergi* agendi, dare dignaretur, eâque de re consilio instituto visum decretumque esse, novum Salvum-Conductum ipsi denegare, insuperque declarare, supra memoratam Tractationem de argento non signato & *Calmynbergi* difficultatibus Præpotent. D. D. Ordinibus neutiquam placere.

Nihilominus tamen biennio aut trienno post, idem D. Brochemius huc advenit, multumque ad Pacem promovendam contulit, ut suo loco dicetur.

Die autem tertio Martii à Gelriæ Deputatis proponebatur, Provinciam illam nominasse Meyndersvici & Aernemiæ Dominos, qui alternatim delegatione Monasteriensi fungerentur: utrumque quidem in delegatione sed Meyndersvici Dominum primum fore. Hollandiæ verò & Trajecti ad Rhenum Deputati declarabant, sese prærogativam illam sibi reservare: Zelandiæ autem Deputati superiorem protestationem repetebant.

Utroque Tractatu cum Galliæ Legatis subsignato confirmatoque, die tertio Martii colloquium ad discessus sui impetrationem petierunt. Quo cognito perpensoque, quamvis aliàs non plures duobus mitti solebant, visum tamen fuit Legatorum numerus ternarius quum esset, ut tres Deputati hac vice mitterentur qui eos ad colloquium adducerent ac domum reducerent: ad hoc Negotium delegati fuerunt D. D. Knuytius, Jongstal, Clantius.

Summè dicti *D. D. Avaucius, Servientius* & *Tuillerius,* Extraordinarii atque Ordinarii Legati Gallorum Regis in Concilium quum venissent (colloquio apertis januis instituto) cumque consedissent, per Dominum *Avaucium* propositionem sequentem varios diversosque in laudem ac commendationem Christiani orbis Pacis Tractationis Monasterii instituendæ Articulos continentem habuerunt: sub finem autem Propositioni addiderunt:

Iam verò, Celsissimi Domini, arctissima hæc Fœderatio atque obstrictio spem nobis facit Vos benigno animo suscepturos petitiones atque instantias, quas nomine Regis & Reginæ proponendas apud Vos habemus, pro Catholicis in hisce Provinciis, subditis Vestris, quâ in re Vobis asserimus, Majestates suas plene perpendisse animoque revolvisse omnia incommoda & difficultates, quæ inde provenire atque promanare possent, ut iis prudentiâ suâ præcaveant. Credibile ne esset, ut Rex gloriosissimæ memoriæ, pater ejus Henricus Magnus, cui omnia dignitatis Vestræ signa accepta ferre debetis, quique Vos omnibus absoluti dominii coronis ornavit, instantiâ, quam super eo Negotio apud Vos adhibuit, proprium suum opus destruere penitusque eruere voluisset, at quicquam agere quod huic Statui obesset? Exiguum est quod à Vobis Majestates Suæ petunt. Hoc solum rogant, ut Catholicis in privatis suis ædibus Deum colere licitum concessumque sit, utque pauperibus, qui Sacerdoti alendo ac sustentando impares sunt, divitum atque opulentorum ædes, ad Deum colendum, absque metu visitationis Commissariorum Vestrorum, frequentare liceat. Celsiss. Domini inquisitiones atque indagationes hasce Catholicorum numerum non minuere, easque prætorum Vestrorum avaritiâ institui magis propter commodum privatum, quam ut inde quicquam boni ad hunc Statum redeat, haud inviti concesseritis; adeò ut hæc severitas non nisi eorum animorum irritationi inserviat, quorum numerum non minuitis. Oramus (inquitis) tam pro Nostris, quam Vestris inimicis. Factum hoc, Celsissimi Domi-

Domini, ſemper Chriſtianum foret. Sed obſecro attendite ad hanc rem per Status axiomota; perſuaſum nobis habeamus, quemadmodum etiam de eò non dubitamus, inveniri nonnullos Catholicos erga præſens Reipub. regimen malè affectos. Sed qui iſtud? Vos rogo, Celſiſſ. Domini. Catholici, qui primi Fœderibus ſubſignarunt, qui Vos in ſolium evexerunt, quique primi Vos in libertatem vindicarunt, libertate non fruuntur. Illi, quibus Hiſpanorum Inquiſitio non minus quam Vobis odioſa fuit, non minus ſeveram inquiſitionem patiuntur. Sed ut multa paucis, ſeveritas quam adverſus eos exercetis in exequutione ac religionis exercitio, de non habendis conventibus Eccleſiaſticis ſæviſſima interdictio, Commiſſariorum Veſtrorum avaritia, contemptus ſæpenumero eorum, quæ in ſanctiſſimis habemus, animos nonnullos commovere atque inquietare potuerunt. Vultiſne eorum animos immutare? Hanccine Status Veſtri partem, quæ disjuncta eſt, conjungere ac compingere expetitis? Bonoſne atque obedientes cives eos deſideratis? De Edictorum ac Decretorum Veſtrorum ſeveritate nonnihil remittite. Nomina Catholici ac Batavi conjuncta eſſe poſſunt. Poteſt quis eſſe inimicus Hiſpaniarum Regis, licet non proteſtans. Vivum hodierno die in Catalonia ac Portugallia exemplum habemus, ubi Religio Catholica non impedit, quominus incolæ pro Privilegiorum jurumque conſervatione fortiter dimicent. Præclarum adhuc ejus rei exemplum exſtat in Cattons, ubi Religionis diverſitas non obſtat quominus ſe communibus armis adverſus Domum Auſtriacam, cujus antehac ſubditi fuerunt, tueantur ac defendant. Hoc ſic habete, Celſiſſimi Domini, ſi Catholicis faveatis, quod nomine Regis ac Reginæ Matris ejus, eandem cum ipſis Religionem profitentium, petimus, ut exoptatum Veſtri favoris ac benevolentiæ fructum atque effectum conſequantur, Majeſtatum Suarum pietatem magnam inde voluptatem eſſe capturam, Concives inſuper Veſtros hac gratiâ ſe Vobis devincturos eſſe, ne ad conſolationem quærendam atque inveniendam alio ſe convertant. Hoc itaque modo poteritis, &c.

Ad primum Propoſitionis membrum quod attinet, ſuper eodem D. D. Legati pro re natâ excepti ſunt, cum voto proſperitatis ac felicitatis Extraordinariis D. D. Legatis facto in itinere imminente, adhibitis cæremoniis præſenti Negotio accommodatis. Quod verò attinet ad prædictam prætenſam petitamque moderationem, ad eam à D. Præſide hæc reſponſa fuerunt, Propoſitionem hanc in hiſce Provinciis aures vellicare ac periculoſam eſſe. Ulteriore autem inſtantiâ à ſupradicto D. *Avaucio*, qui ſe ad mediam uſque Menſam flectebat, habitâ ad ulteriorem & faventem magis Declarationem conſequendam, eoque à prædicto D. Præſide à parte ſui ad præmemoratum D. *Avaucium* in mediam uſque Menſam procumbente denegato, D. D. Legati ſurrexerunt, ac deſcenderunt, & per D. D. Ordinum ſupra memoratos tres Deputatos carrucis rurſus in hoſpitium reducti fuerunt, unde ante educti fuerant.

Poſtquam D. D. Legati Galliarum Regis diſceſſiſſent, Præſentes D. D. Deputati Nomine locoque Provinciarum indicium fecerunt, commendationem à ſupradictis D. D. Legatis reſpectu rogatæ moderationis ac compoſitionis prætenſæ factam maximopere ſibi diſplicere, atque unanimiter cenſuerunt, cum rigore adverſus ea decerni oportere, atque præmemoratis D. D. Legatis majore Deputatorum numero è medio Præpotentium D. D. Ordinum oretenus indicari rationes, ob quas in id Negotium deſcendi non poſſet, ac porro in hiſce Provinciis oſtendi ac demonſtrari, ejuſmodi aut ſimiles commendationes Præpotentibus D. D. Ordinibus minimè placere, Statui inſuper huic noxias ac pernicioſas eſſe.

Porrò etiam rogati ac delegati fuere D. Catzius, D. Stavenisse, ut & D. Graphiarius Musch ad conceptum decreti alicujus firmi perpetuique, huic Negotio inservientem, formandum, qui quidem conceptus per eosdem Dominos Celsiss. Arausionensium Principi exhiberetur, ac deinceps in Concilio perceptâ relatione prudentissimi ipsius consilii, constitueretur ac confirmaretur; porrò etiam, ut dehinc consilium caperetur, utrum incommoditates, ex ejusmodi commendationibus harum Provinciarum Statui oriundæ, Regi ac Senatoribus in Galliâ exhibendæ atque ob oculos ponendæ essent.

„ Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales Negotio quodam, in „ Concilio Præpotentium D. D. Ordinum hoc die oborto, (quod deinceps referetur) diligenter perpenso, visum ipsis fuit instituere ac divulgare sequentem Declarationem, nimirum, quod quemadmodum Fœderati Belgii Ordines à primis hujus Status initiis ab unâ parte nullius Incolæ subditique conscientiæ vim inferre, contrà verò Incolarum singulis propriis suis ædibus ac familiæ conscientiæ libertatem dare atque concedere constituerunt, ita quoque ab alterâ parte iisdem D. D. Ordinibus Pontificiis exercitium superstitionum contra Sacrum Dei verbum nunquam permittere visum fuit, cognitorum scandalorum, vel Pontificiarum Hierarchiarum invectionem, neque comprobationem voluntatis ergà Hispaniarum Regem, harum Provinciarum hostem hæreditarium (quod tamen in solennibus eorum precibus aliisque modis accidisse compertum est) eo non obstante tamen assiduò, ac imprimis nuperrimè optimis rationibus debitisque Inquisitionibus cognitum perceptumque fuit, supradictos Pontificios præmemorata benignâ tolerantiâ D. D. Ordinum mandato ipsis concessâ, neutiquam contentos, ad supradictam aliamque intolerabilem atque in his Provinciis ante id tempus inauditam arrogantiam excessumque processisse, quibus quum D. D. Ordines quamprimum occurri atque præcaveri oportere necesse judicarent, serioque super hac re Consilium agitarent; quo audito perceptoque sæpius dicti Pontificii varia commenta iis opponere neutiquam neglexerunt, quo utilissimum D. D. Ordinum Propositum irritum facerent idque impedirent, ad quæ inter alia sequutum est; ut Legati Regiæ Majestatis Galliarum Hagæ impræsentiarum commorantes & hodie in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum ad publicum colloquium admissi, inter alia in propositione suâ palam petierint, ut mutatio atque compositio, (quo nomine ipsis venit) in exequutione Decretorum harum Provinciarum adversus supradictos Pontificios divulgatorum, institueretur. Quum autem, quæ supradicta sunt, Præpotentibus D. D. Ordinibus in Concilio deimproviso ac præter opinionem proponerentur, eò magis quod à petitionis institutione sæpius memorato Legato in Conventu quodam cum ipsis habito, à Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis seriò dehortati graviterque eidem adversati fuerant, quodque habitæ propositionis tempore à Præpotentibus D.D.Ord. indicatur, propositam mutationem ac prætensam moderationem directè contrariari tam veræ Reformatæ Religionis conservationi atque incolumitati, hujusce Reipub. legibus juribusque fundamentalibus, quam Christianæ Ecclesiæ atque Incolarum tranquillitati, ac proinde cum Status hujus constitutione neutiquam convenire ac consistere, neque propterea petitionem præmemoratis de causis

causis admitti posse: Idcirco Præpotentes D. D. Ordines declararunt, quemadmodum etiam per præsentes declarant, Propositam Mutationem ac Prætensam Moderationem summopere sibi displicere, disertis verbis addendo, Præpotentes D.D. Ordines cum propter incommoditates, ex iis quæ supra dicta sunt oriundas, cum ad præmemoratam arrogantiam Pontificiorum compescendam, statuerunt quamprimum divulgare atque excquutioni mandare Edictum ordinemque, cujusmodi præsentes ac præcedentes excessus postulare judicabunt. Datum in Concilio summedictorum D. D. Ordinum Generalium tertio die Martii 1644. „

Eo, qui sequutus est, die, delegati fuerunt D. D. Meyndersvicius, Mathenesius, Catzius, Heemstedæ Dominus, Knuytius, Stavenisse, Hoolkius, Donia, Dominus in Nykercke, Clantius & Graphiarius Musch: qui supradictis Legatis, respectu secundi Propositionis membri, argumentum firmi Præpotent. D. D. Ordin. Decreti ob oculos ponerent. Quemadmodum D. D. Knuytius, Jongstal & Clantius, pridie finito colloquio, cum iis cœnantes proposuerant.

Supradicti Decreti exemplar Provinciis missum fuit, quo omnibus sermonibus perversis ac sinistris interpretationibus, quæ talem casum apud multos sequi consueverunt, præveniretur.

Die septimo Martii Meyndersvici Dominus & alii D. D. Ordinum Generalium Deputati retulerunt, summedictos D. D. Legatos humaniter se excepisse super Moderatione atque Edictorum adversus Catholicos exequutione: eosque relaxationem captivorum Ecclesiasticorum, qui è Districtu Bergensi educti sunt, humaniter etiam commendasse.

Die autem octavo Martii delegati fuere D. D. Meyndersvicius & Knuytius ad tradendum per Agentem Verburch Legato *Avaucio* munus quoddam, nimirum Catenam Auream decem Florenorum millium pretio æstimatam: unam præterea octingentorum Florenorum Secretario *Præfontaine*. Quum verò is *Præfontaine* solus Secretarius haberi, alter verò excludi, videretur; Legatus *Servientius* per unum è Nobilium suorum numero Graphiario Musch significavit, Secretarium *Alartium*, apud se commorantem eodem modo, quo *Præfontaine*, excipi velle: addendo, hoc sibi Legato gratissimum fore. Ad id itaque mandato præceptoque, ut in Dignitatem prædicti *Alartii* inquireretur, cognitoque ipsum eadem qua *Præfontaine*, qualitate munitum esse, ut qui Extraordinariis Legatis à Secretis esset, ut eodem munere donaretur, decretum fuit. Dominus *Servientius* interea temporis in morbum incidens ad diem decimum & nonum Martii Hagæ-Com. remansit: quo die Dominus Vosbergius in Concilio Præsidens D. D. Ordinibus Generalibus retulit, summemoratum D. *Servientium* sese visitasse, & pro exhibito honore gratias summas egisse, eò quod Præpotentes D. D. Ordines aliquoties in valetudinem suam inquiri jusserant. Præterea etiam supradictum Legatum sibi indicasse, Amplitudinem suam proximo die Lunæ discedere in animum induxisse. Quibus cognitis perceptisque, visum fuit D. Vosbergium una cum Domino ab Hoolck rogare ac delegare, ut supradicto Domino *Servientio* proximo die Lunæ Status hujus Nomine valedicerent, eique literas publicas Domino *Avaucio* & ipsi institutas, Christianiss. Galliarum Regi reddendas, traderent, insuper etiam adderent, Amplitudinem Suam apud Matheum Heustium inventu-

venturam esse Catenam Auream, decem Florenorum millium prætio æstimatam, Deputatos autem Præpotentium D. D. Ordinum Secretarium *Alartium* Catenâ Aureâ, octingentorum Florenorum, donaturos esse; atque ejusmodi ceremonias præstarent, quæ præsenti Negotiô, tam prædicti Legati quam suprammemorati Secretarii respectu, inservire possent, præterea quoque peterent domum *Tuillerii* Ordinarii summedicti Regis Legati (si fortassis apud suprammemoratum Dominum Legatum *Servientium* non inveniretur,) eidemque indicarent apud eundem Heuftium inventurum ipsum esse Catenam Auream, decem Florenorum millium pretio æstimatam, Secretario autem *Brassetio* octingentorum Florenorum donum concederent, addendo ceremonias consuetas & uniuscujusque conditioni conformes. Tandem judicio omnium commisso, utrum summè dictus Legatus *Servientius* discedens educeretur, si faciendum foret, quo modo, ac per quem, eaque juxta narrato quod tali occasione evenerat, tempore supradicti Legati Domini *Avaucii*. Antequam in eo Negotio ulterius procederetur, decretum fuit D. Vosbergium rogare, ut super hac re cum Celsissimo Arausionensium Principe agere ac deliberare, Ejusdem prudentissimum consilium percipere omniaque referre vellet.

Tandem verò, quum Legatum *Avaucium* negligentiâ (discessum enim suum indicarat quidem, sed propter oblivionem non erat relatum) prosecuti non essent, Dominus autem *Servientius* jam diceret se discessurum; judicio arbitrioque omnium commissum fuit, an & quomodo Deputatos eum prosequi oporteret? quo cum Principe communicato, visum fuit, ut eductio per Principem Gulielmum fieret; quemadmodum vicesimo & quarto die Martii usque ad finem Sylvæ Hagiensis Leydam versus facta est.

Die sexto Aprilis in Concilium venit D. Legatus *Tuillerius*, afferens se non recessum sed duntaxat à Præpotentibus D.D. Ordinibus, Extraordinaria Legatione in Succiam & Daniam fungendi, veniam petere, eo quidem fine, ut difficultates ac dissensiones, inter utramque Coronam obortas, ad publicum commodum promovendum, componeret ac tolleret. Porrò etiam hisce insertum fuit Exemplar literarum quarundam à Rege Christianiss. datarum Parisiis, vicesimo die Martii, quarum illud quidem præcipuum fuit, nimirum, Majestatem Suam consilio Reginæ Matris Suæ supra dictum Dominum Legatum ut præmemoratarum dissensionum Mediatorem adhibere atque impendere, cumque reversum, ut Extraordinarium Legatum ad hunc Statum commoraturum esse, ut autem ipso absente aliquis hic commoretur, qui consensum ac familiaritatem mutuam coleret, & cum Præpotentibus D.D. Ordinibus transigeret, quæcunque accidere possent, inque iis summè dictæ Majestatis Suæ Nomine pro re natâ ageret, quæ cum in finem delegit D. Secretarium *Brassetium*, etiam atque etiam rogans ut D. D. Ordines General. ipsi fidem haberent in omnibus, quæ Regiæ Suæ Majestatis Nomine proponeret. Ad quæ supradicto Domino Legato à Præsidente responsum fuit, Præpotent. D. D. Ordinibus bonam ac sinceram voluntatem atque intentionem placere ac summoperè gratam esse, easque literas accipere, ipsique D. Legato felix faustumque iter precari, addendo ceremonias tali Negotio accommodatas; pro quibus D. D. Ordinib. Generalibus solitis quoque ceremoniis gratias egit. Post hæc

hæc sæpius dictus Legatus proposuit, Regem Ordinesque Galliarum Ratihabitionem suam Tractatuum, Hagæ initorum inter summè memoratum Regem ab unâ, & Statum hunc ab alterâ Parte, misisse, ac si fortè Præpotentes D. D. Ordines Ratihabitionem suam paratam haberent, se eas permutare posse, scire verò, tempus ad id destinatum, nondum exspirasse. Secundò, supradictus Legatus variis rationibus institit, ut Hassiæ Land-Gravii Viduæ ab hoc Statu commeatu atque instrumentis bellicis in hoc suo rerum statu adverso succurreretur ac subveniretur, quod Præpotentes D. D. Ordines per Deputatos suos, qui cum Galliarum Regis Legatis egerunt, promisisse existimabat, ad quæ nonnulli eorum, prout ea res verè se haberet, omnia narrarunt atque exposuerunt. Deinde supradictus Legatus retulit, se quinto die Februarii, proximè elapsi, D.D. Ordinibus Generalibus Memoriale quoddam tradidisse, eique additas literas à Rege datas Parisiis decimo & nono die Decembris, Anno 1643. pertinentes ad liberam evectionem mille vehium frumenti tam tritici quam farraginis, petitionem etiam hanc iteratam esse, declarans nullum alicujus Mercatoris commodum huic admixtum esse, Reginam verò in animo habere supradictum frumentum eleemosynæ loco inter pauperes distribuere, Eamque respectu supradictæ immunitatis, præfatum frumentum avehi jussisse. Quo percepto perpensoque, vi Præpotentium D.D. Ordinum decreti vicesimi & noni Martii, proximè elapsi, de primo Articulo, Provinciarum Deputatos secundò rogare atque obsecrare visum fuit, ut supradictæ Ratihabitionis commutationem ab hac Parte maturarent, utque Provinciæ, quæ id necdum in mandatis fortasse haberent, quam primum à D. D. suis Deputantibus idem sibi mandari peterent, omniaque studia atque officia adhiberent ac præstarent. Ad secundum Articulum D. D. Ordinibus Generalibus visum fuit D. D. Ordinum Gener. Consiliarios adhortari, ut Præpot. D. D. Ordinibus ea exponerent, quæ respectu Hassiæ Land-Gravii Viduæ, præviâ communitione Celsiss. Arausionensium Principis, egerant.

Ad tertium Articulum D. D. Ordines Generales declararunt, se necdum eum concedere.

Post discessum autem istorum Legatorum assiduò de Legatione Monasteriensi agi cœptum est. Hollandiæ Deputati decimo & sexto die Aprilis rursus proposuerunt, Plenipotentiarios non plures tribus delegari oportere: aut saltem non plures in initio; qui maximam Negotii partem conficerent. Alii verò asseruerunt, ex unaquaque Provinciâ unum delegari oportere.

Die vicesimo & septimo præcedentem propositionem etiamnum repetierunt; sin minus, unamquamque Provinciam suum Deputatum exsolvere & satisfacere debere. Die quinto Maji varii conceptus Instructionis, Legatis Monasterium discedentibus tradendæ, recitati fuere. Die septimo Maji uterque Tractatus cum Regiæ Majestatis Galliarum Legatis initus ac subsignatus, confirmatus fuit. Hollandiæ verò Deputati declararunt, sese confirmationi & Ratihabitioni eâ conditione annuere, ut etiamnum apud Galliarum Regem, atque ubi necesse fuerit, laboraretur, ad obtinendam Monasterii atque alibi, Nomine hujus Status, ejusmodi Auctoritatem atque dignitatem, cujusmodi Rex Henricus IV. æternæ memoriæ, ipsis detulit atque concessit, utque Domini, qui tanquam Plenipotentiarii

Status hujus Nomine Monasterium profecturi sunt, ibidem respectu D. D. Plenipotentiariorum Regis Galliarum aliorumq; sese gererent juxta Provinciale suum decretum duodecimo die Februarii, proximè elapsi, concessum, nimirum, supersessuros omni conventu in ædibus supra dictorum D. D. Legatorum usque dum ipsis visum fuerit, hujus Status Plenipotentiarios insignire, quo modo Venetorum Reipublicæ Ministri ab hisdem insigniri consueverunt: nihilominus tamen sæpius dictis Plenipotentiariis hujus Status cum supra memoratis D. D. Legatis ac Plenipotentiariis Galliarum Regis colloqui integrum erit, electo ad id neutrarum Partium loco. Deputati Zelandiæ in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum, super præmemorata confirmatione ac Ratihabitione Actis publicis diurnis inseri curarunt, Dominos suos Deputantes nihil aliud aut ulterius in eâdem Confirmatione ac Ratihabitione concedere, nisi hac expressa conditione & declaratione, nimirum, sese mutationem, renovationem aut confirmationem in præcedentibus Tractatibus tam Confœderationis Societatisque mutuæ, quam Ligæ defendendi & offendendi ergò, cum Rege Galliarum Annis 1630. 1634. & 1635. initis, hisce effici neutiquam velle, Nobiles verò Ordines Tractatus illos robori ac valori suo permittere.

Postero autem die Nobilium ac Potentium Zelandiæ Ordin. Deputati, ut sese plenius declararent super 17. 18. 24. & 25. Articulis Actorum, quorum titulus erat *Materia*, ut ex ea Instructio Plenipotentiariis Monasterium euntibus formaretur, rogati, responderunt, D. D. Suos Deputantes exoptasse, ut tam variis instantiis, oretenus & scriptis in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum habitis reliquæ Provinciæ commodum æqualium onerum Portuum Flandricorum, quæ aut jam imperata sunt, aut in posterum imperabuntur, Scaldensi Fluvio, Saffæ, Swyndæ, Ostiisque maritimis iis respondentibus, quinetiam exemptionis 20 par-cento, ut vocant, cousque concedere tandem adduci potuissent, ut Plenipotentiariis Status hujus Nomine Monasterium discedentibus, in mandatis expressis, jam ab hoc tempore datum fuisset, omnem Tractationem succidere, nisi supradicti Articuli obtinerentur; Dominos verò suos Deputantes, percepto contrario, sed invitò, quanquam Nobiles ac Potentes Ordines firmis rationibus nitantur, ne à proposito suo ullo modo decederent, verùm ut eidem inhærerent; Nihilominus tamen Nobiles ac Potentes Ordines sedulo perpendentes declarationem à reliquis Provinciarum Deputatis factam, consequutionem æqualium onerum atque exemptionem *summè necessariam esse*, utpote, ex quâ Provinciarum commoda in genere diversis respectibus dependerent, ac proinde, quicquid fieri posset, eo conferri debere, juxta officii operæque hac in Parte oblationem seriam, id solum periculosum arbitrantes, quod si jam inde ab hoc tempore Dominis Plenipotent. demandarent, quæ Nobiles ac Potentes Ordines desiderarunt, tandem persuaderi sibi permisisse, quò reliquis Provinciis hac in Parte tantum cederent, ut Nobiles ac Potentes Ordines declarare iis mandârint, per se quidem licere, ut Legati Monasterium mitterentur ad Tractationem cum Hostibus per Plenipotentiarios hujus Status, juxta Instructionem eum in finem concludendam ac confirmandam, ineundam, proque Unitarum Belgii Provinciarum commodis in genere atque in specie vigilandum, ea lege tamen ac conditione, ut supradictis Domi-

Dominis Plenipotentiariis non solum in mandatis daretur, quod si super præmemoratis duobus Articulis Hispaniarum Regis difficultas moveretur, eosdem tamen Articulos ei neutiquam concederent, verum iis inhærerent, quæq; ipsis evevient Præpotentibus D. D. Ordinibus referrent, quò de iis mandata acciperent, si quando à Præpotentibus D. D. Ordinibus ut & à Dominis suis Deputantibus decretum fuerit, quid in Provinciarum commodum generale Provinciæque Zelandiæ speciale tunc fieri oportebit.

Sed præterea supra dictis D.D. Plenipotentiariis in mandatis daretur, ut super præmemoratis Articulis eodem cum reliquis maximi momenti maximèq; essentialibus Articulis ordine ac dignitate cum Hostibus agerent, iis neutiquam reservatis, donec maximi momenti maximèque essentiales Articuli decisi ac definiti forent.

Ne autem Præpotentes D. D. Ordines vel aliquæ Provinciæ in animum inducerent, D.D. Suos Deputantes de præcedenti suo mandato decedentes, in ardore, quem sui respectu hactenus ostenderunt, deficere, Nobilesque ac Potentes Ordin. Negotium hoc aliter apprehendere minusque urgere, quam Nobiles ac Potentes Ordines reipsa id apprehendunt urgentque, Idcircò Zelandiæ Deputati declarare non dubitarunt, inter D. D. Deputantes suos sententiarum quidem fuisse disparitatem de modo, qui ad Nobilium ac Potentium Ordinum intentionem super duobus illis Articulis optimè exequendam, adhibendus esset, Nobiles verò ac Potentes Ordines semper unanimiter censuisse atque etiamnum censere, supradictam onerum imperationem nec non exemptionem Statui huic in genere, Provinciæque Zelandiæ in specie tanti esse momenti, ut, nisi obtineantur, & calamitatibus atque infortuniis, quæ à Præpotent. D. D. Ordinibus in traditâ suâ deductione annotata sunt, hoc pacto præveniatur, Nobiles ac Potentes Ordines in conclusionem atque confirmationem alicujus cum Hostibus Induciarum Tractatus consensuri non sint.

Die autem undecimo Maji, Meyndersvici Dominus Præpotentibus D. D. Ordinibus Memoriale quoddam, per Secretarium *Brassetium* sibi Meyndersvici Domino exhibitum, tradidit continens, D. D. Comites *Avaucium* & *la Roche*, Nomine Galliarum Regis Plenipotentiarios Monasterii commorantes sibi D. *Brassetio* per literas vigesimo & octavo die Aprilis, proximè elapsi, datas demandasse, ut D. D. Ordinibus Generalibus Tractationum Monasteriensium initium, ac Procurationum ibidem factam explicationem, tam Hispaniarum, quam Galliarum Regis indicaret, in quibus inventæ sunt variæ difficultates cum respectu Titulorum aliarumque qualitatum, tum ejus respectu, quod S. Cæsareæ Majestatis Regisque Hispaniarum Plenipotentiarii sufficiente Auctoritate Pacis incundæ muniti, non erant, in iisdem quoque literis Auctoritatis nulla ulterior mentio facta est Fœderatorum cum Gallis, quam generalibus terminis in earum præfatione. Hispaniarum quoque Plenipotentiariorum singulos Procurationem habere, extraordinariis formulis magnorum defectu conscriptam, Dominum autem *Brassetium* jussu ac mandato, ut suprà, exemplar earum Procurationum tradere, quarum Cæsaris Latinâ, Hispaniarum verò Regis Hispanicâ Linguâ conscripta erat: Insuper etiam supradictus Dominus *Brassetius* declarabat summè memoratos Gal-

lorum Plenipotentiarios, quid sententiæ ipsis de hac re foret, cognoscendi desiderio teneri; quo cognito perpensoque supradictum Memoriale cum exemplaribus præfatarum procurationum in manus D. D. Meyndersvici, Mathenesii, Heemstedæ Domini, Knuytii, ab Hoolck, Veltdrielii, Ripperdæ, Clantii, tradere visum fuit, eo fine, ut inspicerent, examinarent, deque iisdem cum Celsiss. Arausionensium Principe agerent, ejusdem prudentissimam sententiam perciperent eamque in Concilio D. D. Ordinum Gener. referrent.

Postero die, quandoquidem Hollandiæ Deputati quinto die Mensis inter alia promiserant, se D. D. Suis Deputantibus, Auctoritate publica congregatis, reliquarum sex Provinciarum de trigesimo primo & trigesimo tertio Articulorum Negotii satis cogniti sententias relaturos, ad delegationem nonnullorum Arbitrorum per modum *Cameræ Bipartitæ* tendentes, ut & de sententiis quinque Provinciarum de Articulo decimo & septimo ejusdem materiæ, omnibus eò tendentibus, *ne Induciæ sive armorum suspensio, durante Monasteriensi Tractatione, concederetur,* quinetiam super sententiis supradictarum Provinciarum de octuagesimo septimo & octuagesimo octavo Articulo sæpius memoratæ materiæ, eo tendentibus, *ut actus hostilitatis utrimque durarent, usque dum Rex Hispaniarum Ratihabitionem ac Confirmationem suam ineundi Tractatus solennibus formulis conscriptam traderet:* Supradicti Domini Hollandiæ Deputati, ejus admoniti, declarârunt, sese accommodare sententiis à reliquis sex Provinciis quinto die hujus Mensis supradicti latis, de præmemorato trigesimo secundo & trigesimo tertio Articulo, qui uterq; proinde confirmatus habetur, ut instituendæ à Præpotentib. Ord. Plenipotentiariis Instructioni inseratur, quod ad sententias à quinque Provinciis eodem die, de septuagesimo, octuagesimò septimo & octuagesimo octavo Articulo latas attinet; Hujus respectu supradicti Hollandiæ Deputati declararunt, Dominos suos Deputantes se quoque accommodasse sententiis quinque Provinciarum, hac conditione tamen, ut, si quando sæpius dictis Plenipotentiariis aliqua propositio exhibenda esset, materiam supradictis Articulis expressam concernens, alterutro numero ad præmemoratam armorum suspensionem, Ordines ab ipsis clam ejus certiores faciendi forent, ut pro rei temporisque ratione decernerent, quod ad maximum Reipublicæ commodum pertinere arbitrabuntur: Gelriæ Deputati, super sæpius dictis septuagesimo, octuagesimo septimo & octuagesimo octavo Articulis sese accommodarunt Provinciis Zelandiæ, Ultrajecti ad Rhenum, Frisiæ, Trans-Ysulaniæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque, ac proinde iidem Articuli pro confirmatis habentur, ut formandæ Instructioni inserantur.

Domini de Wit & alii duo Extraordinarii Hollandiæ Deputati una cum Ordinariis ejusdem Provinciæ Deputatis in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum expresso Dominorum suorum Deputantium mandato declararunt, sese in eo acquiescere, ut sumptus in generali Tractatione Monasterii faciendi, respectu Plenipotentiariorum hujus Status, ab omnibus Provinciis simul ferrentur, secundùm eam Partem ac proportionem, quâ belli impensa exsoluta fuere; ea conditione, ut rectè animadverteretur ad ordinem eum in finem instituendum, quò parsimoniæ studeretur, nullique sumptus inutiles ad Statum hunc aggravandum fierent; insuper etiam supradictis Dominis suis Deputantibus Plenipotentiariorum

rum

rum numerum è Provinciis Monasterium delegatorum gratum esse; quo examini atque perpensioni subjecto, primum Articulum, utpote ordinario Provinciarum agendi modo congruum, accipere, utque debitus ac necessarius ordo, quò parsimoniæ opera detur, institueretur, gratum habere visum fuit.

Ad secundum Articulum, Zelandiæ Ordines D. Knuytium delegarunt, ut is tanquam Plenipotentiarius hujus Status Monasterium discederet, eâ lege ac conditione, ut, si alicui è quinque Provinciis plures Plenipotentiarii concederentur, quoque eodem additionis jure gaudere ipsi cuperent; quinque illæ Provinciæ similiter declararunt, quinetiam Hollandiæ Deputati, quod si cæteris Provinciis plures, supra unum, Plenipotentiarii concederentur, se quoque eodem Plenipotentiariorum adauctionis jure gaudere vellent.

Quum Secretarius *Brassetius* sese Regis Galliarum Ratihabitiones ac Confirmationes, Tractatus nummarii subsidii & Articulorum de Copiarum Eductione vicesimo & nono die Februarii Hagæ-Com. initorum, ut & Tractat. Monasterii institutæ, cum iis quæ ab eadem dependent, paratas habere indicasset, quin etiam ab hac parte eorundem Tractatuum Ratihabitiones ac Confirmationes institutæ essent; prævià deliberatione visum fuit delegare atque Auctoritatem dare Graphiario Musch *easdem Ratihabitiones cum Gallicis* super præmemorata materiâ cum D. Secretario *Brassetio*, eum in finem, à Domino Præsidente in Cameram Induciarum convenire jusso, commutandi. Stante autem Concilio, quum à Graphiario Musch renunciaretur, omnia à Gallorum Parte debito modo se habere, ut necessariæ literæ, ex alterutro supradictorum Tractatuum resultantes, ut & ex Articulis de Copiarum Eductione, vel eorum gratiâ, promoverentur visum fuit; quemadmodum etiam promovebuntur atque procurabuntur literæ Auctoritatis D. Johanni Heustio, Præpotentium D.D. Ordinum Commissario, ad accipiendum 1200000. Florenorum subsidium, à Gallis promissum, idque vi primi cujusdam Articuli è supradictis Tractatibus de Negotio hoc agentis, porrò etiam Domino *Brassetio* Acta Declarationis, supradictam scilicet commutationem mutuæ Ratihabitionis ac Confirmationis factam esse, Instructionis loco, concessa sunt.

Recens inter Sueciæ & Daniæ Regna natum bellum hac æstate Status hujus Ordinibus haud exiguum laborem ac molestiam peperit: ut qui assiduo, nunc à Suecorum, nunc à Danorum Ministris sollicitabantur: adeò ut tandem non modo armatam classem, verum etiam magnificam delegationem eò instituere, ac D. Schapium, D. Zonckium & D. Andream in Daniam, & D. de Wit, D. Bickerum & D. Stavenisse in Sueciam delegare necesse fuerit, qui è Vlevolandæ Portu cum quadraginta supra duas bellicis navibus & septingentis fermè navibus mercenariis trajecerunt, quarum Negotiatio subsequente Anno Tractatuum sequentium causa fuit, qui re ipsâ *Pacis* Tractatus existunt, quæ primum novis oneribus incommodisque Navigationum ac Commerciorum in Dania imperatis atque institutis; deinceps verò Suecorum in Regionem Holsatiæ Scaniæque invasione, non parum labefactata ac propemodum dissoluta fuit.

Quemadmodũ etiam quum similes molestiæ ac novitates adversus Navigationes Commerciaq; in Fluviis in Occan. & mare Balticum effluentibus jam aliquam-

diu perciperentur ac metuerentur. Mense Augusto ad hunc Statum Nomine locoque Bremensium delegati fuerunt D. D. Bethmanus Herdesianus, Syndicus, Johannes Heerde, Civitatis Bremensium Senator, ut & D.D. Christophorus Meurerius, & Nicolaus Jerrenus Civitatis Hamburgensium Senator, una cum Domino Leone ab Aitzma Civitatum Hanzeaticarum apud Præpotent. D.D. Ordines *Residente* Ordinario, ad præcedentem Anno 1616. inter Statum hunc & Civitates Hanzeaticas Confœderationem initam renovandam multis autem Propositorum Speciminibus super hac re conscriptis subsequente Anno Tractatus initus conclususque fuit.

Regiæ Majestatis Portugalliæ Legatus *Andrade*, etiam ad studia ac commendationem tam Galliarum Regis, quam ipsius Ministrorum frustrà quum petiisset declarationem, ut hic Status ipsi tanquam membro ad Monasteriensem Tractationem accessum procuraret, tandem Mense Junio discessit, postquam proposuisset, ut militum comitatu securè eò deduceretur. Dominis Meyndersvicio & Catzio Præpotentium D. D. Ordinum Delegatis generali responsione, cum ad supradictum Articulum multasque alias querimonias ipsis valedicentibus questus fuerat, non modo non satisfactionem, verum ne responsionem quidem ullam dari de Civitate *S. Christophori*, neque de Arce *Seregippa del Rey*, neque de *Archemio*, neque de Civitate *Malaccâ*, neque Circero quodam, vulgò *Carraecke*, quem Societas Indiæ Orientalis Portugallis eripuit, neque de iis quæ in *Angola* prope *Bengensem* fluvium acciderant, etiam atque etiam rogans, ut horum omnium aliorumque plurium respectu, si minus sibi, saltem Ordinario Legato hic permanenti, responsio daretur; de præliminaribus Articulis saltem tres præcipui Hollandiæ Deputatis rursus commendati fuere: nunquam verò ad scriptam declarationem deveniri potuit.

Decimo & sexto die Junii D.D. Deputati in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum oretenus declararunt, animadvertere se Dominorum suorum Deputantium voluntatem atque intentionem eo collimare, ut *Religio*, prout à Synodo Nationali Dordracenâ Anno millesimo, sexcentesimo, decimo nono stabilita fuit, confirmaretur: Secundò, ut generalis *Unio*, quæ vicesimo & nono die Januarii Anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo nono Ultrajecti ad Rhenum decreta conclusaque fuit, prout sonat & exequutioni mandari potest, confirmata sit ac maneat. Tertiò, si Pax aut Induciæ ineantur atque componantur, sufficiens militum numerus sub signis retinebitur, quemadmodum superioribus Induciis factum fuit, isque numerus pro temporis ratione Provinciarum consensu, prævio Celsissimi Arausionensium Principis consilio atque sententiâ, augebitur vel minuetur, prout è re hujus Status esse judicabitur, ad quod supradicti Domini Hollandiæ Deputati ulterius rogati, ut super hoc Negotio scriptam & categoricam declarationem Præpotentibus D. D. Ordinibus tradere vellent; cum excusarent, visum decretumque fuit, ut de hac re sive per literas, sive per delegationem apud supradictos eorum Dominos Deputantes primo ipsorum conventu petitio institueretur.

Revera, propter rationes ante memoratas, alia super eâ re declaratio institui non poterat; Domini autem Provinciarum Deputati Negotium hoc provisionaliter

liter acceperunt; saltem eô non obstante ulterius assiduò decreverunt, quæcunque delegationi honesta, necessaria atque inservientia forent.

Ad Religionis exercitium in familiis D. D. Legatorum rogati ac delegati fuerunt D. D. Lotius Hagiensis, & Teckmanus Ultrajectensis ad Rhenum Pastores. Quibus Secretarius assignatus fuit Dominus Grafwinckel, Dominiorum Hollandiæ Fisci Advocatus: qui deinde eo munere liberatus eique Dominus Verburgh substitutus fuit: Aulæ verò Præfectus, N. à Dalen. Deliberatio autem instituta fuit, de quatuor Carrucis, quarum unicuique sex æqui assignarentur singulisque Carrucis unus equus honorarius; ac præterea nonnulli alii equi, quibus insiderent: insuper etiam, ut unusquisque Legatus Nobilem quendam & quatuor servos, ejusdem formæ colorisque vestibus indutos, haberet.

Mense Octobri Oostervici Dominus in Galliam missus fuit amplâ Instructione, maximè præcipuèque nonum Articulum Ligæ Garantiæ, Titulosque honorarios concernente, qui etiamnum huic Statui ejusque Legatis denegantur. Ad finem verò Anni millesimi, sexcentesimi, quadragesimi quarti Galli honorarios illos Articulos etiamnum denegabant: nono autem cognito Articulo aures præbere Aula recusabat; Cardinalis Mazarini dixerat, *universo terrarum orbi ridiculum fore Monasterii Pacem iniri, eodemque tempore, vel etiam antè, eandem dissolutam iri, promitti ac sponderi.*

Universo hoc tempore, quo Regiæ Majestatis Galliarum Legati Monasterii commorabantur (antequam hujus Status Legati advenirent) per D. *Brassetium* Præpotentibus D. D. Ordinibus diligenter fideliterque communicarunt, quæ inter ipsos ac Hispanos agebantur: quorum pleraque literas Auctoritatis earumque formulas ac valorem spectabant, quæ, utpote ad Fœderati Belgii Pacis Tractationem propriè non pertinentia, prolixitatis vitandæ ergò, omittuntur.

Eodem hoc Anno Mense Septembr. Sassa Gandavensis obsessa à Celsiss. Arausionensium Principe expugnata fuit.

Initio Januarii Anni millesimi, sexcentesimi, quadragesimi quinti per literas Regiæ Majestatis Galliarum Legatis, ut & Reipublicæ Venetorum Legato *Contarini* gratiæ actæ fuerunt pro suprà memorata fidâ ac sincerâ familiaritate ac consensu mutuo: supradicto verò Legato *Contarini* proponebatur, neutiquam percipi aut intelligi, quâ de causâ Galli aliique assumerent Titulum Legatorum Extraordinariorum loco, quum Negotium præliminare nullum alium quam *Plenipotentiariorum* Titulum conferret. Adhæc verò rescribebatur; visum decretumque esse, ut omnes & singuli Nomen *Legati ac Plenipotentiarii* conjunctim usurparent: eò quod nonnulli alii cum Monasterii tum Osnabrugis eâdem qualitate insigniebantur; qui inferioris conditionis, quam Gallorum Legati erant; præterea etiam compertum esse Nomen Titulumq; Legati in Germaniâ magnificentiorem multò ac venerabiliorem esse: Deinde etiam idem facere huic Statui integrum esse.

Decimo & septimo die Februarii, Anno 1645. subsequente Propositione Præpotentibus D. D. Ordinibus super Titulis honorariis quodammodo satisfecit.

Celsissimi Domini, multis ac variis demonstrationibus, jam ab eo tempore quo ad Imperium Regimenque Regiæ Majestatis Mater admota fuit, videre ac perspicere potuistis, quo studio animoque Celsitudinum Vestrarum commodis dedita fuerit. Quæ Vos, Celsissimi Domini,

mini, Ipsius Nomine dicenda habeo, ea Vobis re ipsa benignam voluntatem, quâ Majestas Sua hujus Status gloriæ, splendori commodoque addicta est, confirmabunt: quoniam Vobis indicare mandatum jussumque mihi fuit, Majestatem Suam plenissimè absque ullâ exceptione concedere, quod respectu Titulorum ac dignitatum Dominum D. Legatis Vestris deferendarum petiistis, *ea enim ipsius voluntas est; ut iisdem Titulis, quibus* Venetorum Reipublicæ Legati, *insigniantur. Dubium mihi non est, Celsissimi Domini, quin, si Majestas Sua Ipsis tam benevolè, quod tot Annis ambierunt, concederet, à suâ quoque Parte omnia sedulò acturi essent, quæ satisfactioni inserviant, quam Majestas Sua ab ipsis unicè petit, ut causa Regis Portugalliæ cum Amplissimâ Societate Indiæ Occidentalis, & D. Hassiæ Land-Gravii Viduæ, cum Nobilissimo D. Comite Embdano conficeretur.*

Quin insuper etiam Vos, Celsiss. Domini, majorem in modum rogo, ut consilium maturum ineatis, in hac Copiarum eductione manibus pedibusque obnixè omnia faciatis, tamque favente conjunctione proficiatis; quæ quidem, ut spero, animum meum promptum, quem semper in officia Vestra intentum habui, demonstrandi occasionem commoditatemque suppeditatura sunt. Datum Haga-Com. decimo & septimo die Februarii, Anno 1645. *Subsignatum erat*, d'Estrades.

Illa verò nuda verba quum essent, quæ negari possent, mandati ipsius Exemplar authenticum petitum fuit: ut verò magis ipsis satisfaceret remque confirmaret, vicesimo & quarto die Februarii, juxta literas à Regiæ Majestatis Plenipotentiariis decimo & octavo die Februarii Monasterio missas, Præpot. D. D. Ordinibus declaravit, se supradictos Dominos Legatos hujus Status iisdem Titulis, quibus Venetorum Reipublicæ Legatos, insignire velle. Proximo die literæ gratiarum actionis pro eâ re ad Reginam Galliarum, Ducem Orliensium, Principem Condæum & D. Cardinalem Mazarinum, quin etiam ad Regiæ Majestatis Galliarum Plenipotentiarios Monasterii commorantes, datæ fuerunt. Paucis post diebus, allatis à Rege literis super eâ re quarti diei Martii, per D. D. Gentium, Catzium, Vosbergium; Celsissimo Arausionensium Principi gratiæ quoque actæ fuerunt, eo quod in literis Regis habebatur, *validis vividisque Nepotis Nostri Celsiss. Arausionensium Principis petitionibus.*

Charissimi Summique Amici, Socii, ac Fœderati Nostri, consilio Reginæ Matris Nostræ reverendæ, petitionibus Vestris ac demonstrationibus dato concessoque ut Legati Nostri Vestros dehinc ubique insignirent Titulo Excellentiæ, dextrum latus ipsis in hospitio suo præberent, utque ipsos primum visitarent in locis, in quæ Vestri postremi advenient, *quemadmodum Monasterii fiet: prudentissimo summè dictæ Reginæ consilio huic favori hunc etiam addere visum fuit, ut per literas Vobis indicaretur, quò Acta Vestra diurna hoc erga Vos benevolentiæ testimonio ornarentur. Nulla ratio aut exemplum exstitit, quod non petitioni Vestræ cessit: animi quoque Vestri benevoli, quo semper erga hoc Regnum fuistis, memoria ac recordatio, tantoperè mentes Nostras occupavit, ut lubentes in gratiam Vestram omnia judicaverimus; ad quod etiam moti atque impulsi fuimus* validis ac vividis petitionibus *Charissimi ac Dilectissimi Nepotis Nostri Celsiss. Arausionensium Principis qui à partibus, à quibus oportet, stans, tantam curam tantumque studium commodis causisque Vestris intendit atque adhibuit, & rationibus & petitionibus Vestris tantopere subvenit, ut in iis acquiescere decreverimus. Non in hisce duntaxat effecta fructusque Regiæ Nostræ protectionis ac defensionis Vobis exspectandi veniunt, verum etiam cooperari omniaque conferre volumus ad augendam Aucto-*

Auctoritatem atque imperium in communis Hostis finitimas Provincias, *quò destituti omni spe conjunctis atque unitis Nostris viribus resistendi, Pacem amplecti cogantur, quæ Sociis Fœderatisque honesta ac commoda sit: Ad quam ut adducantur, vires Copiasque Nostras, quascunque paratas habemus, ad Hostem oppugnandum educimus, dum Deputati Nostri congregati in honestis ac justi Tractatus Articulos convenire annitentur. Vos ad hoc exemplum invitamus, obnixè rogantes, ut plenissimè Vobis persuasa habeatis, quæ Dominus* d'Estrades *Nostro Nomine Vobis indicabit ac declarabit, Vosque, charissimi ac dilectissimi Amici, Socii, ac Fœderati Nostri, Altissimi protectioni commendamus. Datum Parisiis quarto die Martii, Anno* 1645. *Subscriptum erat, Vester Amicus ac Fœderatus. Subsignatum*, Ludovicus. *Pauloque infrà*, de Lomenie. *Inscriptio autem hæc erat: Charissimis atque Summis Nostris Amicis, Sociis ac Fœderatis, Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordinibus Generalibus.*

Vicesimo & quarto die Februarii, ad petitionem Marchionis Castelli Rodrigo apud Celsissimum Arausionensium Principem institutam, à Præpotent. D.D. Ordinibus missi fuerunt Salvi-Conductus necessarii Comiti *Pennoranda* nec non *Cameracensi Archi-Episcopo* ut Monasterium discederent.

Ad Salvos-Conductus hosce promovendos *Normontii* Dominus Hagam-Com. venerat: cui, quum Januario, proximè elapso, hic esset, apud nonnullos in privatis colloquiis invitatio ad particularem aliquam Tractationem exciderat: publicè verò non modo nihil quicquam proposuit, verum etiam mandatum & Auctoritatem quicquam proponendi nullam habuit. Quoniam verò ejusmodi hominum adventus Gallis malè suspicandi causam præbebat, tertio die Martii Ordinario hujus Status in Galliâ Legato secundò per literas mandabatur; ut declararet, *Se tantummodo Salvos-Conductus pro Hispanorum Plenipotentiariis petiisse; sibique statim literas redditas fuisse; adeo ut nullam aliam explanationem vel fecerit vel facere potuerit.*

Die decimo Martii, & vicesimo Aprilis, Rex cum Præpotent. D.D. Ordinibus Generalibus sequentes Tractatus iniri jussit.

LUdovicus, Dei Gratiâ, Franciæ & Navarræ Rex, Omnibus & singulis, ad quos præsentes pervenerint, Salutem: Constare volumus, in Concilio Nostro Ordinum Regni perlectum ac perpensum fuisse Tractatum, quem Nomine locoque Nostro fidelissimus ac dilectissimus Noster Henricus d'Estrades, peditum Tribunus, hujusce Negotii Commissarius, inivit ac confirmavit una cum D. D. Deputatis Rutgero Huygenio; Francisco Herbertio, Civitatis Goudanorum Ex-Consule; Iacobo Catzio, Equite, Hollandiæ & VVest-Frisiæ Syndico Supremo; Casparo Vosbergio, Equite, Domino in Isolar; Godartio à Reede, Nederhorstii Domino; Carolo à Roorda; Grietmanno in Idaerderadeel; Gulielmo à Ripperda, Domino in Boxbergen, Boculo & Hengelo; Adriano Clantio; Domino in Stedum, vi literarum Auctoritatis, quibus supradictus Commissarius Noster à Nobis, & supra memorati D. D. Deputati à Præpotentibus D. D. Ordinibus muniti fuerunt, quorum Tractatuum literarumque Auctoritatis exemplar subsequitur.

Rex Christianissimus, consilio Reginæ Matris, Hostium communium perexiguâ ad Pacem inclinatione cognitâ perspectâque, ipsi verò, quamvis propter ejusdem Tractationem tandem nonnullos è Plenipotentiariis suis Monasterium miserint, in hoc prætextu acquiescere & negotio

gotio moram injicere possent, nisi aquas honestasque conditiones accipere armis cogantur. Ad tam exoptatum igitur finem obtinendum, unà cum Fœderati Belgii Provinciarum Ordinibus Generalibus supradictos Hostes, quantum hac æstate fieri poterit, strenuè fortiterque aggredi atque oppugnare constituit decrevitque. Et quò summè dictis D. D. Ordinibus tantò commodiora media atque subsidia, quibus magnam ac ingentem aliquam expeditionem conficere tenebuntur, suppeditentur, Majestati Suæ D. D. Ordinibus præsenti Anno 1645. extraordinarium nummorum subsidium, juxta conditiones sequentes, concedere atque largiri placuit.

1. Majestas Sua Regia hoc vertente Anno 1645. summè dictis D. D. Ordinibus Generalibus duodecies centenis librarum millibus subveniet; quibus extra ordinem jam conscriptis sive dehinc conscribendis Copiis satisfacturi sunt: eâ lege tamen ac conditione, ut dictam nummorum Summam nullis rebus aliis impendere ipsis liceat; quod summè dicti D. D. Ordines Generales observaturos se promittunt ac pollicentur; ut Hostibus quodcunque, & quibuscunque modis commodè poterunt, damnum ac detrimentum inferant.

2. Majestas Sua Regia in exactiorem nummorum Parisiis exsolutionem, atque eorum, quorum curæ receptionem dictæ Summæ D. D. Ordines demandabunt, satisfactionem, vadimonium, sive assignationem debitis formulis conscriptam dari curabit. Supradictæ autem Summæ exsolutio in tres partes distribuetur: prima quater centenorum librarum millium primo hujusce Tractatus Ratihabitionis die, altera itidem quater centenorum librarum millium Junio proximè venturo, tertia deniq; quater centenorum librarum millium pars Mense Octob. exsolvetur.

3. Quapropter etiam summè dicti D.D. Ordines Gener. obstricti atque obligati erunt ad Copias suas adimpletas confirmatasque educendum, quibus expeditionem aliquam insignem occipiant, quandoquidem Majestas Sua, sufficientem quoque exercitum ad similem expeditionem in Belgii Provinciis occipiendam, sive Hostibus, quibuscunque modis maximè poterit, detrimentum inferendum, educturam Se promittit spondetque.

4. Summè dicti D.D. Ordines Generales concedunt ac promittunt, Gallorum Præfectorum stipendia à memoratâ nummorum summâ deducta eo modo exsoluta iri, quo Tractatu decimo & septimo die Junii, Anno 1630. & decimo & quarto Aprilis, Anno 1634. inito conventum fuit, quin insuper etiam eum, qui à summè dictis D. D. Ordinibus nummorum, qui Parisiis exsolvendi erunt, receptioni præficietur, stipendiorum Summam ab ultimâ nummorum à Majestate Regiâ annumerandorum parte, Parisiis conficere atque exsolvere obstrictum obligatumque iri.

5. Majestas Sua quemadmodum etiam D. D. Ordines Generales præsentem Tractatum sex septimanarum spatio, sive duorum Mensium intervallo, si fieri poterit, confirmabunt.

6. Præsens denique Tractatus superioribus Majestatem inter & D.D. Ordines Generales initis confirmatisque nihil quicquam derogabit; utpote qui vim ac vigorem suum obtinebunt, quò ab utrâque Parte constanter fideliterque observentur. In cujus rei testimonium Nos Legatus & Deputati, vi literarum Auctoritatis, præsentibus hisce Articulis manu Nostrâ subsignavimus, ac sigillorum Nostrorum

ſtrorum appendice muniri curavimus. Datum Hagæ-Comitis, decimo die Martii, Anno 1645. Subſignatum erat, *d'Eſtrades*, R. Huygenius, F. Herbertius, J. Catzius, C. Roorda, G. Ripperda, A. Clantius, annuliſque eorum ſignatoriis obſignatum.

Hiſce inſertæ erant Literæ Auctoritatis ac Ratihabitiones ſolennibus formulis conſcriptæ.

LUdovicus, Dei Gratiâ, Franciæ & Navarræ Rex, Omnibus & ſingulis, ad quos præſentes pervenerint, Salutem: Conſtare volumus, in Concilio Noſtro Ordinum Regni perlectum ac perpenſum eſſe Tractatum, quem Nomine locoque Noſtro fideliſſimus ac dilectiſſimus Noſter Henricus d'Eſtrades, peditum Tribunus, hujuſce Negotii Commiſſarius inivit ac confirmavit, una cum D. D. Deputatis, Rutgero Huygenio, Equite; Iohanne Mateneſio, Toparchâ in Mateneſſe; Franciſco Herbertio, Civitatis Goudanorum Ex-Conſule; Iacobo Catzio, Equite, Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ Syndico Supremo; Godartio à Reede, Nederhorſtii Domino; Carolo à Roorda, Grietmanno in Idaerderadeel; Adrianus Clantius, Dominus in Stedum, vi literarum Auctoritatis, quibus ſupradictus Commiſſarius Noſter à Nobis, & præmemorati D. D. Deputati à Præpotentibus D. D. Ordinibus muniti fuerunt, quorum Tractatuum literarumque Auctoritatis Exemplar ſubſequitur.

Galliarum Rex, cognito perceptoque D. D. Ordines Generales in animo habere hoc Anno 1645. locum aliquem inſignem, atque incolumitati Reipublicæ maximè inſervientem aggredi atque oppugnare, Extraordinarios milites, ſupra omnes Copias, quas ſummè memorati D. D. Ordines ſub ſignis habere conſueverunt, conſcribere, eoſque, quamdiu Copiæ, quæ jam educentur, expeditioni ſuæ intentæ erunt, exſolvere conſtituerunt ac decreverunt, ſi Majeſtati Suæ Ipſis ingenti nummorum Summâ ſubvenire placeret, ad extraordinariorum ſumptuum, quos impendere tenebuntur, partem ſufferendum.

Rex, non obſtantibus impenſis, quas ab omni Parte adverſus communem Hoſtem facit, hoc Rerum Statu benevolentiam ſuam Præpotentibus D. D. Ordinibus comprobare volens, ter centenorum librarum millium Summam Ipſis conceſſit atque promiſit, quæ Pariſiis primo die Maji, aſſignationibus, quas vocant, debitis formulis conſcriptis, exſolvenda erit, idque in ſatisfactionem illius, qui receptioni à D. D. Ordinibus Gener. præficietur.

Quapropter ſummè memorati D. D. Ordines Generales ſemetipſos obſtringunt atque obligant ad dictam trecentorum librarum millium Summam ſoli conſcriptioni atque exſolutioni extraordinariorum militum, tam peditum quam equitum, conditionibus ſupradictis impendendam; quod ſummè dicti D. D. Ordines Generales fideliter ſe obſervaturos promittunt ac pollicentur.

In quorum teſtimonium Nos, Legatus & Deputati, vi Auctoritatis Nobis conceſſæ, præſentibus manu Noſtrâ ſubſignavimus, ac ſigillorum Noſtrorum appendicè muniri curavimus. Datum Hagæ-Batavorum viceſimo die Aprilis, Anno 1645. Subſignatum erat, d'Eſtrades, R. Huygenius, I. Mateneſius, F. Herbertius, I. Catzius, G. à Reede, C. Roorda, A. Clantius, eorumque annulis ſignatoriis obſignatum.

Subſequebantur Literæ Auctoritatis ac Ratihabitiones ſolennibus formulis conſcriptæ.

Rex Chriſtianiſſimus in Concilio Ordinum Regni vidit perpenditque ſecretos Articulos, quos Nomine locoque Ejus decimo die Martii, proximè elapſi, fideliſſimus ac dilectiſſimus Noſter Henricus d'Eſtrades, peditum Tribunus, hujuſce Negotii Commiſſarius, & D.D. Deputati Rutgerus Huygenius, Eques; Franciſcus Herbertius, Civitatis Goudanorum Ex-Conſul; Iacobus Catzius, Eques, Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ Syndicus Supremus; Caſparus Voſbergius, Eques, Dominus in Iſolar; Godartius à Reede, Nederhorſtii Dominus, Carolus à Roorda, Grietmannus in Idaerderadeel; Gulielmus Ripperda, Dominus in Boxbergen, Boculo & Hengelo; Adrianus Clantius, Domius in Stedum, vi Tractatuum dicto die inter ipſos initorum ac confirmatorum, vi literarum Auctoritatis ipſis conceſſarum; quorum Articulorum ſecretorum Exemplar ſubſequitur.

Ad pleniorem explicationem tertii Articuli Tractatus hoc die concluſi, conventum fuit, ut Rex Ordineſque Generales ſinguli exercitum, decem ſuprà octo aut viginti millium peditum, quatuor inſuper millium & quingentorum aut quinque millium equitum educturi ſint: ut ſuprà memorata Copia ad ſummum medio Menſe Majo, proximè venturo, in Belgii Provincias introducenda ſint, niſi is, qui Hiſpaniarum Regis Copiis praeeſt, ſuas citius eduxerit; quo caſu Rex & ſummè dicti D. D. Ordines ſuas quoque tempeſtivè eò educere tenebuntur, quò ſe Hoſtes movebunt: ut exercitus ſummè memoratorum D. D. Ordinum locum aliquem inſignem aggreſſurus ſit, ut haud exiguum inde damnum ac detrimentum ad Hoſtes redeat: utque exercitus Majeſtatis Suæ ſimiliter locum aliquem inſignem oppugnaturus, ſive in Hoſtium regiones invadendo tantam diſtractionem effecturus ſit; ut Copiarum ſuarum maximam Partem defenſioni adverſus Majeſtatis Suæ expeditiones impendere neceſſe habeant, quo eveniet, ut Celſiſſ. Arauſionenſium Princeps tantò majorem commoditatem expeditionis ſuæ felicem exitum conſequendi habeat: Eâ lege, ut, ſi Majeſtatis Regiæ exercitus tantummodò diſtractionem efficiat, quatuordecim diebus ante, quam ſummè memoratorum D. D. Ordinum educendus ſit; quod ſi verò decretum ac conſtitutum fuerit, ut uterque exercitus loca aggrediatur atque oppugnet; eodem die præciſe abſque ullo dubio in campum educetur, eâ conditione, ut, qui contrà fecerit, fidei malè ſervatæ arceſſendus veniat.

Summè dicti D. D. Ordines ſemetipſos obligant atque obſtringunt effecturos ſeſe, ut octavo die Aprilis triginta ducentorum, trecentorum, quadringentorum velium naves bellicæ debitè inſtructæ propriis ſumptibus anguſtias Caletenſes explorent, quò Hoſtibus in Flandriam ingreſſus mari præcludatur atque eripiatur. Quod ſi etiam Regis Copiæ locum aliquem in oris Flandriæ maritimis aggreſſæ fuerint, ſuprà dictæ triginta naves, durante expeditione, ſemper ad præmemoratas oras paratæ habebuntur, locumque à Regis Copiis obſeſſum mari cingent, ne aut Hiſpaniarum Regis viribus opibuſque, aut alterius cujuſpiam, qualiſcunque tandem fuerit, qui, quocunque tandem prætextu opitulari vellet, mari ſubveniatur. Summè memorati D. D. Ordines ſemetipſos etiam tali caſu obſtringunt atque obligant, ad commeatum univerſum, qui ex Galliâ ſupportabitur, ad caſtra Majeſtatis Suæ ſufficienti militum præſidio pervehendum, ſive commeatum mediocri pretio ipſis exhibendum, ſi ventus ſufficientem ex Galliâ eò devehi non ſinat, & ſi è regionibus ſummè dictorum D. D. Ordinum Fœderati Belgii, ad caſtra, ſive ad eum locum, quem Regis Copiæ obſeſſa tenebunt, ſubvectioni faveat

veat atque inserviat: cui Negotio Majestas Sua nunquam se immisceret, nisi persuasum sibi haberet, quacunque hoc Articulo continentur, à summè dictis D. D. Ordinibus fidelissimè ac plenissimè observata iri, qui hoc spondent & semetipsos ad id obligant atque obstringunt, sub pœnâ fidei malè servata ac dissolutionis Tractatum ab ipsis cum Majestate Suâ initorum.

Summè memorati D. D. Ordines Majestatis Sua Copiis trans Rhenum Vesaliensem ut & trans Mosam Trajectensem meatum & remeatum sincerè promittunt, ubi à Majestate id rogati fuerint, ea lege tamen, ne cum Status sui prajudicio ac damno id fiat.

Summè dicti D. D. Ordines semetipsos obligant atque obstringunt ad exercitum suum in campis detinendum, quamdiu Reipublica salus atque incolumitas id exiget, & temporis cœlique opportunitas feret.

In cujus rei testimonium Nos Legatus & D. D. Deputati vi Auctoritatis Nobis concessa, prasentes hosce Articulos solitâ Nostrâ subsignatione sigillique appendice muniri curavimus. Datum Haga-Com. Batav. decimo die Martii, Anno 1645. Subsignatum erat, d'Estrades, R. Huygenius, F. Herbertius, I. Catzius, G. Vosbergius, G. à Reede, C. Roorda, G. Ripperda, Adrianus Clantius, annulisque eorum signatoriis obsignatum.

Decimo & quinto die Martii ab Extraordinariis atque Ordinariis Hollandiæ Deputatis in Concilio D.D. Ordinum Generalium pleniore explicatione Provincialis suæ sententiæ de sumptibus Monasterii faciendis institutâ, respectu Præpotentium D. D. Ordinum Legationis ad Tractationem Monasteriensem, quò generalis in Christiano Orbe Pax & tranquillitas effecta reddatur, re perspectâ perpensâque visum decretumque fuit omnibus conjunctim Præpotent. D. D. Ordinum Legatis ac Plenipotentiariis pro suprà dictis tam Ordinariis quàm Extraordinariis sumptibus qui Monasterii fient, ut trecenti Floreni, unoquoque die concederentur, visum decretumque fuit; postquam verò supradicti Legati ac Plenipotentiarii Monasterium venerint, aliquis autem eorum discesserit, eâ de causâ supradictæ Summæ nihil quicquam detrahetur, sed si plures è D. D. Legatis ac Plenipotentiariis absuerint, ab Aulæ Præfecto absentes annotabuntur, ut de eo plenius hîc agatur, ea lege ac conditione, ne Aulæ Præfectus aut alius quispiam, cui nummi committentur, ulli, quicunque tandem fuerit, aut quocunque, præter Præpotent. D. D. Ordinum Generalium mandatum, ullos nummos expendat itineri aliisque sumptibus extra Civitatem Monasteriensem faciendis, eâ lege, ut ejusmodi exsolutio sive erogatio in ratiuncularum suarum traditione neutiquam accipienda sit.

Hollandiæ Deputati rursus institerunt, ut initio non plures tribus Plenipotentiariis mitterentur, usque dum præcipuum Tractationis peractum foret: Reliquæ verò Provinciæ in id consentire noluerunt.

Quandoquidem Commercia in Indiâ Orientali & Occidentali præcipua erant quæ Instructione comprehendebantur, earundem Societatum Præfecti Præpot. D. D. Ordinibus hasce difficultates tradidere.

Exemplar Difficultatum Indiæ Orientalis Mercatorum.

1. QUamvis Societas seu Mercatores Indiæ Oriental. bellum cum Castilianis in Indiis Orientalibus continuare commodius esse ducerent (quum assiduo armis se defendere teneantur) nihilominus tamen Vos, Præpotentes Domini, (si fortasse Pacis Induciarumvè Tractatus ineatur) curam hanc gesturos esse firmiter sibi persuasum habent, ut supradicta Castilianis Navigatio permittatur, prout impræsentiarum eâdem gaudent, neque ulterius se extendere ipsis liceat, quæ omnia Juri Vestro Supremo porrò commissa volunt.

2. Summopere tamen (salvâ Reverentiâ Vestrâ) considerandum venit, quod si eveniat, ut Hispaniarum Rex cum ingenti militum Copiâ in Indiam Portugallorum imperio obtemperantem veniat, hoc prætextu, velle sc. se Portugallos sub imperium redigere, eosque bello petat, id fieri neutiquam posse sine maximo Indiæ Orientalis Societatis periculo, quæ hoc pacto, neque sine suo maximo sumptu, assiduò in armis tenebitur: quapropter etiam (salvâ Reverentiâ Vestra) India à Portugallis subactâ arceri debebunt.

3. Vicesimo & primo die Januarii traditum fuit, quò Præpotentes D. D. Ordines examini prudentissimi consilii subjicere vellent, num Pace Induciisvè initis atque compositis Societatis Indiæ Orientalis in hisce Provinciis Præfectis, qui aut fuerunt aut etiamnum sunt, Ejusdemque Societatis Ministris, quorum operâ Eadem Societas usa fuit, liberè securèque in regionibus, quæ Hispaniarum Regis imperio subsunt, meare ac remeare, insuper etiam navigare aut commercia exercere licebit, adeò ut prætextu muneris sui supra memorati tanquam Præfecti, neque respectu sui, neque respectu bonorum merciumque suarum, ullo incommodo aut molestiâ afficiendi sint; Quandoquidem, durante bello, Hostes Salvos-Conductus utriusque Indiæ, Orientalis scilicet & Occidentalis Præfectis, qui eosdem cum insertione tituli ac qualitatis suæ petebant, denegarunt, se verò (salvâ reverentiâ Vestrâ) si Tractatus ineatur, omni dubio procul in personis bonisque suis, æque ac reliquos ejusdem Status Incolas liberos atque securos esse; insuper etiam ad majorem sui securitatem decreti Acta seu declarationem ejusmodi habere oporteat, cujusmodi Præpot. D. D. Ordines pro summâ suâ prudentiâ, ad quam se in hoc Negotio ablegant, necessariam esse judicabunt.

Exemplar Difficultatum Societatis Indiæ Occidentalis.

1. QUod si utraque Societas conjuncta fuerit, utrique tam in Orientali quam Occidentali Indiâ, Oris Africanis, Brasiliâ, Mari Germanico aliisque regionibus à Parte meridionali Tropici Cancri, vel citra lineam Æquinoctialem bellum continuare, quam Pacem Induciasvè ullas cum summè dicto Hispaniarum Rege inire atque componere, commodius ac conducibilius foret.

2. Conjunctione sepositâ, quod si Societas promissam viginti supra quinque Annorum continuationem Privilegii sive Auctoritatis publicæ, præterea etiam postu-

postulata auxilii media, quibus per se subsistere possit, à Præpotentibus D.D. Ordinibus impetraverit, quinetiam Societas Orientalis pacem Induciasve cum Hispaniarum Rege amplexa fuerit, Societatis etiam Occidentalis Præfecti Pacem Induciasve cum Hispaniarum Rege Status sui defensioni ac confirmationi inservire judicant. ,, ,, ,, ,,

III. Quod si Gener. Pax aut Induciæ ineantur ac componantur, Societati fidelis sinceraque Pacis observatio nomine Hispaniarum Regis asseverabitur, quo extra omne periculum magnorum præsidiorum naviumque pretiosarum onera, quantum fieri poterit, minuant, atque in privilegiis, liberis navigationibus, commerciis & exemtionibus, juxta Vestrum Privilegium publicâ Auctoritate concessum, propugnari ac conservari queant. ,, ,, ,, ,, ,,

IV. Ejusmodi Pace sive Induciis omnes Principes, Populi & Nationes, cum quibus Præpotentes D. D. Ordines vel Societas Indiæ Occidentalis eorum nomine locoque intra terminos Privilegii Fœderationem atque amicitiam contraxerunt, comprehendentur. ,, ,, ,, ,,

V. Societati Negotiationem ac Commercia Sua omnibus locis intra limites supradicti Privilegii, quæ Munitionibus, Jurisdictioni aut Imperio Hispaniarum Regis neutiquam subsunt, iisque mercibus, servis aliisque rebus, quæ ipsis videbuntur, promovere integrum erit. ,, ,, ,,

VI. Hispaniarum Regis Subditis in nullis Portibus locisvè, in quibus Societas Indiæ Occidentalis Vestro Nomine Castella, Fortalitia, Imperium aut Tuguria, vulgò *Logien*, tenent, negotiari aut navigare licebit, nisi *vice versâ* similis negotiatio in omnibus regionibus, locisque Hispaniarum Regis Imperio subjacentibus supra dictæ Societati concedatur ac permittatur, ne tali casu alterutri graviora onera, quam locorum incolæ exsolvunt, imperentur. ,, ,, ,, ,, ,,

VII. Singuli quoque eas Civitates, Castella, fortalitia, loca, in quibus Negotiatio ac Commercia exercentur, regionesque possidebunt, quæ ante Tractatus alicujus initium ad alterutram Partem pertinere comperientur. ,, ,, ,,

Die vicesimo & septimo Januarii, Anno millesimo, sexcentesimo, quadragesimo quinto ulteriori Scripto rogatum ac petitum fuit. ,,

I. Quod si D.D. Plenipotentiariis quicquam extra hasce difficultates proponeretur, quod ad Societatem pertineat eivè noxium sit, ut seriò ad id attendatur, Præfectique ejus certiores reddantur, prout Vos, Præpotentes Domini, fieri oportere existimabitis. ,, ,, ,,

II. Quod si Pax sive Induciæ ineantur ac componantur, Præfectis eorumque Ministris, superioris & inferioris Ordinis Ducibus, militibus sociisque navalibus, cum illis qui se Munere abdicarunt, tum iis qui & in hisce Provinciis, & in districtu Occidentalis Privilegii etiamnum Munere aliquo funguntur, aut quorum operâ Societas dehinc utetur, in omnibus regionibus quæ Hispaniarum Regis Imperio obtemperant, liberè securèque negotiari, meare ac remeare, non minus quàm aliis hujus Status Incolis, licebit. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Die vicesimo & septimo Aprilis à Plenipotentiariis Regiæ Majestatis Galliarum literis acceptis una cum Scriptis quibusdam ipsis ab Hispanis traditis, & Gallorum Plenipotentiariis, ut hujusce Reipub. Plenipotentiarii, quam primum

Mona-

Monasterium discederent, petentibus, vicesimo & nono die in Concilio propositum fuit tempus discessus Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiariorum atque Extraordinariorum Legatorum ad Tractationem Monasterii institutam, ad generalem Christiani Orbis tranquillitatem effectam reddendam, appropinquare, nec Præpotentes D. D. Ordines de cognitis præliminaribus Articulis quicquam certi hactenus decrevisse: Idcircò, ut Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarii atque Extraordinarii Legati, eo non obstante, Monasterium ad supra dictam Tractationem constituto die, (septimo sc. Junii) juxta Præpotent. D. D. Ordinum decretum, iter instituerent, prævia deliberatione visum fuit, eâ tamen lege ac conditione, ut de supradictis præliminaribus Articulis agendum, atq; invicem, quoad fieri poterit, satisfaciendum foret. N. N. ac Potentium D. D. Ordinum Zelandiæ Deputati indicarunt, se nihil in mandatis habere, præterquam ut declararent, *Nobiles ac Potentes D. D. Ordines neutiquam annuere, ut Plenipotentiarii hujus Status Monasterium delegarentur, antequam cogniti præliminares Articuli confirmati forent, ac proindè se adversus supra dictam Plenipotentiariorum Delegationem, plurium suffragiis decretam, insuper etiam adversus omnia, quæ vi ejus postmodum proponentur ac conficientur, protestari.*

Dies septimus Junii quum eluxisset, æque imparati existebant, partim propter præliminares Articulos, partim propter Provinciarum quarundam centies Florenorum mille ad delegationem Monasteriensem petitorum defectum. Hollandiæ Deputati eò rem perduxerunt, ut decimo & tertio Julii rursus discessui dies assignaretur, nempe decimus & quintus Augusti. Id Regiæ Majestatis Galliarum Legatis per literas indicatum fuit. Eodem autem die Dominus Veth declarationem atq; protestationem Provinciæ Zelandiæ, vicesimo & nono Aprilis, ac dein sæpius propositam repetiit, *D. D. sc. Ordines Zelandiæ neutiquam annuere, ut Plenipotentiarii hujus Status Monasterium delegarentur, antequam cogniti prælintinares Articuli confirmati forent, ac proinde se adversus decretam Plenipotentiariorum delegationem, insuper etiam adversus omnia, quæ vi ejus proponentur ac conficientur, protestari.*

Præcedente Anno, uti dictum fuit suprà, Legati in Daniam & Sueciam missi fuerant, qui non modo Pacem inter Ipsos redintegrarunt ac restaurarunt, verumetiam dissensiones inter hunc Statum & Daniæ Regnum ortas feliciter composuerunt, atque insuper novo Securitatis Tractatu eundem stabiliêrunt ac confirmârunt, quemadmodum etiam eodem Anno Hagæ initus perfectusque fuit Tractatus cum Bremensium & Hamburgensium Civitatibus. Quibus sese Anno sequente millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & sexto Lubecensium Civitas adjunxit. Quæ omnia, utpote ejusdem naturæ, atque ad Pacis ac tranquillitatis in Navigatione ac Commerciis conservationem pertinentia, sequentibus inserentur.

„ Regiæ Majestatis Daniæ, Norwegiæ, &c. Regis ac Domini Nostri Clementissimi ad Tractationem hanc speciali mandato instructi ac plenissimâ Auctoritate
„ muniti ac delegati Regni Consiliarii ac Commissarii Corsitius Ulefeldius, Regni
„ Daniæ Eques, Aulæ Præfectus, Regni Consiliarius, Insulæ Moëniensis Guber-
„ nator, Hæreditarius in Egeschere: Christianus Thomæ, Eques, Regiæ Majesta-
„ tis Cancellarius, Regni Consiliarius, Cœnobii S. Canutii Præfectus, Hæreditarius

tarius in Stougard & Lycksholm: Christophorus Urenius, Eques, Regni Consiliarius, Præfectus in Franckier, Hæreditarius in Asmarck; Jurianus Schfeldius, Regni Consiliarius, Judex Zelandiæ supremus, Ringstediensis Cœnobii Præfectus, Hæreditarius in Refs, ab unâ, atque Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Extraordinarii Legati, ad id quoque speciali mandato & Auctoritate muniti atque instructi, Jacobus de Witte, Dominus in Manezee, Melissant & Cromstryen, Assessor Cameræ Computationum Hollandiæ & West-Frisiæ, Ex-Consul Civitatis Dordracenæ; Gerardus Schapius, Civitatis Amstelodamensium Consul & Curator Academiæ Lugdunensis; Albertus Sonckius, Consul ac Supremus Prætor Civitatis Hornanæ & Jurisdictionis suburbanæ: Joachimus Andreæ, Eques, Consiliarius Primus Supremæ Frisiorum Curiæ, in Concilio Fœderati Belgii Provinciarum D. D. Ordinum Generalium Deputati, ab alterâ Parte, constare volumus; Quandoquidem inter Serenissimam Majestatem Suam Regiam & summè dictos D. D. Ordines Generales jam ab hinc aliquo tempore variæ dissensiones ac mutua incommoda, respectu vectigalis Ostio Maris Baltici imperati, ac Daniæ Norwegiæq; Regnorum, orta fuerunt, Nobisque mandatum & Auctoritas incommoda ac dissensiones ejusmodi componendi, atque inter Nos invicem agendi, data concessaque fuerat, Nos, vi ejus, omnes in Nomine S. S. Trinitatis mutuò nos conjunxisse, atque, ad omnes & singulas dissensiones expediendas conficiendasque, subsequentem firmum atque irrevocabilem Tractatum iniisse ac confirmasse.

I. Inter Regiam Suam Majestatem, Ejusdem Regna, Principatus, Regiones & Incolas, ab unâ, atque Præpotentes D. D. Ordines Generales, Eorum Provincias reliquas, Regiones ac Subditos, ab altera Parte, terrâ marique sincera firmaque amicitia societasque inposterum coletur: Pars una cum alterâ Parte sincerè aget, nec quicquam, quod alteri Parti damno cedere posset, neque per se, neque per alios committet, sed multò magis altera alterius commodo consulet ac promovebit: eâ lege tamen ac conditione, ne Tractatibus Majestatis Suæ vel Præpotentium D. D. Ordinum cum aliis Regibus aut Rebuspublicis initis aut ineundis præsens quicquam deroget.

II. Vectigal Ostii Maris Baltici Unitarum Belgii Provinciarum Incolis, juxta vectigalium catalogum, in quem convenimus ac subsignatione nostrâ confirmavimus, dehinc imperabitur atque ab iisdem exsolvetur: id autem quadraginta Annis proximè sequentibus ab hoc die observabitur, quo tempore quadraginta Annorum durante, nulla vectigalium adauctio, quocunq; tandem Nomine aut prætextu id fieri posset, instituetur ac decernetur, omnia quoque extraordinaria vectigalia imperata, nullis exceptis, cessabunt. Finitis autem quadraginta Annis, Spirensis Tractatus, Anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo & quarto initus, pristinam vim ac vigorem, nisi alius interim contrahatur, retinebit.

III. Navium merciumque exploratio, quæ Unitarum Belgii Provinciarum incolis propriæ sunt, quæque per ostium Maris Baltici pervehentur, durante supradicto Annorum spatio cessabit, nautisq; si quando literas, quæ ipsis commeatus & vectigalis nomine concedentur, exhibuerint, fides plenaria habebitur, & soluto deinde vectigali absque detentione aut molestiâ ullâ solvere licebit, neque in con-

„ ſueto loco prope Copenhagam (dicto den *Drooghen*) diutius commorari tenebun-
„ tur. Quod ſi vero in poſterum Majeſtati Suæ Regiæ in vectigali imperando frau-
„ dem injuriamve inferri percipiatur, Præpotentes D. D. Ordines, id edocti atque
„ rogati, media quæcunque optima excogitabunt, & , quantum fieri poterit, cave-
„ bunt, ne quid Regiæ Suæ Majeſtati, quam quod æquum juſtumque eſt, accidat.
„ IV. Nulla bona merceſque, quocunque tandem nomine veniant, tranſvectio-
„ ne per Oſtium Maris Baltici arcebuntur.
„ V. In Daniæ ac Norwegiæ Regnis bonis & mercibus, quæ veris Confirmatio-
„ nibus Unitarum Belgii Provinciarum Incolis propriæ eſſe demonſtrabun-
„ tur, non majus vectigal, ſive importando ſive exportando, imperabitur, quam
„ quod ſubditi atque Incolæ Regni ipſi exſolvunt; eundem ad modum quoque
„ Majeſtatis Suæ ſubditi in Fœderato Belgio non magis, quam ipſi ſubditi onera-
„ buntur.
„ VI. Naves, quæ in Norwegiæ Regni portu aliquo plenè oneratæ, atque ibi-
„ dem viſitatæ fuerunt, ſoluto inſuper vectigali, non amplius in eodem, ſive in alio-
„ quocunque portuum, quem appellent, explorabuntur, nautæ verò literas, quæ ipſis
„ vectigalis nomine concedentur, exhibentes, libere diſcedent: ſi tamen in diverſis
„ portubus onerentur, in iis portubus, in quibus onerantur, non vero in aliis viſita-
„ buntur; & quandoquidem roboris evectiò vetita atque interdicta eſt; quod ſi ta-
„ men nauta quiſpiam unum alterumve ejus generis lignum exportare deprehen-
„ detur, non niſi duplo majore pretio, quam quo lignum emptum fuit, mulcta-
„ bitur.
„ VII. Vectigal in Norwegiâ eâ quantitate eodemque modo exigetur atque
„ exſolvetur, quo *Anno milleſimo ſexcenteſimo, vigeſimo octavo factum fuit*, neque ma-
„ jus exigetur, uſque dum inter Majeſtatem Suam ac Præpotentes D. D. Ordines
„ de modo convenietur, quo vectigal pro ratione Vehium computatum omnis
„ generis lignis imperari poterit; ſuper quâ re Majeſtas Sua cum Præpotentibus
„ D. D. Ordinibus, quamprimum fieri poterit, Tractatus inſtitui curabit, quò certi
„ quicquam de eâ decernatur.
„ VIII. Fœderati Belgii nautæ & Mercatores in Norwegiâ à certis quibuſdam
„ hominibus aſſeres aut alia quævis ligna accipere , aut emere neutiquam co-
„ gentur, ſed in iis locis, quibus naves onerantur, à quo & qualia ligna placebit,
„ empturi ſunt.
„ IX. Unitarum Belgii Provinciarum navium in Norwegiâ negotiantium men-
„ ſuratio à duobus è Norwegiâ & totidem ex Fœderato Belgio nautis, quibus hac
„ in parte fiditur, inſtituetur, & ab ipſis ſubſignata tradetur, quam uniuſcujuſque
„ loci Præfectus confirmabit, ac Præfecturæ Suæ codici inſeret, ut nautæ ſemper,
„ ſi neceſſitas poſtulet, eò provocare poſſint; inſuper etiam menſura illa trabibus ei
„ rei deſtinatis, ut & proræ puppique inuretur, quo vectigal omnis generis lignis
„ pro vehium ratione ac mediocri ligno eò commodius imperari poſſit, prout dein-
„ ceps, quemadmodum dictum fuit, de ea re convenietur.
„ X. Omnium verò, quæ contra Majeſtatis Suæ mandatum Fœderati Belgii nau-
„ tis extorta eſſe demonſtrari poterunt, quatuor ſcil. de centeno numero (ſive
„ pretio ſive ligno deductis) poſt Annum Milleſimum, ſexcenteſimum, Quadrageſi-
mum

mum primum, vel plura quam Tractatu tunc temporis inito continentur, eorum „ plenissima restitutio fiet. „

XI. Præsenti Tractatui, qui inter Majestatem Suam ac Præpotentes D. D. „ Ordines Generales initur, à Majestate Suâ, Serenissimo Principe Omnibusque ac „ singulis Regni Consiliariis subsignabitur atque obsignabitur. „

XII. Privilegia Juraque civitatum Unitarum Belgii Provinciarum *Spirensi* „ Tractatu commemorata, & à priscis Daniæ ac Norwegiæ Regibus emanata atque „ divulgata, per præsentem Tractationem neutiquam diminuta esse, sed ut ante- „ hac integra atque inviolata manere, ac inter cætera Civitatis Herderovicensis „ concedetur. „

XIII. Majestas Sua, nullas Se naves è Fœderato Belgio eâ de causâ detentu- „ ram, nullasque merces ex iis sumpturam, nullas denique naves propriis negotiis „ impensuram esse, nisi cum earum Dominis ac possessoribus prius convenerit, „ pretiumque integrum ipsis exsolverit; nunquam Se absque consensu possessorum „ milites, tormenta aut res quascunque bellicas è navibus sublaturam, quocunque „ tandem prætextu hoc fiat, Navigationem quoque per Ostium Maris Baltici ut & „ negotiationem in regionibus Majestatis Suæ ubique liberas fore, salvis tamen eu- „ juscunque loci privilegiis juribusque, promittit ac pollicetur. „

XIV. Merces è Fœderato Belgio exportatæ, aliis quam Fœderati Belgii navi- „ bus impositæ liberè Ostium Maris Baltici pernavigabunt, exsoluto vectigali, „ quod pro mercibus ex Unitis Provinciis evectis exsolvi consuevit: eâ lege tamen, „ ut certis vel Civitatum Fœderati Belgii, vel aliarum ad Oceanum sitarum Confir- „ mationibus merces illas ad nullos alios, præterquam Unitarum Belgii Provincia- „ rum subditos Incolasque pertinere demonstrent. „

XV. Omnes Belgæ, qui in Civitatibus Orientalibus, quas vocant, commoran- „ tur, sive pro seipsis sive pro aliis, si quando vel sua vel aliorum Fœderati Belgii In- „ colarum bona mercesque navibus imponunt ac per Ostium Maris Baltici perna- „ vigant, eodem modo, quo reliqui Unitarum Provinciarum Incolæ, excipientur. „

XVI. Fœderati Belgii naves, si in portu aliquo Daniæ vectigal exsolverint „ atque exploratæ fuerint, in nullo alio vel Daniæ vel Norwegiæ portu, nisi one- „ ra ibi recipiant, de integro explorabuntur, sed libere dimittentur. „

XVII. Ii, qui onerum vectigaliumque receptioni atque annotationi præfi- „ ciuntur, in Norwegiâ à nautis, ultra debitum, nihil quicquam exigent, neque „ pro literarum scriptione, præterquam quod Regius Ordo refert, sument: Regia „ quoque Majestas Sua graviter in eos, qui contra fecerint, animadvertet. „

XVIII. Quod ad *Gluckstadiense* vectigal attinet, si ea res Tractationibus præ- „ sentibus cum Hamburgensium Civitate eum in finem institutis confici ac com- „ poni nequeat, Unitarum Provinciarum subditi, exhibitâ ordinaria Confirmatio- „ ne, in *omnem eventum* ejus dehinc immunes erunt. „

XIX. Quandoquidem per præcedentes Articulos omnes dissensiones inter „ Regiam Suam Majestatem & Præpot. Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ord. „ Gener. in totum compositæ ac sublatæ sunt; inter utriusque partis Commissarios „ & Delegatos ad hanc Tractationem, modo supramemorato, conventum promis- „ sumque fuit, alteram partem intra trium Mensium spatium, à traditione hujus Re- „

 cessus

„ cessus, Ratihabitionem nominumque Deputantium insertionem solennibus formulis conscriptam alteri parti tradituram esse: Summedictis autem D. D. Ordinibus Generalibus Confirmationem ac Ratihabitionem Suam, per *Residentem* Suum in Ostio Maris Baltici commorantem, vel alium quemcunque cui id negotium dare placuerit, tradere integrum erit, & cum ejusdem acceptione Regia quoque confirmatio exhibebitur.

„ Præter ea quæ supradicta sunt, hoc Tractatu insuper conclusum fuit, ut D. D. Anthonius Gunterus, Oldenburgii & Delmhorstii Comes, Dominus in Jever & Kniphuysen, &c. ejusque legitimi hæreditarii, Neutralitate, quam vocant, atque exemtione, ipsis antehac & speciatim à Præpotentibus D. D. Ordinibus literis publicis primi diei Augusti, Anno Millesimo, Sexcentesimo, Quadragesimo & quarto, concessâ promissâque in Comitatu Ditionibusque suis fruantur.

„ Omnes supradictos Articulos inter Nos, in initio hujus Recessus nominatos, ac utrinque ad id auctoritate instructos Commissarios & Delegatos firmiter conclusos esse: In cujus rei testimonium huic Recessui propriis nostris manibus subscripsimus Annulisque Nostris signatoriis obsignavimus: hujus verò duo exemplaria eadem plane continentia conscripta, singulæque parti unum traditum fuit.

„ Datum Christianopoli, decimo & tertio die Augusti, Anno Millesimo, Sexcentesimo, Quadragesimo & quinto; Subsignatum erat

Corfitius Vlefeldius,	*Iacobus de VVitte,*
Christianus Thomæ,	*Gerhardus Schapius,*
Christophorus Vrenius,	*Albertus Sonckius,*
Iurianus Seefeldius,	*Ioachimus Andreæ.*
Christophori F.	

„ QUandoquidem inter Majestatem Regiam Daniæ, Norwegiæ, &c. atque Unitatum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales ab utriusque Partis ad id delegatis ac sufficiente auctoritate munitis Legatis atque Commissariis Tractatus initus confirmatusque fuit, cujus *Articulo septimo* conclusum fuit, vectigal in Regno Norwegiæ dehinc omnibus mercibus eadem quantitate ac modo imperatum iri, quo Anno Millesimo, Sexcentesimo, Vicesimo & octavo imperatum fuit, at verò quoniam vectigalium catalogi ordinesque, secundum quos vectigal supradicto Anno exsolutum fuit, hic loci non fuerunt, promittimus ac spondemus postmodum nominati, nomine locoque Serenissimæ Suæ Majestatis Regiæ, Clementissimi nostri Regis ac Domini, ad Tractationem hanc auctoritate instructi Commissarii, effecturos nos esse, ut Majestas Sua omnibus modis perfectum catalogum, secundum quem in supradicto Regno, ejusdem portubus, civitatibus locisque vectigalia supramemorato Anno 1628. bonis mercibusque singulis imperata exacta fuere, renovari atque divulgari curatura, utque is quamprimum D. Carolo Cracovio, Præpot. D.D. Ordinum Helsingurii Residenti, traditura sit, quò is primâ occasione ad Præpotentes D. D. Ordines mitti possit. Quandoquidem etiam Præpot. D. D. Ordinum Gener. naves Præsidiariæ difficultatem moverunt, se post Lappam, ubi anchoras demittere navesque Mercatores exspectare

ſpectare tenentur, nullo modo ſecuros ac ſine periculo commorari, inſuper etiam „
promiſimus fidemque dedimus, Nos apud Regiam Majeſtatem interceſſuros at- „
que effecturos eſſe, ne prædictæ naves Præſidiariæ præciſe poſt Lappam ad ancho- „
ras alligatæ ſtare teneantur, verum ut alia navium ſtatio ipſis aſſignetur, in qua com- „
modius ac ſecurius anchoris alligari poſſint: Ut vero manifeſtum fiat omnia hæc „
à Nobis, ut ſupra dicta ſunt, promiſſa eſſe, Actis hiſce manibus Noſtris ſubſigna- „
vimus, annuliſque Noſtris ſignatoriis obſignavimus. Datum Chriſtianopoli, de- „
cimo die Auguſti, Anno 1645. Hoc modo ſubſignatum & quatuor ſigillis in cerâ „
rubeâ munitum erat, *Corſitius Vleſeldius, Chriſtianus Thomæ, Chriſtophorus Vrenius,* „
Iurianus Seefeldius, Chriſtophori F. „

Sequentibus inſertæ erant litteræ Auctoritatis Regis, datæ viceſimo & ſeptimo „
die Martii 1645. & Præpotentium D. D. Ordinum, datæ decimo & tertio die Maji „
1645. quinetiam Ratihabitio ac Confirmatio data ſexto die Januarii 1646. „

Exemplum Tractatus Garantiæ, quam vocant, ſive ſecuritatis inter Sueciæ Regnum & Præpot. D. D. Ordines, quo præcedens cum Rege Daniæ inſtitutus atque concluſus fidelius obſervari poſſet.

V*Nitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales omnibus & ſingulis, quibus continget Præſentes literas legere audireve, Salutem. Quoniam decimo & quinto die Auguſti, Anno Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo & quinto,* Tractatus Cautionis reciprocæ & Vindiciarum *initus, factus & concluſus fuerit inter Sereniſſimam & Potentiſſimam Principem ac Dominam, Dominam Chriſtinam Suecorum, Gothorum Vandalorumque deſignatam Reginam & Principem hæreditariam, Magnam Principem Finlandiæ, Ducem Eſtoniæ ac Careliæ, Dominam Ingriæ, ab unâ, & Præpotent. Vnitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales, ab alterâ Parte, per ejuſdem Regni Senatores ad Tractatum Pacis cum Sereniſſimo Rege Regnoque Daniæ deputatos Commiſſarios, Axelium Oxenſternium, Liberum Baronem in Kymitho, Dominum in Fiholm & Tydoen, Equitem Auratum, Regni Cancellarium, & Iudicem-Provincialem Norlandiarum Occidentalium & Lapponiæ; Matthiam Soopium, Dominum in Malſaker & Binrum, Iudicem Provincialem Ingriæ, Thuronem Bielke, Liberum Baronem in Saleſtad, Dominum in Froſwijck, & Thuronem Sparraum, in Erichſtad & Kaſſlenſa Toparcham, omnes ſupremi judicii Aſſeſſores; Nec non extraordinarios Noſtros Legatos, Iacobum de VVitte, Dominum in Manezee, Meliſſant, Cromſtryen, Aſſeſſorem Cameræ Computationum Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ, Ex-conſulem Vrbis Dordracenæ; Gerhardum Schapium, Amſtelodami Conſulem & Curatorem Academiæ Lugdunenſis, Albertum Sonckium, Equitem Auratum, Conſulem & Prætorem Civitatis Hornanæ & juriſdictionis ſuburbanæ, & Ioachimum Andreæ, Equitem Auratum, Conſiliarium Primum Supremæ Friſiorum Curiæ, omnes in Concilio Noſtro Deputatos, nomine locoque Provinciarum Hollandiæ & Friſiæ, &c. tam reſpectu Fœderis Stockholmiæ Anno* 1640. *primo die Septembris initi, quam reſpectu* Conſervationis Pactorum *inter S. Regiam Majeſtatem Sueciæ & Regem Daniæ & Præpotent. Vnitarum Belgii Provinciarum D.D. Ordines Gener. decimo & tertio die Auguſti elapſi Anni ad Bromſebroo & Chriſtianopolim initorum & concluſorum, qui hic de verbo ad verbum inſertus ſequitur.*

Serenissima atque Potentissima Principis & Domina, Domina Christina Suecorum, Gothorum Vandalorumque designata Regina & Principis hareditaria, Magna Principis Finlandia, Ducis Esthonia ac Carelia, Domina Ingria, Domina nostra Clementissima, Regnique Suecia Senatores ad Tractatus Pacis cum Serenissimo Rege Regnoque Dania Deputati Commissarii, Axelius Oxenfternius, Liber Baro in Kymitho, Dominus in Fyholm & Tydoen, Eques Auratus, Regni Cancellarius, judex Provincialis Norlaudiarum Occidentalium & Lapponia, &c. Matthias Soopius, Dominus in Malsaker & Binrum, Iudex Provincialis Ingria; Thuro Bielke, Liber Baro in Salestad, Dominus in Froswijck, & Thuro Sparraus, in Erichstad & Kafflensa Toparcha, omnes Supremi Iudicii Stockholmiensis Assessores: Nec non Prapotentium Fœderati Belgii D. D. Ordinum Generalium Legati & sufficiente potestate muniti Iacobus de VVitte, Dominus in Manezee, Melissant, Cromstryen, Assessor Camera Computationum Hollandia & VVest-Frisia, Excousul Vrbis Dordracena, Gerhardus Schaepius, Civitatis Amstelodamensium Consul, Curator Academia Lugdunensis, Albertus Sonckius, Eques Auratus, Consul & Prator Horna & Iurisdictionis suburbana subjacentis, & Ioachimus Andrea Eques, Consiliarius Primus Suprema Frisiorum Curia; Omnes Deputati in Concilio Dominorum Ordinum Generalium Nomine locoque Provinciarum Hollandia & Frisia, &c. Constare volumus universis & singulis, quorum interest aut interesse quomodolibet poterit, quod cum Serenissimus Dania Rex S. Regia Majestatis Domina nostra Subditorum Commercia & Navigationem, prateritis Annis contra jus Gentium, pacta, conventa & morem ab antiquo observatum onerare, impedire ac turbare cœpisset, *atque ex hinc res ad arma devenerit, quibus deponendis ac controversiis tollendis & componendis, Nos S. Regia Majestatis Commissarii multo jam tempore incubuerimus & tandem, divinâ favente nostrosque Tractatus prosperante benignitate, eò rem deduxerimus, ut ad limites Regnorum prope Bromsebroo decimo & tertio die hujus Mensis bellum inter duo hac inclyta Regna Suecia Daniaque compositum, lites transacta, Navigationis Commerciorumque libertas restituta & Pax atque Amicitia firmata sit. Cum verò non minus dictus Serenissimus Dania Rex Navigationem ac Commercia subditorum Prapotent. D. D. Ordinum Generalium* immensis vectigalibus, atque aliis diversis modis contra jus Gentium, & pacta conventa onerasset atque turbasset, *neque, licet admonitus, desistere vellet, Prapotent. D.D. Ordines Generales Nobis, Legatis Suis, id in mandatis dare coacti fuere, ut avertendis majoribus malis Commerciisque justo suo cursui ac libertati reddendis in id simul atque conjunctim ex Prascripto Fœderis mutui cum S. R. Majestatis ac Regni Suecia Commissariis incumberemus; quò, confecto cum hisce bello, simul quoque onera & Commerciorum difficultates Fœderati Belgii Provinciarum subditis imposita atque injecta abrogarentur: Nos igitur hisce obtinendis recteque ac rite formandis intenti, tandem, divinâ clementiâ consilia actusque nostros felicitante, eò cuncta deduximus, ut iisdem tempore ac loco de Commerciorum Belgicorum,* in Freto Danico, *ut & in* Norwegiâ *atque alibi in Maribus Balthico & Oceano exercendorum libertate cum Danicis Commissariis convenerimus & concluserimus, sicuti hac & qua huc tendunt, tam in pactis ipsis Regis Dania cum Regno Suecia, quam cum Unitarum Provinciarum D. D. Ordinibus Generalibus initis, uberius declarantur; Nos igitur utrinque justâ potestate, à S. Regia Majestate, Dominâ Nostrâ Clementissimâ, & Prapot. D. D. Ordinibus Generalibus Deputantibus Nostris muniti, exhibitis utrinque literis Nostris Procurationis, in id studio omni enixi sumus, ut, facto hic egregio experimento, quantum mutui fœderis inter S. Regiam Majestatem Suecia & Prapotent. D. D. Ordines Gene-*

Generales necessitudo valet, hanc Fœderationem firmaremus magis, & conservandæ libertati Navigationis ac Commerciorum in Maribus Balthico & Septentrionali firmiorem redderemus.

Ac primo quidem Fœderis Stockholmiæ primo die Septembris Anno 1640. *initi tabulas inspeximus, easque renovavimus firmavimusque in omnibus suis Articulis, atque renovamus & firmamus, non aliter ac si hic Articulatim inserta essent.*

Deinde idem fœdus Deputantium nostrorum extendimus & adstringimus ad plenam observationem pactorum, tam inter S. Regiam Majestatem Sueciæ & Regem Daniæ & Præpotent. D. D. Ordines Generales decimo & tertio die Augusti præsentis Anni ad Bromsebroo & Christianopolim initorum & conclusorum, in omnibus suis Articulis, qui Navigationem atque Commercia utriusque Status subditorum seu Regni Sueciæ, seu Vnitarum Belgii Provinciarum, vel quæ inde dependent, concernunt: ac proinde si quid à Rege Daniæ, ejusve Successoribus aut Ministris in S. Regiæ Majestatis Regnive Sueciæ, vel Præpotent. D. D. Ordinum Generalium, aut alterutrius Partis subditorum præjudicium aut detrimentum actum & pactis contraventum fuerit, nec amice admonitus Rex Daniæ emendaverit, pactisque satisfecerit, S. R. Majestas Ejusque Successores D. D. Ordinibus Generalibus, & Præpotent. D. D. Ordines Generales Regiæ Majestati atque Ejus Successoribus, Regnoque Sueciæ, ex Præscripto dicti jam ante Anno 1640. *initi Fœderis hujusque promissi, opem laturi sunt.*

Ac denique, cum Commerciorum securitas à brevi temporis curriculo definiri nec possit, nec debeat, & Anni Fœderis inter S. Regiam Majestatem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. initi jam tertia sui Parte exspiraverint, in rem utriusque atque ipsorum Commerciorum usum fore visum fuit, ut reliquis decem Annis triginta adderentur, *quo fœdus hoc arctissimum pro Navigationis ac Commerciorum libertate ac non interrumpendâ aut ullo modo infringendâ immunitate per Annos quadraginta, à decimo & tertio hujus Mensis die numerandos, observetur ac conservetur.*

De hisce, quæ supradicta sunt, Nos, S. Regiæ Majestatis Sueciæ & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Commissarii ac Legati convenimus ac conclusimus salvâ S. Suæ Regiæ Majestatis & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. intra sex Menses subsequutura Confirmatione, atque omnia ea, quæ prioribus & hisce pactis continentur, à S. Regiâ Majestate & Præpotent. D. D. Ordinibus servata iri promittimus ac spondemus. In quorum majorem evidentiam & robur Instrumenta horum pactorum bina exarata, manibus Nostris subscripta, & sigillorum Nostrorum Appendice confirmata atque invicem tradita fuere. Actum in Suder Okra decimo & quinto die Augusti Anno 1640. *subscriptum & cerâ Hispanicâ rubrâ obsignatum erat modo & forma sequenti.*

Axelius Oxenfternius M p.	Matthias Soopius M p.	Thuro Bielkè M. p.	Thuro Sparræus
L. S.	L. S.	L. S.	L. S.

Exem-

Exemplar Protestationis ac Declarationis super mutuâ traditione Confirmationis præmemorati Tractatus initi inter Regiam Majestatem Daniæ, Norvvegiæ, &c. ab unâ, & Præpotentes D. D. Ordines ab alterâ Parte.

„ Foederati Belgii D. D. Ordines Generales, omnibus & singulis, quibus continget præsentes hasce literas legere audireve, Salutem: Constare volumus, quandoquidem inter Regiam Majestatem Daniæ, Norwegiæ, &c. ab unâ, Nosque & Statum hunc ab alterâ Parte $\frac{21}{22}$ die Augusti superiori Anno Millesimo, Sexcentesimo, Quadragesimo & quarto, Christianopoli Tractatus quidam initus conclususque fuit, cujus septimus Articulus expresse continet, *vectigal in Norwegiâ à primo Tractationis die eâdem quantitate eodemque modo, quo Anno 1628. neque etiam majus exactum iri, donec inter summe memoratam Majestatem Suam & Nos de certo aliquo modo convenietur ac concludetur, secundum quem vectigal pro vehium ratione computatum cujuscumque generis lignis imperari possit, atque Majestatem Suam Nobiscum super eâ re, quamprimum id fieri poterit, Tractationes instituturam esse; quò eadem vectigalia certa ac firma statuantur ac decernantur:* & Regis Daniæ Commissarii specialibus Actis, manibus ac sigillis suis obsignatis, fidem dederunt, effecturos sese, ut Majestas Sua integrum catalogum, secundum quem in prædicto Norwegiæ Regno, ejusdemq; Portubus, Oppidis aut quibuscunq; locis, supradicto Anno 1628. omnium Commerciorum aliorumque Bonorum Vectigalia exsoluta fuere, renovari ac divulgari, eundemq; Residenti Nostro Carolo Cracovio Helsingurii commoranti primâ occasione tradi curaret, quo is Nobis transmittatur; quemadmodum etiam eâ de causâ ab eodem D. Cracovio, Nomine summè memoratæ Suæ Majestatis, catalogus quidam vectigalium in Norwegiâ huc transmissus fuit. Idcircò, re acrius perspectâ perpensâque, visum fuit declarare ac protestari, sicuti per præsentes expressè declaramus ac protestamur, Nos supradictum catalogum vectigalium in Norwegiâ, Nomine Majestatis Suæ, ad modum præmemoratum huc transmissum, cum Confirmatione supra memorati Tractatus, à Nostro Residente solvendi (secundum speciale mandatum super hac re ipsi datum) sive extra eum, minimè accipere, contra verò abnuere atque recusare Tractatum, utpote qui supradicto Anno 1628. non exstitit, multo minus admissus fuit, quemadmodum id Nobis ex variis documentis liquet; declarare tamen, eo non obstante, velle Nos juxta præfatum Tractatum exsolvere ejusmodi vectigalia, cujusmodi Anno 1628. in Norwegia exsoluta fuerunt: non immerito itaque existimantes supradictum septimum, ut & nonum ejusdem Tractatus Articulum, reipsa executioni mandandum observandumque esse, ac proinde supra dicta vectigalia in Norwegiâ ad modum & quantitatem exsolvenda esse, secundum quam præfato Anno 1628. pro ligni evectione exsoluta fuere: quapropter etiam navium mensura inurenda, insuper etiam onerum ligni evectioni imperatorum, summatim collectorum, ad modum mercium mediocrium, exsolutio, quò hoc pacto iniquis molestiis antehac illatis præveniatur, disertis verbis supra memorato Nostro Residenti Carolo Cracovio justam Nostram omnique ratione innitentem declarationem ac protestationem

ſtationem ſummè memoratæ Regiæ Majeſtati Daniæ, Norwegiæ, &c. ſive Ejuſ- „ dem Majeſtatis Commiſſariis juxta traditionem mutuæ confirmationis ſupradicti „ Tractatus exhibere mandantes, quum illud ſit animi Noſtri conſilium pro- „ poſitumque, à quo muneris atque officii ergo diſcedere neque poſſumus neque „ licet. „

Datum in Concilio Ordinum, Hagæ-Comitis adverſi Noſtri ſigilli appendice „ & Graphiarii ſubſignatione munitum, viceſimo & quarto die Februarii, Anno „ milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo & ſexto. „

Exemplar Tractatus, cum Bremenſium & Hamburgenſium Civitatibus quarto die Auguſti, Anno 1645. ſubſignati, tale eſt.

QUandoquidem jam à multis retro Annis inter Fœderati Belgii Provincias, „ omneſque Hanzeaticas ac præſertim Bremenſium & Hamburgenſium Civi- „ tates perpetuò ſincera, firma fidaque Amicitia ac Societas mutua utrinque cul- „ ta, & temporario antehac Fœdere Anno 1616. confirmata fuit, cujus conſtitu- „ tum tempus quum jamdiu exſpiraverit, utriuſque autem Partis ſincera mens ac „ voluntas colendæ ac fovendæ ejuſdem Amicitiæ ac Societatis prædictæ, quin- „ etiam Fœderis renovandi utrinque concurrat; D. D. Ordines Generales è ſuis „ delegarunt & ſufficiente Auctoritate inſtruxerunt Nobiliſſimos, Strenuiſſimos, „ Doctiſſimos, Sapientiſſimos ac Prudentiſſimos D. D. Johannem à Gent, Ja- „ cobum Catzium, Equitem, Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Syndicum Supremum; Ja- „ cobum Veth, J. U. D. Civitatis Medioburgenſium Conſiliarium & Syndicum; „ Johannem à Reede, Reynſwoudæ & Woudenbergæ Toparcham; Carolum „ Roorda, Grietmannum in Idaerderadeel; Gerardum à Santen, Campenſium „ Civitatis Conſulem; Gualterum Schoonenburgium; Omnes in Concilio ſuo „ Deputatos; qui poſtquam aliquoties conveniſſent, cum Strenuiſſimis, Doctiſſi- „ mis ac Sapientiſſimis D. D. Bethmano Herdeſiano, J. U. D. & Nicolao Jerrenio, „ J. U. Licentiato, Syndico, ſupra dictarum Civitatum Conſiliariis, una cum Do- „ mino Leone ab Aitzma, ſummè dictarum Civitatum Hanzeaticarum Reſiden- „ te, atque hic commorante, ſupra memoratarum Bremenſium & Hamburgen- „ ſium Civitatum Deputatis, vi poteſtatis & Auctoritatis ſibi conceſſæ, ſequentes „ Articulos ſimul atque conjunctim concluſerunt ac confirmarunt. „

1. Præſens Tractatus (uti etiam Tractatus ſupradicto Anno 1616. inter Præ- „ potentes D. D. Ordines ab unâ, & Civitates Hanzeaticas ab alterâ Parte initus;) „ inſerviet non offenſioni verùm *ſecuritati ac libertati Navigationis, Commerciorum ac quarumcunq; Negotiationum in Mari Septentrionali, (uſque ad anguſtias) & Veſari Albique,* „ quemadmodum hactenus conſuevit, inſuper etiam *defenſioni Privilegiorum, Immunitatum atque Iurum, tam hujuſce Status ejuſque Subditorum, quàm ſummè memoratarum Bremenſium & Hamburgenſium Civitatum:* quò Partis utriuſque Subditis Jus „ Gentium, ſupradicta Privilegia, Immunitates, Jura & Statuta optima & antiqua „ abſque ullâ interpellatione adverſus eos omnes reſerventur, qui præfatos Subdi- „ tos contra ſupra memorata Privilegia, illegitimis mediis in iis, quæ ſupra dicta „ ſunt, impedire ac diſturbare conabuntur; Reſtitutioni itaque eorum, quæ ſupra „

memorata ſunt, ea actualia remedia adhibebuntur, quæ in ſequentibus referentur.

2. Præſens Tractatus *Amicitiæ* ac Fœderationis, cum Cæſareâ Sua Majeſtate, inſuper etiam cum Sacro Rom. Imp. aliiſq; Principibus & Rebuſp. præjudicio neutiquam futurus eſt: præterea utraque Civitas, quæ hactenus ſub Romanæ Cæſareæ Majeſtatis & Sacri Romani Imperii clientelâ, defenſione, Amicitia atque Imperio fuit, in poſterum quoque ſub iiſdem manſura eſt: ſimiliter etiam, ſupradictæ Civitates, vi præſentis hujus Tractatus, bello, quod Præpotent. D. D. Ordines adverſus Hiſpaniarum Regem gerunt, ſeſe admiſcere non tenebuntur.

3. Quod ſi igitur eveniat, ut per aliquem Navigatio, Commercia, Negotiationes, Jura quinetiam, Immunitates, & Privilegia alterutrius Partis impediantur aut diſturbentur, primùm ſuper eâ re *optimâ componendi ratione* laborabitur, quò denique oborta quæſtio ac difficultas, ſi fieri poſſit, decidatur atque tollatur; Si verò id fortaſſis, ut ſupradictum eſt, *mediis commodioribus* effici nequeat, de aliis viis ac mediis, quibus id obtineri queat, mutuò agetur atque convenietur, quemadmodum etiam eodem tempore pars & proportio ſumptuum ab alterutrâ Parte faciendorum inſtituetur ac decernetur.

4. Præpotentes D. D. Ordines præſentem Fœderationis Tractatum ad bonum commodumque mutuum *dirigent*: ita tamen ut directio Civitatibus intra ſuos limites ac territoria integra relinquenda ſit: & in deliberationibus ac perpenſionibus, bellum ſpectantibus, tam Præpotentibus D. D. Ordinibus, quam ſupradictis Civitatibus liberè ſententiam ſuam dicere licebit: In quem finem etiam præmemoratarum Civitatum Nomine uni aut pluribus Perſonis Hagæ-Com. aut ubicunque Præpotentes D. D. Ordines convenient, conſiliis eâ de re capiendis intereſſe integrum erit: Præpotentibus quoque D. D. Ordinibus ſic ſentientibus nonnullos in ſupradictis Civitatibus, aut in quibus locis neceſſitas poſtulabit, ad promovendam obſervationem & confirmationem præſentis Tractatus, ordinare ac delegare licebit.

5. Navibus Subditorum utriuſque Partis abſque ullo impedimento Portubus & Fluminibus mutuorum ſuburbanorum agrorum etiam uti in iiſdem de commeatu ſibi proſpicere, naves reficere aliiſque commoditatibus frui, (excluſo tamen omnis violentiæ aliuſvè petulantiæ actu) ſeu quo quiſpiam indigere poſſit, emere animoque grato exſolvere integrum erit.

6. Supradicta Fœderatio ab utraque Parte fideliter ac plenè obſervabitur; ſin verò (præter opinionem) diſſenſio aliqua mutua oriatur, nulla hoſtilitas ea de cauſa inſtituetur, ſed recens nata quæſtio, perſonas, ſi opus fuerit, paci addictas deditaſque adhibendo, mutuo ſupprimetur.

7. A neutra Parte abſque mutuo conſenſu quidquam, quod alterutri præjudicio eſſe poſſit, tractabitur, verum multo magis ad id opera dabitur, ut pax communis inter Partis utriuſque Cives, Incolas, Subditos, Naves, Bona, Commerciaque ſervetur, quò abſque oneribus priſtinis ſuis Immunitatibus atque Privilegiis defendantur.

8. Præſens Tractatus quindecim proximè ſequentibus Annis vim ac vigorem ſuum obtinebit.

9. Sin verò plures Civitates Hanzeaticæ præſentis Tractatus ac Fœderis participes fieri cupiant, id non niſi æquis conditionibus & communi Partium conſenſu fiet. „

10. Tractatus hujus confirmatio intra duos Menſes, ab hoc die, numerando, utrinque ſolennibus formulis conſcripta tradetur. „

Hiſce autem inſertum erat Exemplum Auctoritatis à Præpotentibus D. D. Ordinibus tertio die Auguſti, Anno 1645. *atque à Bremenſium & Hamburgenſium Civitatibus ſecundo die Auguſti, Anno* 1645. *data conceſſaque.* „

Huic verò Tractatui Nos Commiſſarii & Deputati cum ſupradicto Domino Reſidente propriis Noſtris manibus ſubſignavimus eundemq; ſigillis Noſtris confirmavimus. Hagæ-Comitis, quarto die Auguſti, Anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo & quinto. Subſignatum erat, J. à Gent, J. Catzius, Jacobus Vet, Johannes à Reede, C. Roorda, G. à Santen, G. Schoonenburgius, Bethmanus Herdeſianus, Nicolaus Jerrenius, Leo ab Aitzma; quorum omnium & ſingulorum ſigillum in cerâ rubeâ expreſſum erat. „

Cum Lubecenſium Civitate, Anno proximè ſequente, idem Tractatus (ſecundum nonum Articulum) Travam & Oceanum concernens, ſequenti modo amplificatus fuit.

QUandoquidem jam à multis retrò Annis inter Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales omneſque Hanzeaticas ac præſertim Lubecenſium, Bremenſium & Hamburgenſium Civitates perpetuò ſincera, firma, fidaque Amicitia ac Societas mutua utrinque culta, & temporario antehac Fœdere, Anno 1616. confirmata fuit, cujus conſtitutum tempus quum jam aliquamdiu exſpiraverit, utriuſque autem Partis ſincera mens ac voluntas colendæ atque fovendæ ejuſdem Amicitiæ ac Societatis ſupra dictæ, quinetiam Fœderis renovandi utrinque intercedat (quemadmodum Fœdus hoc inter ſummè memoratos D. D. Ordines & Civitates Bremam & Hamburgum quarto die Auguſti, elapſi Anni 1645. renovatum ac confirmatum, & nono ejuſdem Tractatus Articulo aliis quoque Hanzeaticis Civitatibus eidem inſeri permiſſum fuit) Præpotentes itaque D. D. Ordines Generales Deputatos ſuos delegarunt & ſufficiente Auctoritate inſtruxerunt Nobiliſſimos, Strenuiſſimos, Doctiſſimos, Sapientiſſimos atque Prudentiſſimos D. D. Johannem à Gent, Amelem Bouchorſtium, Toparcham in Wimmenum, Balivum aggerumque Rhenolandiæ Præfectum, Curatorem Academiæ Lugdunenſis; Mr. Albertum Bruyninx, Equitem, Enchuyſanorum Civitatis Syndicum; Caſparum Voſbergium, Equitem, in Iſolar & Catz in Duyvendijcke Toparcham; Giſbertum Hoolkium, Civitatis Trajecti ad Rhenum Ex-Conſulem; Carolum Roorda, Grietmannum in Idaerderadeel; Balduinum Jacobi Mulertium, Leencuylæ Dominum; Hieronymum Eybenium, Groeningenſium Civitatis Conſiliarium, Omnes Deputatos in Concilio D. D. Ordin. è Provinciis Gelriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Trajecti ad Rhenum, Friſiæ, Trans-Yſulaniæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque: qui omnes ſimul vel maxima eorum pars, poſtquam variis temporibus conveniſſent atq; egiſſent cum No- „

„ bilissimis, Strenuissimis, Sapientissimis ac Doctissimis D. D. Johanne Poppingio, „ supra dictæ Lubecensium Civitatis Deputato ac Consiliario, & Domino Leone ab „ Aitzma omnium Civitatum Hanzeaticarum, Hagæ-Com. Residente, vi utriusque Procurationis, sequentes Articulos unanimiter concluserunt ac confirmarunt, quemadmodum iidem inter summè memoratos Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales & supradictas Bremensium & Hamburgensium Civitates utrasque quarto die Augusti, Anno 1645. cum nonnullis tamen extensionibus & explicationibus primo, secundo, quarto & quinto subsequenti Articulo insertis, secundùm eorum tenorem conclusi fuerunt.

„ 1. Præsens Tractatus, quemadmodum etiam Tractatus (supradicto Anno 1616. inter Præpotentes D. D. Ordines ab unâ, & Civitates Hanzeaticas ab alterâ Parte initus) inserviet non offensioni, verùm securitati ac libertati Navigationis, Commerciorum ac quarumcunque Negotiationum in Oceano & Mari Baltico (usque ad Angustias) & Trava, Vesari Albique, quemadmodum hactenus ab utrâque Parte observatum fuit; insuper etiam defensioni Privilegiorum, Immunitatum atque Jurum tam hujusce Status ejusque Subditorum, quam summè memoratarum Lubecensium, Bremensium & Hamburgensium Civitatum, quò Subditis utriusque Partis Jus Gentium, supradicta Privilegia, Immunitates, Jura, & Statuta optima absque ullâ interpellatione, adversus eos omnes, qui præfatos Subditos contra supra dicta Privilegia, illegitimis mediis, in iis, quæ dicta sunt, impedire atque disturbare conabuntur, conserventur; restitutioni itaque eorum, quæ præmemorata sunt, ea remedia, quæ in sequentibus referentur, reipsâ adhibebuntur.

„ 2. Præsens Tractatus Amicitiæ cum Cæsareâ Suâ Majestate, Sacro insuper Imperio Rom. aliisque Principibus & Rebuspublicis in præjudicium neutiquam cedet, *hoc tamen Fœdere semper salvo manente*, ut tres illæ Civitates, quæ hactenus sub Romanæ Cæsareæ Majestatis & Sacri Romani Imperii clientelâ, defensione, Amicitiâ & Imperio fuerunt, in posterum quoque sub iisdem mansuræ sint: similiter etiam supradictæ Civitates, vi præsentis hujus Tractatus, bello, quod Præpotentes D. D. Ordines adversus Hispaniarum Regem gerunt, sese admiscere non teneantur.

„ 3. Quod si igitur eveniat, ut Navigatio, Commercia, Jura quinetiam, Immunitates, Privilegia alterutrius Partis ab aliquo impediantur aut disturbentur, „ primum super eâ re *viâ concordiæ*, ut vocant, laborabitur, quò amicâ compositione oborta quæstio ac difficultas, si fieri possit, decidatur ac componatur, si verò id fortasse, ut dictum est, mediis commodioribus effici nequeat, de aliis viribus ac mediis, quibus id obtineri queat, mutuò agetur atque convenietur: quemadmodum etiam eodem tempore pars ac proportio sumptuum ab alterutrâ Parte faciendorum instituetur ac confirmabitur.

„ 4. Præpotentes D. D. Ordines præsentem Fœderationis Tractatum ad bonum commodumque mutuum dirigent: eâ lege tamen, ut directio Civitatibus intra suos limites ac Territoria integra conservetur; & in deliberationibus ac perpensionibus bellum spectantibus, tam Præpotentibus D. D. Ordinibus, quam supra dictis Civitatibus liberè sententiam dicere liceat. *Insuper unaquaque pars uni-*

torum

torum corporum suffragium suum liberè feret; in quem etiam finem præmemoratarum „ Civitatum Nomine uni aut pluribus Personis Hagæ-Comitis, aut ubicunque Præpotentes D. D. Ordines convenient, consiliis eâ de re capiendis interesse integrum erit: Præpotentibus quoque D. D. Ordinibus, si Ipsis ita visum fuerit, ad supradictas Civitates, aut quocunque necessitas postulabit, ad præsentis Tractatus observationem ac confirmationem promovendam, nonnullos delegare licebit. „

5. Navibus Partis utriusque Subditorum absque ullo impedimento Portubus „ & Fluminibus mutuorum suburbanorum agrorum uti, in iisdem de commeatu „ sibi prospicere, naves reparare aliisque commoditatibus, *attamen secundùm Leges ac Statuta uniuscujusque loci*, frui integrum erit, actu tamen omnis violentiæ sive alicujus insolentiæ excluso, sed quo quispiam indigere posset, emere atque exsolvere licebit. „

6. Supradicta Fœderatio ab utrâque Parte fideliter ac plenè observabitur, sin „ verò (præter opinionem) dissensio aliqua mutua oriatur, nulla hostilitas eâ de „ causâ exercebitur, sed verò oborta quæstio, Personas Paci concordiæque addictas deditasque, si opus fuerit, adhibendo, mutuò componetur. „

7. A neutrâ Parte, absque mutuo consensu, quicquam quod alterutri præjudicio esse possit, tractabitur, verùm multò magis ad id opera dabitur, ut Pax inter utriusque Partis Cives, Incolas, Subditos, Naves, Bona, Commercia mutuo servetur, quò absque oneribus pristinæ eorum Immunitates atque Privilegia propugnentur ac defendantur. „

8. Præsens Tractatus quindecim, proximè sequentibus, Annis vim ac vigorem „ suum obtinebit. „

9. Sin verò plures Civitates Hanzeaticæ in præsentem Tractatum ac Fœdus „ adsciscì cupiant, id nisi æquis conditionibus & communi Partium consensu, „ fiet.

10. Tractatus hujus confirmatio intra tres Menses ab hoc die utrinque solennibus formulis tradetur. „

Hisce Literæ Auctoritatis, à Præpotentibus D. D. Ordinibus & Lubecensium Civitate D. D. Commissariis, Deputatis ac D. Residenti ab Aitzma concessæ, insertæ erant.

HUic verò Tractatui Nos *Commissarii*, *Deputatus* & *Residens* supradictus, pro- „ priis manibus subsignavimus, eundemque sigillis Nostris confirmavimus, ea „ lege ac conditione, ut ante ejusdem confirmationem Bremensium & Hamburgensium Civitates eorum, quæ hic acta gestaque sunt, Nomine dicti Fœderati Belgii D. D. Ordinum Generalium certiores fiant, simul etiam rogentur, ut Civitatis Lubecensium, ad Tractatum cum ipsis, quarto die Augusti initum, admissio grata existat, in quod etiam præmemoratus D. Deputatus reversus sedulò „ incumbet, ut, eo consensu impetrato, mutua confirmatio super hoc Tractatu invicem tradatur. Actum Hagæ-Comitis vicesimo & quinto die Octobris, Anno „ 1646. Subsignatum erat, J. à Gent, A. Bouchorstius, A. Bruyninex, G. Vosbergi-

„ bergius, G. Hoolkius, C. Roorda, B. J. Mulertius, H. Eybenius, Johannes Pop-
„ pingius, L. ab Aitzma, quorum omnium & singulorum sigillum in cera rubea
„ expressum erat.

Confirmationes utriusque præcedentis Tractatus debito modo exhibitæ, inter Præpotentes D. D. Ordines & Nomine locoque earundum Civitatum more consueto permutatæ fuerunt.

Quandoquidem eodem hoc Anno cum Portugalliæ Legato Tractatus Provisionalis super dissensionibus ac quæstionibus in India Orientali obortis initus fuit, non extra scopum erit eundem hisce inserere.

Exemplar Tractatus Provisionalis inter Portugalliæ Regem & Præpot. D. D. Ordines Gener. super controversiis de Jurisdictione & Territorio Fortalitii *Gallæ* initi.

Quamvis Tractatus Induciarum & cessationis omnis hostilitatis actus, ut & Navigationis & Commerciorum Haga-Com. duodecimo die Iunii, Anno 1641. initus conclususque, tempore decennii in Indiâ Orientali, omnibusque locis & maribus tam sub districtu Serenissimi Regis Lusitaniæ, Algarvæ, &c. quam Præpotentium Vnitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordinum Generalium ritè observari debuisset; Attamen non omnimodè conservatus neve observatus fuit, propter controversias & dissensiones inter utriusque Partis Gubernatores atque Præfectos exortas super Iurisdictione Territorii Fortalitium Gallam *spectantis; Quæ controversia varias rixas, Navium deprædationes, Commerciorum ac Navigationum disturbationes in plerisque ferè Indiæ Orientalis plagis ac partibus, inter Lusitaniæ atque hujus Status Incolas isthuc enavigantes ac mercaturam exercentes peperit; adeò ut tali rerum continuatione recens & apertum bellum utriusque Partis Incolis metuendum foret. Cui ut summè memoratus Rex ac Præpotentes D. D. Ordines Generales occurrerent, super hoc negotio provisionaliter conventum fuit inter Dominum Franciscum de Souza Coutinho, Consiliarium & Legatum Serenissimi Regis Lusitaniæ, Suaque Majestatis Gubernatorem & Præfectum Supremum Insularum Terceræ, vi ac vigore Procurationis suæ datæ Vlyssiponæ quinto die Maji, Anno 1643. ab unâ, & D. D. Deputatos Præpotentium D. D. Ordinum Generalium vi Procurationis datæ concessæque Haga-Com. decimo & octavo die Martii, Anno 1645. ab alterâ Parte, qui sequentes hosce Articulos provisionaliter inierunt ac confirmarunt.*

1. Possessores Fortalitii *Gallæ* eodem usu & agrorum cultura, quos tempore divulgationis dicti decennalis Tractatus tenuerunt, gaudebunt, eâ conditione, ne pendente lite, Cinnamomum ibidem propagare ipsis liceat.

2. Serenissimus Rex Lusitaniæ Subditos suos, ad Indiam Orientalem Commercium exercentes, certò ad id constringere tenebitur, ut quotannis, quamdiu controversia de Jurisdictione Territorii sub districtu Fortalitii *Gallæ* principaliter non fuerit composita, præcise suisque impensis intra *Gallæ* Fortalitium *sexcentos Quintales optimi & minimè aggrestis Cinnamomi*, unoquoque Quintale ad centum supra viginti & octo libras Lusitanici ponderis computato, afferant tradantque: Cujus oblationis primus Annus exordietur ab hodierno die, adeò ut prima ejusdem oblatio fieri debeat, ante primum diem Martii, Anni Millesimi, sexcentesimi,

qua-

quadragesimi & sexti, proximè venturi, sicque porro quotannis continuent, usquedum controversia principaliter fuerit decisa: Quæ si fortè infra Annum terminaretur, eo non obstante, ante dicti sexcenti Quintales optimi & minimè agrestis Cinnamomi, tanto pondere, ad modum præmemoratum, dictis possessoribus, harum Provinciarum Incolis, semel & unâ vice tantum offerri debebunt.

3. Neutra pars provisionali hoc Tractatu ullum Jus acquiret, sive ad quamcunque intentionem purgandam allegabit, multò minus applicabit.

4. Serenissimus Rex Lusitaniæ per Legatum suum, & Præpotentes D. D. Ordines Generales per Deputatos suos, supradictam controversiam quamprimum examinabunt, eamque deinceps principaliter decident; Quod si fortassis eorum operâ cœptum opus ex sententia confici non posset; supra memorata controversia per æquos Judices & Arbitros, prout utrinque fieri poterit, decidetur; neque, ut mora aliqua vel minimum provisionalem hunc Tractatum immutet, permittetur.

5. Ab utrâque Parte naves ac merces detentæ, pariterque loca & Fortalitia Capta, à tempore divulgationis generalis Pacis, duodecimo die Junii, Anno 1641. utrimque in Indiâ Orientali institutæ, sine ulla morâ restituentur; ea lege ac conditione, ut inter utriusque Partis Gubernatores atque Præfectos in India Orientali, de modo restituendi naves, merces ac Fortalitia supradicta, conveniendum sit.

6. Præpotentes D. D. Ordines Generales, pariterque Legatus Sereniss. Regis per obsignatas literas, cum diversis navibus ad Gubernatorem Generalem Senatumque in India Orientali, Nomine Unitarum Belgii Provinciarum, Copiam authenticam, sive hujus provisionalis Tractatus Exemplar mittent, iisque universis ac singulis, ut hunc Tractatum ritè ac strictè observent, atque etiam, quantum Fœderati Belgii Statum in India Orientali concernit, observari curent, expresse mandabunt ac injungent: Illis insuper per easdem literas, ut supra dictum generalem Induciarum Tractatum, duodecimo die Iunii, Anno 1641. ad tempus decennii initum, æque observent, nec non secundum formam & tenorem suum observari curent, neque ullam immutationem aut interpretationem super hoc instituant aut institui permittant, expresse mandabitur. Quinetiam Domino Legato Lusitaniæ supradictarum literarum Exemplaria solennibus formulis conscripta, quotquot desideraturus est, tradentur, ut in Portugalliæ commodum juxta illarum inscriptionem quamprimum, prout Regi visum fuerit, emittantur.

7. Celsiss. Legatus Lusitaniæ, Se Nomine locoque Serenissimi Regis, hinc per obsignatas literas cum diversis navibus ad Vice-Regem in Goa, pariterque ad reliquos in India Orientali Gubernatores & Præfectos Lusitanicos, Copiam authenticam vel Exemplar dicti provisionalis Tractatus missurum, iisdemque universis ac singulis, ut eundem Tractatum ritè ac sincerè observent, nec non quantum Statum Lusitanicum in Indiâ Orientali concernit, observari curent, in mandatis daturum esse promittit ac pollicetur. Insuper etiam iisdem literis, ut supra dictum generalem Tractatum duodecimo die Iunii, Anno 1641. ad tempus decen-

decennii initum, fideliter observent, ac secundùm formam & tenorem suum observari curent, neque ullam immutationem aut interpretationem super eo instituant, àut institui permittant, expressis verbis demandabit. Celsitudo quoque sua D. D. Ordinibus Generalibus tot dictarum suarum literarum Exemplaria solennibus formulis conscripta, quot desideraturi sunt, tradere tenebitur, ut juxta illarum inscriptionem, quamprimum, prout Ipsis visum fuerit, emittantur. Adhæc Dominus Legatus Lusitaniæ promisit suscepitque, effecturum sese, ut similes literæ & transmissiones dicti provisionalis Tractatus, ab ipso Rege ad supra nominatum Vice-Regem aliosq; in iisdem Indiis Orientalibus Majestatis Suæ Præfectos, quamprimum idem Majestati Suæ innotuerit, transmittantur.

8. Omnes lites & controversiæ, quæ propter generalem Tractatum, duodecimo die Junii, Anno 1641. initum, aut propter provisionalem hunc & specialem Tractatum, contra omnem exspectationem orituræ sunt, Hagam-Com. ex Indiarum Orientalium districtibus deferentur, ut per Dominum Legatum, aut alium Serenissimi Regis Lusitaniæ eo tempore publicum Ministrum, & D. D. Deputatos è Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium conjunctim decidentur, ne, pendente controversiâ, Induciæ ad decennium initæ, ullo modo interrumpantur, sed verò utrinque vim ac vigorem suum obtineant. Insuper etiam Serenissimus Rex Lusitaniæ, fidem dabit, sicuti ante memoratus D. Legatus Nomine locoque Majestatis Suæ, publicum aliquem Ministrum Hagæ-Com. Regiâ Auctoritate munitum, ad dictas lites & controversias tollendas, assiduò commoraturum esse promittit ac pollicetur.

9. Quod si inter utriusque Partis Gubernatores, & Præfectos in Indiâ Orientali provisionalis aliquis Tractatus de Jurisdictione Territorii ad Fortalitium *Gallæ* pertinentis, deque restitutione modoque restituendi naves ac merces detentas, pariterque loca & Fortalitia capta à tempore divulgationis generalis Tractatus duodecimo die Iunii, Anno 1641. ab alterutrâ Parte in Indiâ Orientali cognitæ, antequam divulgatio hujus particularis Tractat. eò pervenerit, initus confirmatusque foret; tali casu supra dictus Tractatus inter utriusque Partis Gubernatores & Præfectos initus plenum effectum, quod ad Iurisdictionem de quâ controvertitur, sortietur, sed non ultra tempus principalis ejusdem causæ decisionis, quæ Hagæ-Com. instituetur. Quantum autem ad cætera & ulteriora, dicto Tractatu generali, atque hoc particulari comprehensa attinet, ea firma mansura sunt.

10. Provisionalis hic Tractatus à Serenissimo Rege Lusitaniæ, & Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus intra quatuor Mensium, ab hoc die numerandorum, spatium solennibus formulis confirmabitur. Deinceps autem Majestatis Suæ Ratihabitio Hagæ-Com. intra dictum tempus oblata cum D. D. Ordinum Generalium Ratihabitione permutabitur: dictus tamen cum generalis tum provisionalis Tractatus interea temporis ab utrâque Parte, fideliter atque ex omni Parte observabitur, fidesque scriptionis utrimque petita ac data simul præstabitur.

Literæ

Literæ Auctoritatis solennibus formulis conscriptæ, simul cum hac conclusio, sequentibus insertæ erant.

Proinde, Nos, Legatus & Commissarii huic Tractatui propriis Nostris manibus subsignavimus, eundemque sigillis Nostris munivimus. Actum Hagæ-Com. vicesimo & septimo die Martii, Anno Millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & quinto. Subsignatum erat, F. de Souza Continho, I. à Gent, D. Hoogendorpius, I. Catzius, G. Vosbergius, G. à Reede, I. Veldtrielius, G. Ripperda, A. Clantius.

AD Monasteriensem Tractationem ut redeamus, Zelandiæ Deputati in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum longam & rationibus munitam deductionem exhibuerunt, in quâ Præpotent. D. D. Ordinibus indicarunt, Dominos suos, Deputantes summoperè necessarium duxisse, ut, antequam Legati Monasterium mitterentur & cum Hostibus ulla Tractatio iniretur, Articulus præliminaris, veræ *Reformatæ Religionis* conservationem concernens, plenissimè stabiliretur ac confirmaretur, idque secundùm Propositorum specimina ea de re confecta, atque à præsente & consentiente Celsiss. Arausionensium Principe, omnibusque D. D. Deputatis, in Concilio Præpot. D.D. Ordinum congregatis approbata, ut ad Provinciarum Ordines transmitterentur, atque eo perlata, in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum confirmarentur: quum Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum mens atque intentio neutiquam sit, quicquam communicare, sive *Generalitati* deferre, quod utriusque Provinciæ dispositioni commissum ac reservatum fuit, multò minus vi supradicti Articuli modo supramemorato confirmati, quicquam occipere, quod pro natura ac præsenti constitutione Provinciarum omnium aut singularum, impossibile aut noxium ullo modo comperiretur, ac necessaria quadam consequentiâ in *Reformatæ Religionis* ac summè necessariæ ejusdem in hisce Provinciis conservationis damnum ullo modo vergeret, utpote quæ cum salute atque incolumitate Nostri Status *pari passu* incedit, quæque simul cum eodem ortum atque occasum communem habet.

Nobiles itaque D. D. Ordines nihil sibi in hisce propositum habere, præterquam ut omnibus *perniciosis disputationibus*, quæ rursus, ut superiorum Induciarum tempore, moveri possent, præcaveretur, secundùm verum ac genuinum sensum Articuli 13, Unionis Trajecti ad Rhenum utque sancitæ, ac Provinciæ communi consensu ad supradictæ *Reformatæ Religionis* confirmationem, solenniter, hac occasione, sese mutuò obstringerent atque devincirent, eundem ad modum, quo variæ antehac Uniones & Fœdera inter Provincias inita fuerunt, quibus prima, hujus Status fundamenta superstructa fuerunt, *Reformatæque Religionis* exercitium subsequutum, & hactenus favente Dei benignitate ac gratiâ adversus omnem vim externam, calamitatem internam conservatum fuit, quorum Fœderum Exemplaria, tempore institutionis conceptuum super Articulis præliminaribus formandorum, inspecta fuerunt.

Nobiles verò Ordines viso perpensoque, quod post tantum temporis spatium ac tot tantaque adhibita officia, negotium eo hactenus deduci non potuerit, ve-

„ riti ne, si diutius delegatio Monasterium instituenda differatur, harum Provincia-
„ rum Statui, quinetiam *Reformatæ Religioni* præjudicio esse possit, quæ machinatio
„ à D. D. Plenipotentiariis hujus Status, in loco Tractationis commorantibus, de-
„ tegi ac destrui posset, Nobilibus Ordinibus quo ab unâ Parte D. D. Plenipoten-
„ tiarii Monasterium absque longiore morâ delegarentur, ab alterâ verò Provinciæ
„ sibi invicem, ad veræ *Reformatæ Religionis* confirmationem quod attinet, satisface-
„ rent visum fuit, ut interea, & usquedum Provinciæ super institutis Propositorum
„ speciminibus clarius sese explicent, quorum perpensionem ac deliberationem
„ Nobiles Ordines non intermittendam, verum seriò continuandam esse ducunt, à
„ Provinciarum Deputatis speciali D. D. suorum Deputantium mandato declara-
„ retur, quemadmodum Zelandiæ Deputati per præsentes declarabant, ut Præpo-
„ tentium D.D. Ordinum Regestis sequentia insererentur, D. D. Ordines Zelandiæ
„ Comitatus semetipsos *obstringere atque devincire aliisque Provinciis sanctè promittere,*
„ *sese veram Religionem Reformatam, prout publicâ Auctoritate in hisce Provinciis docetur, &*
„ *Synodo Nationali Dordracenâ stabilita ac confirmata fuit, defensuros, & mediis, quibuscun-*
„ *que fieri poterit, optimis propugnaturos, neque ut in præjudicium aut detrimentum veræ Reli-*
„ *gionis Reformatæ quicquam occipiatur aut innovetur ullo modo permissuros*; contrà verò
„ ea omnia communi auxilio propulsaturos esse, hac lege tamen & conditione, ut
„ Nobiles Ordines *Ordinem Regimenque Ecclesiasticum* in Provinciâ suâ salvum sibi at-
„ que integrum vellent, quo, pro re natâ, de eo, quemadmodum Nobiles Ordines
„ hactenus fecerunt, disponerent.

„ Quocirca supradicti D. D. Zelandiæ Deputati, ut reliquæ Provinciæ eidem sese
„ accommodarent, etiam atque etiam rogabant, utpote iis congruum ac consen-
„ taneum, quæ sæpius sinceram ac seriam suam mentem esse declararunt.

„ Ad binos præliminares Articulos, *Unionem & Militiam* concernentes, quod at-
„ tinet, supradicti Zelandiæ Deputati Dominos D. suos Deputantes in mandatis
„ sibi dedisse, retulerunt, ut declararent Nobiles ac Potentes Ordines velle quo-
„ que semetipsos obligare atque obstringere ad arctiorem *Unionem* Trajecti ad
„ Rhenum initam, *in quantum eam Provinciæ acceperunt, ejusdemque observationi sese ad-*
„ *strinxerunt*, debito modo exequendam, neque permittendum ut quicquam occi-
„ piatur, quo præmemorata arctior *Unio*, utpote quæ Status hujus *Lex Fundamentalis*
„ ac Vinculum existit, quo Provinciæ Ordinum more Rempub. administrare irre-
„ vocabiliter ac perpetuo invicem devinctæ tenentur, ullo modo dissolvi posset:
„ Quamvis varia diversis temporibus, arctiori *Unioni* adversa processerint, & se-
„ cundum quæ, pro Iure Concilio Generali concesso, sive Provinciarum singula-
„ rum Ordinibus relicto, aut saltem non tradito, sive communicato, usus aliquis
„ obtinuerit, ne Ius illud supradictum, ejusmodi occasione, quâ de confirman-
„ da *Unione* agi posset, tanquam concessum dici atque allegari posset; Ea propter
„ D. D. Deputantes suos arbitrari atque existimare, ejusmodi deliberationis oc-
„ casione Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Regestis claris ac dilucidis ver-
„ bis inseri oportere, Omnium & singularum Provinciarum, uti etiam Zelandiæ
„ Ordines concedere, *D. D. sc. Ordinibus Generalibus permissum iri, quicquid illis vi su-*
„ *pradictæ arctioris Unionis Trajecti ad Rhenum initæ, vel etiam decreto exinde communi om-*
„ *nium Provinciarum consensu, ex speciali mandato, illato, D.D. Ordinib. Generalibus datum*
conces-

concessumque fuit, ab altera verò Parte Provincias singulas rerum suarum disposi- „ tione, præmemorata *Unione*, eamque sequutis decretis reservata, saltem non tra- „ dita aut communicata gavisuras esse, exclusa omni consideratione ac perpensio- „ ne eorum omnium, quæ adversa, quæque supradicta *Unione* comprehensa non „ sunt, ac decretorum quæ in præjudicium à Præpotent. D. D. Ordinibus Gene- „ ralibus ab una, vel à particularibus Provinciis, ab altera Parte quocumque mo- „ do constituta esse possunt. „

Postremò, quod ad tertium præliminarem Articulum, *Militiam* concernentem, „ attinet, præmemorati Zelandiæ Deputati retulerunt, D.D. suos Deputantes per- „ pendisse, utrum conduceret, quod si hoc ipso tempore Provinciæ omnes provi- „ sionaliter, de continuandis, tempore Pacis, peditum equitumque Copiis, de- „ que omnibus ab iis dependentibus, certum quid statuissent ac decrevissent; „ quoniam verò ab alterâ Parte *Militia*, ad sufficientem Provinciarum defensionem „ requisita, iis Copiis assiduò proportionanda sit, quas Hostes in Fœderati Belgii „ Provinciis, aliique finitimi Principes in locis confiniis sub signis retinebunt sive „ conscribent, Idcircò dictos D. D. Deputantes suos, tantum perpetuò Peditum „ Equitumque numerum sub signis retinendum esse judicasse, quantum ad Status „ Nostri securitatem sufficere omnes arbitrabuntur, atque ejusdem causa quotan- „ nis, quin etiam, si necessitas id exigat, à D. D. Ordinum Consiliariis petitiones „ instituendas, ut hoc pacto à Provinciis, secundùm consuetum Provinciarum „ ordinem, requisiti consensus exsolvi possent. Actum traditumque decimo & „ sexto die Augusti, 1645. Subsignatum erat, I. Knuytius, Iacobus de Veth, P. de „ Witte, C. Stavenisse, Gulielmus Lucæ. „

Quamvis autem reliquarum Provinciarum, imprimis verò Hollandiæ Ordines, sese necdum super hoc Negotio tam clarè sententiam suam dicere posse declararent: nihilominus tamen sequentia provisionaliter, constituere ac decernere visum fuit.

Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales per præsentes decla- „ rant, Christianam *Religionem* Reformatam, qualis hoc tempore docetur, sta- „ bilitam confirmatamque fuisse, Eaque propter illam conservare ac propugnare „ constituisse ac decrevisse: Secundò, Generalem *Unionem* vicesimo & nono die Ia- „ nuarii, Anno 1579. Ultrajecti ad Rhenum decretam, prout sonat atque in usum „ traduci potest, constitutam ac confirmatam fore: Tertiò, quod si Pax sive In- „ duciæ componantur sufficientem *militum* numerum sub signis retentum iri, „ quemadmodum superioribus duodecim Annorum Induciis factum fuit, supra- „ dictumque numerum pro *ratione & consensu Provinciarum*, Celsissimo Arausio- „ nensium Principe antè consulto, adauctum diminutumvè iri, prout harum Pro- „ vinciarum securitati plurimùm inservire existimabitur. „

Hisce & similibus impedimentis rursus medii Augusti spatium consumptum „ fuit, Dominis Plenipotentiariis etiamnum Hagæ-Com. commorantibus. Die „ autem vicesimo & quinto ejusdem Mensis D. D. Ordinum Generalium Plenipo- „ tentiarii ad Tractationem Monasteriensem delegati, quosdam Articulos haud „

 exigui „

„ exigui momenti, ſequentibus inſertos, Inſtructionem Monaſterienſem, & quæ „ eodem ſpectant concernentes Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus tra„ diderunt.

„ 1. Utrum dux Longuevillæ *Celſitudinis* Titulo inſignietur?

„ 2. Utrum Principum-Electorum, Principum, & Haſſiæ Land-Gravii Viduæ „ Legati *Excellentiæ* Titulo inſignientur?

„ 3. Utrum hujus Status Plenipotentiarii domi ſuæ à Legatis Principum-Electo„ rum, Principum, Haſſiæque Land-Gravii Viduæ viſitati, introducendi ac edu„ cendi ceremoniis ſupradictorum Principum-Electorum, Principum, Haſſiæque „ Land-Gravii Viduæ Legatis præceſſum dextrumque latus offerent?

„ 4. Quo pacto hujus Status Plenipotentiarii in præmemoratis ceremoniis re„ ſpectu Deputatorum Civitatumque Imperialium & Hanzeaticarum ſeſe ge„ rent?

„ 5. Quo modo hujus Status Plenipotentiarii præmemoratis Legatis aut Depu„ tatis in vico obviam facti, recedendo aut invicem ſalutando, ſeſe gerent?

„ 6. In genere autem, utrum in ſupradictis ceremoniis modus Venetorum Le„ gatis uſitatus, & mediis quibuſcunque optimis inquirendus, obſervabitur.

„ 7. Quod ſi Gallorum Legati etiam atque etiam rogent, ut per Mediatores age„ retur, eundem ad modum, quo inter Gallos & Hiſpanos agitur, utrum Status hujus „ Nomine eò devenietur, ut per Mediatores agatur, quemadmodum Anno 1608. „ à Gallis & Anglis tanquam Mediatoribus actum fuit, & quibus, tali caſu, Media„ toribus utendum erit, quandoquidem Papæ Romani Nuncius ad id admittendus „ non eſt, ac proinde Venetorum Legatus ſolus reſtat?

„ 8. Quod ſi agendum ſit abſq; Interceſſoribus, utrum conventus cum Hiſpanis „ in neutrarum partium ædibus, an in loco aliquo publico futurus eſt, & unaquæq; „ pars mediam menſam occupabit, ac privatim quæque loci introitum atque exi„ tum habitura eſt, utrum verò *per Internuncium* Scriptis agetur?

„ 9. Utrum, cum Monaſterium ventum erit, Hiſpanorum Plenipotentiariis ad„ ventus indicabitur?

„ 10. Utrum ab Hiſpanorum Plenipotentiariis prima Tractationis propoſitio „ inſtituenda erit?

„ 11. Utrum à noſtrâ Parte Scriptis Belgicis & Gallicis agetur, & ab Hiſpanis „ ſcripta Hiſpanica & Gallica accipientur, an verò utraque pars Latinâ Linguâ „ utetur?

Viceſimo & ſexto die Auguſti D. Braſſetius Reſidens denuò Præpotentibus D. D. Ordinibus Scriptum quoddam, à Plenipotentiariis Principum-Electorum Monaſterii commorantibus traditum, exhibuit, ea continens, quæ Oſnabrugis acta fuerant: quemadmodum etiam deinceps Regis Galliarum Miniſtri Monaſterii commorantes per ſummè dictum D. Braſſetium diligenter omnia Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. indicarunt ac retulerunt.

Triceſimo die Auguſti in Concilio quinque Conceptus Procurationum Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiariis tradendarum recitabantur, qui D. D. Meynderſvicio, Mateneſio & Knuytio, Arauſionenſium Principem conventuris, tradebantur, ut cum Ipſo ſuper iiſdem & aliis quibuſdam ſupradictis unde-

undecim Articulis à Dominis D. Plenipotentiariis propositis literisque exaratis agerent.

Dominus Roorda in Concilio Præsidens Præpotentibus D.D. Ordinibus Generalibus in memoriam revocavit, vicesimo & octavo die Maji, Anno 1643 Provinciarum Judicio atque Arbitrio, propter rationes tunc temporis allatas, commissum fuisse, num ad majorem gravitatem delegationis Monasterium instituendæ aliarumque magni momenti rationum Negotium hoc concernentium, conducibile haberi atque existimari posset, ut D. Gulielmus, Comes Nassaviæ, Frisiæ Gubernator etiam atque etiam rogaretur, delegaretur & Auctoritate sufficiente muniretur, quò, supra Plenipotentiariorum numerum, Nomine Præpotentium D. D. Ordinum Generalium præmemoratâ delegatione fungeretur, atque ad finem perduceret, eaque propter Gelriam, Zelandiam, Trajectum ad Rhenum, Frisiam, Trans-Ysulaniam, Civitatem Groningam Omlandiamque, vicesimo die Februarii hujus Anni, ut supradictus D. Gulielmus, Comes Nassaviæ, ad præmemoratam delegationem Nomine Præpot. D. D. Ordinum Generalium supra numerum D. D. è Provinciis Deputatorum, etiam atque etiam rogaretur & sufficiente Auctoritate muniretur, censuisse: Hollandiæ verò Deputatos supradicto vicesimo die Februarii declarâsse, sese, ad supradictum Negotium supra memorati Gubernatoris quod attinet, necdum paratos esse: tempore autem, à Præpotent. D. D. Ordinibus itineri Monasterium, ad Tractationem universalis Pacis ac tranquillitatis institutam, assignato, appropinquante, præmemoratus D. Roorda D. D. Hollandiæ Deputatos, ut iis, quæ præposita fuerant, impræsentiarum annuerent, unicè rogavit: ad quod responderunt, sese necdum ad id paratos esse. Quo perpenso, supra memoratos Dominos Hollandiæ Deputatos iterum rogare visum fuit, ut Negotium apud D. D. suos Deputantes, proximo eorum conventu eò dirigere vellent, quò se etiam delegationi præmemorati D. Gubernatoris una cum supradictis reliquis sex Provinciis annuere declararent.

Undecimo die Septembris Celsiss. Arausionensium Principi in castris ad *Maldegum* literæ redditæ fuerunt, quibus Celsitudo sua unicè rogabatur, ut per literas à Marchione *de Castelrodrigo*, Supremo Belgii Provinciarum Regis Castiliensis Nomine Moderatore (eo tum adhuc titulo insigniebatur) Bruxellis commorante octo hujusce Reip. Plenipotentiariis totidem Salvos-Conductus petere dignaretur, ad modum generalis ab ipso Rege decimo & nono die Novembris, Anno 1642. subsignati Salvi-Conductus, quò supradicti Domini Plenipotentiarii, si eodem tempore parati atque expediti simul non essent, alter alterum exspectare non necesse haberent.

Decimo & nono die Septembris D. D. Matenesius & alii, postquam Celsissimum Arausionensium Principem, super undecim Articulis à D. D. Plenipotentiariis vicesimo & quinto die Augusti, proximè elapsi, traditis, consuluissent, sequentia, quæ ad singulos illos Articulos fuere responsa, retulerunt.

Exemplum Relationis Sententiæ Consiliique Celsiss. Arausionensium Principis.

Ad primum, Arausionensium Principi propositum fuit, perpendendum esse, num à Duce *Longuevillæ* in *Orangiam* prætensum jus Celsitudini suæ præjudicio foret.

Utrum autem petitæ qualitatis *Celsitudinis* Gallorum Legatorum tantùm, an verò Ipsius Regis Nomine instituta fuisset.

Exemplum Sententiæ Consiliique Celsiss. Arausionensium Principis.

„ De prætenso Jure in *Orangiam* Monasterii non agendum, ac proinde, ut perpenderetur, necesse non esse.

„ Tribunum Militum *d'Estrades* Celsitudini Suæ literas authenticas à Cardinale *Mazarino*, quibus, ut *Longuevillæ* Dux *Celsitudinis* Titulo insigniretur, sedulò rogabat, exhibuisse.

„ Si quando Sueci, Veneti Principesque Electores *Celsitudinis* Titulum deferunt, non posse tunc eundem ab hoc Statu denegari, præsertim quum Cardinalis *Mazarinus*, tanquam primarius Regni Minister, id per Tribunum Militum *d'Estrades* unicè petat; Idque secundùm Gallicæ Aulæ modum Regis Nomine fieri credatur, Celsiss. Arausionensium Princeps *Longuevillæ* Ducem *Celsitudinis* Titulo insigniri oportere existimat.

„ Ad secundum Articulum, quibus Titulis Veneti eos insigniunt, inquirendum esse, Idq; per D. Advocatum Graswinckel Legati Veneti Secretarium Amstelodami commorantem rogandum esse, quibus Titulis Venetorum Legatus Dominos illos insigniebat; Celsitudini Suæ à Præpotent. D.D. Ordinibus, cum Principis Electoris Palatini Infans baptizaretur, *Principibus Electoribus cedere* Actis quibusdam scriptis demandatum fuisse.

„ Ad tertium Articulum, nec plus nec minus, quam Veneti soleant, faciendum esse.

„ Ad quartum Articulum, eos pro Legatis non haberi.

„ Ad quintum Articulum, de eo cum Galliæ Legatis agendum, & eundem ad modum quo à Venetis fit, nec ullis Principibus Ducibusvè, nisi solis Regibus & Venetorum Reipublicæ Legatis cedendum esse.

„ Ad sextum Articulum, secundùm ejusdem tenorem agendum esse.

„ Ad septimum Articulum, Mediatores omnes, quantum fieri potest, vitandos esse, sed obortis quibusdam difficultatibus, per modum colloquii Galliæ vel Venetorum Ministris obortam difficultatem referendam ac narrandam, ut pernosci possit, utrum ipsi modum quempiam compositionis proposituri sint, minimè verò ut *Mediatores* adhibendos esse.

„ Ad octavum Articulum, in locum quendam publicum sine Internuncio conveniendum, cuique eorum mediam mensam occupandam, manus ac præcessus optionem Hispanis relinquendam esse.

Ad

Ad nonum Articulum, agendum atque accommodandum prævio consilio „ Galliæ Legatorum, Venetos verò id fortasse indicaturos esse.

Ad decimum Articulum, in propositorum specimine hujus Auctoritatis, atque „ Auctoritatis Anni 1632. & 1609. decisum fuisse. „

Ad undecimum Articulum, Hispanos Gallicam Linguam usurpaturos, veri- „ simile esse, Hispanicam autem Linguam servare volentibus, à Belgicâ non re- „ cedendum esse. „

Exemplum Actorum Immunitatis, quam vocant, & Auctoritatis decimo & tertio, & decimo & septimo die Octobris, sequenti modo constitutorum ac confirmatorum.

VNitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales, cognito perpensoque, D. Bartholtium à Gent, Loenii & Meynersvici Dominum, aggerumque „ Bommeliensis ac Tiletensis Insulæ Præfectum, in Concilio Nostro è membro Nobilium Provinciæ Gelriæ Deputatum à Præpotentib. D. D. Ordinibus (præterea „ etiam ab omnibus Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis *mutatis mutandis*) „ *tanquam Extraordinarium Legatum & Plenipotentiarium* Præpot. D. D. Ordinum ad „ Tractationem propter universi Christiani Orbis pacem, Monasterii institutam, „ Acta quædam sibi petere Immunitatis, quam vocant, equorum, carrucarum, „ curruum, navium sarcinarumque reliquarum, declarant se Nomine Ordinum „ Generalium omnibus modis sumptibus exempturos supradictum D. Meyndersvicium, ejusque carrucas, currus, naves sarcinasque omnes, ut qui Extraordinarii Eorum Legati ac Plenipotentiarii munere fungitur, adversus omnes detentiones, captivitates aliaque pericula, detrimenta, deprædationes, ac incommoditates, quæ ipsi terrâ marique, durante hac delegatione, eunti & redeunti, revertenti aut commoranti, sive publico, sive privato bono, eunti in Provinciam suam „ oboriri, quibusque affici atque infestari posset, à quocunque aut quacunque „ de causâ id fieret, cogitandâ & non cogitandâ, quæ hic tanquam expressæ habentur, ac proinde supradictus D. Meyndersvicius, Ejusdemque carrucæ, currus, „ naves & sarcinæ quæcunque adversus omnes defendentur, actaque contraria & „ damna quæ ipsi oboriri possent, omnibus modis resarcientur, accipientur, omniaque adhibebuntur, quæ à supradicto Domino Meyndersvicio aut à suis, durante præmemoratâ Legatione ad sui defensionem instituentur aut ab aliis in „ ipsius liberationem occipientur: cum obligatione omnium bonorum ac redituum D. D. Ordinum Generalium nullis exceptis, quocunque tandem Nomine „ venire possunt, in tam sufficientem certitudinem, satisfactionem ac securitatem „ supradicti Domini, ut majorem desiderare aut indigere nequeat. Actum in „ Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Hagæ-Com. decimo & „ septimo die Octob. 1645.

Exem-

Exemplum Literarum Auctoritatis.

Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordines Generales, Omnibus & singulis, quibus continget præsentes legere audireve, Salutem: Constare volumus, Quandoquidem Nos antehac omni tempore, animo ac voluntate sincerâ propensos deditosque ostendimus, ad diuturnum, funestum cruentumque bellum in Provinciis Belgii ante multos Annos accensum, atque hactenus continuatum, restinguendum, in earundem Provinciarum commune commodum & Subditorum consolationem, ac proinde etiam in aliis longè dissitis locis maribusque à bellis discedendum, quæ ex supradicto Provinciarum bello adversus Nostros Hostes ortum duxerunt, Idcirco, mutuo consensu Monasterio Westphalorum ad Conventum ac Tractationem universi Christiani Orbis Pacis delecto, visum fuisse nonnullos è Nostris nominare, qui omnimodâ ac plenissimâ Auctoritate & potestate muniti supradictæ Congregationi ac Tractationi, ad componendum penitusque tollendum diuturnum, funestum cruentumque bellum in Belgii Provinciis concitatum, interfuturi sunt. Nos itaque, freti fidelitate & providâ animi circumspectione in rebus nostris gerendis, ac sedulitate in officiis supradictis Fœderati Belgii Provinciis præstandis Dominorum, D. Bartholtii à Gent, Loenii & Meyndersvici Domini, aggerumque Bommeliensis ac Tiletensis Insulæ Præfecti, in Concilio Nostro è membro Nobilium Provinciæ Gelriæ Deputati, D. Johannis Matenesii, Domini in Matenesse, Riviere, Opmeer, Souteveen, &c. Deputati in Concilio Ordinis Equestris ac Nobilium Hollandiæ & West-Frisiæ, Schielandiæ Consiliarii, D. Adriani Pauw, Equitis, Domini in Heemstede, Hogersinilde, Rietwijck, Nieuwerkerck, &c. in consessu Consiliariorum Præsidentis & Computationum Magistri, D. Johannis Knuytii, Equitis, Utriusque Vosmariæ Domini, Primarii atque Equestrem & Nobilium Zelandiæ Ordinem repræsentantis, ordinarii Arausionensium Principis Consiliarii, D. Godartii à Reeden, Domini in Nederhorst, Vredelant, Cortehoef, Overmeer, Horstweert, &c. in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Deputati ex ordine Equestri & Nobilium Provinciæ Trajecti ad Rhenum, D. Francisci à Donia, Toparchæ in Hinnema & Heytsum, D. Gulielmi Ripperda, Domini in Boxbergen, Boculo, Hengelo & Ruyssenborg, in Concilio Nostro è Nobilium Provinciæ Trans-Ysulaniæ Deputati, D. Adriani Clantii, Domini in Stedum & Nittersum, omnium in Concilio D. D. Ordinum Deputatorum, Extraordinariorum in Germaniam Legatorum, quibus omnibus conjunctim, aut ad minimum maximæ eorum parti (reliquis *necessariò* absentibus, aut alio quovis modo impeditis) plenissimam Auctoritatem ac potestatem facimus, mandatum etiam generale ac speciale concedimus, ut Nostro Nomine locoque qualitate Plenipotentiariorum hujus Status Monasterii è D. D. Plenipotentiariis Potentissimi ac Strenuissimi Principis D. Philippi IV. Hispaniarum Regis intelligant atque percipiant explanationem eorum, quæ D. D. Plenipotentiarii summè dicti Regis ad sublationem diuturni, funesti cruentique belli, in Belgii Provinciis oborti, eorum insuper, quæ ex eo adversus Hostes Nostros in aliis longè dissitis locis ma-

ribusque

ribusque originem suam traxerunt, ac proinde cum D. D. Plenipotentiariis præ- ,, memorati Regis Tractationem instituant, agant concludantque firmum, sincerum ac inviolabilem Pacis Tractatum, prout D. D. Plenipotentiarii hujus Status Fœderati Belgii Provinciis atque earundem Subditis, omnibus quinetiam Sociis, & quorum interest, ut bello diuturno finis imponatur, plurimùm conducere existimabunt; fidem præterea dedimus spopondimusque, quemadmodum etiam per præsentes fidem damus ac sincerè spondemus cum obligatione atque obstrictione Nostri ac Successorum Nostrorum generatim ac speciatim Nos rata, grata firmaque habituros, quæcunque à supradictis Nostris Plenipotentiariis in hisce agentur ac concludentur, eademque confirmaturos ac inviolabiliter observaturos, atque ut observentur curaturos, nec ullâ ratione sive directâ sive indirectâ contraventuros, neque ut contraveniatur passuros. In cujus rei testimonium præsentes hasce magno Nostro Sigillo muniri, atque à Graphiario Nostro subscribi curavimus in Concilio Nostro, Hagæ-Comitis, decimo & tertio die Octobris, Anno 1645. ,,

Die autem vicesimo & quinto Octobris tandem Instructio confirmata, eodemque die conclusum fuit, ut dies supplicationis decerneretur, cui certum tempus, quum Plenipotentiarii Nostri needum discessissent, assignatum non fuit.

Die tricesimo & primo Octobris D. D. Deputati Zelandiæ à Domino Meynderswicio in Concilio Ordinum Præsidente rogati, ut sese super Informatione D. D. Plenipotentiariis hujus Status Nomine Monasterium proficiscentibus dandâ declararent, responderunt, sese hoc pomeridiano tempore obiter, ac quantum temporis angustia passa fuit, legisse atque examini subjecisse Scriptum institutum, quod præmemoratæ Instructionis loco foret, idque cum propositionibus ac conclusionibus formatis atq; excerptis ex Provinciarum sententiis de Scripto quodam, dicto *Materiâ*, latis, contulisse, quantum autem ad sese attineret, (absq; præjudicio tamen sententiæ D.D. suorum Con-Deputatorum hactenus absentium, & ad id Negotium speciatim Auctoritate munitorum, multò minus ut D. D. suos Deputantes implicent atque devinciant) nihil sese præterea comperisse, quam quod supradicta Instructio substantiam præmemoratarum propositionum ac conclusionum contineat; quod autem id, quod extra eas est, attinet, ac nominatim, quæ super nonnullis dubiis, à Præpotent. D.D. Ordinum Plenipotentiariis motis, consultatione cum Celsiss. Arausionensium Principe præmissa, à Præpotentibus D. D. Ordinibus constituta ac confirmata & supradictæ Instructioni inserta fuerunt; sese ea omnia, absque tamen Sui, Con-Deputatorum aut Deputantium suorum præjudicio, talia esse judicasse, ut à Deputantibus suis, qui hac septimanâ publica Auctoritate congregati fuerunt, nullus scrupulus aut difficultas movenda sit, quominus sese hisce accommodent, eademque cum reliquis Provinciis statuant atque confirment, adeò ut Negotium illud Plenipotentiariis Monasterium discessuris ne minimam quidem moram injecturum sit.

Sese verò (Zelandiæ sc. Deputatos) observasse centesimo decimo & quinto Articulo supradictæ Instructionis, de præliminari Tractatu primo die Martii, Anno 1644. cum Gallis inito, agente, supradictum nonum Articulum eum concernentem non ita clarè expressum fuisse, ut Dominis Plenipotentiariis Præpotentium

D.D. Ordinum Gen. mandati loco esse possit, prout Eorundem gravitas, & Præpotent. D. D. Ordinum decretum ac consilia super eo Negotio inito postulare atque exigere videbantur.

Zelandiæ Deputatos eum in finem Præpotent. D.D. Ordinibus in memoriam quidem revocare voluisse, quum primum nomine locoque Præpotent. D.D. Ordinum super præliminari illo Tractatu cum Galliæ Deputatis Tractatio instituta esset, Præpot. D. D. Ordinibus visum fuisse, ut supradictis Dominis Legatis indicaretur, quo cum Hoste communi Inducias ad aliquot Annorum spatium utrimque inirent, Insuper etiam easdem, si fortassis Regi Galliar. vel Præpotentibus D. D. Ordinibus General. bellum inferretur, dissoluturos ac rursus arma sumpturos esse ab hoc tempore sese mutuo obligarent: quum verò interim præmemorati Domini Legati Gallos firmæ ac sinceræ Paci contrahendæ satis propensos deditosque esse spargerent, Præpotent. D. D. Ordinibus, ut rationes omnes, quibus Galli ad Inducias ad Annorum aliquot spatium componendas adduci possent, exararentur, visum fuisse, quod si Præpotentes D. D. Ordines Generales Pacem contrahere denegarent, cui tamen sententiæ Provinciarum nonnullarum Ordines annuere videbantur.

At verò quoniam ea res tum apud Gallos, tum apud Præpotent. D. D. Ordines difficultates suas habitura esset, eò quod exigua spes affulgeret, ut utraque pars ad ejusdem generis Tractatum ineundum induci posset, Præpotent. D. D. Ordinibus General. visum fuisse, ut literis media quædam proponerentur, quibus Galli de Pace, Præpotent. verò D. D. Ordines de Induciis agere possent.

Inducias autem illas, prout decretum Præpotent. D. D. Ordinum Generalium continebat, effectum Pacis cum Hispaniar. Rege habituras esse, si quidem Tractatus inter Galliarum Regem & Præpotentes D. D. Ordines Generales, Anno 1634. & 1635. initi continerent, *Neutri Parti absque communi consensu Pacem sive Inducias contrahere licere*, quæ rationes, imprimis verò nonus Articulus loco medii in finem supradictum adhibitus fuit.

Præpotentes D. D. Ordines decrevisse, ut octo Articuli, quibus supra memoratus præliminaris Tractatus constabat, una cum supra dicto nono Articulo amplificarentur, sive ut deinceps privatus aliquis Articulus seorsim constitueretur.

Quum autem Domini Deputati Galliæ nihil sese de nono Articulo in mandatis habere declararent, nec non in veniâ petendâ eâque impetrandâ scrupulum moverent, antequam à Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus octo isti Articuli confirmati forent, Præpotent. D.D. Ordines Deputatis suis octo Articulos concludendi ac subsignandi potestatem fecisse. Eâ lege tamen, ut supradictus nonus Articulus scriptis mandaretur eique exarata declaratio adjungeretur, continens, quod si Tractationis Monasteriensis hæc contineret, ut Galliarum Rex mutuo consensu Pacem, Præpot. verò D.D. Ordin. Generales Inducias inirent atque componerent, summè dicto Regi Pacis Tractationem concludere non fore licitum, nisi Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus super præmemorato Articulo prius satisfactum fuerit, utque supradictus Articulus una cum declaratione subsignationis dicti Tractatus Dominis Legatis traderetur, addito, Præpotent. D.D. Or-

D. D. Ordines Gener. nonum illum Articulum, casu oborto, tanquam octo Articulorum Tractatui insertum habere.

Scriptum autem illud una cum adjuncta declaratione quum Galliæ Legati ægrè accipere voluissent, neque opera studiaque à Domino Oostervicio exinde juxta Præpotentium D. D. Ordinum mandatum ac instructionem impensa atque adhibita quidquam profecissent, supradicti verò noni Articuli decisio Monasterium relegata fuisset,

Idcircò, Zelandiæ Ordines, Dominos suos Deputantes, inhærentes primo suo decreto ac declarationi, quam sæpius, atque imprimis vicesimo & septimo die Februarii, Anno 1644. proposuerunt ac Regestis inseri curarunt, etiamnum in eâ sententiâ esse, ut, sive Galli & Præpotent. D. D. Ordines Gener. conjunctim ac communi consensu Pacem vel Inducias contraherent, sive divisim alteri Pacem, alteri verò Inducias componerent, exspirante seu dissoluto Tractatu, simul ac conjunctim bellum suscipere tenerentur, ac proindè suprà dictum nonum Articulum à Gallis obtineri summè necessarium esse.

Quod ut obtineatur, Zelandiæ Deputatos, salvo Deputantium suorum consensu, ut Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis ac Plenipotentiariis in mandatis Instructione Eorum seu decreto aliquo particulari daretur, judicasse, quò, simul ac Monasterium ventum fuerit, omnem operam apud Dominos Plenipotentiarios Galliæ adhiberent, ut præmemoratus nonus Articulus, saltem hoc tempore, supra dicto præliminari Tractatui insereretur, sive privatis quibusdam Actis seorsim concluderetur ac confirmaretur; sin verò ab iisdem impetrare non possent, Præpotentes D. D. Ordines Gener. ejus rei quamprimum certiores redderent, quò deinceps, quod Unitarum Belgii Provinciar. commodum exigere existimabitur, agi posset: ea lege ac conditione, ut nullus prorsus cum Hispaniarum Rege Tractatus concludendus sit: ne autem Regis Galliarum Legati ac Plenipotentiarii ad defectum mandati excipere possent, D. Legato Lirio per literas interim demandaretur, ut, quantum fieri poterit, sedulò ac fine ullâ morâ, omnia quò dictis D. Legatis super præmemorato nono Articulo sufficiens mandatum atque Auctoritas transmitteretur, ageret ac laboraret.

Se denique repetere rationes oretenus propositas ad demonstrandum, supradictum nonum Articulum, iterato Præpotent. D. D. Ordinum decreto innitentem, & sub cujus conditione Provinciarum, saltem Zelandiæ Ordines in Negotium Tractationis cum Hostibus descenderant, certò obtineri oportere: contrarium quoque ejus si eveniret, præmemoratos Tractatus cum Gallis initos dissolutos, atque majus Reipublicæ incommodum tali rerum statu ac conditione oblatum iri; ut reliquarum Provinciarum Ordines idem perpendere atque annuere vellent, unicè rogare.

Hac re perpensâ, deque eâ sententiis latis, propter earundem discrepantiam nihil certi decretum fuit.

Die primo, secundo, & tertio Novembris Zelandiæ Deputati Sententiam pernoscere cupientes, quum reliquarum sex Provinciarum Ordines præcedentibus inhærere animadverterent, ut Conceptus Instructionis Dominis Legatis ac Plenipotentiariis Præpotent. D.D. Ordinum Nomine Monasterium discessuris insti-

tutus confirmatuſque ſervaretur, juxta id quod viceſimo & octavo die ſuperioris Menſis faciendum ſuſceperant, Actis publicis diurnis inſerere neceſſe habuerunt, Seſe in concluſione ac decreto, de ſupradicta Instructione confirmanda, omnibuſque ejuſdem reſpectu agenda, *neutiquam acquieſcere iiſdemque annuere poſſe*, contrà verò ſeriò ſe adverſus ea proteſtari, quum Negotium illud ejuſmodi naturæ ſit, ut ſecundùm Unionem & fundamentalia hujus Status axiomata de eo, vi pluralitatis ſententiarum nihil quidquam concludi potuerit, præterquam quod ante confirmationem præmemoratæ Inſtructionis à Dominis ſuis Deputantibus ſuper ullo ejuſdem Articulo atque imprimis centeſimo decimo & quinto de præliminari Tractatu primo die Martii, Anno 1644. cum Gallis inito, & nono quodam Articulo, qui eundem concernit, agente, nulla unquam in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum ſententia lata atque propoſita fuit.

Quò verò ſincerum Dominorum ſuorum Deputantium propoſitum demonſtrarent, omnemque ſuſpicionem tollerent, perinde ac ſi Nobiles Zelandiæ Ordines Delegationem Monaſterium producere ac differre in animo haberent, eundem admodum (quo heri & nudius tertius aliquoties declaraverant) denuò diſertis verbis declararunt ſcriptiſque tradiderunt, Seſe, quamprimum centeſimus decimus & quintus Articulus præmemoratæ Inſtructionis conceptæ ſecundùm alterutrum Propoſitorum Specimen eam ob cauſam à D. Graphiario Muſch, ſecundùm ſententias à Provinciarum Ordinibus latas, ſcriptis conſignatum, habitâque deliberatione à reliquis ſex Provinciis approbatum amplificatus atque expoſitus foret, præmemoratam Inſtructionem conceptam *ſecundùm tenorem ſuum in omnibus ſuis Articulis* D.D.Deputant. ſuorum Nomine gratam ac omnimodo ratam habituros, quò D. D. Legatis ac Plenipotentiariis traderetur, atque ab iiſdem ordinarium juramentum præſtaretur, iterque ad Celſiſſ. Arauſionenſium Principem ac deinde Monaſterium abſque ullâ morâ ſuſciperetur.

Quod ſi verò D.D. Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordinum Deputati præmemoratam amplificationem atque explicationem ſupradicti Articuli centeſimi decimi & quinti abſolutè gravatim acciperent, contrà verò, quod in eo præcipuum eſt, Dominis ſuis Deputantibus referre vellent, eoque ſupradictus nonus Articulus (quum tanti ſit momenti ac tam eſſentialis, quemadmodum plurimis ac ſolidiſſimis rationibus demonſtratum fuit) pro eo quod præliminari Tractatui cum Gallis inito tanquam inſertus ejuſdemque valoris cum reliquis octo Articulis haberetur, quemadmodum Provinciarum omnium Ordines aliquoties, imprimis verò viceſimo & ſexto, ſeptimo, & nono die Februarii, 1644. id ſerium ſuum propoſitum eſſe declararunt, diſſolveretur atque enervaretur, atque à præmemorata Inſtructione ſejungeretur; ſaltem non tam diſertis verbis in ea exprimeretur, omnia verò ad novas deliberationes relegarentur, Seſe eo, neque etiam alio caſu, mandato & Auctoritate ſupra dictam Inſtructionem confirmandi deſtitutos eſſe: ea verò, quæ geſta fuerunt, Dominis ſuis Deputantibus, qui propediem publicâ Auctoritate congregandi ſunt, referre, omniaque Nobilium D. D. Ordinum decreto ac moderamini committere neceſſe habere.

Per Se quidem licere aſſerentes, ut interea temporis Domini ac Plenipotentiarii ad Caſtra ſe conferant, quò de præmemoratâ Inſtructione conceptâ, nec non ſupra-

supradicti Artic. centesimi decimi & quinti amplificatione atq; explicatione cum Celsiss. Arausionensium Principe agerent ac consilium inirent Eidemque valedicerent, quò ad Eorundem reditum omnia concluderentur atque confirmarentur, eoque solo peracto iter Monasterium instituerctur, unicè rogantes, ut hæc Præpotentium D. D. Ordinum Actis publicis diurnis insererentur, quò tempore ac loco debito inservire possent, quæ ut insererentur, concessum fuit.

Super iis autem, quæ dicta sunt, ejusmodi Provincialis sententia à Dominis Hollandiæ Deputatis vicesimo die Novembris in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum lata fuit. Instructionem sc. D. D. Plenipotentiariis institutam, ac vicesimo & octavo die Octobris supradicti confirmatam vim atque vigorem suum retenturam esse, de nono Puncto, cujus centesimus decimus & quintus Articulus ejusdem Instructionis meminit, Monasterii cum Galliæ Legatis ac Plenipotentiariis actum decretumque, omnia quinetiam studia omnemque operam adhibitam iri, quò id omne, quod supradicto nono Articulo continetur, obtineri possit: Insuper etiam ad Dominum Oosterviciium, Præpotent. D.D. Ordinum Generalium in Gallia ordinarium Legatum, secundò literas datas iri, ut occeptam petitionem suam ulterius atque ubi oportet continuare vellet, quò Regiæ Majestatis Legati in mandatis acciperent, debitâque supradictum Articulum concedendi Auctoritate munirentur: quod si verò nonus ille Articulus obtineri non posset, Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis, *id Præpotent. D. D. Ordinibus per literas indicare, necesse fore*, quò Ipsorum super eâ re ulterius mandatum accipiant; neque ullo modo cum Hispanis quidquam decernere ac concludere, antequam Præpotent. D. D. Ordinum Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii ulterius hoc mandatum accepissent, licitum fore: quo perpenso, Gelriæ, Ultrajecti ad Rhenum, Frisiæ, Trans-Ysulaniæ, Civitatis Groeningæ Omlandiæque D. D. Ordines sententiæ huic annuerunt, conclusione super hac re instituendâ ac formandâ in proximum diem Veneris dilatâ.

Conclusio verò supradicta de die in diem quum produceretur, tandem primo die Decembris constitutum decretumque fuit, ut Domini Plenipotentiarii quinto die ejusdem Mensis fidem darent, Sese omnia secundùm Instructionis suæ tenorem acturos esse, insuper etiam Auctoritatem suam aliaque acciperent; quibus, simul etiam propositioni vicesimo die Novembris à Dominis Hollandiæ Deputatis institutæ, Zelandiæ Deputati annuerunt.

Die autem quinto Decembris à nonnullis propositum fuit, perinde ac si Dominis Plenipotentiariis, postquam Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus juramentum semel præstiterint, Concilio interesse non amplius liceret. Re verò acrius perpensâ, ut juramentum hocce non ulterius, quam ad *fidelem* Monasteriensis Delegationis *exequutionem* se extenderet, neq; eam ob causam loco ac sede suâ in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Generalium semoverentur, visum decretumque fuit.

Deinde verò D. D. Plenipotentiarii (excepto D. Knuytio, qui necdum advenerat) juramentum præstituri *sedibus inferioribus* post mensam D. D. Ordinum Generalium collocatis consederunt: quo finito unicuique Plenipotentia-

riorum Exemplar authenticum Instructionis, illi autem, cui è Dominis Plenipotentiariis primum suffragium concessum erat, Acta viginti supra unum, juxta Apographa sive Catalogum ab ipso subscriptum, exhibita fuerunt.

Exemplum Instructionis tale est.

„ INstructio Præpotentium Fœderati Belgii D. D. Ordinum Generalium, concessa Nobilissimis, Strenuissimis, Doctissimis, ac Prudentissimis Dominis D. Bartholtio à Gent, Loenii & Meynersvici Domino, aggerum Bommeliensis ac Tiletensis Insulæ Præfecto, in Concilio Nostro è membro Nobilium Provinciæ Gelriæ Deputato; D. Johanni Mathenesio, Domino in Matenesse, Reviere, Opmeer, Souteveen, &c. è Concilio Ordinis Equestris ac Nobilium Hollandiæ & West-Frisiæ Deputato, Scielandiæ Consiliario, D. Adriano Pauw, Equiti, Domino in Heemstede, Hoogersmilde, Rietwijck, Niewerkerck, &c. Consiliario Primo & Cameræ Computationum Holland. & West-Frisiæ Præfecto, D. Johanni Knuytio, Equiti, Utriusq; Vosmariæ Domino, Primario atque Equestrem & Nobilium Zelandiæ Ordinem repræsentanti, Ordinario Celsiss. Arausionensium Principis Consiliario, D. Godartio à Reeden, Domino in Nederhorst, Vredelant, Cortehoef, Overmeer, Horstweert, &c. in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum ex Ordine Equestri & Nobilium Provinciæ Trajecti ad Rhenum Deputato, D. Francisco à Donia, Toparchæ in Hinnema & Heytsum; D. Gulielmo Ripperda, Domino in Boxbergen, Bokulo, Hengelo & Ruyssenborg, in Concilio Nostro è consessu Equestris Ordinis ac Nobilium Provinciæ Transisulaniæ Deputato; D. Adriano Clantio, Domino in Stedum & Nittersum, Omnibus Præpotentium D.D. Ordinum Gener. Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis ad Tractationem Monasterii Westphalorum institutam discedentibus, ad ineundam atque procurandam orbi Christiano Pacem universalem, secundùm quam in hoc Negotio Unitarum Belgii Provinciarum Nomine sese gerere tenebuntur.

„ 1. Ac primo quidem præmemorata Regia Majestas Sua declarat, Secum supradictis Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordinibus Generalibus, ut qui eas liberas Regiones, Status ac Provincias agnoscit ac reputat, in quas nullum sibi jus vendicat, agere & cum iisdem Inducias, quemadmodum per præsentes contrahit, inire atque componere velle.

„ 2. Præpotent. autem D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii, ut præcedens Articulus à Plenipotentiariis Regis Castiliensis in dubium vocetur aut de eo controvertatur, neutiquam permittent, verùm secundùm tenorem suum præsentem reservabunt.

„ 3. Rex Castiliensis *Hispaniarum Regis* Nomine ac titulo insignietur potius, quam ut eâ de causâ Tractatio Monasterii instituenda succideretur aut differretur.

„ 4. Conditiones, sub quibus præmemoratæ Induciæ componi ac concludi possent, scriptæ atque explicatæ subsequuntur.

„ 5. Supradictæ scil. *Induciæ* firmæ, fidæ, indissolubiles atque ad minimum duodecennales futuræ sunt: quibus durantibus omnes actus hostilitatis, cujuscunque

que tandem generis fuerint, inter præmemoratum Regem & Præpot. D. D. Or-„ Ordines Generales Terrâ Marique, in omnibus Eorum Regnis, ditionibus & Re-„ gionibus, omnibusque Eorum subditis ac Incolis cujuscunque conditionis, nullis „ locis personisve exceptis, cessabunt.

6. Domini verò Plenipotentiarii Præpotentium D. D. Ordinum in memoriâ „ retinebunt, quod si *Induciarum* Tractatus feliciter succedat ac concludatur, ipsum „ tempus, cujus præcedente Articulo mentio facta fuit, quod infra duodecim an-„ nos futurum non est, exprimendum ac limitandum esse. „

7. Unaquæque pars retinebit, atque post Articulorum Conclusionem utetur „ omnibus iis regionibus, oppidis, locis, dominiis & Ditionibus, quas impræsentia-„ rum possidet, adeo ut nequaquam sive directè, sive indirectè, durantibus supra-„ dictis Induciis, disturbandi atque impediendi sint, quibus etiam municipia, viciniæ „ agrique patentes, qui inde dependent, comprehendentur atque includentur. „

8. Eaque lege *Majoratus Sylvæ-Ducensis*, utpote ab eadem Civitate dependens, „ Præpot. D. D. Ordinibus proprius relinquetur. „

9. Galliarum autem & Angliæ Regis utriusque, Memoriæ Gloriosiss. Legati, „ quo die Præcedentes Inducias concluserunt atque confirmarunt, super Præce-„ dente Articulo, quemadmodum Induciarum illarum Tractatui insertus fuit, se-„ quentia declararunt. „

10. *Nos, Christianissimi & Sereniss. Magnæ Britanniæ Regis Legati, infra nominandi, omnibus ac singulis, ad quos hæc pertinent, assertmus, per tertium Articulum Tractatus hoc die inter Archi-Ducum, & Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Deputatos initi, intelligi debere Nosque sic intellexisse, quæcunque loca supradicti Præpot. D. D. Ordines in Brabantiâ Flandriâque tenent, non minus quam in aliis Provinciis, quæ Eorum imperio obtemperant, jus Supremum quod attinet, quinetiam Marchionatum Bergæ ad Zomam, Baronatum Bredanum, Graviam & quæcunque ei adjuncta aut annexa sunt, cum omnibus pagis, municipiis, viciniis prædiisque eò pertinentibus propria sibi habituros esse. Insuper etiam declaramus, præmemoratorum Archi-Ducum Deputatos concessisse ac convenisse, quem ad modum summe dictis D. D. Ordin. Eorumque subditis in portubus locisque à Catholicâ Suâ Majestate in utraque* Indiâ *possessis absque ejus veniâ Commercia exercere seu Navigationes quascumque instituere non licebit, eundem quoque ad modum Regis subditis in portubus ac locis quæ à summè memoratis D. D. Ordinibus in utrâque Indiâ tenentur, nisi Eorum permissu, exercere permissum iri; porrò autem summè dictorum D. D. Ordin. Generalium Deputatos, Nobis ac Celsissimorum Archi-Ducum Legatis præsentibus, sæpius declarasse, quod si adversus amicos, socios ac Fœderatos Suos, in supradictis Provinciis quidquam occipiatur, decretum fuisse iis opitulari atque auxiliari, neque ex eo Inducias violatas concludi esse ullo modo posse. Datum Antverpiæ nono die Aprilis* 1609. *subsignatum erat*, P. Jannyn, Elias *de la Place*, Russæus, Ri. Spencerus, Rudolphus Wintwood.

11. Summè dicti Regis ac Præpotentium D. D. Ordinum Generalium subditi, „ durantibus Induciis sinceram ac firmam amicitiam atque familiaritatem mutuam „ colent, oblivioni traditis offensionibus damnisque mutuò antehac illatis; in Re-„ giones quoque mutuas ingredi atque in iisdem commorari, Commercia Sua ibi-„ dem terrâ marique securè exercere licebit, id nihilominus summe dicta Maje-„ stas Sua ad Regna, Regiones, Dominia ac ditiones, quas in Europâ aliisque locis „

& ma-

,, & maribus, ubi Regum Principumque amicorum ac sociorum subditi mutuo ,, consensu Commercia exercent, seu Navigationes quascumque instituunt, restri- ,, ctum atque limitatum vult; quod autem ea loca, oppida, portusque attinet, ,, quos extra supradictos limites possidet, in iisdem Præpot. D. D. Ordinibus Eo- ,, rumque subditis absque speciali Regis veniâ Commercia exercere non erit inte- ,, grum. Commercia quidem (si visum ipsis fuerit) in Regionibus quorumcunque ,, aliorum Principum ac populorum, qui ipsis hoc permittent, (etiam extra supra- ,, dictos illos terminos) exercere licebit, eâ lege tamen, ut Rex, Præfecti ac subditi, ,, qui ab Eo dependent, eâ de causâ Principibus ac populis, qui ipsis hoc permise- ,, runt aut permittent, neque etiam Ipsis aut privatis illis, cum quibus Commercia ,, exercuerunt, aut in posterum exercebunt, ullo impedimento futuri sint.

,, Sequentes Articuli bini decimo & quarto die Octobris 1645. ex Concepto ,, Instructionis excerpebantur: quando autem & quomodo Domini Plenipoten- ,, tiarii super eâ re post modum instructi atque informati fuere, suo loco di- ,, cetur.

,, I. *Quod autem ad secundum ejusdem Articuli membrum attinet, in majorem ejusdem explanationem ac confirmationem, constituitur ac decernitur,* Castilianos *Navigationem Suam eo modo, quo eadem ad Indias Orientales impræsentiarum fruuntur, gavisuros esse: eâ lege, ne se latius atque ulterius extendant, adeo ut Indiam Portugallorum imperio obtemperantem ipsis ingredi, neque etiam harum Provinciarum subditis Indias Orientales Castilianorum ac Portugallorum imperio subjacentes frequentare, atque in iisdem Commercia exercere liceat.*

II. *Commercia ac Navigatio ad utramque Indiam juxta Privilegium publicum, eum in finem aut jam concessum aut etiamnum concedendum, conservabitur ac defendetur ejusque securitati ineundus Tractatus ac Ratihabitio utrinque proferenda inserviet, eodem quoque omnes Principes ac Populi, cum quibus Præpotentes D. D. Ordines aut Societas India Occidentalis, Eorum nomine, intra limites dicti Privilegii Fœdus Societatemque inierunt, comprehendentur: Præterea etiam dicta Societati Commercia Sua in omnibus locis intra limites Privilegii, à Præpotent. D. D. Ordinibus ipsi concessi, ubicunque Rex Castiliensis nulla castella, Dominium aut imperium quodcumque obtinet, idque ejusmodi mercaturis, mercibus, mancipiis alisque rebus, prout supradicta Societas in rem suam esse existimabit, promovere atque extendere integrum erit. Neque præmemorata Regia Majestatis Subditis in ullis locis portubusve, in quibus Societas Occidentalis, Præpotentium D. D. Ordinum Nomine, Castella, Fortalitia, Imperium aut Tuguria, vulgò* Logien, *tenent, Commercia exercere ullo modo licebit, nisi vice versâ à Castilianis supradicta Societati in omnibus locis, qua Regis Castiliensi imperio subsunt, similis Commercia exercendi potestas fiat. Neque eo casu alteri majora onera, quam locorum istorum Incola subditique exsolvunt, imperare alteri licebit: unaquaque autem Pars ea Oppida, Castella, Fortalitia, ac Commercia in Indiâ Occidentali retinebit ac possidebit, qua sub initium ineundi Tractatus alterutri competere deprehendentur. Præfecti etiam utriusque Societatis harum Provinciarum, ut & Ministri, Duces cujuscunque Ordinis, Milites Sociique navales, qui reipsâ sub alterutrius dicta Societatis signis habentur, ut & ii, qui extra Societatum imperium, tam in hisce Provinciis, quam in districtu præmemoratarum Societatum commorantur, quorum deinceps operâ Societas uti posset, securè degent, iisdemque omnes Regiones ac loca, qua Regis Castil. in Europâ imperio obtemperant, securè peragrare ac permea-*

permeare, in iisdem commorari, Commercia exercere, haud secus ac reliquis hujus Status Incolis, integrum erit: quod si verò Præpot. D. D. Ordinum Gener. Extraordinarius Legatis Propositiones ac Considerationes contrarias iis, quæ supra expressæ fuerunt, proponerentur atque objicerentur, earum Præpot. D. D. Ordines certiores reddent, qui deinde cum alterutrius, vel utriusque, si opus fuerit, Præfectis Societatis de iis agent.

12. Præcedens hic Articulus bimembris esse comperitur: ad primum membrum quod attinet, id secundùm tenorem suum observabitur.

13. Commercia & Navigationes ad utramque Indiam conservabuntur ac defendentur.

14. Quoniam verò longum temporis spatium requiritur, quò certiores reddantur illi, qui extra supradictos limites navibus Copiisque instructi sunt, ut ab omni hostilitatis actu abstinerent, in id conveniri necesse erit, ut Induciæ intra limites Privilegii antehac Societati Indiæ Orient. harum Provinciarum concessi, non nisi Anno postquam *Induciæ* compositæ ac conclusæ erunt, initium suum caperet: Quod verò ad limites Societati Indiæ Occidentalis literis publicis antehac concessos attinet, Induciæ non nisi semestri postquam Tractatus hic initus confirmatusque fuerit ibi initium suum capiet; eâ lege ac conditione, quod si Induciarum divulgatio in præmemoratis limitibus prius significari posset, omnis exinde hostilitatis actus ibidem cessabit; quod si verò intra Anni & semestris spatium intra præmemoratos Privilegii terminos ullus hostilitatis actus ibidem commissus fuerit, illatum damnum absque ullâ morâ resarcietur ac reparabitur.

15. Super utroque proximè præcedenti Articulo D. D. Legati Christianiss. & Magnæ Britanniæ Regis, gloriosiss. memoriæ, postremo die Martii Anno 1609. sequentem declarationem proposuerunt.

16. *Nos, Christianiss. Regis & Magnæ Britanniæ Legati, Nosque Fœderati Belgii Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Deputati, per præsentes declaratum volumus, quum hoc die, postremo scil. Martii, Anno 1609. Antverpiæ inter Nos & Catholici Regis ac Sereniss. Archiducum, Alberti & Isabellæ, Legatos Magna dissensio super Commerciis in utrâque Indiâ exercendis oborta fuisset, quorum exercitium summè dictorum Archiducum Deputati Regiæ Majestatis Nomine terminis ac verbis,* quarto & quinto *Induciarum Articulo comprehensis, lubentes concedere ac permittere volebant; quibus verbis dictorum Commerciorum exercitium non satis dilucidè exprimi posse declarabant, eò quod nulla* Utriusque Indiæ *mentio facta fuisset: à quorum vocabulorum usu certis de causis abstinebant, quæ Præpot. D. D. Ordinibus præjudicio esse nequeant, sed privatam duntaxat Regis Catholici satisfactionem concernent, qui utramque reipsa ac liberè, durantibus Induciis, propriam Ipsis tradere non denegat, neque impedimento ullo sese Eorum subditos, sive eos omnes, qui cum illis Commercia exercebunt, sive juxta eos Principes ac Populos, qui dictum Commerciorum exercitium in Regionibus Suis ipsis permittent, affici patietur: Quod nihilominus Nos, Præpot. D. D. Ordinum Gener. Deputati accipere recusavimus atque unicè rogavimus, ut vel imprimis* Utriusque Indiæ *mentio fieret, nec non Articulus tam claris apertisque verbis institueretur, ut nullus vel dubitandi, vel controvertendi locus relinqueretur. Idcirco Nos Christianiss. Regis & Magnæ Britanniæ Legati, qui Eorundem super hac re dissensionibus intereramus, à supradictis Dominis Deputatis tam Archiducum, quam Præpot. D. D. Ordinum Gener. etiam atque etiam rogati, ut quæstiones ac difficultates hasce componere penitusque conficere vellemus, quemadmodum illas,*

quæ super reliquis Fœderationis Articulis oborta fuerant, composuimus ac confecimus, haud inviti hanc Nostram Ipsis operam addiximus, Sereniss. Archiducum Deputatos rationibus vincere atque eò inducere annitentes, ut expressam Indiar. mentionem, quam unicè rogati fuerant, concederent, quoniam in præcipuâ rei parte convenissent, sanctèque adjurassent summè dictum Hispaniar. Regem Commerciorum exercitium fideliter permisisse, eo quidem animo, ut dictis in utrâque Indiâ Commerciis nunquam contraventurus sit: ab alterâ verò parte Præpotent. D.D. Ord. Gener. Deputatis ob oculos ponentes ac demonstrantes, nullam Eos super expressâ Indiar. mentione supradicto quarto *&* quinto *Art. factâ conquerendi causam habere, quum illa sufficiat, adeo ut ea, quæ petunt, pluribus verbis superaddere necesse non sit. At vero cum Pars utraque sententiæ Suæ tam pertinaciter inhæreret, ut præmemorata Fœderatio hanc ob causam dissolvi penitusque abrumpi videretur; Tandem Nos summè dictorum D. D. Ordinum Gener. Deputati supradictos Articulos accepturos Nos esse indicavimus, eâ lege tamen ac conditione, ut Rex Christianiss. item Magnæ Britanniæ Rex à Præpot. D. D. Ordinibus Gener. ante rogati, Induciarum exequendarum fautores ac defensores Sese præberent, auxilii subsidiique datâ fide, quod si fortaßis interruptæ fuerint, insuper etiam disertis verbis Nosmetipsos dictorum Commerciorum ac Navigationum observationi & conservationi obstrinximus atque obligavimus, haud secus ac si* Utriusque Indiæ *mentio inserta fuisset: idem Domini Deputati summe memoratorum Archiducum verißimum esse declararunt, Regemque Hispaniar. quæcumque Ipsius Nomine promisissent, ac spopondissent, fideliter Se observaturum decrevisse: Nos autem, supradicti Legati concessimus fidemque dedimus, hoc rerum Statu Tractatum hunc* Garantiæ, *quam vocant, sive defensionis dictis formulis instituturos esse, quo plenißimè Ipsis persuadeatur, Majestates Suas Regias, quæcumque obtinendæ Induciarum conclusioni ac confirmationi inservient, rata grataque habituras, quibus Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputati acquiescentes, harum Induciarum Tractatum, quod alioqui non concessissent, concludere ac confirmare decreverunt. Nos itaque Universi & Singuli supradicti Legati Ordinumque Deputati præsentia Acta instituimus ac subsignavimus, quæ omnibus & singulis, ad quos hæc pertinent, verißima esse, fide nostrâ asserimus. Dabantur Antverpiæ die Annoque supra memorato. Subsignatum erat,* P. Jannyn, Elyas *de la Place*, Russæus, Ri. Spencerus, Rudolphus Winwood, G. Ludovicus Comes Nassaviæ, G. à Brederode, Cornelius à Gent, Johannes ab Oldenbarnevelt, R. Malderæus, G. à Renesse, G. Hillama, Johannes Sloeth, Ab. Coenders.

17. Regis Hispaniar. ac Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Incolæ Subditique
" in alterutrius Regionibus Commercia exercentes majora vectigalia atque onera,
" quam ipsi Subditi, exsolvere non tenebuntur, adeo ut Fœderati Belgii Incolæ Sub-
" ditique vectigali quodam *(quòd viginti par cento vulgò vocant)* vel ejusmodi minori-
" bus aliisve vectigalibus à Rege Castiliensi, superioribus Induciis, imperatis, vel
" etiamnum durantibus Induciis, supradictis Fœderati Belgii Incolis Subditisque ab
" eodem Rege, sive in eorum incommodum majoribus, quam Ipsius Subditi exsol-
" vunt, imperandis, immunes maneant ac in posterum mansuri sint.

18. Quod si verò supradictus Articulus, quemadmodum superioribus expri-
" mitur, à Rege Castiliensi obtineri nequeat, Præpot. D. D. Ordinum Gener. Ex-
" traordinarii Legati ac Plenipotentiarii, antequam occeptam cum hostibus Tracta-
" tionem abrumpant, unum alterumve è Suis delegando, id Præpot. D. D. Ordin. in-
" dicare tenebuntur, quò ulteriori super hoc Negotio mandato muniri possint.

19. Sum-

19. Summè dictus Rex Ordinesque Gen. extra limites ac terminos suos à bonis merciumque Terrâ Marique prætervehendarum, apportandis sive exportandis aut alio quovis modo imperata vectigalia, nulla accepturi sunt. „ „ „

20. Regis Ordinumque Subditi in Utriusque Partis Regionibus pristinis vectigalium immunitatibus, quibus ante belli initium pacificè usi fuerunt, vicissim gaudebunt. „ „ „

21. Frequentatio, conversatio ac Commerciorum exercitium inter utriusque Partis Subditos nullo modo impedietur, ubi autem nonnulla impedimenta fortassis oborta fuerint, absque ullâ morâ tollentur. „ „ „

22. A primo autem Induciarum die summè dictus Rex omnia vectigalia mercibus Rhenum Mosamque pervehendis imperata, quousque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. jus ac Dominium, ante belli tempora, sese extendebat, ut & vectigalia bonis mercibusque Antverpiam pervehendis imperata remissurus est, eâ lege ac conditione, ut Zelandiæ Ordines vicissim à præmemorato die annuam versuram, dicto Zelandiæ vectigali ante Annum 1572. imperatam, in Sese recepturi, atque exinde primam exsoluturi sint, cujus possessione ac receptione Proprietarii ante belli tempora gaudebant, idem quoque à reliquorum vectigalium Proprietariis fiet. „ „ „ „ „ „ „ „ „

23. *Sal* albus digestusque ex hisce Provinciis in Regiones Majestatis Suæ liberè securèque ab hac Parte importabitur, neque majora vectigalia, sed æqualia utrimque, ei imperabuntur. „ „ „

24. Scaldensis Fluvius, itemque Canales Sassæ, Swyndæ aliaque Ostia maritima hisce respondentia à Præpot. D. D. Ordinibus Gener. durante Induciarum tempore, occludentur. „ „ „

25. Navibus mercibusque per Portus Flandriæ importandis, atque exportandis ejusmodi vectigalia aliaque tributa à summè memorato Rege imperabuntur, cujusmodi mercibus per Scaldensem Fluvium aliosque Canales, quorum præcedenti Articulo mentio facta fuit, importandis atque exportandis, durante Induciarum tempore, imperantur. „ „ „ „

26. Sin vero super petitione ac stipulatione Utriusque proximè præcedentis Articuli à Plenipotentiariis summe dicti Regis difficultas aliqua moveatur, Domini Plenipotentiarii Præpot. D. D. Ordinum Generalium, quæcumque utroque proximè præcedente Articulo continentur, neutiquam omittent, verum iisdem inhærebunt, & quodcumque sibi hac in parte evenerit, Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. per literas indicabunt, ut super iis mandata accipere possint. „ „ „ „ „

27. Quod si Extraordinariis D. D. Legatis ac Plenipotentiariis Articuli aliquot, permissionem publici *Romanæ Religionis* exercitii concernentes, exhiberentur, eos accipere omnino denegabunt, neque ullo modo vel minimam Propositionem aut hostium stipulationem respectu Papistarum, qui in Fœderati Belgii Provinciis commorantur, admittent; supradicti autem Præpotent. D. D. Ordinum Legati efficient, quo templa in agris patentibus, tam in Baronatu Bredanensi, quam in Marchionatu Bergensi & alibi exstructa iis, qui Reformatam Religionem profitentur, evacuentur, insuper etiam sæpius memoratis Legatis ac Plenipotent. nullam *Dispensationem* aut *Moderationem* respectu Decretorum publicorum à Præ- „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

 poten- „

„ potentibus D. D. Ordinibus Gener. adversus Papistas editorum concedant, per „ præsentes seriò demandatur.

28. Fœderati Belgii Incolæ Subditique eâ securitate ac libertate in Regionibus „ Majestatis Suæ gaudebunt, quæ Magnæ Britanniæ Regis Subditis Tractatu Pacis „ & privatis quibusdam Articulis cum Comite-Stabili Castiliæ initis (ad quos Le- „ ctores brevitatis ergo relegantur) concessa fuit.

„ 29. Summè dicta Majestas Sua commoda honestaque loca Sepulturæ, eorum „ qui à Parte Præpotent. D. D. Ordinum Gener. in Regnis atque Imperiis summè „ dicti Regis, ad minimum in Provinciis ac Regionibus Belgii vitam cum morte „ commutârunt, demonstrari ac præparari quamprimum curabit.

30. Summè memorati Regis Subditi Provincias hasce intrantes, respectu pu- „ blicæ Religionis, modestè sese gerent, adeò ut neque verbis neque factis ullum „ scandalum præbeant, sive convicientur.

„ 31. Mercatores, Nautæ, Vadorum exploratores Sociiq; Navales, Eorumve naves „ aut merces ipsis propriæ neutiquam diripientur aut detinebuntur, sive vi generalis „ aut specialis alicujus mandati, sive quacumq; de causâ bellicâ, ne quidem eo præ- „ textu, ut iisdem ad conservationē Status sui quispiam uteretur, cui tamen eximun- „ tur apprehensiones ac detentiones viis mediisque ordinariis à Justitiæ Admini- stratoribus institutæ propter privata debita, Chirographa solidosque Contractus „ eorum, adversus quos apprehensiones atque detentiones ejusmodi institutæ fue- „ rint, in quibus omnibus secundùm justum æquumque agetur ac decernetur.

„ 32. Utrimque Judices nonnulli æquali numero delegabuntur, ad modum Ca- „ meræ Bipartitæ, qui in Belgii Provinciis commorabuntur, idque in locis, sive al- „ ternatim, nunc sub Majestatis Suæ, nunc sub Præpotent. D. D. Ordinum Gene- „ ralium Imperio Dominioque sitis, prout mutuo consensu decernetur: qui utrim- „ que constituti Judices, secundùm mandatum atque Instructionem Ipsis traden- „ dam, in Belgii Incolarum Subditorumque acta, quinetiam vectigalia aliaque one- ra, ab alterutrâ Parte mercibus imperanda, inquirent. Quod si autem supradicti „ Judices ab alterutrâ vel utrâque Parte in vectigalibus imperandis modum excedi „ comprererint, excessum illum benigniori animi moderamine conficient: Porrò „ etiam dicti Judices quæstiones de non executione Tractatus, ut & ejusdem vio- „ lationes, quæ subinde tam in Belgii Provinciis, quam in longè dissitis Regnis, Re- „ gionibus, Provinciis & Europæ Insulis oboriri possent, examini suo subjicient, ac „ de iisdem brevissimè & clarissimè decernent, quæcunq; juxta Tractatum fieri opor- „ tere existimabunt; supradictorum autem Judicum sententiæ ab ordinariis Justitiæ Ministris, ubi violatio quæpiam admissa fuerit, vel aliquando etiam adversus trans- „ gressores ac violatores ipsos, prout Negotium postulabit, exequutioni mandabun- „ tur, neque supradictæ Justitiæ Ministris ordinariis deesse ullo modo licebit, quò „ minus præmemoratam exequutionem aut ipsi instituant, aut ab aliis institui si- „ nant, & transgressio intra tempus . . . . . quo Justitiæ ordinarii Mi- „ nistri id rogati fuerint, corrigatur.

„ 33. Quod si sententiæ quædam latæ forent, inter diversarum partium personas „ ad Iudicem non delatas, sive in Negotio Civili sive Criminali, illæ adversus con- „ demnatas earumque bona, durante Induciarum tempore, exequutioni neuti- quam

quam mandabuntur. Nulla quinetiam Repressalia nullæque literæ Marcæ, ut vocant, durantibus supradictis Induciis, nisi re prius cognitâ perspectâque, atque in Negotiis, in quibus id Cæsareis Legibus ac Statutis promissum fuit, idque secundùm ordinem ab Ipso constitutum, concedentur.

34. Alteri alterius Partis Portus, Navium stationes, &c. Navibus ac Militibus, quorum numerus suspicionem movere posset, sine veniâ Illius, cujus Imperio dicti Portus Naviumque stationes, &c. subsunt, intrare atque in iisdem commorari non licebit, nisi tempestate acti, necessariò, ad maris pericula incommodaque evitanda, intrare cogantur.

35. Illi, quorum bona opesque propter bellum publicata fuerunt, eorumve hæredes, aut quibus eorundem Jus Actionesque competunt, durante Induciarum tempore, iisdem bonis opibusque fruentur, propriaque sua Auctoritate ac vi præsentis Tractatus eorundem possessores absque ullo Judicum Arbitrorumque auxilio constituentur, non obstantibus tamen omnibus Judicis Provincialis Possessionibus, Oppignorationibus, Donis, Contractibus, Conventibus & Transactionibus, aut quæcunque tandem renunciationes supradictis Transactionibus, ad proprietarios à parte istorum bonorum opumque excludendos, contineantur, ea lege tamen ac conditione, ut, usufructûs tempore durante, de iisdem disponere eademque oppignorare seu minuere, nisi à summè dicto Rege Ordinibusve id primum impetraverint, neutiquam ipsis liceat.

36. Die autem septimo Julii, Anni 1610. ad majorem præcedentis Articuli dilucidationem, conventum fuit, ut omnia bona ac jura, quæ vi Tractatus nono die Aprilis 1609. initi, vicissim proprietariis, hæredibus aut quibus eorundem Actiones competunt, restituta fuere, vel tum restituenda erant, proprietariis illis divendere licitum foret, cujus rei ergò specialem veniam impetrare non erit necesse, versurarum proprietate, quæ à Judice Provinciali venditorum bonorum opumque loco reputabuntur, quin etiam iis versuris, quas Judex Provincialis debet, exceptis.

37. Quod si bona juraque restituenda, quibusdam in locis ægrè ac gravatim reddantur, ejusdem loci Judex absque ulla mora restitui curabit, idque Negotium, quam fieri poterit brevissimo temporis spatio conficiet, neque sub prætextu *non-exsolutæ Summæ* restitutionem differet.

38. Subditis atque Incolis Unitarum Belgii Provinciarum ubique sub Imperio summè dicti Regis pro libitu suo de Advocatis, Procuratoribus, Scriptoribus publicis, Sollicitatoribus atque Executoribus sibi prospicere licebit, quibus illud (si necessitas id exegerit, ipsique rogati fuerint) ab ordinario Judice imperabitur: hoc si evenerit, Incolæ Subditique summè memorati Regis Provincias, quæ Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Imperio obtemperant, intrantes simili auxilio operaque gaudebunt.

39. Quod similiter cedet in commodum hæredum Celsiss. Arausionensium Principis, respectu jurum, quæ Ipsis in *Salinas*, in Comitatu Burgundiæ jacentes, competunt, quæ Ipsis una cum silvis ab iis dependentibus, restituendæ propriæque tradendæ erunt. Ad *Chastelbelinii* autem causam, à Celsiss. Arausionensium Principe, cum adhuc in vivis esset, adversus Regis Catholici Procuratorem

Generalem in Mechlinienſi Aula inſtitutam quod attinet, qui nunc denuò per præſentes fidem dat, effecturum ſeſe, ut hæredes juſta quæcumque intra Anni ſpatium, poſtquam inſtiterint, ſincerè conſequantur: idque eo magis, quod id ipſum, durante ſuperiorum Induciarum tempore, ſecundùm decimum & quartum ejuſdem Tractatus Articulum, quod alterius Partis violatione evenit, effectum oportuit.

40. Die autem ſeptimo Januarii, Anno 1610. ad majorem primi membri præcedentis Articuli dilucidationem, conventum fuit, ut reſtitutione bonorum Jurumque Tractatu nono die Aprilis 1609. inito, conceſſâ bona Juraque in Comitatibus Burgundiæ & Charleſiæ, ſita comprehenſa haberentur, & quæcumque ſecundùm eundem Tractatum ſeptimo die Januarii initum, necdum reſtituta fuerunt, Proprietariis eorumque hæredibus, aut quibus eorundem jura Actioneſque competunt, utrimque optimâ fide quamprimum reſtituerentur.

41. Quod ſi alterius Partis Judex Provincialis publicata bona vendiderit, ad quos bona illa vi præſentis Tractatus pertinent, ii Summæ verſuris, quæ ſemiſſes exæquabunt, contenti eſſe tenebuntur, quæ quotannis, durante Induciarum tempore, fideliter ab iis exſolventur, qui præmemorata bona poſſident, cæteroquin divenditos fundos appropriare integrum erit.

42. Die ſeptimo Januarii, Anno 1610. ad majorem præcedentis Articuli explanationem, conventum fuit, ut verſurarum, quæ exſolutæ ſunt, ſive Summæ à Iudice Provinciali divenditæ proprietariis eorumque hæredibus, aut quibus eorundem Iura Actioneſque competunt, Acta traderentur, quæ ipſis literarum Declaratoriarum loco futura ſunt, idque ſecundùm Tractatum noni diei Aprilis, Anni 1609. una cum Aſſignationibus, ut vocant, annuæ exſolutionis, quæ à Quæſtore in iis Provinciis, in quibus venditæ ſeu exſolutæ fuere, exſolventur, cujus ſimiliter nomen Aſſignationibus inſeretur: pretium autem juxta venditionem primam publico, vel alio quocumque modo juſto inſtitutam computabitur, ac prima verſura annua non, niſi Anno poſt concluſum confirmatumque Tractatum, cedet atque exſolvetur.

43. Quod ſi verò ſupradicta bona à Iudicibus propter vera ac legitima debita eorum, quibus bona illa propria erant, vendita forent, ante publicationem Ipſis, vel hæredibus, vel quibus eorundem Ius Actioneſque competunt, bona illa ad ſe recipere integrum erit, pretio intra Anni ſpatium, computatione factâ à primo Tractatus die, exſoluto; quo tempore elapſo, non amplius ad id admittentur: ſupradictâ autem bonorum receptione ac venditione ab ipſis inſtituta, pro arbitrio ſuo de iiſdem diſponere licebit, neque aliam eâ de cauſa veniam impetrare neceſſe habebunt.

44. Ad bonorum autem reſtitutionem eorumque venditionem generalem quod attinet, de iis ſupra actum fuit.

45. Supradictas tamen receptiones in oppidis admittere nec viſum nec decretum fuit, idque propter maximas incommoditates atque incommoda, quæ Receptores ex mutationibus ac reparationibus, quæ ab ipſis in ſupradictis ædibus factæ nonnunquam eſſent, perciperent, cujus rei compoſitio nimium diuturna ac moleſta foret.

46. Quan-

46. Quantum autem ad reparationes aliorum bonorum venditorum, quorum redemptio permissa fuit, attinet, quod si repetantur, ordinarii Iudices, re cognitâ perspectâque, quod justum æquumque est, judicabunt, fundis nihilominus oppignoratis manentibus ob Summam, de qua pro reparationibus illis utrimque conventum fuerit, adversus supradictos tamen emptores detentionis jus, usquedum exsolverint, instituere non licebit.

47. Bona quæcumque silentio transmissa, Iura, Opes, Versuræ, Actiones, Credita omniaque alia, quæ Iudices Provinciales ante diem conclusionis ac confirmationis præsentis Tractatus plenè edocti non occuparunt, proprietariis, hæredibus, aut quibus eorundem Iura Actionesque competunt, cum omnibus usufructibus, versuris, reditibus commodisque libera atque immunia tradentur. Illi quinetiam, à quibus bona ejusmodi silentio transmissa fuere, eorumque hæredes, seu quibus eorundem Iura Actionesque competunt, eam ob causam à Iudicibus Provincialibus nullâ molestiâ afficientur: proprietarii verò, hæredes seu quibus eorundem Iura Actionesque competunt, unicuique in Iure, utpote propria sua bona repetentes præferentur.

48. Arbores post diem conclusionis ac confirmationis Tractatus succisæ, quæque eodem die adhuc in fundo jacuerunt, quinetiam quæ venditæ, sed eodem die necdum succisæ erant, proprietariis, non obstante venditione, tradentur, qui tamen pro iisdem pretium nullum exsolvere tenebuntur.

49. Fructus, locationis pretium reditusque ditionum, prædiorum, decimarum, piscinarum, ædium, versurarum aliorumque proventuum bonorum, quæ juxta Tractatum restitui debent, post diem Tractatus conclusi ac confirmati exsolvendi, pro universo Anno proprietariis, hæredibus, aut quibus eorundem Ius Actionesque competunt, exsolventur.

50. Publicatorum atque annotatorum bonorum locatio (licet in multorum Annorum spatium contracta sit) eo ipso Anno, quo præsens Tractatus concludetur & confirmabitur, pro more in locis, in quibus bona illa sita sunt, recepto, exspirabit: Locationis autem pretium post diem confirmationis supradicti Tractatus exsolvendum, ut supramemoratum fuit, proprietariis exhibebitur.

51. Ea lege ac conditione, ut, si is, qui bonis utitur, fructibus tum imminentis messis bonisq; sumptus quosdam impenderit, prout fieri consuevit, atque pro æquitate Iudicum istius loci, in quo bona illa sita sunt, à proprietariis possessori restituendi sint.

52. Publicatorum sive annotatorum bonorum, post Tractatus confirmationem, institutæ venditiones nullius valoris habebuntur, ut & illæ, quæ contra pactiones conventionesque cum nonnullis Civitatibus privatim initas, antè institutæ fuere.

53. In ædibus autem privatorum, quæ aut restitutæ, aut vi præsentis Tractatus restituendæ erunt, vicissim milites, aut saltem non plures, quàm in ædibus eorum, qui cum aliis Subditis ejusdem sunt conditionis, locabuntur.

54. Nemo ab alterutrâ Parte directè vel indirectè in mutando domicilio impedietur, ordinariis ei rei imperatis oneribus exsolutis, &, si quid impedimenti ac moræ injectum foret, extemplò conficietur ac removebitur.

55. Quod

„ 55. Quod si Fortalitia quædam aut opera publica ab alterutrâ Parte jussu atque „ Auctoritate Superiorũ confecta fuerint, in iis locis, quæ juxta Tractatum restitui debent, eorundem Domini æstimatione, ab ordinario istius loci ac Iurisdictionis, „ quam ibi habuerunt, Iudice, nisi forte Partes interse consentiant, instituendâ ac- „ quiescendum erit.

„ 56. Die autem septimo Februarii, Anno 1610. præcedens Articulus eo usque „ extensus fuit, ut pro iis bonis, quæ Fortalitiis, Operibus publicis ac Cœnobiis „ exstruendis impensa atque adhibita fuere, Domino satisfuturum sit.

„ 57. Quod verò ad bona Templorum, Collegiorum aliorumq; locorum Sacro- „ rum in Fœderati Belgii Provinciis exstructorum, attinet, quæ quidem membra erant, atq; à beneficiis ac muneribus Ecclesiasticis & Collegiis, quæ summè dicti „ Regis Imperio obtemperant, dependebant, quæ ante primum diem Ianuarii, Anno „ Millesimo sexcentesimo quadragesimo & tertio non fuere vendita, ipsis reddentur „ atque restituentur, eaque omnia propriâ suâ Auctoritate, nullâque Iustitiæ opera „ implorata recepturi sunt, quo iisdem, universo Induciarum spatio, absque ullo „ tamen dispositionis jure, secundùm ea, quæ ante dicta fuerunt, frui possint: eo- „ rum verò, quæ ante supradictum tempus vendita aut à D. D. Ordinibus alicujus „ Provinciæ in exsolutionem data fuere, annuæ versuræ, quæ semisses exæqua- bunt, à Provincia illa, quæ venditionem instituit vel supradicta bona in exsolu- „ tionem dedit, ipsis exsolventur, debitæque Assignationes in securitatem ipsorum „ tradentur; idem quoque à summè dicto Rege observabitur.

„ 58. Illi, quibus publicata bona restituenda erunt, nullas versuras, onera, im- „ pensaque, speciatim bonis illis imperata antequam iisdem fruerentur, exsolvere „ tenebuntur. Quod si verò in jus vocentur atque molestiâ ab alterutrâ Parte affi- „ ciantur, tanquam absoluti dimittentur.

„ 59. Die septimo Ianuarii, Anno 1610. præcedens Articulus sequentibus cla- „ rius explicatus fuit, ubi sc. innotuerit, omnia bona alicujus, ab alterutrâ Parte publicata atque annotata fuisse, adeo ut nihil ei reliquum sit, unde debitorum „ suorum versuras annuas exsolvere posset, Ille non solum realibus oneribus ac „ versuris, verum etiam generalibus ac personalibus tributis versurisque annuis, su- „ pradicto tempore solvendis, exemptus erit.

„ 60. Nequaquam bona illa, quæ vendita sunt, aut de quibus conventum fuit, „ ut vel primâ vel secundâ vice aggeribus cingerentur, at vero illos duntaxat num- „ mos, quorum exsolutioni possessores Contractibus, eum in finem initis confir- „ matisque, sese obstrinxerunt, cum versuris erogatorum nummorum, si qui erogati fuerint, ad modum versurarum, ut dictum est supra, repetere licebit.

„ 61. Sententiæ super publicatis bonis ac prætensionibus inter utramque Par- „ tem latæ, quæ Iudicem Legitimum agnovit, legitimèque coram Iudice defensæ „ fuere, obtinebunt; Neque etiam illis, qui causâ suâ ceciderunt, nisi modo proce- „ dendi ordinario, Eandem secundò defendere licebit.

„ 62. Summè dictus Rex ac Præpotentes D. D. Ordines quisque in suis locis mi- „ litum Præfectis ac Magistratibus demandabit, ut administrationi Politiæ ac Iu- stitiæ in iis Civitatibus ac locis munitis operam dent, quæ vi præsentis Tractatus „ propriis Dominis restituenda erunt, quo iis, durantibus Induciis, utantur.

„ 63. Sum-

63. Summè dictus Rex Semetipſum præſenti Tractatu obſtringet atque devinciet, Sacram Cæſaream Majeſtatem, ſimiliter etiam univerſum Romanum Imperium, Neutralitatem, quam vocant, cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus, quam hactenus inter Seſe conſervarunt, continuaturum; ac viciſſim à Præpotent. Ordinibus Gener. Neutralitas offeretur.

64. Interim tamen Neutralitatem cum Sacra Cæſarea Majeſtate & Sacro Romano Imperio confirmari atque ſtabiliri oportebit, quocirca etiam omnes *offenſiones*, durante in Germaniâ bello, acceptæ, removebuntur atque oblivioni tradentur.

65. In eo loco, in quo Tractatio inſtituetur, ubicunque id fieri & debebit & poterit, ab hac Parte maxima quæcunque ſtudia atque officia ad modum interceſſionis ac moderationis præſtabuntur, quò Princeps Elector Palatinus Electoralem dignitatem ac Regionum Subditorumque ſuorum poſſeſſionem conſequatur.

66. Eundem quoque ad modum res *Simmera* Ducis in memoriam revocabuntur, ac, quantum fieri poterit, promovebuntur.

67. Negotium Albim Fluvium concernens, nomine locoque Civitatis Hamburgenſium Monaſterii propoſitum, ubicunque fieri poterit, etiam atque etiam commendabitur.

68. Eum quoque ad modum Negotium Civitatis Bremenſium, quamprimum Monaſterii à Civitate ipſa propoſitum fuerit, promovebitur.

69. Omnis quoque opera à Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiariis Monaſterii impendetur, quò Regis Portugalliæ Legatis acceſſus, ubi oportet, ad Tractationes propter res cauſaſque ſuas inſtituendas, concedatur: quod autem ad eorum iter attinet, id ſupradicti D. D. Plenipotentiarii Portugalliæ Salvorum-Conductuum, Plenipotentiariis Galliarum Regis conceſſorum, beneficio, juxta propoſitionem ab Eodem Rege literis ſuis viceſimo & primo die Julii, Anno 1643. Præpotentibus D. D. Ordinibus exhibitam, ſuſcipere tenebuntur.

70. Quod ſi aut Hoſtes, aut alius quiſpiam, quicunque tandem fuerit, armorum *ſuſpenſionem* proponeret, ſeu Iudicio arbitrioque Ipſorum permitteret, Præpotentium D. D. Ordinum Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii Negotium id nequaquam occipient, verùm illud, quantum fieri poterit, evitabunt, omnique proviſionali armorum ceſſationi, utpote variis de cauſis Reip. in genere, & Provinciarum Statui in ſpecie maximopere calamitoſæ ac noxiæ, mediis quibuſcunque optimis, obviam ibunt atque adverſabuntur: idem quoque Extraordinariis D. D. Legatis ac Plenipotent. Galliæ ac Sueciæ rationibus eo ſpectantibus perſuadebunt, neque ſupradictis Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis propoſitionem, ſuper proviſionali armorum ſuſpenſione inſtitutam, ullo modo animo ſuo pervolvere, quò eam Præpotent. D. D. Ordinibus per literas indicarent, ac ſuper eâ mandata peterent, neutiquam licebit.

71. Bona publicata atque eorundem reditus fructuſque, ante confirmationem præſentis Tractatus parati, non neceſſario reſtituentur.

72. Actiones ſeu prætenſiones in bona mobilia, à ſummè memorato Rege vel Præpotentibus D. D. Ordinibus in privatorum Creditorum commodum, ante primum diem Januarii 1643. renunciatæ, ab utraque Parte prorſus omittentur.

73. Nulla autem ratio habebitur ejus temporis, quod, durante bello, facto initio ab Anno Milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo & ſeptimo, ad præteritarum Induciarum initium, ut & ejus temporis, quod poſt Induciarum exſpirationem ad præſentis Tractatus confirmationem effluxit, quò alicui detrimento aut præjudicio eſſe poſſit.

74. Quicunque, durante bello, in Neutrarum Partium Regiones commigrarunt, Fœderis hujus effectu gaudebunt, atque ubicunque libuerit habitare, quin etiam in domicilium priſtinum reverti, quò ibidem ſecurè degere poſſint, ſi loci iſtius Leges obſervent, licebit; adeò ut habitationis ergò (quocunque tandem loco eam habuerint) bona eorum publicari, aut ipſi eorundem uſu privari omnino nequeant.

75. *Nulla nova Fortalitia*, durantibus Induciis, in Belgio ab alterutrâ Parte exſtruentur, neque foſſæ novæ effodientur, per quas ſub finem componendarum Induciarum alterutri Parti obſiſti aut quocumque modo noceri poſſet.

76. *Domus Naſſavica* Domini nullo modo inſectandi, nullaque moleſtia Ipſi, eorumvè bona, ante Induciarum exſpirationem, afficientur propter debita à Celſiſſimo Arauſionenſium Principe ab Anno Milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo & ſeptimo, uſque ad obitum ſuum contracta, neque propter oncra, quæ, durante publicatione & annotatione illorum bonorum, ex iiſdem exſolvenda erunt.

77. Quod ſi violatio quædam harum Induciarum à privatis quibuſdam, abſque mandato ſummè memorati Regis Ordinumvè, commiſſa foret, detrimentum illud ibidem loci, ubi violatio illa admiſſa fuit, ſi fortaſſis in loco illo, aut in quo Domicilium ſuum habent, apprehendantur, reſarcietur, non tamen alibi aut ipſi, aut bona eorum, quocunque tandem modo id fiat, inſectabuntur; neque eam ob cauſam ad arma devenire aut Inducias haſce diſſolvere licebit; at verò ſi publica Iuſtitia denegetur, per *Repreſſalia, Literaſque Marcas*, ut vocant, proſpicere ſibi permiſſum erit.

78. Exhæredationes ac diſpoſitiones quæcunque, belli odio inſtitutæ, nullius valoris, ac veluti non inſtitutæ habebuntur.

79. Præcedens autem Articulus ſeptimo die Ianuarii, Anno 1610. explicatus fuit, quod ſub exhæredationibus belli odio factis exhæredationes propter ea inſtitutæ, ex quibus bellum ortum ſuum duxit, aut quæ inde dependent, contineri exiſtimabuntur.

80. Incolæ Subditique ſummè dicti Regis & Præpotentium D. D. Ordinum, cujuſcunq; tandem conditionis ac Status fuerint, habiles cenſebuntur qui ſibi mutuo ſuccedere poſſint, idque ſive vi teſtamenti, ſive abſque teſtamento, pro locorum ſtatutis; & ſi quæ ſucceſſiones eorum cuipiam ante obtigiſſent, illæ iiſdem integræ conſervabuntur.

81. Omnes bello capti utrinque, nullo redemptionis pretio exſoluto, relaxabuntur ac dimittentur.

82. Ad

82. Ad ea quod attinet, quæ ex tributis, quæ ipso die confirmationis Induciarum respectu utriusque Partis Subditorum atque Incolarum solvenda restabunt, de eo modus aliquis commodissimus pro re nata excogitabitur ac confirmabitur, secundùm quem, quod reliquum fuerit, conficietur atque exsolvetur.

83. Nullius quoque commodo aut incommodo directè sive indirectè cedent, *quæcumque durante Tractatione oretenus vel etiam scriptis ab alterutrâ Parte proposita aut allegata fuerint*, sed tam summè memoratus Rex, & Præpotent. D.D. Ordines Generales Universi ac Singuli, quàm Omnes Principes, Duces, Barones, Nobiles, Cives cæterique supradictorum Regnorum ac Regionum Incolæ, cujuscunque tandem qualitatis, Status aut Conditionis fuerint, secundùm Tractatum Induciarum Ius suum retinebunt, nec quidquam in eo derogabitur.

84. Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii Monasterii circumquaque ad *dignitatem titulosque honorarios*, Statui huic competentes, sedulò animadvertent, nec cuiquam in ea re cedent.

85. Quò autem præsens Tractatus fidelius observaretur, summè dictus Rex Ordinesque Generales promittunt fidemque dant, Sese auxilium operamque omnem collaturos, ut viæ omnes ac maria ab invasionibus perturbatorum, piratarum, prædas agentium aut quorumcunque tandem latronum, libera ac secura reddantur; quod si autem eos assequi atque apprehendere quis possit, ut cum rigore corrigantur graviterque puniantur, curaturos.

86. Insuper etiam promittunt spondentque, nihil se adversus ineundum Tractatum commissuros, neque, ut directè aut indirectè quidquam committatur, permissuros: quod si verò quidquam commissum foret, absque ullâ morâ reparaturos ac resarcituros esse. Eorum autem, quæ supradicta sunt, observationi Regia Majestas Se Suosque Successores adstringit, utque tanto firmius sese obliget, Legibus, Constitutis cæterisque omnibus ei adversantibus renunciat.

87. Tractatus à summè dicto Rege & Præpotent. D. D. Ordinibus General. confirmabitur, literæque Ratihabitionis debitis formulis conscriptæ intra sex septimanarum spatium, aut quantò maturius utrinq; conveniri poterit, tradentur, eâ lege tamen ac conditione, ut post conclusionem ac subsignationem supradicti Tractatus hostilitatis actus utrinque nullo modo cessent, antequam Regis Castiliensis Ratihabitio, debitis formulis conscripta, exhibita & cum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Ratihabitione commutata fuerit.

88. Adeò ut interea Negotium utrinque in eodem statu, in quo ante conclusionem ineundi Tractatus esse comperietur, mansurum sit, idque donec supra dicta Ratihabitio ac Confirmatio utrinque tradita ac commutata fuerit.

89. Tractatus circumquaque locis solitis statim post Ratihabitiones utrinque commutatas traditasque divulgabitur, *omnibus hostilitatis actibus exinde cessantibus*.

90. Dominis Plenipotentiariis ante initium Tractationis, eâdem durante, neque post conclusum Tractatum *dona aut munera ulla, directè vel indirectè, quocumque tandem modo, cogitatò & non cogitatò accipere licebit*, eâ lege, ut contrà facientes fidei malè servatæ arcessendi, quinetiam pro rei conditione supplicio afficiendi veniant.

 91. Do-

91. Domini Plenipotentiarii *sanctè adjurabunt*, Sese Instructionem suam sincerè ac fideliter observaturos, omniaque collaturos esse, quæ ei *promovendæ* conducent atque inservient; contrà verò, quæcunque in *dilationem* ejus proferentur, evitaturos esse.

92. Extraordinarii D. D. Legati ac Plenipotentiarii, pro viribus suis ac Status hujus conditione, intercessione aliisque officiis, libertatem, quam *Reformatæ Ecclesiæ* in Germaniâ Anno Millesimo, sexcentesimo, decimo & octavo habuerunt, promovebunt, adeò ut Extraordinariis D. D. Legatis ac Plenipotentiariis Monasterii tam in Ecclesiasticis quam in Politicis Negotiis Intercessiones ac Promotiones oretenus & scriptis, *non verò ulterius aliterve*, curare liceat; quum Præpotentes D. D. Ordines rebus Germanicis *directè* sese immiscere nec possint nec debeant.

93. Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii commodissimo tempore locoque media quæcunque optima adhibebunt, quò D. Baro *Slavata* bona sua *Smiritzki* in Bohemiâ, quæ legitimo ac debito modo ad D. Matrem suam rediêre, certò consequatur.

94. Supradicti Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii præmemoratâ Tractatione Monasterii instabunt, quò Fœderati Belgii Provinciarum Incolis, ut & Regis Subditis, etiamnum certò præstetur effectus . . . . . Articuli Induciarum, quæ proximè exspiravêre, & decimi Articuli Tractatus, septimo die Ianuarii, Anno 1610. initi, in quantum Articuli illi, durantibus Induciis, ab alterutrâ Parte observati non fuere.

95. Præmemorati Extraordin. Legati ac Plenipotentiarii, Tractatu inter Præpotentes D. D. Ordines Gener. Regemque Castiliensem prosperè succedente, ut *Leuthensis* Domus, cujus *Flodrovensis* Comes Dominus est, Ipsi restituatur, curabunt atque efficient.

96. Nulla *Instructio privata*, nisi Præpotentibus Provinciarum Ordinib. id prius cognitum fuerit, supradictis Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis tradetur aut per literas post discessum mittetur; quod si verò ejusmodi quid ab Ordinibus alicujus Provinciæ, præter opinionem, occiperetur, Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii mandata illa neutiquam accipient, iis verò posthabitis, absque ullâ morâ Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus per literas illud indicabunt.

97. Extraordinarii quoque iidem Legati ac Plenipotentiarii cum Regis Castiliensis Legatis ac Plenipotentiariis, *nomine locoque Præpotent. D. D. Ordinum Generalium atque immediatè* absque ullo *Mediatore* agent: difficultatibus verò ac dissensionibus quibusdam obortis, supradicti Præpot. D. D. Ordinum Gener. Legati ac Plenipotentiarii ad modum colloquii Gallorum aut Venetorum Ministris obortam dissensionem referent, quò eorundem super hac difficultate sententias cognoscant atque percipiant, eamque dissensionem deinde Præpotent. D. D. Ordinibus, additis eorundem sententiis, per literas indicent, ac Præpotent. D. D. Ordinum de ea re decretum exspectent, quum Præpotent. D. D. Ordines, ut Articuli hac Instructione contenti, Se inconsultis, ullo modo immutentur seu explicentur, neutiquam concedant.

98. An-

98. Antequam verò cum Regis Caſtilienſis Legatis ac Plenipotent. ulla Tractatio occipiatur, *Procurationes literæque Auctoritatis* cum iiſdem commutabuntur, quarum Procurationum literarumque Auctoritatis ſummè dicti Regis Caſtilienſis, ab ipſius Legatis ac Plenipotent. proferendarum, exemplaria, quamprimum fieri poterit, Præpotent. D.D.Ordinibus mittentur; ſimul etiam num Caſtilianæ Procurationes literæque Auctoritatis debitis formulis conſcriptæ ſint, diligenter perpendetur.

99. Conventus ac Congregatio cum Legatis ac Plenipotent. in loco aliquo publico *ſine Internuntio* habebitur: partium autem ſingulæ mediam menſam occupabunt, Caſtilianis manus præceſſuſque optione relictâ.

100. Extraordinarii D. D. Legati ac Plenipotent. ſæpius memorati, proximo die Martis, qui erit . . . . abſque ullâ dilatione Hagâ-Comitis, via commodiſſima ac breviſſima, nihil quicquam in itinere morantes, Monaſterium diſceſſuri ſunt. Quocircà etiam ſuprà memorati Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii, qui ſupradicto die itineri accincti erunt, reliquos ſuos Collegas exſpectare non neceſſe habebunt.

101. Extraordinarii autem Legati ac Plenipotent. Monaſterium iter ſuſcipientes, ibidem quoque commorantes, quinetiam inde redeuntes Salvo-Conductui à Rom. Cæſarea Majeſtate dato Viennæ Auſtriæ octavo die Ianuarii 1642. ut & à Rege Caſtilienſi Saragoſſæ decimo & nono die Novembris 1642. conceſſo, pleniſſimam fidem habebunt.

102. Quod ſi verò Extraordinariis D. D. Legatis ac Plenipotent. præter omnem exſpectationem, hiſce contrarium quid eveniat, id omne Præpot. D. D. Ordines, juxta *Acta* Immunitatis, ut vocant, omnibus ac ſingulis eorum data conceſſaque, in Se recipient.

103. Sæpius dicti Extraordinarii D. D. Legati ac Plenipotent. ubi Monaſterium appulerint, atque à Regis alicujus Principiſvè Miniſtris, vel Eorum nomine, ſalutati fuerint, iis eodem modo gratias agent, agive curabunt.

104. Poſtquam autem ſupradicti Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii diem atque alterum Monaſterii commorati fuerint, ſummâ dexteritate ac commodiſſimâ occaſione ſummè memorati Regis Caſtilienſis Miniſtris *adventum ſuum indicari jubebunt*, niſi Negotium antè aliter ſeſe habeat; Tractationis *Explanationem atque explicationem* verò Extraordinarii Præpotentium D. D. Ordinum Legati ac Plenipotentiarii à Caſtilienſibus Miniſtris exſpectabunt, quemadmodum Anno 1608. & 1612. factum fuit, ut ex literis Auctoritatis, ſupradictis Annis à Parte illa traditis, ſatis ſuperque liquet.

105. Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis Præpotentium D. D. Ordin. inter tractandum, non minus in loquendo quam ſcribendo, *Gallicâ Linguâ* uti integrum erit: quod ſi autem Hiſpani *Caſtilienſi Lingua* tantùm uti vellent, præmemorati Præpotent. D. D. Ordinum Legati ac Plenipotentiarii *Belgica Lingua* ſe adſtringent: at verò quò diſcrimen illud tollatur, à Præpotentium D. D. Ordinum Extraordinariis Legatis ac Plenipotent. *Lingua Latina*, utpote *communis*, utrinque tam in loquendo quam ſcribendo uſus proponetur, accepta autem à Caſtilienſibus propoſitione hac, *Latina Lingua*, modo ſupradicto, uſurpabitur.

Celsissimi ac Præpotentes Domini,

QUum jam à longo tempore in Conventu Monasterii instituto, de communi Pace obtinenda agi cœptum fuerit, cumque in finem Ministri, quos summe dictus Rex, Dominus Noster, eò delegavit, Monasterium jam advenerint: postquam Ipsius Nomine, eâdem etiam de causâ, in Coloniensium Civitate tantum annorum spatium, quemadmodum non ignoratis, commorati fuerint, obstaculis, quæ quotidie in eo Conventu oboriuntur, perpensis, quibus non modo impeditur, ne ad conclusionem supradictæ Pacis deveniatur, verum etiam ne res ipsa tractetur, quod profecto universo Orbi Christiano, imprimis verò Belgii Provinciis, in quibus sanguinis effusionem factam (ac etiamnum quotidie fieri) coram ante oculos cernere datur, maximo incommodo cedit. Quocircà, quum probè nôrim, quantopere summè dictus Rex, Dominus Noster, tantum bonum desiderârit atque exoptârit, ac etiamnum desideret exoptetque, Hostibus licet contrarium asserentibus, ne sinceræ Ejusdem intentionis veritas Vos, Præpotent. Domini, lateret, quàm facili negotio tantorum malorum finis effici posset, demonstrare meum esse existimavi: Quod si nempe Domini aliquot Hagam delegarentur, qui Vobiscum de mediis, quibus tantæ moræ ac dilationes penitus tolli, vel sincera ac firma Pax Induciæve obtineri possent, agerent, ex quibus, omni dubio procul, universi Orbis Christiani Pax promanabit. Quod si hæc approbare ac Salvos-Conduct. mittere Vobis placuerit, quamprimum ad Vos delegabo, hisce Provinciis oriundos, qui gratissimi Vobis futuri sunt, plenissimâ Auctoritate ac potestate Vobiscum agendi & concludendi instructos atque munitos, *cum continuatione præcedentium collationum*, ejusmodi conditionibus, quas non nisi æquas justasq; judicare poteritis, minimè dubitans, quin media hæc, utpote voluntati ac propenso Vestro animo, quo universi Belgii Pacem ac tranquillitatem prosequuti estis, consentanea, accepturi sitis, quæ quidem omnis belli verus atque unicus finis existit. Quod reliquum est, literis finem impositurus Vestri Me semper officiosissimum præbebo. Dabantur Bruxellis, secundo die Decembris, Anno 1645. Subsignatum, *Marchio de Castel Rodrigo.*

Harum autem Literarum Inscriptio hæc erat:

Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus.

Eædem Literæ in Originali, ut vocant, à Graphiario, earumque exemplar Domino Brassetio tradebantur, cum promissione, Ipsi quoq; responsionis exemplar quamprimum traditum iri, quò demonstraretur, Præpotentes D. D. Ordines Generales sinceram ac firmam amicitiam atque familiaritatem cum Gallis colere: Idem quoque per literas juxta utriusque exemplar Domino Oostervicio, Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Legato, Parisiis commoranti, indicatum fuit.

Respon-

Responsionis Exemplum tale est.

CELSISSIME DOMINE,

Visâ perlectâque Propositione Literis Tuis, à latore hoc traditis, contentâ, quam Regis Hispaniarum Nomine Nobis proposuisti, de Incolis atque ex Belgii Provinciis oriundis, qui æquis justisque conditionibus de sincerâ firmâque Pace Induciisve Nobiscum agerent, mittendis, Voluntatem ac benevolentiam Tuam, quod ad primarium rei attinet, laudibus semper prosequemur, atque in eo facilè conveniemus, quo universi Belgii Provinciæ Paci tam exoptatæ, simulac fœlicitati pristinæ restitui possint. Quoniam vero Monasterium Westphalorum, communi consensu, ab omnibus, quorum interest, ut de communi Pace ibidem ageretur, constitutum decretumque fuit, æquum justumque est, ut Ministri Regis, Domini Vestri, hunc in finem, sufficiente Auctoritate ulterius ac plenius sese explicandi Legatis Nostris muniti, eo conveniant, qui itineri ad dictum Tractationis locum plenissimâ Auctoritate accipiendi ac concludendi Tractationem Pacis communis instructi accinguntur: Eos sinceram Nostram, hac in Parte, intentionem atque voluntatem, ac præsertim omnia impedimenta, remoras aliaque obstacula, quæ tam exoptatum tamque faustum Negotium differre aliquo modo possent, edoctos atque instructos esse, asserentes: Celsitud. Vestræ addictissimi Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentes D. D. Ordines Generales: Quorum jussu & Auctoritate præsentes dabantur Hagæ-Com. nono die Decembris, Anno 1645.

Decimo & quarto die Decembris, Dominus Meynersvicius, D. Nederhorstius & D. Donia; at decimo & sexto Dominus Mathenesius, D. ab Heemstede & D. Clantius, quippe D. Ripperda, juramento præstito, jam discesserat, Præpotentibus D. D. Ordin. Gener. in Concilio valedixerunt.

Decimo & nono dies supplicationis in decimum & septimum diem Januarii, proximè venturi, decreta fuit.

Vicesimo & nono die Decembris D. Knuytius, præstito juramento, discessit.

Daventriæ vero se invicem ad quintum diem Januarii, 1646. exspectarunt, unde ad Monasteriensem Tractationem simul postmodum discesserunt: commodius tamen existimantes aliquamdiu in itinere commorari, quo aliis tempus de exceptione sui cogitandi darent. Eapropter etiam Secretarium suum Steynfurtio Monasterium octavo die cum literis ad Regiæ Majestatis Galliæ Legatos miserunt; qui postero quoque die ad Ipsos cum literis à dictis Galliæ Legatis Steynfurtium reversus fuit. Quibus perlectis perpensisque, undecimo die Januarii novo, sive primo die veteri stylo, Monasteriense iter suscipere constituerunt, atque eodem quoque die Monasterium sub vesperam pervenerunt. Quum verò mediam adhuc horam ab urbe abessent, carrucas quinque sibi obvias habuerunt, tres sc. Galliæ Legatorum, binas vero Portugalliæ, à quibus Nobiles aliquot & loco atque ordine viri insignes descendentes, summè dictorum Legatorum Nomine adventum Ipsorum gratulati fuerunt; cum ad modum quoque Monasteriensis Gubernator ipsis gratulando excepit; quibus singulis postquam gratias

egissent, duabus suis carrucis prioribus ad urbem provecti fuere; Galliæ carrucis tribus, Portugalliæ Legatorum binis sequentibus. Ad interiores Civitatis portas tres peditum manipulos, intra mœnia verò Cives omnes in armis offenderunt, qui simul cum omnibus Incolis tam Clericis quam Laïcis adventum ipsis summo animi gaudio gratulabantur. Carrucis deinde quinque ad hospitium suum deducti, iterum ab iisdem Nobilibus in Atrio gratulatione ac salute plurimâ dictâ excepti fuerunt. Qui, postquam Præpotentium D. D. Ordin. Legati iisdem gratias egissent, discesserunt.

Quamprimum eò advenissent, Venetorum, Brandenburgi Hassiæque Legati ad Ipsos gratulandi causâ miserunt. Venetorum autem Legatus ut excusaretur rogavit, quod carrucæ suæ exceptioni non interfuissent; quippe Intercessoribus certò constitutum erat, ut nulli receptioni interessent. Postridiè ejus diei ad Galliæ & Portugalliæ Legatos miserunt, similiter quoque ad Venetorum, Brandenburgi Hassiæque Legatos, quibus omnibus pro honore in exceptione præstito gratias summas egerunt, deindeque adventus sui Legatos omnes certiores fecerunt.

Cæsareus Legatus Comes Nassavius, Præpot. D. D. Ordin. Legatos coram iis, qui Ipsorum Nomine missi fuerant, *Excellentiæ* Titulo condecoravit. Is verò, quem ad Eos Ipsemet miserat, simile haud fecit. Cui terminis ac formulis similibus, respectu Mittentis, responderunt. Hispaniarum verò Legati, ad quos etiam miserant, ipsos prævenerunt, ac quatuor Secretarios miserunt, quorum primus Belgica, secundus Gallica, reliqui verò bini Latina linguâ colloquentes, *Excellentiæ* similiter Titulo Eosdem compellarunt. Quod etiam Legati ipsi, coram iis qui à Præpotentium D. D. Ordinum Legatis missi erant, fecerunt. Sabaudiæ Principúmque Electorum Legati, simili plane Titulo atque honore Ipsos excipientes gratulati fuerunt. Ad Papæ verò Rom. Nuncium quum primâ vice misissent, domo abfuit, secundâ autem se excusari jussit, propterea quod vestimenta sua jam exuta habebat.

Decimo & tertio die, tempore antemeridiano Majestatis Suæ Galliæ Legati Eos visitatum magnâ cum Pompa venerunt, & quam familiariter humaniterque cum Ipsis egerunt. Quemadmodum etiam ab altero Portugalliæ Legato, altero morbo laborante, factum fuit.

Decimo & quarto die, antemeridiano tempore, Regis Hispaniarum, uti etiam Portugalliæ & Venetorum Legati ad Eos miserunt, rogantes ut sibi visitandi daretur Copia, quemadmodum quoque Legati Regis Hispaniar. quatuor tempore pomeridiano, ad modum Regis Galliæ Legatorum, satellitibus & Sclopetariis stipati, Ipsos visitatum accesserunt, omnesque pariter Titulo *Excellentiæ* condecorarunt.

Sed verò, quia Sigillum Publicum fuerant obliti, per literas illud petierunt. Præpotentes autem Ordines gratius sibi fuisse indicarunt, quod si Papæ Romani Nuncius à Suis visitatus non fuisset. Sed quandoquidem id jam factum esset, ut eodem abstinerent, neque visitationes ejus admitterent, rogarunt. Interim tamen sigillum publicum, ad modum minoris sigilli, quo Præpotentium D. D. Ordinum Deputati, quamdiu in castris commorarentur, Literas Suas, Acta, &c. con-

consignare solebant, à Præpotentibus D. D. Ordinibus per nuncium missum fuit.

Quidnam Marchio de Castel-Rodrigo de Tractat. privatim instituendâ, Mense Decembri, proximè elapsi, per literas scripserit, superioribus commemoravi. In quem etiam finem Dominus quidam *vander Lugt*, vicesimo & secundo die Januarii Hagam-Com. pervenit, ibidemque à Cellissimo Arausionens. Principe, simul etiam à Domino *à Gent*, in Concilio Ordinum Præsidente, supra dicti Marchionis Nomine ejusmodi Deputatis, quos ad Tractationem Hagiensem mitteret, Salvos-Conductus petiit. Cui à Domino Præsidente responsum fuit, nullam Hagæ-Com. Tractationem institui posse, sed, quæcunque agenda & tractanda forent, ea omnia Monasterii confici oportere: hæc insuper addendo, *Præpotentibus Ordinibus gratissimum fore, si cum hac responsione quamprimum hinc discederet.*

Quæ quidem Regiæ Majestatis Galliæ Legato Hagæ-Com. commoranti, quinetiam Majestati Ipsi per Præpotent. D. D. Ordinum General. Legatum in Galliâ commorantem, nec non Dominis Plenipotentiariis ad Monasteriensem Tractationem missis per literas relata fuere; quo innotesceret, Præpotentes D. D. Ordines neque seorsim à Monasteriensi Tractatione neque Hagæ-Com. cum Hostibus, præterquam Monasterii, quidquam agere velle; ubi Extraordinarii Præpotentium D. D. Ordinum Legati & Plenipotent (adventu, exceptione ac congratulatione summo cum honore & dignitate confectis) ipsimet Extraordinarios Regis Galliarum Legatos ac Plenipotentiarios, revisentes, ab iisdem honorificè excepti posteaque prosecuti fuerunt; quippe Longuevillæ Dux ad carrucas usque prodiit, ipsosque in cubiculum, in quo cum Legatis colloqui solebat, primos introire jussit, in quo etiam Comites Avaucius & Servientius, qui in aliis divertebantur ædibus, ac paulò ante advenerant, offenderunt; summè memoratus Dux priorem quoque locum ipsos capere jussit, unumquemque ipsorum manu ad locum deducendo; Ipse autem cæterique Comites posteriorem ceperunt. Ac postquam pro summo honore sibi in primâ exceptione ac visitatione solenni præstito ingentes gratias egissent, & solitas ceremonias exhibuissent, Celsitudo sua declaravit Gallos ad id operam dare, quo ad Præpotentium D. D. Ordinum Gener. dignitatem atque Auctoritatem majorem indies cumulum adderent, Ipsosque pari modo exciperent; aut si quid Ipsis minus obtingeret, illud resarciri curarent; neq; ullo modo permitterent, ut de honore, dignitate atque Auctoritate Præpotentium D. D. Ordinum Gener. quidquam decederet. Quibus peractis, tandem familiariores sermones occeperunt, eò quidem tendentes, quò mutua Amicitia, Fides ac Societas conservaretur & stabiliretur. Intereà autem dum inter se colloquuntur, servuli Ipsorum omnes vino excepti, Ipsique postmodum per summè memoratum Ducem ad carrucas usq; deducti fuere, manendo tamen donec carrucæ Hospitio propiùs admotæ essent, quem ad modum, à Celsitudine sua ante excepti fuerant. Dominus Contarinus Venetorum Legatus, qui visitationem suam antea obtulerat, quamq; differre Ipsi coacti fuerant, tempore pomeridiano solenniter visitatum accessit, adventumq; Ipsis gratulatus fuit; simul etiam quo modo Serenissima Venetorum Respub. ad intercessionem invitata fuisset, ac

Xx 2 quam

quam promptum paratumque semetipsum ad utriusque Partis reconciliationem obtulisset, retulit: Idque eò magis, quod sine Præpotentibus Ordinibus Pax Universalis non tantum non conflari posset, *verum etiam quod Præpotentibus Ordinibus cum Parte sibi adversa reconciliatis, Tractatio Universalis, omni dubio procul, felicius procederet.* Quibus insuper, quantum incommodum Venetorum Reipub. Turcarum irruptione atque invasione illatum foret, ac quantum universi Orbis Christiani interesset, ut quamprimum occurreretur, addidit.

Ad hæc Præpotentium D. D. Ordinum Legati studium ac benevolentiam ejus collaudarunt, insuper etiam pro officiis oblatis (intercessionis Negotio relicto) gratias maximas egerunt: ac tandem Legatum similibus ceremoniis, quibus reliquorum Regum Principumque Legatos, exceperunt, Eumque ad carrucas deduxerunt. Alter Portugalliæ Legatus, D. *Petrus de Castro,* similibus ceremoniis Eosdem paulò ante visitavit, Ipseque, ut supra commemoravi, ab iisdem exceptus fuit. Interea etiam Cæsareus quidam Minister, Monasterii Residens, iis gratulationem suam ac visitationem obtulit; Sed vero, propterea quod Cæsarei Legati Osnabrugas discesserant, commodius fore existimarunt, qualisnam sibi ab iis visitatio ac congratulatio offerretur, exspectare, jamque à Residente oblatam paulisper differre. Eum ad modum quoque à Regis Hispaniarum Residente Cuyermanno visitati fuerunt, qui se Auctoritate à Comite Penerandæ munitum, seque complures Annos ibidem loci commoratum fuisse, insuper etiam Regis Hispaniarum Legatis adjungendi sese mandatum accepisse, dicebat.

Decimo & sexto die, tempore antemeridiano, quum Regis Hispaniarum Legatos visitarent, à carrucis ad Hospitium ab iisdem deducti, pariterque per diversa cubicula ad locum colloquio destinatum perducti, primum locum capere jussi fuere. Ac postquam gratias Ipsis egissent, suumque insuper officium obtulissent, & quem in finem eò missi forent exposuissent, Comes Penerandæ longum quendam Sermonem Latinum habuit eò spectantem, quod præsens ille Conventus necessariis de causis rebusque utilibus esset institutus, atque, ubi Pars utraque omni studio cum summâ animi voluntate ac desiderio rei tanti ponderis incumberet, eventum haud infelicem exspectandum esse: ac quamvis non nihil antehac inter utramque Partem superbiæ fuisset obortum, adeo ut Neutra quidquam cedere voluisset, illud omne ex memoriâ delendum, atque ad præsentia animum advertendum esse; seque insuper paratos jussosque ad Societatem, Amicitiam & Fœdus perpetuum (hæc namque ipsius verba) cum Præpotentibus D. D. Ordinibus ineundum ac confirmandum dicere, commercia ubique loci restaurandum, ac tranquillitatem sempiternam omni studio, labore ac diligentiâ promovendum, seque insuper Supremum Cœleste Numen testari atque obtestari, omnia à se animo sincero acta & transacta iri; Ipsum Numen, corda perscrutans (talia proferebat) discreturum ac dijudicaturum Eos, qui contrarium commisissent. Quibus Illi Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Belgarumque Fœderatorum fidem & sinceritatem jam à multis Annis cognitam atque ab omnibus perspectam fuisse, seque in re tantâ eandem quoque præstituros ac conservaturos esse. Ea propter etiam Præpotent. D. D. Ordines General. diem supplicationis decrevisse, quem Ipsimet die proximo celebrarent, quo satis superque

perque liquebat, Præpotentes D.D. Ordines hanc Pacis Tractationem in Nomine Divini Numinis occipere, atque omnia sincero fidoque animo transigere velle. Postremò autem de Commerciis ac Navigationibus quondam inter Hispanos Belgasque institutis, jam autem bello succisis ac dissolutis, multa inter se disseruerunt, multa quoque de Monasterii suorumque Hospitiorum situ & conditione, deque Societate atque Affinitate, quæ inter Germanos Belgasque hactenus intercesserat, egerunt; quapropter etiam se Eos omnes, qui à Germaniæ Principibus ad Tractationem hanc missi forent, humanissimè excipere, Eorumque visitationes admittere coactos esse dicebant; seque deinde ad communicationem oblatam promptos & paratos præbebant. Postquam autem per horulam colloquuti Eorumque Nobiles & servi variis in locis ab Hispanorum Nobilibus servisque cibo vario ac potu molliter lautèque excepti fuissent, tandem discedentes eodem planè modo ab Hispanorum Legatis ex Hospitio ad carrucas suas educti fuerunt, circà quas Hispanorum satellites & sclopetarii ad portam usque longo ordine collocati fuerunt, quique, ut in exceptione, ita deinceps in eductione, armorum dimissione hastarumque quassatione honorem & reverentiam suam exhibuerunt. Eodem etiam die, tempore pomeridiano, Portugalliæ Legatos *Andradam* & *Petrum de Castro* primum visitarunt, qui de exceptione nonnihil inter se disceptantes, tandem in ædibus D. *de Castro* Eosdem simul excipere decreverunt: deinde vero Legatum Venetorum, à quibus omnibus & singulis pari modo solenniter excepti atque educti fuerunt, Tituloque *Excellentiæ*, ad modum Hispanorum & Gallorum, condecorati discesserunt. At vero Regis Portugalliæ Legati super injuria Principi Eduardo, Regis sui Fratri-Germano in capiendo, atque in ipsa quoque captione illata, majorem in modum questi fuerunt. Sed Venetorum Legatus, ne Rerum in Indiâ Occidentali gestarum commemoratio quidquam dissensionis aut commutationis inter Portugallos & Præpotentes D. D. Ordines Gener. inferret, admonuit; simul etiam intercessionem suam superaddidit, idque eâ occasione, quod Monasterienses majorem in modum rogârant, ut apud omnes ac singulos Legatos instare vellet, ne Jejunio Verno, proximè venturo, quidquam insolentiæ aut spectaculi institueretur, quod idem ipsos rogavit, atque in genere declaravit, *se nequidquam in utraque Parte conciliandâ ac componenda hactenus profecisse, inter quam ipsemet intercesserat*, & cum utraque egerat.

Decimo & octavo die, Cameracensis Archi-Episcopus privatim ac solus Eosdem, solenniter tamen, visitavit: seque ad Patris *Ioh. Nay* dignitatem promotum, neque minora, quam ille præstitisset, officia offerre, Eaque se effecta redditurum esse declaravit: Idque eò magis, quod Hispaniarum Regis ad Pacem Provinciarumque tranquillitatem animum sincerum ac voluntatem ex ore Ipsius percepisse dicebat.

Vicesimo & quarto die, Literas suas Auctoritatis cum Hispanorum Legatis commutarunt: quas & quales Fœderati Belgii Præpotentes D.D. Ordines Generales Plenipotentiariis suis concesserunt, supra retuli. Quibus vero Rex Hispaniarum Plenipotentiarios suos munierat, sequentibus commemorabo.

Exemplum Auctoritatis ab Hispaniarum Rege Legatis & Plenipotentiariis suis concessæ.

DOm. *Philippus, Dei Gratiâ Hispaniarum Rex; &c. Quoniam Paci ac tranquillitati optimos Subditos* in Provinciis Nostris Belgicis fidelibus *reddere, eosdemque tam diuturno cruentoq; bello eximere etiam atque etiam expetimus,* simul quò Pacis Universalis in Europa Tractatio *ac totius Orbis Christiani salus atque incolumitas* magis magisque promoveri posset, *Idcircò, plenissimam Auctoritatem & potestatem dedimus D. Francisco de Melo, Marchioni de Tor & de Caguna, qui* cum Fœderati Belgii D. D. Ordinibus Gener. *de Tractatu quodam Induciarum sive Pacis ageret, transigeret & confirmaret; Iam verò Nostrum esse duximus, potestatem atq; Auctoritatem, quam D. Francisco de Melo concesseramus, alteri* (pro ut necessitas postulabit) *tradere. Quapropter pro Summâ fiduciâ, quam de providâ animi circumspectione, & fidelitate in Te, D. Gaspare de Bracamont, Comes in Pennoranda, Cameræ Nostræ Nobilis, & Consiliorum Iustitiaque Consiliarie, Extraordinarie apud Serenissimum Imperatorem Ferdinandum, Fratrem ac Nepotem meum charissimum Legate,* Pacis Universalis Plenipotentiarie, *sitam habemus, utpote neutiquam dubitantes, quin omnia, quæ Tibi à Nobis præcipientur, in maximam* Provinciarum Nostrarum fidelium *salutem atque incolumitatem Nostrumque commodum sis effecturus, Per præsentes plenissimam Auctoritatem & potestatem, formulis, quam fieri potuit, amplissimis, damus & concedimus, ut pro Nobis Nostroque loco & Nomine, Regiam Nostram Personam repræsentando, audias, transigas & concludas cum supradictis Fœderatar. Belgii Provinciarum D.D. Ordin. Tractatum aliquem Induciarum Pacisve: quod si verò à memorato Marchione de Tor & de Caguna sive ab aliquo alio dictus Tractatus inceptus, sive ab iisdem Tractatio aliqua admissa fuerit, Eandem tibi, donec conditionibus optimis iisque honestissimis transacta confectaque fuerit, continuare licebit. Quapropter etiam Auctoritatem Tibi, qualem Nos habemus, facimus,* cum potestate unum aut plures Tibi substituendi; *Confidentes, Eos Te substituturum esse, quos & Tractationis promotioni, & Nostro commodo majorem in modum consulturos esse existimabis. Tu itaque, quæ Tibi ejusmodi Tractatui inservire posse videbuntur, liberè & pro Auctoritate adhibere, Nosque observationi & ratihabitioni eorum, quæ aut* à Te, aut ab aliis à Te substitutis *acta, transacta & promissa fuerint, obstringere atque obligare poteris, idque ejusmodi confirmationis clausulis ac terminis, qui necessarii sunt futuri, ac si præsentibus jam expressi forent: Approbando & confirmando tam in præsenti quam in futuro quæcunque vi præsentium literarum Auctoritatis à Te acta, & transacta fuerint, haud aliter ac si Ipsimet præsentes egissemus omniaque conclusissemus. Quem in finem etiam præsentes Auctoritatis literas propriâ manu Nostra subsignatas, sigillo secreto munitas atque à Regni Nostri Secretario notatas concessimus. Dabantur Madriti, vicesimo & quinto die Februarii, Anno millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & quinto.*

Nos Rex,

P. COLOMA.

In

In hisce autem Regis Hispaniarum literis Auctoritatis à Galliæ Legatis, quibus extemplo earundem exemplar tradebatur, quinetiam à Præpotent. D. D. Ordinum Legatis sequentes difficultates annotatæ fuerunt.

1. Provinciis Nostris fidelibus.

Vocabulum quippe fidelibus *videtur præsupponere atque innuere, alias dari Provincias infideles.*

2. Quo Universalis Pacis in Europâ Tractatio magis magisque promoveri posset.

Verba hæc de nullâ aliâ, nisi de privatâ quadam & particulari Tractatione intelligi queunt; at Monasteriensem Universalem esse oportet.

3. Cum Fœderati Belgii Ordinibus.

Quibus indicatur, Hispanos non nisi cum D. D. Ordinibus agere velle, Eorumque Socios atque Affines sejunctos habere.

4. Prout necessitas postulabit.

Hæc verba demonstrant, literas illas Auctoritatis propter Tractationem duntaxat particularem fuisse concessas, eò quod plenissima Auctoritas temporis necessitati tantummodo inservire potest.

5. Pacis Universalis Plenipotentiarie.

Quod si Dominus à Penerandâ Plenipotentiarii qualitate munitus sit, particulari aliquâ Auctoritate haud indiget.

6. Provinciarum Nostrarum fidelium; Fœderatarum Belgii Provinciarum.

Provinciarum Nostrarum fidelium *repetitio, &* Fœderatarum Belgii Provinciar. *contrapositio non frustrà neque sine proposito aliquo adhibita videtur.*

7. Cum potestate unum pluresve substituendi.

Per aliorum substitutionem *cum D. D. Ordinibus agere, cum Imperii & Iuris Supremi atque absoluti agnitione nullo modo congruit, neque cum Titulo* Præpotentium *sive* Excellentiæ *Legatis suis concesso.*

8. A Te, aut à Te Substitutis.

Vox disjunctiva, aut, *quæ sola discretionem infert, declarat, ubi Dominus à Penerandâ aberit, reliquorum, quos substituerit, potestatem atque Auctoritatem nullius esse ponderis.*

In fine autem conclusio deest, quæ consistit in Auctoritate cum Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis agendi ac transigendi.

Exemplum Substitutionis, quâ Comes à Peneranda Dominum Archi-Episcopum, D. de Savedra & D. de Brun sibi suoque loco substituit.

D. Casparus de Bracamont & Gusman, Regis Hispaniarum Cameræ Nobilis, Ejusdemque Consiliarius, & Iustitiæ Præfectus, Extraordinarius Majestatis Suæ in Germania Legatus, Primus ac Præcipuus Pacis Universalis Monasteriensis Plenipotentiarius, Quandoquidem Regi

Regi Hispaniarum Domino Nostro, quem Deus incolumem diu conservet, vicesimo & quinto die Februarii, Anno 1645. *potestatem atque Auctoritatem cum Fœderatarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. Induciarum Pacisve Tractatum ineundi concedere placuit; cujus quidem principium tale est: D. Philippus, Dei Gratiâ, Hispaniarum Rex, &c.*

Idcircò vi Auctoritatis & potestatis à Majestate Suâ mihi concessæ, qua Auctoritate & potestate unum pluresve munire, Eosque mihi substituere liceret, elegi & substitui ac per præsentes eligo substituoque D. Fratrem Iosephum Berganium, Cameracensem Archi-Episcopum, D. Diego de Saaveda Faxardo, Equitem Ordinis Sancti Iacobi, Majestatis Suæ in Concilio Senatus Indiæ utriusque Consiliarium, & D. Anthonium Brun, Majestatis Suæ in Concilio Ordinum Flandriæ Supremo Consiliarium, Omnes ac singulos Pacis Universalis Monasteriensis Plenipotentiarios. *Quibus omnibus & singulis eandem Auctoritatem & potestatem Mihi à Majestate Suâ concessam datamque tradidi, ac per præsentes trado Eosque Mibi substituo, ut, Nomine locoque Majestatis Suæ, Induciarum Pacisve Tractatum quemcunque sive universi sive singuli,* Me absente, aut præsente, *seu alio quocunque casu (secundum formulas iisdem Auctoritatis literis comprehensas) inirent ac concluderent, cum Excellentiss. D. D. Bartoltio à Gent, Iohanne à Matheneße, Adriano Pauw, Iohanne Knuytiô, Godartio à Rheede, Francisco à Donia, Gulielmo Ripperda, Adriano Clantio de Steedum, quos Vniversos & singulos Vnitarum Belgii Provinciarum* dicti Ordines *Legatos suos in Germaniam, & Plenipotentiarios ad Monasteriensem Pacis Tractationem deputarunt. Quapropter etiam præsentes substitutionis literas manu Nostra subsignatas, sigillo munitas atque à Majestatis Suæ Ejusdemque Legati hîc commorantis Secretario notatas, dedi concessique Monasterii, vicesimo & quarto die Ianuarii, Anno* 1646. *Notatum erat, Comes à Penneranda.*

Insuper etiam hoc Vobis animadvertendum venit, Me hoc ipso die supramemoratis Fœderati Belgii Ordinum Legatis Extraordinariis in Germaniam, & Plenipotentiariis ad Monasteriensem Tractationem Literarum Auctoritatis à Majestate Sua concessarum exemplar in suo Originali, ut vocant, exhibuisse iisdemque tradidisse. Subsignatum erat, Comes à Penneranda; paulòque infrà, jussu atque Auctoritate Celsitudinis Suæ Del Campo.

In quibus jam supramemoratis Substitutionis literis sequentia carpenda veniebant.

1. *In Substitutione.* Omnes ac singulos Pacis Universalis Monasteriensis Plenipotentiarios.

Quod si plenissima Auctoritate & potestate muniti sint, ad quid mandatis præceptisque opus est? unde satis superque liquet, hasce Auctoritatis literas propter Monasteriensem Tractationem minimè concessas fuisse.

2. Me absente aut præsente.

Hanc sibi Auctoritatem, non ex ea quam à Rege Hispaniarum accepit, habet: adeò ut potestatem suam latius, quam quidem licet, extendat.

3. Dicti Ordines.

Imprudens sanè dictum, minusque à Persona privata humanum.

Denique Auctoritatis literæ, quas à Rege Hispaniarum concessas habebat, Tractationem cum Ordinibus instituendam esse, hæ insuper Eorum Nomina, cum quibus ipsis agendum foret, continebant.

Hispa-

Hispani autem adversus Literas Auctoritatis, quas Præpotent. D. D. Ordines Generales Legatis & Plenipotentiariis suis concesserant, binas hasce difficultates movebant.

Legati & Plenipotentiarii Regis Hispaniarum, visis perspectisque literis Auctoritatis, quas Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Legatis & Plenipotentiariis suis concesserunt, sequentem hanc difficultatem duplicem observarunt, in quibus nonnihil scrupuli inesse judicarunt.

1. *Ubi dictum fuit, (quod si* casu aliquo necessitatis *nonnulli è dicto Plenipotentiariorum numero abesse cogerentur, reliquis numero plurimis*, audire, agere & transigere licebit) *videtur vocabulum* casu aliquo necessitatis *additum hisce verbis*, abesse cogerentur, *omitti potuisse, propterea quod ejusmodi* casus necessitatis *vix unquam certò probari posset; ac proinde de vi ac pondere Tractationis perpetuò controverti posset, Idque metus causâ utrum absentia illa* necessaria *fuisset, nec ne.*

2. *In literarum Auctoritatis conclusione, nihil præter futuræ Confirmationis & Ratihabitionis promissum aliquod reperitur, quum præsens quoque Confirmatio ac Ratihabitio addenda fuisset, hoc modo:* Fœderati Belgii Ordines tam in præsenti, quam in futuro, approbare & confirmare, quæcunque per Legatos & Plenipotentiarios suos acta, transacta & conclusa fuerint; *quemadmodum in literis Auctoritatis, quas Majestas Sua Plenipotentiariis suis dedit ac concessit, legere est.. Actum Monasterii, vicesimo & octavo die Ianuarii, Anno* 1646.

Vicesimo & nono die Januarii, postquam utrinque convenissent, super Auctoritatis literis multa egerunt. Regis Hispaniarum Plenipotentiarii tales Se Auctoritatis literas, quales Galli secum ante concesserant, seu *quales Præpotentes Ordines postularent*, exhibituros esse promiserunt. Interim tamen, ut res ipsa inciperetur, rogarunt. Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarii literarum Auctoritatis ab Hispanis exhibitarum exemplum ad Dominos suos Deputantes illicò miserunt, nec quidquam excusationis invenerunt, quo minus Hispanos, qui Tractationis Negotium summum exponere cupiebant, exaudirent, eâ lege tamen ac conditione, ut à Præpotent. D. D. Ordinibus ad literas Auctoritatis Hispanorum Responsionem nihilominus exspectarent. Sequentia itaque primò oretenus proposita at literis postmodum conscripta tradiderunt.

NOs, deputati Regis Hispaniarum, Domini Nostri, Legati & Plenipotentiarii, qui præsentibus subsignavimus, declaramus hesterno conventu, cui unà cum Fœderati Belgii Provinciarum Ordinum Legatis & Plenipotentiariis interfuimus, cum bonâ utriusque Partis Plenipotentiariorum gratiâ decretum concessumque fuisse, quoniam literæ Auctoritatis ab utraque Parte jam commutatæ essent, ut de summa totius rei (salvis tamen animadversionibus ab utraque Parte observatis) ageretur; quandoquidem Fœderati Belgii Provinciarum D. D. Ordinum Generalium Legati & Plenipotentiarii Tractationis Negotium, quod Majestatis Suæ Nomine, tanquam rei totius initium, expposituri essemus, exauditurος se declarassent.

Ad Supremi Numinis gloriam, atque Universi Orbis Christiani, imprimis autem Belgii Provinciarum omnium salutem atque incolumitatem, *quæ Annos jàm*

 com-

complures tot belli miseriis ac calamitatibus obrutæ fuerunt, de Majestatis Suæ animi sinceritate certi, deque Ejusdem voluntate & studio, quo totius Belgii Pacem & tranquillitatem amplectitur, neutiquam dubitantes.

Supramemoratis D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis proponimus atque offerimus Inducias, quales Anno 1609. secundùm dicti Tractatus præscriptum initas confirmatasque habuimus. Ac quoniam Induciarum præteritarum tempore experti sumus, Articulos nonnullos, tum concessos & confirmatos, jam nunc aut mutandos, plenius explicandos, aut plane omittendos esse, idque hoc tempore incommodum, in ipsis Induciis obortum, ad pleniorem ineundi Tractatus certitudinem, confirmationem & stabilimentum, præveniendum esse dicimus; Idcircò, ejusmodi Articulos literis seorsim conscribere utrique Parti integrum erit; qui tamen Articuli literis conscripti certo quodam, eumque in finem constituto die, commutabuntur, quo familiari ac mutuâ perpensione & communicatione compositi, optimis formulis concludi & confirmari possint, ut tandem hoc pacto ad supramemoratam Belgii Provinciarum Pacem & tranquillitatem perveniri possit. Actum Monasterii, vicesimo & octavo die Ianuarii, Anno 1646. Subsignatum erat, Comes Penneranda, Frater Iosephus Cameracensis Archi-Episcopus, D. de Savedra, Faxardo & Ant. Brun.

Quibus ad Præpotentes D. D. Ordines Generales missis, ulterius tractando abstinere cogebantur, eò quod Fœderati Belgii Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii ad Hispanorum propositionem, antequam Eorundem literæ Auctoritatis, (utpote Tractationis omnis fundamentum) à Præpotentibus D. D. Ordinibus acceptæ forent, quidquam respondere neque poterant neque volebant. Propter quas Auctoritatis literas rectiùs concipiendas, simul etiam propter deliberationem, utrum cum Hispanis interea & quomodo agerent, longè diuque in Concilio Præpotentiuum D. D. Ordinum Gener. actum fuit: Imprimis autem vicesimo & quarto die Februarii, quo quidem præsente Celsissimo Arausionensium Principe, Ordinum Hollandiæ Deputati sequentem sententiam literis conscriptam tradiderunt.

Ut videlicet secundùm Hispanorum petitionem ex Auctoritatis literis, quas Præpotentes D. D. Ordines Legatis & Plenipotentiariis suis concesserant, verba illa (*casu aliquo necessitatis*) delerentur; adeo ut eorundum loco, sc. si *necessariò abessent*, hæc simpliciter insererentur, si abessent.

Sed quod ad clausulam, *præsentis & futuræ* confirmationis ac ratihabitionis attinet, ut eadem omitteretur, utpote Præpotentibus D. D. Ordinibus insueta, insuper etiam Constitutionibus hujusce Reip. contraria: proindeque istius clausulæ loco certum aliquod tempus ratihabitionis tradendæ ab utraque Parte constitueretur, neque ab Hispanis stipulatio aut confirmatio ulterior exigeretur, præterquam Præpotentes D. D. Ordines Gener. concedere decreverant.

Secundò, ut literarum Auctoritatis à Regis Hispaniarum Plenipotentiariis Majestatis Suæ Galliæ Legatis exhibitarum, Extensio, quæ Titulos Regi Hispaniarum in iisdem datos concernit, cum iis quæ ab eadem Extensione dependent, Regiæ Majestatis Suæ Galliæ Legatorum Extraordinariorum & Plenipotentiariorum judicio atque arbitrio relinquerentur.

Tertiò, quod Nobiles ac Potentes D. D. Ordines judicarent, de tanti ponderis Negotio ex ipsis Originalibus Auctoritatis literis ab Hispan. Rege immediatè con-

concessis, non autem è Substitutionis formulis emanante agi oportere. In ipsis insuper literis clausulæ quædam invenirentur, adversus quas Nobiles ac Potentes Ordines dubia nonnulla moverent. Idcircò ipsis consultiùs videretur, ut ipsius Auctoritatis literæ omitterentur, & juxta reliquarum Provinciarum sententiam tales Præpotentium D. D. Ordin. Gener. Nomine conciperentur, quales Reip. commodo inservire posse existimaretur.

Quartò, literarum Auctoritatis conceptum suprameмoratum, quem in modum à Præpotentibus Ordinibus literis fuerat mandatus, Nobilibus & Potentibus D. D. Ordinibus acceptum fuisse; sic tamen, ut Tituli Regi Hispaniarum in dicto literarum Conceptu dati latius sese extendant, in quam quidem Salvis-Conductibus ab Ipsis Hispanis hactenus concessis expressi fuerunt, quorum exemplum sequentibus insertum reperitur, exaratum Saragossæ decimo & nono die Novembris, Anno 1642. Eaque propter commodius visum fuisse, ne ampliores Regi Hispaniarum Tituli concederentur, quam Ipsimet Hispani in Salvis-Conductibus suis concedunt, Ideoque suprameмorati Tituli in literarum Auctoritatis conceptu ad modum sequentem redigerentur.

D. Philippus, Dei Gratiâ, Hispaniarum Rex, &c. Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Comes Absburgi, Flandriæ, Tyrolis, Barcelonæ & Molinæ Dominus, &c.

Insuper etiam visum consultumq; fuit, ut literarum Auctoritatis conceptus per clausulas Confirmationis & Ratihabitionis eorum omnium, quæ ante dictarum Auctoritatis literarum exhibitionem cum Plenipotentiariis Monasterii acta & transacta forent, amplificaretur.

Quintò, visum consultumque fuit, ut eorum quæ Dominus Brassetius Residens commemoravit, nulla prorsus in literis Auctoritatis mentio fieret, verum ut Extensio, quemadmodum jam nunc est, relinqueretur.

Postremò, ut Præpotent. D. D. Ordinum General. Plenipotentiarii, juxta memorati conceptus præscriptum, literas Auctoritatis ab Hispanis peterent: ac si Ejusmodi literas impræsentiarum se exhibere neutiquam posse declararent, nisi eas prius à Rege Hispaniarum per literas postularent, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii supradictâ Tractatione abstinerent, neque cum Hispanis ulterius agere pergerent; illud autem solummodo absque ullâ Tractationis ulterioris commemoratione inquirerent, quo tempore memoratas Auctoritatis literas traderent.

At verò si Regis Hispaniarum Plenipotentiarii sponte suâ ulterioris Tractationis causa Acta quædam offerrent, *quorum beneficio* (dum literæ Auctoritatis ex Hispania exspectarentur) *ulterius cum iisdem agi posset*, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii sedulò ac diligenter curarent, quò ejusmodi Acta talia fermè continerent.

Ut videlicet Regis Hispaniarum Plenipotentiarii fido ac sincero animo pollicerentur, se tempore quodam constituto, atque in iisdem Actis determinando, literas Auctoritatis eo modo scriptas traditur as (quarum exemplar in Actis suis exprimendum foret) nimirum, Hispaniarum Regis Plenipotent. promptos paratosque esse, quamdiu literæ Auctoritatis ab Hispaniarum Rege exspectarentur,

ad inceptam cum Præpotent. D.D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis Tractationem continuandam: quæ postquam consequuti forent, ulterius cum Hispanis agere liceret, absque ullo Præpotentium D.D. Ordinum Gener. jussu ac mandato ulteriori, ea tamen, quæ egissent, per literas indicarent.

Hæc quidem Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum Hollandiæ Deputatorum sententia fuit, ob quam plurimas Gallorum animadversiones rejiciebant, atque ipsum duntaxat literarum Auctoritatis conceptum, cujus Argumentum postmodum suo loco inserendum veniet, expetebant. Celsissimi verò Arausionensium Principis sententia hæc erat, ut videlicet omnis cum Hostibus Tractatio tantisper cessaret, donec literæ Auctoritatis à Rege Hispaniarum traderentur; propterea, quod literas Auctoritatis basin ac totius rei fundamentum dicebat, ante quas, aut sine quibus de tanti ponderis Negotio nihil quidquam agi liceret.

Reliqui autem Provinciarum Ordinum Deputati Hollandiæ Deputatorum sententiæ exemplum, Deputantibus suis exhibendum petierunt ac comportarunt.

Dum hæc in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio aguntur, pauloque ulterius perpenduntur, rumores satis alieni perferuntur: alter de matrimonio Regis Galliarum cum Hæreditaria Hispaniarum Principe contrahendo; alter de Pacis Tractatione universâ Sorori suæ, Galliarum sc. Reginæ Judicio Arbitrioque ab Hispaniarum Rege permissâ & demandatâ. Quorum utrorumque Propositionem, uti etiam per Celsissimum Arausionensium Principem eam in rem communicationem ad primum factam, atque universam relationem ad secundum habitam per D. Knuytium & D. Heemstedium, qui eâ quoque de causâ è Gallia Hagam-Com. pervenerant, ordine enarrare constitui.

Exemplum Relationis matrimonii à Rege Galliarum cum Hispaniarum Principe Hæreditariâ contrahendi.

„ DIe, qui dicitur Mercurii, vicesimo & octavo Februarii, Celsissimus Arau-
„ sionensium Princeps in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. retulit,
„ per literas Sibi è Galliâ missas indicium factum fuisse, matrimonium sc. inter Lu-
„ dovicum, eo Nomine XIV. Galliarum Regem, & Hispaniarum Principem Hæ-
„ reditariam institutum decretumq; fuisse, *Eâ quidem lege ac conditione, ut Rex Hispa-*
„ *niarum Provincias Belgii Imperio suo subjectas Earumque Ius Supremum, trium septimana-*
„ *rum spatio Regi Galliarum traderet Ejusque Imperio permitteret: Idque ab iis etiam, qui è*
„ *Brabandia in Hollandiam pervenirent, assertum confirmatumque fuisse.* Porrò autem,
„ *Regem utrumque Provincias hasce bipartitas Suo Iuri Supremo quasque relicturum esse; con-*
„ *trà verò Regem Galliarum Hispaniarum Regi Cataloniam concessurum. Eapropter sum-*
„ *mè dicti Regis Ludovici XIV. Matrem Reginam cupere Fœderati Belgii Provinciarum Or-*
„ *dinum de eâ re animum cognoscere, quo pacto hujusmodi oblationem sit acceptura.* Ad quæ
„ Celsissimus Arausionensium Princeps consilium prudentissimum rogatus, re-
„ spondit; *Omnia, quæ ab Hispaniarum Rege oblata fuissent, Serenissima Regina eâ lege ac*
„ *conditione concedenda esse, ut divisa Provinciarum Pars ex præscripto Tractatus octavo die*

Februa-

Februarii, Anno 1635. cum Gallis initi, Fœderatis Belgii Provinciis tradenda foret. Deinde autem relatione Domini Heemstedii & Domini Knuytii, quam præterito die habuerant, jam vero literis conscriptam in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum tradiderant, lectâ perlectâque, Celsissimus Arausionensium Princeps iterum rogatus respondit; *Quod si Provinciarum Ordinum Deputati jam nunc de eâ re sententiam suam dicere parati forent, impræsentiarum illam confici atque expediri posse; Sin verò Deputantes suos ejus relationis primum certiores facere decrevissent, Eorundem Responsionem exspectandam esse.* Quibus perpensis Præpotentes D. D. Ordines Celsissimo Arausionensium Principi & pro literis communicatis & pro consilio suo prudentissimo, quodque Celsissimâ suâ præsentiâ Concilio interesse dignatus fuisset, ingentes gratias egerunt. Porrò autem Provinciarum Ordinum Deputati literarum à Celsissimo Arausionensium Principe communicatarum Ejusdemque prudentissimi consilii, quin etiam dictæ relationis conscriptæ & Celsissimi Principis ad eam responsionis exemplaria postularunt, quod tamen eum in finem concessum decretumque fuit, quo per aliquem suorum, sive per literas illa ad Deputantes suos perferri curarent, Eorumque omnium super iisdem sententiam in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum traderent. Quod equidem Præpotentes D. D. Ordines quatuordecim dierum, proximè sequentium, intervallo fieri posse arbitrantur. Quin insuper etiam Provinciarum Ordinibus per Deputatos supradictos majorem in modum mandabitur, ut hæc omnia sibi retineant, neque eorum quidquam Populo communicent: Eorundem quoque perpensioni subjicietur, num satius esse existimarent, si extraordinarios quosdam è suis Hagam-Com. delegarent; qui, plenissimâ Auctoritate & potestate muniti, omnia, quæ supradictum Negotium spectant, agere & transigere possent. Interea quoque Præpotentes D. D. Ordines Generales constituerunt & decreverunt, ut Civitatum Groningæ Omlandiæque, Embdanum Fluvium inter & Lauwerium sitarum, Deputati proximo die ad Præpotent. D. D. Ordinum Concilium vocarentur, iisdemque brevissimè communicarentur ea, quæ hactenus fuissent proposita, simul etiam sedulò rogarentur, ut summa cum taciturnitatis fide ea Deputantibus suis referrent, atque Eorum omnium sententiam impetrarent; Idque eò magis quod Civitatum Groningæ Omlandiæque Deputatorum subsellia in Præpotentium D. D. Ordinum Concilio, propter casum quendam, universa vacarent.

Idem illud Celsissimus Arausionens. Princeps, præterito die à Supremo Hollandiæ Syndico Domino Catzio primum, deinde verò ab Hollandiæ Ordinibus rogatus, in Eorundem Concilio retulit; addendo, illa se à Tribuno Legionis *d'Estrades* primum percepisse.

Exemplum Submissionis Hispanorum.

PRÆPOTENTES D.D. ORDINES,

„ LEgatis Vestris Extraordinariis & Plenipotentiariis ad Monasteriensem Tra-
„ ctationem delegatis visum consultumque fuit, Nos propter rem quandam gra-
„ vem ac difficilem sibi Monasterii obortam, unicè rogare, ut quamprimum iter
„ nostrum ad Vos Hagam-Com. susciperemus, vobisque indicaremus Extraor-
„ dinarios Regis Galliarum Legatos ac Plenipotentiarios vicesimo & primo hu-
„ jusce Mensis Februarii die, exposuisse, Dominos D. Mediatores Papæ scil. Rom.
„ Nuncium, & Venetorum Legatum pridie ejus diei Sibi enarrasse, quod Hispano-
„ rum Plenipotentiarii, secundum Regis sui mandatum (quod per expediti itineris
„ nuncium perceperant) declarassent, Regem Suum ingenti Turcarum Imperatoris
„ ad bellum apparatu, quo Universo Orbi Christiano plurima mala minatur, impul-
„ sum, quinetiam ut, quantum in se est, Universi Orbis Christiani Pacem & tran-
„ quillitatem summo studio promoveret, contentum fore, ut difficultates Galliam
„ inter & Hispaniam obortæ Reginæ Galliarum arbitrio decidendæ & componen-
„ dæ traderentur, quo à Majestate Sua, una cum Celsissimo Aureliæ Duce, Principe
„ Condæo, Mazarino Cardinali cæterisque Ordinum Galliæ Consiliariis, quos
„ summedictus Rex dignos æstimabat ac delegabat, conficerentur; Ipsumque Re-
„ gem iis omnibus acquiescere, & subsignare velle, quæcunque à Serenissimâ Maje-
„ state Suâ & reliquis supramemoratis Dominis acta & transacta forent: utpote qui
„ neutiquam dubitaret, quin Serenissima Regina tam Gnati Sui Regno, quam Fami-
„ liæ, quâ Majestas Sua oriunda esset, consuleret, atque ad Status utriusque Regni
„ commodum animum sedulò adverteret. Eadem quoque Regem Papæ Rom.
„ Nuncio, & Venetorum Legato in aulâ Suâ Residenti exposuisse, quo illud Mini-
„ stris Monasterii commorantibus per literas indicarent; ac quamvis eædem li-
„ teræ per Galliam & Parisios ipsos venirent, tamen Monasterium primò perlatæ &
„ resignatæ fuerunt, ut deinde Monasterio in Galliam mitterentur ac traderentur: ad
„ quæ Regis Galliarum Legati & Plenip. Mediatoribus indicarunt, quam arctè Galli
„ cum Fœder. Belgii Provinciis, Ipsæ quoque cum Gallis devinctæ tenerentur, adeò
„ ut nisi conjunctim & cum æquali Utriusque Partis satisfactione quidquam agere
„ liceret. *Quin imo si vel Gallis Pars Regni Hispanici media offerretur, Ipsos tamen neque posse*
„ *neque velle privatim agere, aut quamcunque oblationem accipere*; Eapropter etiam semet-
„ ipsos obligatos atque obstrictos videre, ad oblationem ejusmodi Plenipotentia-
„ riis Vestris postero die indicandam priusquam in Galliam eam perferri curarent:
„ Idcirco majorem in modum petebant, ut Mediatores horum omnium Regis Hi-
„ spaniar. Plenipotentiarios participes reddere vellent: ad id quamvis suprameme-
„ rati Mediatores Regem tam potentem, qualis Galliarum Rex existit, à nullo alio
„ dependere posse declarassent; Galliæ tamen Plenipotentiarii responderunt, Se
„ neque jam, neque post hac unquam tale quid commissuros, sed vero, quam con-
„ flassent amicitiam ac Societatem, eam se constanter atque inviolabiliter conserva-
„ turos esse. Porrò autem præter oblationis communicationem dubia quædam ac
diffi-

difficilia proposuerunt, Matrem Reginam inter Gnatum Fratremque mediatorio munere ægre functuram esse. Multa quinetiam è verbis, *ad Regni utriusque Statum & convenientiam*, elici, ac tam magnificâ Sui submissione armorum progressus felices impediri, aut denique Monasteriensem Tractationem in Galliam transferri, cæterosque Socios & Fœder. ab eadem secludi atque amoveri posse, quod sibi hostes in lucrum deputarent. Ab alterâ vero Parte commodius fore duxerunt; ne, quod inde evenire posset commodum, penitus rejicerent, verum eodem sibi consulerent; simul etiam maluerunt, ut Hispanorum Plenipotentiarii ad propositos Suos Articulos declarassent, quid ac quantum Gallis concedere vellent, neque rem tanquam incertam ac dubiam relinquerent; Ipsos tamen Hispanos sibi persuasisse; non aliam ob causam Gallos Tractationem Monasteriensem aliò transferri noluisse, quam ne perfidiæ hoc ipsis tribueretur, atque omnis prorsus ipsorum auctoritas fidesque in dubium veniret, si quando à Fœderatis Sociisque Suis in Fœderibus cum Hispanis sancitis desciscerent. Eaque propter in rem utrique fore existimarunt, ut Galli cum Provinciis Belgii Fœderatis pristino Fœderum Tractatuumque vinculo conjuncti manerent, quò simul eundem rerum Suarum exitum atque æqualem in omnibus satisfactionem consequerentur, aut alioquin bellum continuarent, proximâque æstate omni studio atque animi alacritate expeditionem aliquam occiperent, quâ res Suas plurimum levari, atque ad finem bonum perduci posse sperabant. Ad hæc insuper dixerunt, Hispanorum res aut summopere afflictas esse, aut Ipsos aliquam fallaciam conari, quod quidem tandem aliquando innotesceret: & quamvis Turcarum ingenti apparatu calliditatem Suam prætexere vellent, illud tamen sæpiusculè ab Ipsis factitatum fuisse. Postremò autem Galliæ Plenipotentiarii Legatos & Plenipotentiarios Vestros rogarunt, ut, quid de eâ re haberent animi, sibi indicarent; atque ad ea Legati Vestri cum gratiarum actione Galliæ Plenipotentiariis responderunt ac pluribus enarrarunt, quàm sanctè ac religiosè Domini Sui Deputantes cum Gallis sancita Fœdera Ligasque semper observassent, imprimis verò Annis 1632. & 1633. quum uterque utrique tam arcto Fœderis vinculo nondum obstrictus obligatusque teneretur, Gallorum Amicitia, Eorumque res causæque assiduò salvæ mansissent, quemadmodum etiam Plenipotentiarii Vestri in præsenti Tractatione Monasteriensi hactenus egerunt, atque etiamnum agunt. At verò, quoniam hactenus nihil aliud egissent, quam literas Auctoritatis utrinque commutassent, neque de literarum Auctoritatis moderamine certi quidquam percepissent; ac quamvis Ipsi interea multoties rogati essent, ut occeptam cum Hispanis Tractationem continuarent, nihilominus tamen tractando prorsus abstinuerunt nec quidquam promoverunt, & quo animo Ipsimet juxta Fœderis præscriptum Sese gererent, eodem etiam Galliæ Plenipotentiarii se gererent, neque prætextu quocunque ab illo Se retrahi paterentur. Quod vero ad detectionem attinet, totius Galliæ conditionem ac Statum sibi præ cæteris cognitum perspectumque esse dixerunt, neque Plenipotent. Vestri aliud quidquam ad illud respondere potuerunt, prterquam quod Fœdus *solam atque unicam regulam & normam esse* cuperent, cui Pars utraque semetipsam obstringere eamque constanter observare deberet. Quapropter etiam Galliæ Plenipotentiarii Legatis & Plenipotentiariis Vestris sæpenumero fidem dextram-

„ dextramque porrexerunt ac certò promiserunt, Gallos à dicto Fœdere nunquam „ discessuros, ac postquam Plenipotentiarii Vestri cum Regis Galliarum Legatis de „ memoratâ detectione egissent, eandem ad Reginam perferri curarunt, neutiquam existimantes, Tractationem Monasteriensem in alium à Gallis locum translatam, verum, quemadmodum jam occepta erat, promotam iri: Ac denique Plenipotentiarii Vestri adjunxerunt, Mediatores atque Intercessores majorem in modum commendasse, ut eadem detectio, quam statim se ad Nos perlaturos esse declaraverant, clam haberetur neque cum eadem in Regis Hispaniarum damnum luderetur. Quod similiter à Legatis & Plenipotentiariis Vestris petierunt. Postero autem die Ducis Longevillæ Consiliarius Dominus *de l Ombre* summe dicti Ducis cæterorumque Galliæ Plenipotentiariorum Nomine, Legatis & Plenipotentiariis Vestris indicaverat, præterito quoque die Dominos Intercessores ac Mediatores idem unicè rogasse atque è verbis Comitis Penerandæ retulisse, Hispanorum Plenipotentiarios non ignorare arctissimum Gallos inter & Fœderatas Belgii Provincias atque Intimum Fœderis vinculum intercedere, alterumque sine altero loco alio neutiquam acturum esse; quapropter etiam Regem Hispaniarum Tractationem transferre neque seorsim, sed cum utrisque simul agere, & Tractationes pari passu promovere constituisse. Hæc, ut Vobis indicarentur, permisisse, simul etiam se neutiquam in animum induxisse, ut præsens Tractatio in Galliam transferretur, eò quod certò scirent Se ibidem loci minime exauditos sed verò continuò Monasterium relegatos iri, quo in loco Tractationes simul peragere decreverant. Ea propter etiam Plenipotentiarii Vestri Galliæ Plenipotentiarios convenerunt, ac postquam ad supramemoratam detectionem pervenissent, inter alia hæc proposuerunt, Reginam fortassis reliquosque Galliæ Moderatores primarios, memoratâ detectione visâ, propter magnificas atque eximias qualitates Suas, quinctiam propter Galliæ Regnum Ipsum, tam arctè semetipsos Fœderi non alligatos esse dicturos, quam quidem Galliæ Ministri eidem obstricti obligatique tenentur, atque hoc pacto universum Negotium confectum Vosque in summo malo derelictos iri. Quibus Galliæ Plenipotentiarii responderunt, Reginam æque ac reliquos Galliæ Moderatores dicto Fœderi obstrictam obligatamque teneri, Ipsamque mandaturam, ut Monasterii omnis Tractatio conficeretur: Insuper etiam coram Plenipotentiariis Vestris Secretario Suo Boulangiero, qui omnibus interera, præceperunt, ut hæc omnia continuò annotaret, quod ab Ipso factum fuit. Res itaque, postquam Galliæ Plenipotentiarii declarassent, Se quamprimum detectionis literas in Galliam perferri curaturos, hactenus relicta est.

Quod ad priorem attinet rumorem, quamprimum Galliæ Legati Monasterii percepissent, in Fœderati Belgii Provinciis divulgatum fuisse rumorem supradicti Regis Galliarum cum Hispaniarum Infante matrimonii, eâ lege ac conditione, ut Rex Hispaniar. subactas Belgii Provincias Regi Galliarum in dotem daret, eumque rumorem quamcunque in animis Fœderati Belgii Subditorum mutationem efficere, haud secus ac si Galli cum Hispanis sine Præpotentibus Fœderati Belgii Ordinibus Tractationem aliquam instituissent, idcirco summa ope nitebantur, ut Monasteriensibus cæterisque rumoris falsitatem persuaderent: asseverantes Se nullo

nullo modo percipere potuisse, unde tanti rumoris falsitas promanasset, ac tanta animorum mutatio esset oborta, verbisque jurantibus affirmantes, matrimonii rumorem mendacem esse, neque de ejusmodi dote quidquam Gallis innotuisse, multò minus Tractationem Præpotentibus Ordinibus insciis atque inconsultis cum Hispanis tam occultè tamque brevi temporis spatio, postquam ex Hispaniâ ad Comitem Penerandæ literæ essent missæ, quibus jubebatur proponere, ut Regina Galliæ ejusmodi æquam justamque moderationem adhiberet, quæ Paci Gallos inter & Hispanos conflandæ inserviret; quam quidem Negotii detectionem ipsimet Legati à D. D. Mediatoribus accipientes, regessserant, eam Se Præpotentium D. D. Ordinum Legatis indicare oportere: quibus relatis Comes Penerandæ responderat, per Se quidem licere, Præpot. D. D. Ordinum Legatis hujusce detectionis certiores reddi, quemadmodum ea quoque sequenti die, summo manè supradictis Legatis fuerat indicata. Simul etiam, quod si antehac de ejusmodi conjugio quidquam innotuisset, seu propositum fuisset, illud nihilo minus Se indicasse; porro autem sinceram ac pari animi voluntate Societatem ac familiaritatem mutuam continuaturos; esse promiserunt atque asseverarunt, Reginam omnesque Galliæ Ministros nihil aliud quidquam expetere; Insuper etiam neque Se, quibus Princeps quidam adesset, ac Domini, qui viginti aut plures jam Annos in Regni Galliæ commodum atque honorem legationibus fuerant perfuncti, insuper etiam ejusmodi semper extiterant, quibus tutò credi omnisque fides haberi posset, neque operam, neque auxilium Suum unquam laturos esse, quo vel minimus Fœderati Belgii Provinciis Earumve Subditis, utpote Regni Galliæ optimis certissimisque Sociis, infidelitatis actus obtingere posset; neque Majestatem Suam Regiam permissuram, ut fidei non servatæ causâ Nomini ac Dignitati Suæ quidquam derogetur (quin ipsemet Comes Servientius hujusmodi verbis Dominum Loenium fuerat alloquutus eademque postmodum repetierat, *Perfidus omnino existerem*) ac si quid eveniret, unde suspicio aut tale quid adversus Fœderationis Articulos incideret, ut apertis hoc verbis indicare vellent, Se quoque omni tempore ac loco rerum omnium, quæ innotuissent, indicium facturos esse, Eamque animi sinceritatem ipsi similiter præstarent, quam à Se expectarent. Quoniam vero conjugii ac dotis rumor ad D. D. Ordinum Legatos non fuerat perlatus, credendum esse dicebant, idque verbis jurantibus affirmabant, non nisi fallaciam Hispaspanorum Eorumque commentum esse, eum in finem adhibitum, quo rebellionis in Catalonia materiam præberent, & diffidentiam quandam inter Majestatem Galliæ ac Præpotentes Ordines Generales efficerent, ut isthoc pacto tempus aliquod evincerent, sibique de rebus omnibus prospicerent, atque Negotium de Copiarum eductione disturbarent; quod tamen, si cum summa animi alacritate susciperetur, solum atque unicum remedium futurum, quo commodum atque Fœdus perpetuum ac firmum cum Hispanis contrahi ac conflari posset; cujus quoque causa Monasterium omnes convenerant. Adhæc insuper addebant, Se rerum in Provinciis Hispanicis miserrimarum Statum, ac tantam inter Ipsos Provinciarum Moderatores discordiam & malevolentiam cognitam habere, ut, si Copiæ cum omni studio, curâ ac diligentiâ educerentur, hostes se parum ab armis Nostris protegere ac defendere posse; Sin vero commoda hæc atque opportuna

tuna Copias ab utraque Parte educendi occasio negligeretur, plurimum Auctoritatis amissum, quinctiam Tractatus commodissimi atque utilissimi apparentiam omnem amissam iri. Ipsosque insuper Hispanos tantam rerum Nostrarum socordiam derisuros esse.

Quod ad secundum attinet rumorem, D. Brassetius Residens primo & vicesimo die Martii jussu atque Auctoritate Serenis. Regis ac Reginæ per literas declaravit,

Reginam scil. Majestatis Suæ Matrem commodius esse duxisse, ut Regis Hispaniarum oblationem excusaret, utpote quæ tanquam judex, in rebus quarum omnium suorum tantopere interesset, amorem atque animum singularem quem ceu Mater habet, quemque erga Statum, cujus Imperium sibi relictum esset, habere oportet, eloqui neutiquam posset. Atque hoc sic existimasse, propinquitatem & consanguinitatem, quæ inter Fratrem ac Sororem intercedit, cum hisce minime posse consistere, proindeque, ut Partibus utrisque idem indicaretur, jussisse.

Sese Pacem cupere, Seque præ aliis vi malorum & ærumnarum, cum quibus bonum conflictatur publicum, commotam esse: atque eâ demum lege & conditione Tractationem instituere velle, quum pax firma, certa ac perpetua obtineri queat; quum Gallorum Socii & Fœderati eadem comprehendantur, iisque ut satisfiat, sedulò curetur; denique quum hæc omnia Monasterii, non alibi, agantur & transigantur.

His itaque concessis, Præpotentes D. D. Ordines Generales certos esse posse, Majestatem Suam hoc Consilium decretumque nullo tempore commutaturam esse, Eamque semper animi constantiam in Gallis inventuros, quâ non nisi consensu mutuo & Fœderati Belgii Satisfactione Tractatio qualiscunque instituetur; cujus quidem D. D. Ordinum res & Fortunæ ut in tuto collocari possint, tam impræsentiarum quam in posterum non minori studio, operâ ac diligentiâ, quam ipsiusmet Galliæ, curaturam; Cui quidem fundamento non famæ ac dignitati duntaxat Majestatis Suæ, neque fidei, quam semper intactam Sociis ac Amicis Suis conformi præstituram, verum etiam Ipsorum omnium Suæque saluti atque incolumitati inservienti superstructuram esse: Quod Præpotentes D. D. Ordines Generales firmiter sibi persuasum habere posse, quod si à Fœderatione isthac mutuâ non discessum fuerit & Gallos & Præpot. D. D. Ordines Gener. eadem consequuturos commoda, quæ Tractationibus Privatis, summo cum honore summaque cum Status Vtriusque securitate, obtineri possunt, quum alioquin conditio hæc utraque variis diversisque Tractationibus petenda rogandaque certò veniat.

Monasterii quinctiam Regis Galliarum Legati, quamprimum responsionem ad literas sibi missas, unâ cum *Compromissi*, ut vocant, propositione per D. D. Mediatores, percepissent, longè latèque Præpotentium D. D. Ordinum Legatis exposuerunt, simul etiam exhibuerunt Ipsas Reginæ Galliar. literas, continentes, Serenissimam Reginam Regnique Ordines, postquam maturo ac deliberato consilio *Compromissum* per D. D. Mediatores propositum, ac Regis Hispaniarum Nomine Serenissimæ Reginæ oblatum, quo summè dicta Regina, quod æquum justumque foret, eloqueretur, cognovissent; simul etiam in eam, qua Serenissima Regina oriunda est, familiam oculos Suos convertissent, ac Regem Hispaniarum, quæcunque elocuta foret, approbaturum esse, uno ore judicasse, dictum *Compromissum nihil nisi verba Regis humanitate plena existere, quibus erga Reginam Sororem Suam fuerat usus, terminosque nihil certi statuentes nimisque Generales esse, quam ut iis Regni Vtriusque controversia amoveri penitusque componi possent:* Eodem plane modo Majestatem Suam ac pari confidentia arbitrio judicioque Regis Fratris Sui sub-

ſubmittere poſſe, ut Gallos inter & Hiſpanos litem componeret, ſi nimirum Regni utriuſque conditionis rationem haberet, & quo in loco jam nunc utriuſq; res & fortunæ ſitæ forent conſideraret, ſive in quem locum brevi temporis ſpatio redigi poſſent, ac Majeſtatem ſuam ejuſmodi Regis ſententiæ quoque ſubſignaturam; at verò quo Regni utriuſque lites ac differentiæ tantò certius componantur, certa atque indubitata media proponi neceſſe eſſe; quin etiam commodius tutiuſque fore Pacem eâ quidem lege confirmari, ut omnia, prout nunc ſita ſunt, in eodem relinquantur loco, atque utraque Pars, quæcunque jam poſſideret, eadem retineret, ac Galli reſpectu Pacis quæcunque ſibi in Hiſpanias competere exiſtimant, prorſus omitterent, neque armis res hactenus feliciter geſtas tam commodo atque opportuno tempore conficerent: Eâ tamen lege ac conditione, ut Hiſpani ſimiliter omnibus Gallorum Sociis ac Fœderatis pleniſſimè ſatisfacerent; neque Tractatio quæcunque particularis admitteretur, verum denegaretur, atque Monaſterii duntaxat conficeretur. Eapropter etiam Reginam cupere, ut hujuſmodi animi ſententia per Dominos Legatos, quoad ejus fieri poterit, verbis humaniſſimis Dominis Mediatoribus indicaretur, quò Hiſpanorum Legatis proponeretur.

Quibus lectis, harum literarum ipſos participes fieri Dux retulit, antequam earundem quidquam Mediatoribus indicatum fuiſſet; proindeque petiit, ut hæc omnia ſibi retinerent, ac viginti horarum ſpatium exſpectarent, priuſquam literarum Exemplum Mediatoribus exhiberent.

Porrò autem ſumme memoratus Dux hiſce addidit, *Dominos hoſce omnia pernoſcere oportere*, ac literas à Sereniſſima Regina literis ſeu notis Arithmeticis conſcriptas protulit, è quibus, per Comitem Avaucium recitatis, ſequentia obſervarunt, Reginam ſc. ad ipſos hæc ſcribere: *Unà cum Principe Aureliæ, Principe Condæo, Cardinali Mazarino cæteriſque Conſiliariis vidi ac perpendi ea, quæ Domini Mediatores Nomine locoque Regis Hiſpaniarum Mibi obtulerunt, nimirum ut inter Regem Filium & Regem Hiſpaniarum Fratrem meum, reſpectu utriuſque differentiarum, ſententiam meam, quæ æqua atque honeſta foret, dicerem, ſimul etiam Familiæ, unde prognata ſum, rationem haberem: quam quidem nonniſi humanam oblationem, verbis humaniſſimis confidentiæ à Rege Sorori ſuæ propoſitam, uno ore omnes diximus, eamque nihil certi quidquam continentem, ac terminis nimis generalibus propoſitam declaravimus, quam ut ſuper eâ ſententiam aliquam dicere poſſem; quod à Me, ſi æqui honeſti, Familiæque, quâ oriunda ſum, rationem aliquam habeam, fieri neutiquam poteſt, ut Meam de Regis Filii, & Regis Hiſpaniarum Fratris differentiis ſententiam dicerem; quippe hujuſce Mater quum ſim, & Regentis Regni Galliæ qualitatem conſiderem, à partibus Filii Regis ſtare neceſſe habeo, proindeque Iudicem Me, quæ Partium ſtudio ducar, exiſtere oportet, quoniam obligatio ac devinctio, quâ Mater Filio ſuo Ejuſdemque Regni commodo obſtricta tenetur, major eſt, quam ea, quâ Fratri ſuo Ejuſdemque Regni commodo alligari poteſt: neque etiam, quâ Mater & Galliæ Regina, ejuſmodi commoda Filio Meo ſurripere poſſum, quæ armis Galliæ ab Hiſpanis conſequutus poſſidet, idque propter ea, quæ ſibi in Hiſpanos Iure optimo competere exiſtimat, quæque Rex Hiſpaniarum à Gallis immerito hactenus retinet. Haud equidem parvi duco Regem Fratrem Meum, ac tantum Ipſius æquabilitati tribuo, ut ſimili planè confidentia Regis utriuſque differentias Fratris Mei ſententiæ permittere minimè dubitem; eâ lege tamen ac conditione, ut Rex Hiſpaniarum, Frater Meus,*

eorum, quæ Regi Filio Meo commoda atque honesta sunt, rationem habeat, & quo in loco res ac fortunæ utriusque Regni jam nunc sita sunt, aut quem in locum brevi temporis spatio redigi possunt, utque Ego approbem ac confirmem, quæcunq; Frater Meus eo casu decreverit & statuerit, ut hoc pacto pacem, quam summopere amplector, & ad quam omnia, quæcunque possum, conferre cupio, consequar: At verò propter ingentem Turcarum ad bellum apparatum non ejusmodi generales, & quibus nihil certi quidquam statuitur, termini proponi debent; Contrà verò certa atque indubitata media, quibus Pax firma ac perpetua obtineri posset, adhiberi oportet; quibus hoc tempore neque certiora neque promptiora existere posse judicamus, quam ut omnia, in quo nunc sita sunt, relinquantur loco, & quæ ab utraque Parte occupata sunt, retineantur; adeò ut Galli, respectu Pacis, quæcunque sibi in Hispanos Iure optimo competere existimant, quæque armis belli ab iisdem consequuti sunt, eorum omnium respectu, quæ à Gallis Hispani retinent, latius extendere omissuri sint; eâ lege tamen, ut nullam Tractationem confirmaturi sint, nisi Gallorum itidem Sociis & Fœderatis Hispani satisfecerint, neque ullam prorsus Tractationem particularem occepturi, sed eam denegaturi, atque ut transigatur, Monasterium ablegaturi sint. Nihilominus tamen, quod si Hispani restituere cupiant ea, quæ Gallis, respectu eorum omnium quæ Hispani surrepta tenent, competunt, ut sc. Hispani Regnum Navarrà, quod Gallis hæreditarium est, reddant, Gallos plura eaque majora, quam quidem Navarræ Regnum æstimatur, reddituros esse. Ego autem, si Hispaniarum Regina existerem, & tam probè utriusque Regni Statum ac Conditionem edocta forem, quam quidem Regis Hispaniarum res afflictas perspectas habeo, Ipsemet autem Frater ingentes belli tam in Gallia, quam in Belgii Provinciis apparatus nosset, nulla Regi Hispaniarum media ad Pacem consequendam alia excogitare aut demonstrare possem, quam quæ supra commemorata fuere.

Postquam Literarum lectioni Comes Avaucius finem imposuisset, Dux Longevillæ alias quasdam à Comite Aureliæ ad supradictos Legatos exaratas recitavit, quibus omnia literarum à Serenissimâ Reginâ datarum argumenta paucis continebantur, ac quibus, ut ea omnia Legati exequerentur, jubebantur: iis autem sequentia inserta erant; *Flandriam tam latè patentem comperi, ut Galli res ulterius feliciter gerere possent: at vero iis jam nunc desistere præstat, quò Pax eò facilius obtineri posit.*

Idem quoque Comes Avaucius literas à Principe Condæo ad Galliæ Legatos, non dissimili argumento cum literis à Serenissimâ Reginâ datis, conscriptas perlegit; deinde autem literas à Cardinali Mazarino ad Ducem Longevillæ missas recitavit, quibus argumenta literarum à Serenissimâ Regina breviter expressa habebantur, deinde ingentes belli apparatus majores, quam ante hunc diem unquam, proponebantur, *quo tantò maturius exercitus educi possent*: Exercitus scilicet Ducis Aureliæ in Flandriam, alter in fines Galliæ extremos, ductu atque auspiciis Ducis Auguiennæ; Exercitus in Cataloniam, Exercitus Principis Tomasonii in Italiam, Exercitus Marescalli *de la Tour* in Germaniam, Classis denique quæ mari apparabatur: tantis quinetiam Copiis, rebusque necessariis instruebantur, quo tanto sibi commodiorem ac faciliorem ad Pacis Tractationem viam pararent. Quinetiam Comites Avaucius & Servientius singuli literas à Mazarino datas exhibuerunt, quæ eadem eum Serenissimæ Reginæ literis continebant. Porrò autem summè dicti Legati retulerunt, quod si Præpotentium D. D. Ordinum

Co-

Copiæ bellique proposita omni studio, cura ac diligentia instituerentur, brevi temporis spatio, omni dubio procul, Tractationem utilissimam atque honestissimam obtineri posse, Gallosque inviolabiter observaturos Fœderationem, quam cum Præpotentibus D. D. Ordinibus, utpote fidissimis Optimisque Gallorum Sociis iniverant, quorum quidem Amicitiam & Societatem Galli plurimi æstimabant: quapropter etiam hanc, quam cum Præpotentibus Ordinibus Fœderationem sanciverant, nunquam dissoluturos esse. Tanti enim fidem in Tractatione quacunque præstitam ducebant, ut, si quando Tractatus alicujus cum Principibus aut Rebuspub. initi, transgressio aut violatio aliqua oboriretur, ea non à Gallis, sed à Fœderatis perpetrata foret: in cujus rei testimonium literas hasce omnes summè dictis Legatis exhibuerant, atque omnia, quæcunque percepissent, iisdem sincerè fideliterque communicaverant.

Tantis tamque sinceris assertionibus privatæ alicujus Tractationis suspicionem, quæ ex utroque jam memorato rumore orta credebatur, *Matrimonium sc. Hispanicum*, & *Compromissum*, nonnihil semovebant. Interim tamen ex animis Legatorum delere haud poterant, ne, continuato cum Hispanis bello, Gallorum opes nimium accrescerent, ac postmodum metuendi nimis forent. Hæc quinetiam suspicio nonnihil, per sermones Ipsorum literasque supradictas & plurimis ambagibus fictisque rationibus exornatas, adaucta fuit: *Hispanorum videlicet vires fractas, Gallorum ad bellum apparatus, quam ante hunc diem, majores existere, quibus se majora quoque efficere posse persuasum sibi habebant.* Gallorum insuper Legati vires Hispanorum assiduè nobis extenuando, *subactarum sc. Provinciarum Civitates in dubio versari, neque diutius onera aut census exsolvere, quinimo semetipsas Hispanorum dominio certissimè subducere velle*, plus mali atque incommodi Suis quam boni efficiebant, quandoquidem hoc pacto Fœderati Belgii Provinciar. Præpotentes D. D. Ordines Generales magis Gallos quam Ipsosmet Hispanos metuebant: quippe Fœderati Belgii Provinciæ expugnatione Hulstana satis superque munitæ erant, neq; ab Hispanis sibi quidquam metuendum habebant. At vero, si reliqua pars Flandriæ à Gallis occupata foret (prout Tractatio Provinciarum Divisionis talia continebat) Præpotentes D. D. Ordines Generales ingentes nimis & formidabiles sibi Affines consequuturos esse credebant.

Quæ quidem suspicio Provinciarum, imprimis vero Hollandiæ Moderatorum ac Subditorum optimorum animos indies magis magisque cepit: Reliquarum enim Provinciarum tam altæ examinationi rem minimè subjiciebant, sed bellum omni studio promotum cupiebant. Quem in finem etiam nonnullæ Fœderati Belgii Provinciæ instabant, ut more solito subsidii Copiarumque eductionis Tractatio cum Gallis renovaretur: quapropter etiam literæ mandatoriæ ad D. Oostervicium Præpotent. D. D. Ordinum in Gallia Legatum missæ fuerunt, Idque Hollandiæ Ordinibus inscius, quod tamen in ipsorum Concilio nonnihil molestiæ postmodum concitavit.

Die 22. Martii, Renswoudæ Dominus in Concilio Præsidens, reliquarum Provinciarum Ordinum Deputatos adhortatus est, ut ipsis placeret Deputantium suorum sententiam exponere, super literis Auctoritatis nono die Februarii, proximè elapsi compositis, in Concilio recitatis, atque à Provinciarum Ordinum

Deputatis D. D. suis Deputantibus missis, prout ad Reipub. commodum atque ad Tractatus Monasterii incundi certitudinem & securitatem, qualem Hispanorum Plenipotentiarii exigerent, pertinere arbitrarentur. Secundò, summè dictus Dominus Renswoudæ in Concilio Præsidens, Provinciarum Ordinum Deputatos rogavit, ut D. suorum Deputantium sententiam explicare vellent, super animadversionibus in literas Auctoritatis à Præpotentibus D. D. Ordinib. tricesimo & primo die Octobris, Anno 1645. D. D. Plenipotentiariis ad Tractationem Monasteriensem concessas; quæ quidem animadversiones in eo consistebant, ut nimirum vox *Necessario* è literis Auctoritatis omitteretur, utpote adjectiva vocis Absentiæ; Secundò ut in Præpot. D. D. Ordinum General. literis Auctoritatis, clausula Ratihabitionis *à tempore præsenti*, pro eo, *à futuro*, insereretur. Posthæc in Concilium Ordinum sex Hollandiæ Deputati Extraordinarii pervenerunt, ac simul cùm Ordinariis Ejusdem Provinciæ Deputatis vehementer institerunt, ut super Actis quibusdam Monasterii, in Provinciæ suæ Ordinum sententiâ vicesimo & quarto die Februarii, proximè elapsi, (cujus exemplaris cuique Provinciæ Copiam fecerant) in Monasteriensem Tractationem institutâ, porrò ageretur, donec literæ Auctoritatis decernerentur atque exhiberentur. Quo in consilium vocato, visum consultumque fuit, ut è literarum Auctoritatis titulis semoverentur, quem ad modum etiam præsentes semoventur verba, *Vtriusque Orientalis & Occidentalis Indiæ*, insuper etiam è consequentibus, verba *delegati*, quin etiam verba, *in multos Annos.* Quod autem ad literas Auctoritatis attinet, quas Præpotentes D. D. Ordines Generales Dominis suis Plenipotentiariis ad Monasteriensem Tractationem dederant, concessum fuit, ut ex iisdem delerentur, quemadmodum per præsentes delentur verba sequentia, *Necessario*, sed quod insertionem clausulæ *Ratihabitionis de præsenti*, loco *Ratihabitionis de futuro*, spectat, quæ Præpotent. D. D. Ordinum literis Auctoritatis fuerat inserta, summè dicti Ordines declarabant, se ejusdem mutationem ab Hispanis petitam neutiquam concedere posse, sed vero eam penitus denegare, proindeque, ut memoratus literarum Auctoritatis conceptus ipsæque literarum Auctoritatis literæ eo modo ac formâ permanerent, decretum fuit, utque tum conceptus tum ipsæ literæ secundùm formam & constitutionem suam ad Præpotentiùm D. D. Ordinum Plenipotentiarios Monasterium mitterentur; nimirum conceptus literarum Auctoritatis, qui Hispanorum Plenipotentiariis traderetur, secundùm quem à Rege suo literas Auctoritatis formâ debita impetrarent, literæ quin etiam Auctoritatis à Præpotentibus D. D. Ordinibus Plenipotentiariis suis concessæ, ut cum Hispanorum Plenipotentiariorum literis commutarentur: Quapropter summè dicti Plenipotentiarii se ad literas mandatorias Præpotent. D. D. Ordinum quinto die Februarii, proximè elapsi, porrò componerent. Sed quod attinebat, ad ea, quæ tam Extraordinarii quam Ordinarii Hollandiæ Deputati de Actis supradictis proposuerant, nihil certi constitutum fuit, propterea quod Frisiæ & Trans-Ysulaniæ Deputati ea in re cum Hollandiæ Deputatis consentiebant, Zelandiæ verò Ultrajectiq; Deputati se nihil mandati super hoc Negotio accepisse declarabant; quodque Gelriæ Ordin. Deputati declarabant, se de supramemoratis Actis solos agere posse, si videlicet reliquæ Provinciæ consentirent, soli autem Civitatum Groningæ

ningæ Omlandiæque Ordinum Deputati aberant, neque per literas neque per Deputatos suos quidquam super iis, quæ hactenus proposita fuerant, responderant, quamvis Utriusque Provinciæ Ordinum Deputatis, aliis de causis Hagæ-Com. commorantibus, atque ad Concilium Præpotentium D. D. Ordinum variis temporibus eâ potissimum de causâ convocatis, omnium quæ acta fuerant exemplaria tradebantur, quæ Deputantibus Suis referrent, Eorumque mandata expecterent; adversus quæ tamen Hollandiæ Deputati protestati fuere.

Literæ autem seu Conceptus Auctoritatis, quam ad formam ab Hispanis exigebatur, etiam prius quam de Eodem Ordines convenissent, respectu Actorum, quorum beneficio cum Hispanis ulterius ageretur, Dominis Galliæ Legatis Monasterii communicatus fuit; qui eum sibi majorem in modum displicere dixerunt, idque duobus in locis, primò quod clausula *Tractandi simul cum Sociis & Fœderatis Suis* fuerat omissa; prout ea Hispanorum literis Auctoritatis fuerat inserta, Tractandi sc. cum Gallis. Quam licet ad literarum Auctoritatis essentiam neutiquam pertinere confiterentur, tamen eam inserendam esse necessarium existimabant, quò arctissimum Fœderationis & Societatis vinculum Gallos inter & Ordines Fœderati Belgii Generales, tam *re ipsâ* (quæ quidem ipsorum verba sunt) quam *secundùm apparentiam* innotesceret. Secundò, ea ipsis clausula continuo displicebat, *Tractandi cum Fœderati Belgii Ordinibus Eorumve Plenipotentiariis.* Cum tamen in omnibus Auctoritatis literis à Cæsarea Sua Majestate, Regia Majestate Galliæ, Sueciæ & Principibus Electoribus, &c. datis, hæc simpliciter inserta erat, *Tractandi cum Plenipotentiariis*; Illud addendo, quemadmodum Hispani semper optârant, cum Fœderati Belgii Ordinibus seorsim Tractationem instituere, hanc clausulam jam eò pertendere; Idcircò ejusdem clausulæ mutationem majorem in modum petebant: quæ tamen petitio haud multum apud Præpotentes Ordines valuit: Sed, loco mutationis, Hollandiæ Ordines semper institerunt, ut Dominus Pauw & Dominus Knuytius Monasterium delegarentur, atque ibidem cum Hispanis Actorum quorundam beneficio ulterius agerent: Zelandiæ verò atque Ultrajecti Ordinum Deputati in contrariam ibant sententiam, Copiarumq; eductionem accerrimè urgebant.

Mense hoc Aprili, sexto sc. & decimo octavo die, sequentes Tractatus de Copiarum videlicet Classiumque eductione, initi confirmatique fuerunt.

Majestas Sua Galliæ Consilio Serenissimæ Matris Suæ Regentis illud sedulò considerans, quod jam biennium præterierit, quo tot Legati, Plenipotentiarii & Deputati Monasterium Pacis publicæ Tractationi destinatum convenerunt, neque hactenus quidquam transegerunt; Insuper etiam quod Hispani dissidium potius ac dissolutionem inter Amicos & Fœderatos interjicere, quam lites omnes optimo atque honestissimo modo tollere ac componere conati sint. Eapropter Majestas Sua constituit decrevitque invasiones atque oppugnationes adversus Eos conduplicare, quo ipsos vi armorum suorum ad Pacem adducat, & quanto studio quantisque viribus poterit, unà cum Fœderati Belgii Ordin. Generalibus Eosdem aggredi. Quibus Ordinibus Generalibus, quo tantos sumptus expeditioni cuidam insigni conficiendæ impendendos

sufferre

sufferre queant, summè dicta Majestas ad Annum præsentem 1646. subsidium aliquod nummarium extraordinarium, secundùm subsequentes Articulos, concessit.

1. *Majestas Sua Regia Anno hoc 1646. summè dictis Ordinibus Generalibus duodecies centenis librarum millibus subveniet, quibus Ordines Generales Extraordinarias militum Copias, aut jam conscriptas, aut postmodum conscribendas, exsoluturi sunt; adeo ut dictam nummorum Summam nulli rei, præterquam Copiis exsolvendis, impendere liceat; quod summè dicti Ordines Generales constanter atque inviolabiliter observaturi sunt, quo mediis, quibuscunque poterunt optimis, hostes invadant atque oppugnent.*

2. *Majestas Sua in certiorem nummorum exsolutionem Chirographum, seu Assignationem, quam vocant, dari curabit, atque in satisfactionem Ejus, quem D. D. Ordines Generales hunc in finem in Gallia præficient, quo Parisiis dicti nummi præsenti Anno exsolvantur; quæ quidem exsolutio tribus Anni terminis instituetur, nimirum quater centena librarum millia à primò Confirmationis & Ratihabitionis die; quater itidem centena librarum millia Mense Iulio, proximè venturo, quater denique centena librarum millia Mense Octobri subsequente.*

3. *Qua lege ac conditione summè dicti Ordines Generales semetipsos obstringunt atque obligant, se exercitum satis ingentem satisque instructum, quò expeditionem aliquam insignem conficere possint, educturos. Quod Majestas Sua itidem promittit ac pollicetur: Videlicet se ingentem satisque instructum exercitum educturam esse, quo præclari quid in Belgii Provinciis effectum reddère, sive Hostes quantis poterit incommodis afficère queat.*

4. *Summè dicti Ordines Generales concedunt, ut Gallorum Præfectorum stipendia, à supra memorata nummorum Summa deducantur ac reserventur, quò statim Præfectis exsolvantur eo plane modo, quo Tractatu Anno 1630. insuper etiam decimo & quarto die Aprilis, Anno 1634. inito, concessum conventumque fuit: deinde ut is, qui ab Ordinibus Generalibus nummorum, Parisiis aunumerandorum, receptioni præfectus fuerit, obstrictus obligatusque sit Gallorum Præfectorum stipendia à posteriori nummorum Parte exsolvere.*

5. *Majestas Sua Regia Ordinesque Generales sex septimanarum, aut duorum Mensium spatio, si fieri poterit, præsentes Articulos confirmabunt & subsignabunt.*

6. *Præsens autem Tractatus Superioribus inter Majestatem & Ordines Generales initis Fœderibus Ligisque nihil quidquam derogabit, utpote quæ vim suam ac vigorem obtinebunt, atque à Parte utraque constanter atque inviolabiliter observabuntur.*

In quorum omnium Testimonium, Nos Deputati & Commissarii vi Literarum Nostrarum Auctoritatis & potestatis præsentibus manu Nostra subsignavimus solitisque sigillis munivimus. Actum Parisiis, sexto die Aprilis, Anno 1646. Notatum erat, de Lomenie (L. S.) Particelle (L. S.) d'Estrades (L. S) Gulielmus de Lyere (L. S.)

In pleniorem Articuli tertii præsentis Tractatum concessum fuit, ut Majestas Sua Regia & Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Generales singuli exercitum octodecim seu viginti millium peditum, & quatuor millium supra quingentos, sive quinque millium equitum in Belgii Provincias educeret, ad summum quarto die Maji, proximè venturi, nisi ii, cujus ductu atque auspiciis Regis Hispaniarum Copiæ educuntur, suas primum educeret: quo quidem casu Majestas Sua Ordinesque Generales Copias suas educere obstringentur, quocunque Hostes se verterint. Quinetiam conventum fuit, ut D. D. Ordinum Generalium Copiæ ejusmodi locum oppugnarent, cujus expugnatione plurimum ad Hostes damni pervenire posset; utque Majestatis Copiæ similiter locum quendam munitum oppugnarent, sive ejusmodi in Hostium agros

agros invasionem occiperent, ut Hostes exercitus sui Partem plurimam adversus Majestatis Suæ expeditiones impeditam habere cogantur, utque Celsissimo Arausionensium Principi tantò melior rei feliciter gerendæ occasio præbeatur. Eâ lege tamen ac conditione, ut, si Majestatis Suæ Copiæ nihil aliud præterquam simplicem Hostium Copiarum distractionem efficere possent, quatuordecim diebus ante D. D. Ordinum Generalium Copias educerentur; sin vero conclusum decretumque fuerit, ut utriusque Partis Copiæ locum quendam munitum oppugnarent, dicto ac constituto die educendæ erunt, eâ lege, ut is, qui promissionibus suis non steterit, fidei malè servatæ arcessendus veniat.

Summè dicti Ordines Generales promittunt ac pollicentur se curaturos atque effecturos esse, ut triginta, ducentorum, trecentorum, quadringentorum & quingentorum vehium naves, suis sumptibus debito modo exornatæ instructæque, vicesimo die Aprilis Caletum præternavigent, quò Hostes à Parte maritima Flandriam intrare prohibeantur; Ac si Regia Majestatis Copiæ Oppidum aliquod ad Oras Flandriæ maritimas aggressæ fuerint, supramemorata navium triginta Classis tamdiu in Oris Flandricis permaneat, quamdiu Regiæ Copiæ occepta expeditione impeditæ tenebuntur; ipsum quinetiam Oppidum à Parte maritimâ hoc modo oppugnatura, ne quis aut Hispanorum, aut aliorum Regum & Principum Copiis armisque obsesso Oppido quocunque tandem modo succurrere queat.

Summè dicti Ordines Generales tali quoque casu commeatum omnem, qui è Gallia supportabitur, ad Castra Regia sufficiente militum præsidio pervecturos, sive ut pretio mediocri eodem perrehatur, curaturos esse promittunt, si nimirum ventus adversus fuerit, adeò ut è Gallia abunde satis apportari nequeat, sed vero si secundus fuerit, ut è Fœderati Belgii Provinciis ad supradicta Majestatis Suæ Castra pervehi commodius posit, quo expeditionem, quam Copiæ Ejusdem instituent, facilius maturiusque conficiant: Cui quidem expeditioni Majestas Sua nunquam arma viresque suas intendisset, nisi firmiter sibi persuasum habuisset D. D. Ordines Generales præsentis Tractatus Articulos constanter fideliterque esse observaturos, quos fide, quæ est optima, observaturos se promittunt spondentque, aut si contrarium patrarint, ut perfidiæ & Tractatuum cum Majestate Suâ initorum violationis accusandi veniant.

Quinetiam summè dicti Ordines Generales promittunt ac pollicentur, se Majestatis Suæ Copiis concessuros esse, ut Mosam Trajectensem liberè secureque trajicere posint, eâ lege tamen ac conditione, ne illud in Provinciarum suarum damnum aut præjudicium cedat.

Denique D. D. Ordines Generales promittunt ac pollicentur, se Copias suas in Vrbium stationibus non locaturos, quamdiu publicum commodum permittere ac tempus postulare videbitur.

In quorum omnium Testimonium, Nos Deputati, vi literarum Nostrarum Auctoritatis, præsentibus manu Nostrâ subsignavimus, Annulisque signatoriis munivimus. Actum Parisiis, sexto die Aprilis, Anno 1646. Notatum erat, de Lomenie, Particelle, d'Estrades, Gulielmus de Lyere.

Quum autem Fœderati Belgii Provinciarum nautæ jam à multis retrò Annis propter injurias sibi à Gallorum navibus bellicis, (vulgò *Bestelling-Vaerders*) in mari Mediterraneo, sæpenumero quererentur; Idcircò Dominus Reynst Amstelodamensis, Commissarii qualitate in Galliam delegatus fuit, qui una cum Ordinario Fœderati Belgii Provinciarum Legato sequentem de navium eductione Tractatum inivit.

Majestas Sua Consilio Matris Suæ Regentis magis magisque Ordinibus Fœderati Belgii Generalibus animi sui ac benevolentiæ erga Eosdem indicia facere cupiens, propter querelas sæpenumero ab iis institutas, eò quod Provinciarum suarum Subditi variis & miseris modis in Commerciis ac Navigationibus perturbarentur, simul etiam naves ipsorum mercenariæ à Majestatis Suæ navibus bellicis armatisque ducibus diriperentur, quum in navibus mercenariis quidquam bonorum ad Hostes pertinentium invenirent, quapropter etiam ejusmodi naves mercenariæ prædam justam haberent, Idque ex præscripto decreti à Serenissimo Rege Henrico III. *(gloriosissimæ memoriæ) Anno* 1584. *super Commerciis ac Navigationibus editi. Cui quidem malo Majestas Sua Regia ordine aliquo certo bonoque mederi cupiens, & quibuscunque mediis poterit optimis, malis atque incommodis, quæ ex ipsa dicti decreti executione quotidie oriuntur, occurrere, nec non ad tempus aliquod ab ejusdem Decreti vigore abscedere, in summè dictorum Ordinum Generalium commodum, propter petitionem ea de causa per Dominum Oostervicium, Ordinarium Eorundem apud Nos Legatum, simul etiam per Dominum Reynstium, qui ad Nos Eapropter Commissarii qualitate missus fuit, institutam; qui, postquam indicassent, se quædam Majestati Suæ super Commerciorum Negotio proponere ac rogare velle, Commissarios itidem à Parte sua delegavit, qui Eosdem interrogarent ac, quid petituri essent, inquirerent, & quæcunque optima & Navigationibus Commerciisque maxime inservientia fore arbitrarentur, cum iisdem concluderent ac decernerent; Qui tandem variis colloquiis & conventibus ultrò citroque habitis atque institutis, de sequentibus inter se convenerunt.*

1. *Executio Decreti à Serenissimo Rege* Henrico III. *Anno* 1584. *super Commerciorum Negotio editi, quo indicatur,* Merces aliaque bona ad Hostes pertinentia cedere publicationi eorum qui ex Amicis & Fœderatis sunt, *donec eam in rem ordo aliquis bonus decretus fuerit, differetur: qui quidem decreti Articulus dehinc adversus Fœderati Belgii Provinciarum Subditos neutiquam observabitur, neve ad quadriennii spatium executioni mandabitur; adeò ut naves mercenariæ beneficio Salvi-Conductus ab Archithalasso D. D. Ordinum Generalium concessi, in Mari Mediterraneo, Sinu Levantico & Oceano, ubi sc. Salvi-Conductus Certificationem, quam vocant, ab Archithalasso datam, sive locorum & Subditorum, ad quos dictæ merces pertinebunt, exhibuerint, liberè securèque cum omnibus suis mercibus, quin etiam* frumento ac semine, cujuscunque *generis fuerit, ad Hostes pertinente, navigabunt; exceptis tamem mercibus* exportari vetitis, *cujusmodi sunt,* Pulvis pyrius, sclopeta, omniaque armaturæ genera, Equi, aut quidquid bello inservire potest; *milites quinetiam Hostium advehere vel avehere neutiquam licebit; aut qui contrà fecerint, Eorum tam naves quam merces cum omnibus eodem spectantibus licita justaque præda habebuntur: quod similiter executioni mandabitur adversus eos, qui frumentum, arma, seu quod ad bellum spectat, ejusmodi in loca asportaverint, quæ Regiis armis tunc temporis oppugnabuntur.*

2. *Contrà vero, à Parte Fœderati Belgii Ordinum Gener. denuo in lucem edentur ejusmodi decreta, quibus Subditi sui prohibebuntur, Regi Hispaniarum Ejusdemve Sociis, sive navibus, in quacunque Regis Hispaniarum expeditione, equorum militumque transvectione, tormentis quibuscunque, armis, cæterisque rebus bellicis, quinetiam navium Suarum venditione, militum Sociorumque navalium traditione, quicquam officii præstare; eâ lege ac conditione, ut contrafacientium naves, merces bonaque omnia tanquam justa præda diripienda veniant. Ac si Serenissimus Galliar. Rex de transgressionibus ac Decreti ejusmodi violationibus conquestus*

questus fuerit, pro Iudicum arbitrio rerumque in Gallia Inquisitione, quæ per Senatus Archithalassi Pratores sive per Majestatis Suæ Agentes, aut Gallorum Consules, in ejusmodi portubus orisve exterarum regionum maritimis commorantes, instituta fuerit, supplicium ab ejusmodi sumere obstricti obligatique teneantur; Ac si quæ naves Ejusmodi transgressorum decretique violatorum à Majestatis Suæ Nautis Ducibusque interceptæ forent, cum omnibus Suis mercibus bonisque tanquam licita præda habeantur. A Parte itidem Majestatis Suæ, Ejusmodi decreta, sub pœna iisdem comprehensa, de novo in lucem edentur.

3. *Et quo omnis lis ac contentio, quæ dehinc oboriri posset, cum naves mercenariæ Fœderati Belgii Subditorum Majestatis Suæ navibus bellicis, aliisve Ducibus armatis occurrent, evitetur prorsusque amoveatur, dictæ naves mercenariæ, quamprimùm vexillum navium Gallic. (quæ nihilominus, quòusque se tormenti ictus porrigit, à dictis navibus abesse cogentur) conspexerint, reverentiæ ergo vexillum Suum dimittere tenebuntur, à cursum sistentes, ubi signum ipsis datum, tormentumque sine globo explosum fuerit, ad naves Majestatis Suæ bellicas accedere tenebuntur, sic tamen ne vela Sua dimittere cogantur (quippe Majestas Sua in Ordinum Generalium commodum de jure Suo, quoad decreti Anno 1584. editi observationem, discedere cupit, ad quatuor scil. Annorum spatium, donec supradictus ordo super Commerciorum Negotio compositus ac divulgatus fuerit) quo supra memoratis navibus bellicis alisque Regiis Ducibus, quibus Majestatis Suæ navium imperium permissum fuerit, tempus detur, scapham Suam ad naves mercenarias advehendi, quæ quidem tres quatuorve viros recipient, iisque Navigationis Suæ cursus indicabunt Salvosque-Conductus exhibebunt; similiter etiam iisdem inquirere licebit, num quidquam mercium, quæ exportari vetitæ sunt, & quarum supra mentio facta est, in dictis navibus mercenariis reperiantur, absque ullâ tamen ulteriore Inquisitione, sive mercedis pro eadem receptione. Ejusmodi vero Inquisitio non nisi in Mari aliisve locis exteris permittetur; Salvâ tamen consuetâ illâ atque ordinaria in portubus Gallicis Ejusmodi navium Inquisitione, quæ jam à multis retrò Annis in omnibus Galliæ portubus obtinuit.*

4. *Quo autem summè dictorum D. D. Ordinum Generalium Subditi tantò certiores reddantur, nihil sibi in Ejusmodi Inquisitione mali oboriturum, omnibus idcirco singulisque navium Majestatis Suæ Ducibus & Præfectis seriò mandabitur, ne quidquam dictis navibus mercenariis molestiæ damnive inferant, eâ lege, ut contrà facientibus omne, quod illatum fuerit, damnum imputandum veniat: Duces quinetiam naviumque bellicarum Præfecti dehinc ante discessum Suum, coram Iudicibus ejusdem loci, quo soliturì sunt, de duodecim librarum millibus cavebunt, Idque in securitatem ac certitudinem, si fortè mali quid in Navigatione Sua perpetrarint, aut Decreti hujus aliorumque Tractatuum Articulos violarint; eâ lege ac conditione, ut Decreti hujusce aut Tractatuum quorumcunque transgressorum literæ Auctoritatis, quibus navium Suarum Imperium permittitur, nullius æstimandæ sint. Quod similiter à Fœderati Belgii Subditis fideliter observabitur.*

5. *Dum autem supramemoratus Commerciorum ordo componatur, atque in lucem edatur, Majestati Suæ petitioni D. D. Ordinum Generalium satisfacere volenti, visum consultque fuit, ut Articulus sexagesimus & primus Tractatui, Anno 1584. inito, insertus, super navium ab hostibus direptarum receptione, dehinc loco* viginti quatuor horarum, quadraginta supra octo horarum *spatium observaretur, Idque secundùm Decreti præscriptum: quod tamdiu observabitur, quamdiu præsens Articulus executioni mandabitur.*

6. *Atque omnes & singuli jam memorati Articuli à Fœderati Belgii Ordinibus Eorumque navi-*

navibus bellicis observabuntur. Quod autem ad Gallicas naves Mercenarias attinet, eâdem cum Fœderati Belgii Subditorum navibus libertate ac securitate gaudebunt.

7. Præsentes denique Articuli Fœderibus & Tractatibus inter Majestatem Regiam Ordinesque Generales initis & confirmatis nihil quidquam derogabunt; sed vim suam retinebunt. Insuper etiam sex septimanarum spatio præsentium confirmationem & Ratihabitionem utriusque Partis Commissarii curabunt.

In quorum omnium testimonium Nos Commissarii, Legatus & Deputati, vi literarum Nostrarum Auctoritatis ac Potestatis, præsentibus manu Nostra subsignavimus, annulisque signatoriis munivimus. Actum Parisiis, decimo & octavo die Aprilis, Anno 1646. Notatum erat, Seguier d'Antry, (L. S.) de Lomenie (L. S.) Particelle (L. S.) Bignon (L. S.) Guilielmus de Liere (L. S.) Gion. Reynst (L. S.)

Vicesimo & primo die Aprilis cum in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Extraordinarii & Ordinarii Hollandiæ Deputati ulteriorem Deputantium Suorum sententiam ac Declarationem super Copiarum eductione tradidissent; quæ in hisce potissimum consistebat, quod nimirum Domini Sui Deputantes Copiarum eductionis Negotio tanto studio incumberent, ut quatuor aut quinque dierum spatio à propositione in Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Concilio simul cum reliquarum Fœderatarum Provinciarum Ordinum Propositione tradenda, studium ac benevolentia Sua innotesceret; Idcirco Præpotentes D. D. Ordines Generales promissa illa sibi persuasa habentes, deliberato Consilio decreverunt, ut hujusce Reip. Plenipotentiarii Hispanorum literas Auctoritatis, secundum Earundem conceptum vicesimo & secundo die Martii, proximè elapsi, approbatum, ac supramemoratis Hispanorum Plenipotentiariis traditum, urgerent; ac si supradicti Hispanorum Plenipotentiarii Ejusmodi literas Auctoritatis necdum accepisse se, verum ex Hispaniâ aut aliunde Easdem petiisse dicerent, dicti Ordinum Generalium Plenipotentiarii omni Tractatione prorsus abstinerent; & tempus duntaxat inquirerent, quo requisitas Auctoritatis literas Hispani exhiberent, omisso tamen omni continuationis sermone. Sin vero supramemorati Hispanorum Plenipotentiarii ultrò & sponte sua Acta quædam ad continuandam Tractationem offerrent, quorum beneficio (dum requisitæ multoties Auctoritatis literæ expectarentur) Pacis Tractationem continuarent; illud duntaxat curando, ut ejusmodi Acta sequentia continerent;

Nimirum, ut Hispanorum Plenipotentiarii fide, quæ est optima, promitterent ac pollicerentur, Se certo & determinato temporis spatio, in memoratis Actis exprimendo, literas Auctoritatis, quarum Conceptus sequebatur, aut quarum mutatio nulla fieret, exhibituros esse.

Vicesimo & sexto, & vicesimo & octavo die D. Pauw & D. Knuytius Præpotentibus D. D. Ordlnibus in Concilio valedixerunt.

Marchio autem de Castel-Rodrigo, postquam jam Pacis Tractationem universam hactenus omitti, Provinciarum quinetiam Fœderatarum Ordines inter Sese dissentire animadvertisset, alteras hasce ad Præpotentes D. D. Ordines Generales literas exaravit.

PRÆ-

PRÆPOTENTES DOMINI,

Quandoquidem animadverti, non eadem diligentia Tractationem Monasteriensem continuari, quam mihi quidem è responsione Vestrâ ad literas à me secundo die Decembris, proximè elapsi, ad Vos missas, in animum induxeram, sed verò eâ tarditate, quâ pleraque hujusce Conventus Tractationes, peragi, insuper etiam propter rumores, qui ad Nos Parisiis perferuntur, Gallos videlicet novum aliquem Vobiscum Tractatum iniisse, quo Gandavensium Oppidum, quamprimum Vtriusque Partis Copiæ eductæ fuerint, obsideant; Idcircò quam maximè necessarium esse duxi, ut ad memorati Gandavensium Oppidi defensionem ac propugnationem Copiæ quædam educerentur; majorem in modum rogans atque obsecrans, ut hanc Copiarum Nostrarum eductionem pro Vestra singulari benevolentia excusatam habere, Tractationemque porro continuatam velitis, prout in universi Orbis Christiani Pacem decet. Ego autem literas hasce ad Vos dare eò volui, quò consilium animique propositum indicarem; simul etiam peterem, ut non dissimili animi Vestri studio & voluntate Tractationem hanc transigatis, quâ Eandem incepistis, præcipiendo & mandando, ut ea omnia, quæ Tractationi moras aliquas injicere possunt, dissolvantur prorsusque amoveantur. Ac si Vobis, dum hæc statuentur, visum consultumque fuerit Inducias quasdam sive armorum suspensionem decernere, ad Tractationis Vniversalis conclusionem ac confirmationem, paratum me semper habebitis, quò cognoscere possitis, quid animi Rex Hispaniarum, Dominus Noster, Ejusdemque Ministri habeant, quemque Vobis semper exhibuerunt, ad bonum publicum, quibuscunque modis optimè possent, promovendum. Quod facturos Vos esse confidens, Vobis me semper officiosissimum præstabo. Notatum erat, Marchio de Castel-Rodrigo. Dabantur Bruxellis, vicesimo & quinto die Aprilis, Anno 1646.

Perlatæ itaque in Concilium Ordinum literæ, vicesimo & nono die Aprilis, Nobilissimo Domino Huygenio fuerunt traditæ, quò cum Celsissimo Arausionensium Principe de iis ageret; Cujus quidem consilio Dominus Huygenius, Dominus de Wimmenum, & Dominus vander Hoolck delegati fuere, ut Easdem Majestatis Regiæ Legato communicarent: Insuper etiam Earundem exemplar Præpotentium D.D. Ordinum Legato, in Gallia commoranti, & Plenipotentiariis, Monasterii Agentibus, missum fuit, quo Præpotentium D. D. Ordinum animus sincerus ac fidelis, de nulla Tractatione cum Hostibus privatim instituenda, omnibus innotesceret.

Responsio autem ad literas supramemoratas hæc fuit.

NOBILISS. DOMINE,

Literas ad Nos Bruxellis quinto & vicesimo die Aprilis proximè elapsi exaratas misisti, iisdemque indicasti, Tractationem scil. Monasteriensem non eâ diligentia peragi, quam Tibi quidem è responsione nostra ad tuas, nono die Decembris, Anno 1645. missas, literas persuasum habueras; deinde etiam rumores sive indicia Parisiis allata esse, de novo scil. Tractatu cum Gallis inito; Quapropter in rem fore existimavimus de iis ad te scribere; Legatos videlicet Nostros & Plenipotentiarios eum in locum, qui ab omnibus iis, quorum interest, destinatus ac constitutus fuit, cum omni potestate atque Auctoritate munitos pervenisse, ad Pacem & tranquilli-

quillitatem Universi Orbis Christiani componendam & confirmandam; Nostramque insuper voluntatem atque intentionem & fuisse hactenus & etiamnum esse omnes confusiones, dilationes aliaque impedimenta, quibus Negotium tam bonum tamque utile aliqua ex Parte dissolvi atque abrumpi posset, longissime semovendi. Interim tamen in memoriam Tibi revocare visum fuit, necdum à Rege Hispaniarum Domino Vestro ejusmodi defectibus occursum fuisse, quibus Legati & Plenipotentiarii Nostri literas Auctoritatis à Rege Legatis & Plenipotentiariis Suis concessas laborare indicarunt, quamvis, ut eædem faciliores reddantur, Conceptus quidam novarum Auctoritatis literarum, tricesimo die Martii proximè elapsi Dominis Legatis & Plenipotentiariis Ejusdem Monasterii traditus fuerit: adeò ut satis superque appareat, cujusnam culpâ Monasteriensis Tractatio tam negligenter socorditerque peragatur. De novo autem Tractatu, cujus similiter mentionem fecisti, nihil quidquam nobis innotüit; Quapropter hoc Tibi persuasum ut habeas, etiam atque etiam rogamus, Nos unanimiter ad id operam daturos esse, quo salus omnium atque incolumitas, quibuscunque mediis optimè fieri poterit, promoveri queat; Quod Te non minus curaturum confidentes, præsentibus subsignavimus. Dabantur Hagæ-Com. Batavor. secundò die Maji, Anno 1646.

Quamprimum autem Dominus Heemstedius & Dominus Knuytius Monasterium reversi fuissent, illico literas jam memoratas Dominis Legatis Galliæ exhibuerunt, Hispanorum vero Plenipotentiariis, quid in Mandatis haberent, exposuerunt, & Tractationem vicesimo & octavo die Januarii, proximè elapsi, continuarunt; juxta quam de sequentibus inter se convenerunt.

Nos Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii Regis Hispaniarum, & Fœderati Belgii Præpotentium Ordinum Generalium, quorum nomina inserta leguntur, declaramus, optimâ Nos gratiâ convenisse ac concessisse, ut Conventus, qui inter Nos instituerentur ante præsentem Tractationem, vicissim in cujusque Partis hospitio haberentur, utque ea Pars, cujus vices fuerint ad Conventum accedere, in introeundo, considendo *&* exeundo, *dextrum semper latus clausura sit, quem ad modum à Nobis prima illâ & solenni visitatione, quæ alternatim instituebatur, observatum fuit. Insuper etiam asserimus, Nos in eo convenisse & concessisse, ut omnia, quæ inter Nos transigerentur, literis conscriberentur, atque eodem tempore traderentur, omniaque scripta illa, quæ eam in rem instituenda venient, literis Gallicis & Belgicis componerentur, & sedulo accuratèque inter se collata, authentica omnia forent atque haberentur. In ejusmodi vero Conventibus, qui verbis duntaxat mutuis peragentur, tum Gallicâ tum Belgica Lingua sine discrimine, prout cuique commodissimum videbitur, uti licebit. In quorum omnium testimonium, ne quid posthac difficultatis superesset, præsentibus manu Nostrâ subsignavimus, annulisque Nostris signatoriis munivimus. Actum Monasterii, quinto die Maji, Anno 1646. Notatum erat,* Comes Penerandæ, Fr. Joseph de Bregagne, Archi-Episcop. Cameracensis, Don Diego Savedra Faxardo, A. Brun, Bartoltius à Gent, Johannes de Matheneße, Adriaen Pauw, Joh. de Knuyt, Gov. à Reede, F. van Donia, W. Ripperda, Adrianus Clantius.

Deinde autem Hispani, postquam novissimus literarum Auctoritatis Conceptus ipsis fuisset exhibitus, eundem hoc modo Se effecturos esse promiserunt, Actaque sequentia proposuerunt.

„ Quandoquidem ad Tractationem inter Nos, Extraordinarios Legatos & Ple-
„ nipotentiarios Hispaniarum Regis ab unâ; Et Fœderati Belgii Præpotentium

D. D.

D. D. Ordinum Generalium Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios ab altera Parte hactenus initam, continuandam promovendamque, summè dicti Præpotent. D. D. Ordinum General. Legati & Plenipotentiarii declararunt, literas Auctoritatis ad modum Literarum Auctoritatis conceptus à summè dictis Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatis Nobis Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis Regis Hispaniarum traditi, *absque ullâ mutatione substantiali*, exhibendas omnino esse; Quas equidem Auctoritatis literas ut consequeremur, ad Regem Hispaniar. Legationem quandam instituere necesse habuimus; simul etiam certo ac determinato temporis spatio Literas Auctoritatis secundùm terminos supra memoratos tradere polliciti sumus; Eâ lege tamen ac conditione, ut jam dicta Tractatio, dum promissæ Auctoritatis literæ exspectantur, continuaretur ac promoveretur; quibus exspectandis summè dicti Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii duorum Mensium spatium concesserunt; Idcircò promisimus fidemque dedimus, quemadmodum etiam per præsentes promittimus & fidem, quæ est optima Equitum Nob. ac Dominorum qui honorem famamque bonam amplectuntur, damus, Nos à Rege Hispaniarum Domino Nostro consecuturos, dictisque Dominis Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ante Kalend. Julii, proximè venturi, traditurus esse literas Auctoritatis, *absque ullâ mutatione substantiali*, secundùm formam supra memoratam minimasque Earundem clausulas, hunc in modum,

D. Philippus Dei Gratiâ, Rex Castellæ, &c.

In quorum omnium testimoninm Nos Regis Hispaniar. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii præsentibus manu Nostrâ subsignavimus, Annulisque signatoriis in cerâ rubrâ obsignavimus. Actum Monasterii Westphalorum, septimo die Maji, Anno 1646. Notatum erat, *Comes Peneranda, Fr. Iosephus Archi-Episcopus Cameracensis, A. Brun.*

Postquam vero ad Tractationem reversi essent, Hispanorum Legati & Plenipotentiarii sequentia, quæ vicesimo & octavo die Januarii obtulerant, repetierunt.

Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii Majestatis Suæ Catholicæ, quorum Nomina sequentibus inserta leguntur, retinentes ac conservantes pristinam illam & sinceram animi Sui voluntatem belli mala miseriasque universum Belgium hactenus infestantes optimâ conditione ac gratiâ finiendi prorsusque tollendi, invocato Divini Numinis auxilio, quo Negotio tam exoptato ac salutari benedicere dignetur, D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis, ad modum prioris oblationis, abhinc Mensibus tribus tradita, proponunt atque offerunt sequentia.

1. *Nomine locoque Majestatis Suæ Catholicæ cum eadem componentur duodecim, aut viginti Annorum Induciæ ad formam, Clausulas Articulosque Induciarum Anno 1609. compositarum.*

2. *Ratihabitioni & Confirmationi, quam Majestas Sua ad Tractationem ab Vtraque Parte initam confirmatamque Se tradituram promiserat, trium Mensium spatium addetur; licet omnia, quo dicta Ratihabitio & Confirmatio maturius tradatur, conferenda atque adhibenda sint.*

3. *Ab*

3. *Ab utraque Parte, Tractatione finita, omnes Hostilitatis Actus cessabunt, quamdiu Tractationis Ratihabitio à Majestate Sua Catholicâ expectabitur. Ac si Tractatio non tantâ festinatione & celeritate, quanta quidem speranda foret, concluderetur, sed ob causas qualescunque paulò diutius differretur, ante Tractationis conclusionem, quin imo ab hoc Ipso die armorum suspensio componetur, quo omnis profusio sanguinis proximâ atque imminente jam Copiarum eductione prohiberi ac praecaveri, & quò Pars utraque tantò melius adversus Communem Christiani Orbis hostem praeparari posset.*

4. *Quò autem supradicta Tractatio eo firmior foret, & Partis Vtriusque reconciliatio constantior redderetur, Sese mutuo obstringent ac devincient, nullum Se auxilium subsidiumve directè vel indirectè alterutrius Partis hostibus laturam, sed verò omni tempore locoque animi benevolè & sincerè reconciliati Sibi mutuo praestituram esse. Notatum erat*, Comes Penerandæ, Fr. Josephus Archi-Episc. Cameracensis, A. Brun, *Annulisque signatoriis in cerâ rubeâ munitum.*

Praepotentium autem D. D. Ordinum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, sequentem Responsionem nec non Petitionem literis conscriptam, decimo & septimo die Maji tradiderunt.

„ QUoniam Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii Regis Hispaniarum promiserunt fidemque, quæ est optima Equitum, Nobilium & Dominorum, qui „ honorem famamque bonam amplectuntur, dederunt, se Fœderati Belgii Praepotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis literas Auctoritatis ad modum formamque Actis Promissionis, septimo die Maji traditis, insertam, absque ullâ substantiali mutatione tradituros esse.

„ Qua quidem promissione mediante, inter Partis utriusque Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios de Tractatione continuanda ac promovenda conventum fuit, ad cujus initium supramemorati Domini Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Regis Hispaniarum Actis quibusdam octavo & vicesimo die Januarii proximè elapsi traditis, Induciarum sive armorum suspensionis componendæ mentionem fecerunt, ad modum Induciarum Anno 1609. compositarum, deletione verò, adjectione, sive Punctorum quorundam Articulorumve jam nunc conclusorum, aut quos concludere oportet, commutatione salvis, Idque ad majorem securitatem, certitudinem Induciarumque commoditatem, quemadmodum latius in supradictis Actis commemoratum fuit. Eapropter Nos summe dictorum Praepotentium D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii Provinciarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, quorum Nomina subscripta leguntur, *Summi Numinis ad Tractationem auxilium & benedictionem exorantes*, quum de sincera Praepotentium D. D. Ordin. Generalium Deputantium Suorum voluntate certi simus, qua diuturnum illud funestumque bellum, tamdiu in Belgii Provinciis productum & nutritum, atque in maria regnaque longissimè dissita extensum, ad dicti Belgii Provinciarum incolumitatem Earumque Subditorum sublevationem ac solatium, componi etiam atque etiam expetunt.

„ In Nomine & ad gloriam Dei, quò sinceræ D. D. Ordinum Generalium voluntatis effecta ad Orbis Christiani salutem, Provinciarum Belgicarum incolumitatem

mitatem Earumque Subditorum solatium ostenderemus, ad dictam *Propositionem* „ *octavo & vicesimo die Ianuarii traditam*, respondemus dicimusque, per quam necessa- „ rium esse, ut de sequentibus Articulis utrinque conveniatur.

Idque secundùm Tractatum inter Majestatem Regiam Galliæ & Fœderati Bel- „ gii Provinciarum Præpotentes D. D. Ordines Generales initum conclusumque, „ ac secundùm similem Declarationem à Regis Christianissimi Legatis Extraordi- „ nariis & Plenipotentiariis propositum, ut videlicet Gallis satisfieret, Eorumque „ causa simul cum Fœderati Belgii Præpotentium D. D. Ordinum Gener. causâ „ conficeretur ac transigeretur. „

1. Primò, ut supramemoratus Hispaniarum Rex declaret atque agnoscat, Sum- „ medictos D. D. Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum Ipsasque Pro- „ vincias simul cum Fœderatis sibi Ditionibus, Civitatibus & Regionibus iisdem „ Subjectis, Liberos & Supremos Ordines, Provincias, Ditiones Regionesque exi- „ stere, in quas sive in quorum Provincias, Ditiones, Civitates Regionesque supra- „ dictus D. Rex neque præsenti, neque futuro tempore, sive pro seipso, sive pro Suc- „ cessoribus Suis Regibus, tam durante quam exspirante præsenti Tractatione, un- „ quam quidquam prætendat, Ideoque contentus paratusque sit cum summedictis „ Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus Tractationem inire, quemadmodum „ quoque impræsentiarum Inducias conditionibus sequentibus componit.

2. Memorata pax, bona, firma ac perpetua sit ad .... Annorum spatium, quo „ omnes actus Hostilitatis terrâ marique cessabunt inter supradictos Dominos, „ Regem scil. Hispaniarum & Præpotent. D. D. Ordines Generales, atque inter „ omnia Utriusque Partis Regna, Ditiones, Regiones ac Dominia, in Partis Utrius- „ que Subditorum atque Incolarum, cujuscunque tandem conditionis aut qualita- „ tis fuerint, commodum, absque ullo Personarum locorumque discrimine. „

3. Pars utraque reipsa sibi Ditiones, Oppida, loca munita ac Dominia teneat „ possideatque, quæ hoc die tenet & possidet, ita ut in Eorundem possessione, du- „ rantibus Induciis, sive directè, sive indirectè neutiquam turbetur, nullave mole- „ stiâ afficiatur, quocunque tandem illud nomine fieri possit: Sub quibus etiam „ vici, pagi, vicinitates atque universus ager patens comprehenduntur; proindeque „ universis Sylvæ-Ducensis Majoratus, cum omnibus Suis Dominiis, oppidis, Ca- „ stellis, vicis, pagis, vicinitatibus agroque patente, ab Eadem Urbe & Majoratu „ Sylvæ-Ducensi dependentibus, nec non à Marchionatu Bergozomensi, Urbe & „ Baronatu Bredano, Urbe Trajectinâ ad Mosam Ejusdemque jurisdictione, ut & „ Comitatu Vronhovio, Urbe Graviâ & Ditione Cuyckiâ, Hulstâ Ejusdemque „ Ballivatu, ut & Præfecturâ Axeliæ, cum omnibus ejusdem Fortalitiis, quæ sum- „ medicti Præpotentes D. D. Ordines Generales jam nunc in Ditione Waassiæ, „ cæterasque urbes & loca munita, quæ Præpotent. Ordines Generales in Braban- „ tiâ, Flandriâ aliisque Provinciarum partibus tenent, maneant penes Præpotent. „ D. D. Ordines Gener. in omnibus Suis juribus & partibus Superioritatis, ut vo- „ cant, sive supremi Imperii, tam Politici quam Ecclesiastici, eodem modo quo „ Provincias Suas Fœderatas tenent possidentque.

4. Subditi atque Incolæ dictorum, D. Dominorum, Regis Hispaniarum Ordi- „ numque Generalium, optimam familiaritatem, Amicitiam ac Societatem mu- „

„ tuam colant ac conservent, absque ullâ offensionum damnorumque antehac invicem illatorum aut perpessorum recordatione seu commemoratione. Liberum quinetiam utriusque Partis Subditis atque Incolis sit in Ditiones alterutrius pervenire, commorari, ibidemque negotia & Commercia Sua cum omni securitate terrâ marique exercere.

„ 5. Eâ lege tamen ac conditione, ne quid cum alterutrius Partis præjudicio fiat, verum ut Articuli nonnulli Navigationem & Commercia ad utramque Orientalem & Occidentalem Indiam concernentes, quæ quidem Commercia reservari atque exerceri decretum est, plenius explicentur.

„ 6. At vero quum non exiguo temporis spatio opus sit, antequam ii, qui extra prædictos limites Copiis militaribus & navibus instructi sunt, hujusce Tractatus certiores reddi possint, quò ab omni Hostilitatis Actu desistant, conventum sit, ut pax intra limites dicti Privilegii, Societati Indiæ Orientalis Unitarum Belgii Provinciarum concessi, sive posthac concedendi, haud prius quam Anno post Pacem conclusam initium capiat. Ac quantum ad limites Privilegii, Indiæ Occidentalis Societati concessi, sive posthac concedendi, ut medio à Pace conclusâ anno incipiat. Ea lege tamen ac conditione, quod si dictæ Pacis ab Utraque Parte conclusæ publico Nomine intra memoratos Indiæ utriusque limites prius certiores reddantur, ut ab eo tempore omnis Hostilitatis Actus cessaret. Si vero post Anni dicti mediique spatium intra prædictos Orientalis & Occidentalis Indiæ Privilegii limites quidam Hostilitatis Actus commissi fuerint; detrimentum illud, omni morâ sepositâ, resarciatur.

„ 7. Subditi atque Incolæ supradictorum Dominor. Regis sc. Hispaniarum, ab unâ, & Præpotent. D. D. Ordinum General. ab alterâ Parte, commercia exercentes in Partis alterutrius Regnis, Provinciis & Regionibus neutiquam teneantur plus tributi onerisve, quam Ipsimet Subditi solent, exsolvere. Ita ut Incolæ Subditique Unitarum Belgii Provinciarum à quodam tributo, quo Subditi tenentur decimum Florenum suum exsolvere, (vulgo 20 *par cento*) aut simili, majore, minore, aut alio, quod Rex Hispaniarum duodecim Annorum Induciarum tempore imperavit, sive posthac Unitarum Belgii Provinciarum, Incolis Subditisque præ cæteris Regni sui Incolis Subditisque majus imperaturus est, immunes planè atque exempti habeantur.

„ 8. Summè dictus Rex & Præpotentes D. D. Ordines Generales extra Imperii sui limites à nullis mercibus bonisque exportandis sive apportandis onera aut vectigalia qualiacunque exigant.

„ 9. Incolæ Subditique Regis Hispaniarum & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium reciprocè antiquâ teloniorum libertate gaudeant, cujusmodi cum omni tranquillitate ante belli initium gaudebant.

„ 10. Negotiatio, conversatio & commercia inter utriusque Partis Subditos neutiquam impediantur, ac, si quæ impedimenta oborta fuerint, reipsa tollantur.

„ 11. Insuper etiam à primo confirmatæ Pacis die Rex curet, ut telonia sive Licentæ, quas vocant, ac vectigalia & Rheno & Mosæ, quæ ante belli initium sub districtu Unitarum Belgii Provinciarum fuere, imperata, remittantur: Imprimis quo-

quoque Telonia Zelandica; adeò ut illa Nomine Regis neque in Civitate Antverpiensium neque alibj posthac exigantur. Eâ lege tamen ac conditione, ut Zelandiæ Ordines à primo Pacis Confirmatæ die in se recipiant suoque ære exsolvant annuos illos reditus, qui ante Annum millesimum quingentesimum & septuages. secundum supra dicto Telonio fuerunt imperati, & quos proprietarii eorum receperunt ante initium belli: Idem quoque prædictorum aliorum Teloniorum proprietarii faciant.

12. Sal albus ac digestus qui è Fœderati Belgii Provinciis, in Regna Ditionesque Regis Hispaniarum exportatur, illic recipiatur atque admittatur, neque plus oneris imperetur, quam Sali Nigro atque indigesto hactenus imperatum fuit; verum æquale ab utraque Parte onus ab eodem exigatur.

13. Flumen Scaldis, uti etiam Canales Saffæ, Swyndæ, &c. in Mare se exonerantes, à parte Præpotent. D. D. Ordinum Gener. occlusæ teneantur.

14. Navibus Mercibusque è Partibus Flandriæ advectis omnia ejusmodi onera à dicto Rege Hispaniar. imperentur, cujusmodi Navibus Mercibusque per Scaldim aliosque Canales præterito Articulo comprehensos, avectis sive advectis imperata fuerunt.

15. Incolæ Subditique D. D. Ordinum Generalium eâ quoque securitate & libertate in Regnis prædicti Regis gaudeant, quæ Incolis Subditisque Regis Magnæ Britanniæ vi novissimi Tractatus & secretorum cum Comite-Stabili Castellano initorum data concessaque fuit.

16. Supramemoratus Rex quamprimum curet, ut Sepulturæ eorum, qui à Parte prædictorum D. D. Ordinum Gener. in memorati Regis terris decesserint, honesta loca destinentur.

17. Incolæ Subditique Regis, ubi in Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Provincias Ditionesque pervenerint, respectu publici Religionis exercitii modesto sese animo gerant, neque ullum scandalum sive opprobrium aut re aut verbis committant.

18. Ædes Sacræ publicæ in Baronatu Bredano, Marchionatu Bergozomensi cæterisque in locis, iis, qui sunt Reformatæ Religionis, propriæ sint.

19. Quinetiam Mercatores, Magistri Navium, Naucleri, Socii Navales, Eorumve bona Mercesque nullo modo, sive vi mandati alicujus generalis sive specialis, sive causâ quacunque bellicâ aut alia, nequidem eo prætextu, quod conservationi Regis Ejusdemque Regni propugnationi inservire queant, detineantur. Sub quo tamen non intelligantur detentiones sive Arresta, ut vocant, Justitiæ per vias ordinarias, idque proprii debiti causa, Obligationum & validorum Contractuum cum iis, adversus quos intenduntur, initorum: in quibus, ex usu juris rationisque procedatur.

20. Æquali numero Judices ab utraque Parte deputentur, ad formam Cameræ Bipartitæ, qui in convenientibus Belgii locis commorentur: Idque per vices alternas, modo sub unius modo sub alterius Jurisdictione, prout mutuo consensu consultum esse videbitur: qui quidem ab utraque Parte constituti Judices ex præscripto Instructionis mandatique ipsis dandi perque illud tam jurandi, in manus Regi Hispaniarum, quam Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. secundum formulam

lam certam, eum in finem ab utraque Parte decernendam, acta factaque Subditorum & Incolarum Belgii Provinciarum Eorumq; tractationem, & vectigalium onerumque, ab utraque Parte Mercibus imperandorum exactionem videant & cognoscant. Sin verò memorati Judices à Parte alterutra sive ab utraque in exigendis oneribus aut vectigalibus modum excedi comperiant, excessum ejusmodi resarciant ac moderentur. Porrò etiam dicti Judices lites ex non-executione Tractatus obortas perpendant, Ejusdemque violationes aut contraventiones, si quæ in posterum, tam in hisce, quam in aliis longè dissitis Regionibus, Ditionibus, Insulis atque Europæ Provinciis, secundùm æquum justumque Tractatus componant ac pronuntient. Sententiæ autem dictorum Judicum Eorumque dispositiones per Ordinarios Justitiæ Directores loci Ejusdem, in quo contraventio obvenerit, adversus personas contravenientium, pro re natâ executioni mandentur. Ipsique Ordinarii Justitiæ Directores sententiam dictam executioni mandari, & quod ex violatione Tractatus detrimentum fuerit illatum, ... Mensium spatio, quo Ordinarii Justitiæ Directores rogati fuerint, resarciri ne quidquam morentur.

21. Si quæ Sententiæ ac decisiones inter Personas diversarum Partium non-defensas, sive in Civilibus sive in Criminalibus datæ fuerint, nequaquam adversus Personas condemnatorum, neque eorundem bona executioni mandentur. Literæ quoque Violentæ Repetitionis, seu Repressalia, ut vocant, prætérquam in rebus cognitis atque ejusmodi casibus, quibus per leges ac constitutiones Cæsareas, juxtaque ordinem in iis statutum, ne concedantur.

22. Naves quascunque advehi, intrare, sive commorari in portubus, finibus, plagis aut stationibus alterutrius Partis, cum isthoc militum numero, quo nonnihil suspicionis oboriri posset, absque venia istius Partis, cujus Imperio dicti portus, sinus, plagæ, stationesque subjiciuntur, neutiquam liceat, nisi tempestate aut alia quacunque necessitate ad maris pericula evitanda, cogantur.

23. Quorum bona belli causa detenta vel publicata fuerint, ii vel eorum hæredes, quibus actiones competunt, ejusmodi bonis publicatis fruantur, eaque propria sua Auctoritate ac vi & virtute præsentis Tractatus possideant: neque Justitiæ opem implorare necesse habeant: non obstantibus tamen quibusvis detentionibus aut publicationibus à Judice Provinciali institutis, oppignorationibus, donationibus factis, Contractibus, conventionibus & transactionibus, & quibuscunque renunciationibus in iisdem exhæredationis ergo eorum bonorum, factis adversus illum, ad quem ea pertinent. Omnia autem bona & jura competentia secundùm præsentem Tractatum, reciprocè propriis suis Dominis, Eorundemve hæredibus, aut iis, quibus jus competit, restituta sive adhuc restituenda, absque ullo particulari consensu, Dominis suis vendere liceat: excepto tamen jure competente & proprietate redituum, qui fisci Nomine, loco bonorum venditorum, restituentur, insuper etiam reditus, qui fisci Nomine debentur.

24. Quod similiter Celsiss. Arausionensium Principis Gulielmi defuncti, Hæredum commodo inserviat, etiam pro jure sibi in Salinas in Comitatu Burgundiæ competente: Eaque ipsis restituantur ac reddantur una cum Sylvis inde dependentibus.

25. Sub

25. Sub quibus etiam comprehenduntur reliqua bona & privilegia in Comitatu Burgundico & Charoleſio ſita: aut quicquid juxta Tractatum nono die Aprilis, Anno milleſimo, ſexcenteſimo & nono, & decimo ſeptimo die Januarii, Anno 1610. initum confirmatumque, necdum reſtitutum fuit. Dominis ſuis, Eorumve Hæredibus, aut quibus jus competit, ab utraque Parte bonâ fide reſtituatur. »

26. Quibus etiam comprehendantur bona & privilegia, quæ poſt duodecennales Inducias à Supremo Mechlinienſi Concilio in præjudicium damnumq; fiſci, Johanni Comiti Naſſaviæ per ſententiam adjudicata atque attributa fuerunt, aut quocunque tandem modo memoratus Comes Eorundem poſſeſſionem fuerit conſequutus, aut quibuſcunque in locis, terris dominiiſque bona & jura illa adjudicata atque attributa, ſita, & per quemcunque poſſeſſa ſint: quapropter etiam ſententia illa vi præſentis Tractatus, ut *nulla*, atque omnis alia acquiſita poſſeſſio, uti dictum eſt, *annihilata* habeatur. »

27. Ac quantum ad cauſam Caſtelli Belini adverſus Procuratorem Regis Hiſpaniarum Generalem coram Concilio Supremo Mechlinienſi, dum ſummè dictus Arauſionenſium Princeps adhuc in vita commoraretur, occeptam attinet; quandoquidem Cauſa illa intra Anni ſpatium à ſua proſequutione nondum fuit confecta, quemadmodum duodecim Annorum Induciarum Articulo decimo & quarto fuerat promiſſum; conventum itaque ſit, ut à primo Concluſionis & Confirmationis præſentis Tractatus die, Judex Provincialis Nomine Majeſtatis Suæ, aut cujuſcunque Nomine, deſiſtat reſtituatque omnia ejuſmodi bona, quæ dicta cauſa fuerunt petita, quocunque tandem jure ea à quoquam poſſideantur; quinetiam renunciet, Eorundem Nomine, ut ſupradictum omnibus actionibus, ſeu prætenſionibus, quas prædictus Judex Provincialis in dicta bona aliquo modo habere aut prætendere queat, permittatque, ut præſens Arauſionenſium Princeps, Ejuſdem Hæredes, Poſterique aut quibus jus competit, ſtatim à Præſentis Tractatus Concluſione & Confirmatione, abſque ullâ Juſtitiæ ope adeat iſta omnia, & liberè ſecureq; poſſideat: eâ lege tamen, ut fructus percepti unà cum oneribus ſuis, uſque ad diem concluſi Tractatus, penes Fiſci Curatorem maneant. »

28. Quod ſi autem in loco aliquo ſuper bonorum juriſque competentis reſtitutione difficultas quædam oborta fuerit, ejuſdem loci Judex omni ſtudio curet atque efficiat, ut dicta reſtitutio effectum ſuum ſortiatur; Idque breviſſimâ, quantum fieri poterit, viâ exequatur, neque Summæ haud ſolutæ prætextu, aut alio quocunque, dicta reſtitutio aliqua ex parte differatur. »

29. Unitarum Belgii Provinciarum Incolis Subditiſque ubique in Regnis terriſque Hiſpaniarum Regis Imperio obtemperantibus, ejuſmodi Advocatos Patronoſve, Procuratores, Notarios, Sollicitatores & Executores, quales ipſis videbitur, cauſis ſuis agendis adhibere liceat; Eum quoque in finem ejuſmodi ab ordinariis Judicibus committantur, ſi opus, vel Ipſimet Judices ad illud requiſiti fuerint. Ac viciſſim, Incolæ Subditique D. Regis in terris D. D. Ordinum Generalium eadem operâ atque auxilio fruantur. »

30. Quod ſi Fiſci Curator hujus illiuſve Partis bona quædam publicata vendi juſſerit, ii, ad quos bona illa pertinere debebant, contenti ſint verſurâ ſemiſſem exæquante, idque propter diligentiam eorum, qui dicta bona poſſident: alio-

 quin »

„ quin liberum ipsis sit fundos ære venditos sibi applicare; ita tamen, ut loco bo-
„ norum venditorum, redituum redemptorum, aut Summæ Universæ, ab eo, qui
„ à Fisci Curatore constitutus fuerit, literæ patentes in commodum Dominorum
„ eorumque Hæredum, aut quibus jus competit, indulgeantur: quæ ipsis tanquam
„ probationes Declaratoriæ sufficiant, juxta Tractatum simul cum Assignatione an-
„ nuarum solutionum in Quæstorem Provincialem, cujus quidem nomen iis inse-
„ rendum veniet, in qua vendita aut redempta fuerint: Numeretur autem pre-
„ tium juxta primam venditionem publicè sive debitè factam: Hujusce reditus sol-
„ vendi Annus primus cedat Anno à præsentis Tractatus conclusi confirma-
„ tique.

„ 31. Quod si vero supradictæ venditiones per Justitiæ Directores propter legi-
„ tima debita eorum, ad quos ejusmodi bona ante publicationem pertinebant,
„ fuerint factæ, Ipsismet, eorumve hæredibus, aut quibus jus competit, ea ad se
„ recipere liceat, pretio intra Anni spatium, cujus à primo hujusce Tractatus die
„ ratio habebitur, persoluto; quod quidem tempus si elapsum fuerit, non amplius
„ ad illa admittantur: facta autem receptione sive redemptione, liberum ipsis sit de
„ iisdem pro libitu suo disponere, adeo ut nullâ venia ac permissione alicujus ulte-
„ riore indigeant.

„ 32. Non tamen supradictæ receptioni locus sit pro Ædibus in Oppidis quibus-
„ cunque sitis, atque ejusmodi casu venditis; Idque propter magna incommoda &
„ damna, quæ receptores paterentur, è mutatione ac reparatione dictis Ædibus ad-
„ hibita: utpote quarum liquidatio nimis difficilis ac prolixa foret.

„ 33. Et quantum ad reparationes bonorum, quorum venditiones fuerint per-
„ missæ, factas attinet, si prætendantur, Judices Ordinarii, cognitâ perspectâque
„ causa, sententiam ferant, manentibus fundis hypothecatis ob ejusmodi Summas,
„ ad quas reparationes Ædium liquidatæ erunt, Eâ lege tamen, ut prædictis Em-
„ ptoribus neutiquam liceat uti jure Retentionis in Earundem solutionem & satis-
„ factionem.

„ 34. Omnia silentio transmissa bona, privilegia, mobilia & immobilia, redi-
„ tus, actiones, debita, credita & alia, quæ per Fisci Curatorem ante præsentis
„ Tractatus Conclusionem & Confirmationem debitâ causæ cognitione non fue-
„ rint annotata, cum omnibus suis fructibus, reditibus commodisque Domino-
„ rum, sive Hæredum aut quibus jus competit, propria maneant. Neque ii, qui
„ prædicta bona siluerunt, neque Eorundem Hæredes à Fisci Curatore molestia
„ sive incommodo afficiantur; sed Domini, Eorumque Hæredes, & quibus jus
„ competit, hujus respectu adversus quemcunque tanquam pro suis bonis actio-
„ nem habeant atque instituant.

„ 35. Arbores, post præsentis Tractatus Confirmationem amputatæ, atque eo-
„ dem adhuc tempore in fundo suo jacentes, ut & venditæ, nec tamen prædicto
„ die conclusæ Pacis succisæ, penes Dominos maneant, non obstante conditione,
„ neque pretium aliquod persolvere teneantur.

„ 36. Fructus, locationum pretia, census, reditus Dominiorum, terrarum,
„ decimarum, aliorumque proventuum bonorum, vi præsentis Tractatus resti-
„ tuendorum, quæ post hujusce Tractatus Confirmati diem cedent, pro uni-
„ verso

verso illo Anno Domini, Eorumve Hæredes aut quibus jus competit, consequantur.

37. Locationum pretia, bonorum publicatorum sive annotatorum (quamvis ad multos Annos conventor.) cum præsentis Tractatus conclusi Anno exspirent, juxta morem ordinemque locorum, ubi sita sunt, receptum, pretiaque locationum post diem conclusi Tractatus exspirantia, ut supra commemoratum est, Dominis suis exsolvantur: eâ lege tamen ac conditione, ut dictorum bonorum Usufructuario, si quas pro accretione fructuum ejus Anni impensas fecerit, eædem à Dominis secundùm consuetum ejusce loci, in quo sita sunt, morem, persolvantur.

38. Publicatorum & annotatorum bonorum, post hujusce Tractatus conclusionem facta venditio, nulla & quasi infecta habeantur; similiter etiam, quæ ante eandem conclusionem contra pacta conventaque cum Oppidis aut Civitatibus quibusdam privatim fuerit instituta.

39. Ædes privatorum quorundam restitutæ, sive vi præsentis Tractatus restituendæ, præsidio militari, vel alio quovis modo ne onerentur magis, quam reliquorum Subditorum aut Incolarum Ejusdem Conditionis Ædes oneratæ sunt.

40. Nemo ab una alterave Parte directè vel indirectè in Domicilio suo commutando impediatur, jura tamen solita exsolvere teneatur: aut, si quæ post Tractatus confirmationem molestia oborta fuerit, prorsus conficiatur.

41. Quod si munitiones quædam vel opera publica ab hac illave Parte consensu superiorum, in locis, quæ vi præsentis Tractatus restituenda veniunt, exstructa fuerint, Eorundem Domini ejusmodi æstimatione eorum, quæ coram Ordinario Judice tam de bonis prædictis quam de Iurisdictione, quam illic habebant, facta fuerint, contenti sint, nisi inter Partes aliter conveniatur. Insuper etiam pro bonis ac sumptibus, qui munitionibus operibusque publicis sive Ædibus Sacris adhibiti fuerint, Dominis, aut quibus jus competit, satisfiat.

42. Quantum ad bona Ecclesiastica, Collegia, aliaque loca Sacra in Fœderati Belgii Provinciis attinet, quæ Ecclesiarum, Beneficiorum & Collegiorum supradicto D. Regi subjectorum membra existebant, quicquid ante Tractatus hujusce conclusionem non fuerit venditum, iis reddatur atque in integrum restituatur; Idque propriâ suâ Auctoritate sine ullâ ope Iustitiæ consequantur, non tamen, ut ante dictum est, de iisdem disponant. Sed vero quod ad ea, quæ ante memoratum tempus vendita, sive ab Ordinibus cujusquam Provinciæ in solutum data fuerint, Eorum versura annua semissem exæquans, à Provinciâ, quæ ea vendiderit aut in solutum dederit, cum ejusmodi Assignatione, qua de exsolutione certi & securi esse queant, Dominis exsolvatur. Idem quoque à Parte præmemorati Regis fiat atque observetur.

43. Ac quoniam Anno millesimo quingentesimo octuagesimo secundo Celsissimo Arausionensium Principi defuncto, in exsolutionem nummorum pro Officiis debitorum, concessus fuerit Comitatus Alostensis, Abbatia Duynensis, & Præpositura Everzomensis, Comitatus Meessenienses, Abbatia Wynoxbergensis, Nynevensis, Geertbergensis sive S. Adriani in Eremo, Abbatia Affligemiensis secundùm patentes eum in finem literas concessas, è quibus omnibus propter bel-

„ bellum exortum Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps nihil quidquam redituum „ aut fructuum accepit. præterquam quod ante præteritas Inducias Oppido Hulſtano, D. D. Ordinum Gen. Imperio jam tum ſubjecto, ſummè dictus Arauſionenſium Princeps in Monaſterium Sandenſe & Præpoſituram Everzomienſem, quæ ad „ Duynenſem Abbatiam, ut ſupra memoratum fuit, pertinet, fuerit reſtitutus; ac „ poſtquam Reductio Hulſtana per Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, receptio ac reſtitutio Monaſterii Sandenſis, Præpoſituræ Everzomienſis, „ cæterorumque Privilegiorum Jurumque eodem pertinentium atque in Præfectura Hulſtæ & Waaſiæ ſitorum, confirmata fuerit; Conventum ſit, ne Articulus, „ dictum Monaſterium Sandenſe atque Everzomienſem Præpoſituram concernens, quidquam ponderis aut valoris habeat, verum reſtitutio ac poſſeſſio in Celſiſſimi Arauſionenſium Principis Ejuſdemque Hæredum confirmata maneat, „ prætenſionibus tamen & jure competente, reſpectu alterius Partis ſupra memoratæ, Celſiſſimo Arauſionenſium Principi ſalvis; de quibus omnibus ſupra præſentem Tractatum cum Rege Hiſpaniarum conveniatur.

„ 44. Illi, quibus bona publicata reſtitui debent, neutiquam teneantur reliqua „ non ſoluta redituum, onerum & debitorum, ſpecialiter ſuper iis bonis affectorum & aſſignatorum, pro tempore quo iis non ſunt uſi, exſolvere. Quod ſi vero „ hac de cauſa quidquam ipſis moleſtiæ inferatur, dimittantur prorſuſque abſolvantur. Atque ubi apparuerit, omnia alicujus bona ab una vel ab altera Parte hoc „ modo publicata & annotata fuiſſe, ut nulla retinuerit media quibus reditus & „ uſuras debitorum ſuorum à tempore publicationis vel annotationis poſſit exſolvere; Is non tantum à realibus oneribus & reditibus, juxta Tractatum, verum „ etiam à generalibus ac perſonalibus oneribus & reditibus uſurarum, dicto tempore elapſarum, liberetur.

„ 45. Pro bonis venditis, ſeu de quibus in eum finem conventum fuerit, ut aggere cingantur vel denuo eodem exuantur, nihil prætendatur quam recognitio à Poſſeſſoribus promiſſa Contractibus eò fine factis, cum uſuris nummorum, ſi qui „ exſoluti fuerint, ſemiſſem exæquantes, quemadmodum ſupradictum fuit.

„ 46. Sententiæ ſuper bonis & reditibus publicatis, inter Partes, quæ Judicem „ agnoverint legitimeque defenſæ fuerint, latæ valeant; neque condemnati ad provocandum, niſi per modum procedendi ordinarium admittantur.

„ 47. Prædictus Dominus Rex cedat ac renuncium dicat omnibus prætenſionibus redemptionis omnibuſque aliis Privilegiis & Actionibus, quas aliquo modo habet vel habere poteſt in Urbem Graviam, Ditionem Cuyckiam, & quæ eodem pertinent, vel ab iis dependent, inſuper etiam in antiquum Brabantiæ Baronatum, antehac Celſiſſimo Arauſionenſium Principi defuncto oppignoratum, „ cujus pignoris redemptio in proprietatem converſa, atque in commodum defuncti Arauſionenſium Principis Mauritii Menſe, Decembri, Anno milleſimo ſexcenteſimo & undecimo à Fœderati Belgii Ordinibus Generalibus traditus fuit, „ tanquam ſupremo Oppidi Graviæ & Ditionis Cuyckiæ Domino, juxta patentes „ eâ de causâ literas conceſſas, & cujus appropriationis & ceſſionis virtute Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps, qui jam in vivis eſt, Ejuſdemque Hæredes & Succeſſores, aut quibusjus competit, plena atque integra proprietate ſupra-

supradictæ Urbis Ditionisque cum omnibus eòdem pertinentibus atque ab iisdem dependentibus. „ „

48. Cedat insuper ac renuncium dicat, omnibus & quibuscunque juribus ac prætensionibus sive proprietatis, cessionis, &c. quæ ullo modo Ipsi competere possunt in Urbem, Comitatum & Dominium Lingæ, Itemq; in Urbem Dominiaque Bevergeerdæ & Cloppenburgi, aliisque prætensionibus, adversus quemcunque fuerit, ut reipsa maneant penes summè dictum Arausionensium Principem Ejusdemque Hæredes, Successores, aut quibus juris quidquam competere possit, juxta literas Donationis & Indulti Cæsaris Caroli Quinti die tertio Novembris, Anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo & sexto, & postmodum factæ conventionis inter Comites Buranum & Tecklenburgensem quinto die Martii, Anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo & octavo, & tandem juxta cessionem super eo factam Mense Novembri, Anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo & octavo: quæ supradictus Dominus Rex, quantum ad Se, confirmavit & adhuc per præsentem Tractatum confirmet. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

49. Supradictus Dominus Rex atque Ordines Generales ab utraque Parte committant Officiarios, Præfectos & Magistratus Justitiæ administrandæ in Oppidis locisque munitis, quæ per præsentem Tractatum Dominis sive proprietariis suis restituenda venient, ut iisdem fruantur. „ „ „

50. Supradictus Dominus Rex obliget se realiter ad procurandam continuationem & conservationem Neutralitatis, inter Cæsaream Suam Majestatem Imperiumque, atque inter supradictos D. D. Ordines Generales. Ad quam continuationem & conservationem supradicti D. D. Ordines Generales Semetipsos vicissim obligent. „ „ „ „ „

51. Insuper etiam Neutralitas cum Cæsarea Sua Majestate Imperioque confirmetur; Eaque propter omnes offensiones, & quidquid Injuriæ durante hoc bello illatum fuerit, condonetur ac remittatur. „ „

52. Bona publicata fructusque, qui ante conclusionem præsentis Tractatus exsolvendi erant, restitutioni neutiquam subjecta sint. „ „

53. Actiones rerum mobilium, ut vocant, à supradicto Rege Ordinibusque Gener. in privatórum debitorum commodum ante præsentis Tractatus conclusionem remissæ, ab utraque Parte remissæ maneant. „ „ „

54. Tempus, quod durante hoc bello elapsum fuit, cujus initium futurum est ab Anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo & septimo, usque ad initium duodecennalium Induciarum; similiter etiam quod post supradictas Inducias usque ad præsentis Tractatus conclusionem elapsum fuit, neutiquam in damnum aut præjudicium cujusquam computetur. „ „ „ „ „

55. Quicunque durante hoc bello in terras ac regiones Neutrales commigrarunt, hujusce Tractatus effectis liberè fruantur, ac, si libitum ipsis fuerit, in pristina sua loca revertantur, ibique cum omni securitate, dummodo ejusdem Regionis Consuetudines ac Statuta observent, commorentur: Ita ut propter habitationem (quam ubicunque locorum placuerit habeant) nequidquam vel Ipsis vel Eorundem bonis molestiæ inferatur, neque bonis Suis destituantur. „ „ „ „ „ „ „

56. Nova Fortalitia in Belgio neque ab Unâ neque ab alterâ Parte exstruantur, neque Canales fossæque novæ, per quas mutuo obsisti aut damnum qualecunque inferri possit, effodiantur.

57. Hæredes Familiæ Nassavicæ, uti etiam Comes Johannes Albertus Solmensis, Urbis Trajectensium ad Mosam Gubernator, nullâ omnino molestiâ aut persequutione, tam quoad Personas quam Eorundem bona, afficiantur, nequidem ratione quorumvis debitorum per Cellissimum Arausionensium Principem Mauritium defunctum, ab Anno millesimo quingentesimo sexagesimo & septimo usque ad obitum ejus contractorum, sive ratione onerum elapsorum durante captura & annotatione bonorum, quæ inde exsolvi debebant.

58. Si qua contraventio adversus Tractatum præsentem per aliquos privatos sine jussu ac consensu supradicti Regis Ordinumque Generalium facta fuerit, detrimentum illud resarciatur, atque imprimis in eo loco, in quo ejusmodi contraventio seu Tractatus violatio oborta fuerit, siquidem in eodem deprehensi fuerint, aut ubi domicilium suum habuerint; ita ut alibi tamen nulla persequutione in corporibus suis aut alio quovis modo afficiantur. Neque iis ad arma sive Pacis sancitæ violationem progredi hanc ob causam liceat: eâ lege tamen ac conditione, ut, si justitia aut damni illati reparatio manifestè denegetur, per literas Repressaliorum, quemadmodum usus obtinet, procedere pars læsa possit.

59. Omnes exhæredationes & dispositiones in odium belli factæ pro nullis & non factis habeantur. Sub exhæredationibus autem odio belli factis ejusmodi quoque intelligantur, quæ ex quacunque causâ, unde bellum exortum est indeque dependet, factæ fuerint.

60. Incolæ Subditique dicti Regis Ordinumque Generalium cujuscunque qualitatis & conditionis fuerint, capaces declarentur ad succedendum alterutri, tam ex Testamento quam ab Intestato, secundùm locorum consuetudines receptas. Ac si quæ bona antehac ad quempiam lege redierint, in iisdem conserventur ac protegantur.

61. Omnes bello capti ab Utraque Parte relaxentur absque ullâ redemtionis pretii exsolutione.

62. Tributa, quæ tempore conclusi Tractatus respectu personarum & bonorum unius alteriusve Partis exsolvenda restabunt, in iis pro re natâ, ejusmodi ordo instituatur, secundùm quem omnis pecunia tributorum adhuc debenda exigi atque exsolvi poterit.

63. Neque tendat, neque ullo modo sive directè sive indirectè hoc intelligatur, aut in commodum aut in cujuscunque Partis detrimentum, quidquid durante hac Tractatione à Parte alterutrâ vel ore, vel scripto prolatum allegatumque fuerit. Sed vero supradicti Ordines Generales & Particulares æque ac reliqui Principes, Comites, Barones, Nobiles, Cives aliique Subditi atque Incolæ Regnorum & terrarum, cujuscunque tandem qualitatis ac conditionis extiterint, in Suis juribus maneant, juxta præsentis Tractatus tenorem.

64. Incolæ Subditique prædictorum Dominorum Regis Ordinumque Generalium reipsâ decimi & quinti præteritarum duodecennaliuum Induciarum Articuli effectis gaudeant, insuper etiam effectis decimi Conventionis septimo

die

die Januarii, Anno 1610. secutæ Articuli, quatenus durante supradicto Induciarum tempore præfati effectus ab unâ vel ab alterâ Parte non fuerint adimpleti.

65. Castellum Leuthense Præsidiario milite liberetur; Idque Comiti Flodrofensi, utpote ejusdem Domino legitimo, restituatur.

66. At vero, quò præsens Tractatus eo melius observetur ac conservetur, supradicti Domini, & Rex & Ordines Generales promittant ac polliceantur, se omnia adhibituros ac collaturos esse, quibus Regnorum Suorum & Provinciarum aditum libertas, & marium ac fluviorum secura navigatio defendatur ac propugnetur adversus quascunque seditiosorum, Piratarum, Irruptorum latronumque invasiones & vastationes, quorum si quos deprehenderint, severè graviterque in eosdem animadvertant.

67. Insuper etiam promittant ac polliceantur; se nequidquam in hujusce Tractatus præjudicium sive directè sive indirectè commissuros, neque ut ab aliis committatur permissuros, aut si quidquam commissum fuerit, absque ullâ dilatione vel denegatione resarcituros esse. Ac quo omnia, quæ supra scripta sunt, tanto firmius observentur & conserventur, Ipsamet Regia Majestas Ordinesque Generales sese mutuò obstringant ac devinciant, atque in dictæ obligationis testimonium ac certitudinem omnibus legibus, consuetudinibus receptis, atque iis, quæ eidem adversantur, renuncient.

68. Præsens Tractatus ratus habeatur, atque à supradicto Rege Ordinibusque approbetur, Ejusque Ratihabitionis & approbationis literæ publicæ solennibus formulis conscriptæ, ab utraque Parte sex septimanarum spatio, seu quanto maturius conventum fuerit, tradantur: Idque eâ lege ac conditione, ut post conclusum confirmatumque Præsentem Tractatum nullus actus Hostilitatis ab utraque Parte cesset prius, quam literæ Confirmationis & Ratihabitionis, debitis ac solennibus formulis conscriptæ à Rege Hispaniarum traditæ, cumque Ordinum Generalium Confirmationis & Ratihabitionis literis commutatæ fuerint.

69. Adeò ut Partis utriusque res in eo statu permansuræ sint, in quo tempore conclusi præsentis Tractatus comperientur; usque dum supradictæ Ratihabitionis & Confirmationis literæ ab utraque Parte traditæ ac permutatæ fuerint.

70. Præsens Tractatus ubique, & quibus decet locis, quamprimum Ratihabitionis & Confirmationis literæ traditæ permutatæque fuerint, publicetur, atque ab omni Hostilitatis actu desistatur.

71. Quibus omnibus sine damno ac præjudicio alicujus positis scriptisque adjungere, corrigere, ac permutare aut diminuere ea, quæ necessaria videbuntur, salvum atque integrum Parti utrique maneat.

Omnia hæc eo modo proposita Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis tradita fuerunt. Monasterii Westphalorum septimo & decimo die Maji, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo & quarto, subsignatum erat, *Bartoltius à Gent, Iohannes à Matheneße, Adrianus Pauw, I. Knuytius, God. à Reede, F. à Donia, VV. Ripperda, Adrianus Clantius.*

Ad supradictos Articulos 71. postero die sub vesperam ea quæ sequuntur responderunt.

Catholicæ Suæ Majestatis Plenipotentiarii, quorum Nomina sequentibus inserta leguntur, cognitâ perspectâque Propositione unius & septuaginta Articulorum, atque à Fœderati Belgii Provinciarum Ordinum Gen. Legatis Extraordinariis & Plenipotent. decimo & septimo die Maji hujusce vertentis Anni 1646. sibi traditâ ad Declarationem voluntatis Ipsorum super Subjecto Tractatuum, inter se mutuo concludendorum eo fine, quò ad totius Belgii Pacem & tranquillitatem ab Utraque Parte tanto commodius perveniri possit, Sequentia respondent.

Ad primum scilicet Articulum à Majestate Sua Catholicâ sinceram ac perspicuam declarationem, absque ullâ moderatione aut restrictione, quantum ad supremum Ius Imperiumque Fœderati Belgii Ejusdemque Provinciarum Ordinum Generalium spectat, institutam atque exhibitam iri; quoad Induciarum Tractatus terminis generalibus atque indefinitis permittere poterit, nullo tamen verbo speciali de futuro Induciarum exspirationis tempore, vel inclusivè, vel excusivè habito. Ac quoniam Majestas Sua in hocce fundamentali tantique ponderis Articulo, tam plenam atque expeditam satisfactionem summedictis Ordinibus Generalibus præstare cupit, neutiquam dubitare se, quin pro eâ satisfactione in minoris ponderis Articulis Ordines Generales Majestati Suæ Catholicæ similiter obsecundare velint.

Articulum secundum concedi.

Respectu tertii, ut in Tractatu iisdem terminis ac formulis, quibus præterito Induciarum Tractatu, expositum iri. Sed vero ut definiri ac determinari possit, quænam illa loca, Pagi & Municipia &c. sint, quæ reipsa sub urbium ab Ordinibus Generalib. captarum atque expugnatarum districtu subjacent, cujusmodi sunt Busco-Ducum, Hulsta &c. ea de causa Commissarios Auctoritate plenissimâ munitos eligendos esse, qui breviter fideliterque rem & in Ecclesiasticis & in Politicis conficiant, deque eâ inter se conveniant; absque ullâ tamen Tractatus dilatione vel suspensione, ullâve belli propter Ejusmodi suspensionem continuatione.

Articulum quartum concedi.

Articuli quinti Declarationem, ibidem expressam, expectatam iri, quo is quoque concludi possit.

Sextum similiter concedi.

Ad septimum autem Articulum respondent, summe dictis Ordinibus Generalibus offerri, ut Incolæ Subditique Sui in Majestatis Suæ Catholicæ portibus Regnisque nihil præter dictorum portuum & Regnorum telonia atqueonera, quæ à Majestatis Suæ Incolis Subditisque exsolvuntur, æquali modo exsolutari sint.

Octavum, Nonum, Decimumque Articulum concedi, nec non undecimum.

Duodecimus vero Articulus ut concedatur, impossibile esse, propterea, quod ea res maxime regiminis constitutiones subvertat, quarum nimis cara cuique absolutè imperanti conservatio existit.

Ad decimum & tertium respondent, quod si ejusmodi Canales, quos Ordines Generales occlusos volunt, commercia & frequentationem Majestatis Suæ Subditis Eorumque navibus neutiquam excludant, concessum atque acceptum iri, eâ lege tamen ac conditione, ut illa omnia observanda sint, quum à Parte Regis Hispaniarum Ejusmodi quoque aut similes Canales aditus-

aditusque Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Subditis Eorumque navibus occlusi teneantur.

Decimum & quartum nullo modo concedi posse, eò quod supremæ Regis Catholici Authoritati adversetur; cui soli Subditis Suis navibusque in Regnis, quibus imperat, leges præscribere competit, neque opus habet, ut à quopiam Ipsi eo modo præscribantur, quo modo aliis Imperatoribus in Regnis & in Statibus Ipsorum minime præscriberet, sed verò liberum cuique Regi Principique Imperium in Suos, quod Ipsis competit, permitteret.

Decimum & quintum, decimum sextum & decimum septimum Articulum concedi.

Decimi & octavi Articuli contrarium jam olim inter Partem Vtramque concessum fuisse; nimirum ut Templa Catholicis Romanis, quem ad modum antehac fuerunt, atque etiamnum sunt, propria forent.

Decimum & nonum Articulum omissum, & terminis duntaxat generalibus expressum iri, ut Mercatores, Nautæ, Navium Gubernatores, Socii navales Eorumque naves, bona mercesque nulla, quacunque tandem de causa, apprehendantur ac detineantur, quandoquidem in eâ re cum illis agetur, quomodò cum Anglis, Scotis Hybernisque agitur.

Vicesimum & primum & secundum & tertium Articulum concedi: locum vero sub finem Articuli vicesimi omissum, repletum, atque è vicesimo & tertio Hæredes & Successores, aut quibus jus competit in Dominia Comitum Henrici Bergii & VVarfusii, defunctorum, aliosve Majestatis Suæ Subditos innatos, exclusos atque exceptos iri.

Propterea quod exsolutio per Conventionem & Contractum privatum, respectu Partis, quæ Celsissimo Arausionensium Principi in Salinas Burgundiæ eoque spectantes Sylvas, prout demonstrabitur, competit, nullam idcirco super vicesimo & quarto Artic. quæstionem fore.

Vicesimum & quintum Articulum concedi, nisi fortassis Contractus quidam postmodum cum Celsissimis Arausionensium Principibus initi inveniantur, quibus satisfactionem, Articulo vicesimo & quinto prætensam, jam forent consequuti.

Vicesimum & sextum Articulum concedi.

Vicesimo & septimo plenissimè satisfactum iri, postquam universus Status, quo dicta causa invenietur, & à quibus prætensa bona possidebuntur, cognitus perspectusque fuerit.

Quo autem Tractationis Negotium tantò maturius absolvatur, quicquid Articulo vicesimo & octavo, cæterisque ad quadragesimum & secundum, ac quicquid eo quoque petitur, concessum ac promissum iri.

Quadragesimum & tertium, juxta ejusdem conclusionem, dilatum iri, donec cum Celsissimo Arausionensium Principe super satisfactione à Celsitudine Sua dicto Artic. prætensa, actum fuerit.

Similiter etiam propter Tractationis brevitatem nec non Majestatis Suæ voluntatem, quâ Celsissimo Arausionensium Principi in iis præsertim, quæ Articulo quadragesimo & septimo & octavo prætendit, plenissimè satisfacere studet, Articulos 44, 45, 46, 47, 48, & 49. concedi.

A summè dicta Majestate Suâ omnia, quæ poterunt, adhibita iri, quò Articulus quinquagesimus & quinquagesimus primus effectum suum sortiantur; eâ spe ac fiducia, ut Majestas Cæsarea Statusque Imperii Regiæ Majestatis Catholicæ petitioni neutiquam abnuant.

A quinquagesimo & quinto ad sexagesimum primum, incluso & illo Articulo, licet in sexagesimum primum jam memoratum distinctiones nonnullæ moveri queant respectu captivorum,

vorum, qui extra Belgii Provincias, atque sub Ordinum Generalium vexillis alíis militatum profecti fuerunt, ea potissimum de causâ concessum iri, quò Partis Utriusque animi tantò magis conjugantur, Ipsaque reconciliatio tanto facilior reddatur.

Insuper etiam Articulum sexagesimum & secundum concessum iri, simul etiam facili Negotio ordinem aliquem, de quo dicto Articulo, ab iis institui posse, qui ad Urbium praecipuarum districtus determinandos & limitandos committentur ac deputabuntur, quemadmodum sub finem tertii Articuli commemoratum fuit.

Sexagesimum tertium similiter universum concessum iri, licet non necessarium videatur ea omnia exprimere, quae Articulis Tractationis, si fortaßis ad conclusionem perveniatur, ineundae continentur.

Sexagesimum & quartum, sextum & septimum Articulum admissum, Articuli vero sexagesimi quinti declarationem Bruxellis expectatam iri, quo perspicuè ad eum brevi temporis spatio responderi poßit.

Quod ad sexagesimum octavum, nonum, & septuagesimum attinet, supradicti Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Majestatis Suae Catholicae eadem respondent, quae in Propositione decimo & tertio die Maji Foederati Belgii Provinciarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis exhibuerunt, Idque eò magis, quòd praeteritis Induciis similiter actum concessumque fuerit respectu actuum quorumcunque Hostilitatis, quemadmodum suprammemoratâ Propositione expressum fuit, ac multae rationes plura exigent, in Partis utriusque salutem, atque ut impediatur ne coeptum tam salutare mutuae voluntatis & reconciliationis divertatur, ni Actuum quorumcunque Hostilitatis cessatio quamprimum confirmata fuerit.

Articulum septuagesimum & primum eadem cautione, quae à Foederati Belgii Provinciarum Ordinibus Generalibus eo ipso Articulo adhibita fuit, admissum iri.

Ac quoniam per praesentem ad Articulos Responsionem, uti etiam per Propositionem in plenißima Auctoritatis & potestatis subjectum habitam, imprimis quoque per omnia dictorum Legatorum Extraordinariorum & Plenipotentiariorum acta & facta summè dictorum Foederati Belgii Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii satis superque percipere potuerunt, quam serio ac sincero animi studio Majestas Sua Catholica bellum Provinciarum tam diuturnum, tam funestum tamque cruentum cum pace commutare, atque dehinc cum summè dictis Ordinibus Generalibus cum omni tranquillitate ac securitate degere, omnemque Amicitiam & Societatem colere cupiat atque expetat, Neutiquam dubitandum esse, quin supradicti Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii pro summa Sua prudentiâ, rerum experientia, erga Patriam benevolentiâ, Subditorumque suorum commodum & consolationem, uti etiam pro summo studio, curâ & diligentia, quâ mediâ, quibus universi Orbis Christiani Hostem propellere finibusque Suis arcere cupiunt, amplectuntur, rem tam necessariam, tam utilem tamque salutarem quamprimum & quantum fieri poterit, promoturi sint. Imprimis autem propter externas causas quae ipsosmet nihilominus mediate concernunt; quodque hactenus nullis nisi Gallis hujusce rei coeptique salutaris mora imputanda venerit, dum plenius atque uberius satisfiat, propter nimia à Rege Hispaniarum commoda Ipsis oblata, Idque solo respectu universi Orbis Christiani Pacis ac tranquillitatis, utque tantò facilius communi operâ atque auxilio Turcis resistatur. Actum Monasterii WVestph. decimo & septimo die Maji, Anno 1646. Subsignatum erat, Comes Penerandae, Fr. Josephus, Archi-Episcop. Cameracensis, Ant. Brun.

Ad

Ad hæc autem vicesimo & quarto die Maji Præpotentium D. D. Ordinum Legati sequentia responderunt.

VNitarum Belgii Provinciarum Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, quorum Nomina sequentibus inserta leguntur, quò Pacis Tractatio tantò magis promoveatur, Ordinumque Generalium voluntas sincera funestum hoc & diuturnum Provinciarum Bellum cum Pace commutandi in commodum atque incolumitatem Earundem Subditorum, tanto melius exprimatur, indicant ac declarant, Articulos ad Propositionem D. D. Legatorum Extraordinariorum & Plenipotentiariorum Regis Hispaniensis octavo & vicesimo die Ianuarii in Responsionem traditi, demonstrare atque innuere eandem quoque voluntatem ac studium ad bellum tam diuturnum tamque funestum penitus restinguendum. Qum imo Ipsimet Regis Hispaniarum Legati Extr. & Plenipotent. judicabunt Declarationem Libertatis & supremi Imperii summè dictorum D. D. Ordinum Generalium, Articulo primo commemoratæ Propositionis expressam, nullo modo posse aut debere ad præsens hoc tempus restringi vel determinari; tantum abest, ut ad Tractationem Induciarum restringi ac determinari, sive in minoris momenti Articulis agnosci passimque repeti oporteat. Idque eo magis, quod ad illud jam nunc opera detur eique rei incumbatur, ut Pacis perpetuæ fundamenta ponantur, quo interrupto, bellum renovari armaque recipi possunt; Eum ad modum quoque necessarium esse, ut Tractationis Confirmatio & Ratihabitio, solennibus conscripta formulis, à Rege Hispaniarum dicto ac constituto tempore impetretur atque exhibeatur; Neque Induciarum petitioni sive Actuum Hostilitatis cessationi ullo modo annuatur, donec Regis Hispaniarum Confirmatio ac Ratihabitio cum D. D. Ordinum Gener. Confirmatione & Ratihabitione commutata fuerit.

Insuper etiam Præpotent. D. D. Ordinum Plenipotentiarii illud seriò urgent, ut Gallis satisfiat, Eorumque causæ ac difficultates unâ cum summè dictorum D. D. Ordinum Generalium causis decidantur penitusque conficiantur.

Quo autem supradicta Tractatio tantò maturius absolvatur, Articulus secundus silentio transmittetur; excepto tamen, ut ante dicta Tractationis Conclusionem de Induciarum tempore conveniatur.

Eum ad modum quoque omnes Articuli omittentur, qui à Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis Responsione Suâ, septimo & decimo die Maji traditâ, universum concessi fuere.

Quod ad tertium attinet Articulum, neque debet, neque decet ullam aliam Tractationem institui extra eum locum, qui Tractationi universali addictus & destinatus est, neque etiam alios Commissarios delegari qui Vrbium districtus determinarent, deque Ecclesiasticis simul & Civilibus causis convenirent, quoniam summè dicti Ordines Generales neutiquam dubitant, quin Ius summum ac supremum Imperium penes Sese illico mansurum sit, prout Articulo supramemorato expressum legitur.

Ad septimum Articulum quod attinet, reipsâ compertum fuit, summè dictorum D. D. Ordinum Subditis supra Regis Hispaniarum Subditos, tempore Induciarum, adversus Tractatum majora onera imperata, Eorumque naves mercesque majori vectigali oneratas fuisse. Quocirca necessarium judicant, ut dubium hoc tollatur, deque eo declaratione septimo Articulo relatâ conveniatur.

Duo-

Duodecimo Articulo Regis Hispaniarum Iura neutiquam imminuuntur, utpote quæ soli Regi integra conservantur; Sed vero quem ad modum in reliquis Tractatibus Commercia instituuntur, ac summè dicti Ordines Generales qualescunque merces æqualiter admittunt, & Sale è Germania, Gallia, Hispania, Portugalliâ, Italia atque Indiâ advecto absque ullo discrimine utuntur; eum ad modum quoque interdicti magisque aggravati Salis albi Commerciorum libertas, Articulo decimo concessa, nimis multo restricta foret.

Decimus & tertius Articulus præteritis Induciis obtinuit. Porrò autem Ius Stapelæ, ut vocant, jam à multis retrò annis, optimo quinetiam Iure Provinciæ Zelandiæ proprium fuit, atque ejus respectu reliquis navibus è mari ad fluvios & Canales advectis, quorum dicto Articulo mentio facta fuit: quæ quidem naves mercibus Suis in Zelandia exonerari iisque aliis onerari debent. Hoc autem Ius Stapelæ neque in Brabantia, neque in Flandriâ, tam propter Iuris Ejusmodi defectum, quam propter Fluvii Scaldensis ejusdemque Canalium opportunitatem obtinebit; adeò ut hic Artic. in dubium vocari, sive aliquo modo permutari nequeat.

Insuper etiam decimus & quartus Articulus Regis Hispaniarum Auctoritati supremæ neutiquam contrariatur, eoque nullo modo subvertitur; utpote cui liberum atque integrum maneat, quantum oneris libitum fuerit, imperare. At vero onera ubique loci æqualia esse propterea oportet, ne isthoc pacto commercia Articulo decimo concessa, nimium restringantur aut comminuantur: Imprimis autem ne onerum inæqualitate unius Provinciæ commercia in aliam divertantur, ut Flandriæ commercia in Brabantiam, &c. simul etiam ne Finitimorum commercia penitus succidantur; quippe quæ hac Pacis Tractatione confirmanda potius ac stabilienda veniant.

Decimus & octavus Artic. eo quod Supremum Ius atque Imperium spectet, & quæ ab illo dependent, quem ad modum Articulo tertio dictum fuit, concedi debet; Idque eo magis, quo Incommoda & pericula exinde promanantia, quæ in Fœderati Belgii Provinciarum damnum ac detrimentum fuerunt oblata, tanto facilius præveniri possint, simul etiam Conscientiæ libertas salva, atque integra omnibus & singulis Fœderati Belgii Provinciarum Incolis Subditisque mansura est, nullâ ratione nulloque respectu habito, quod ejusce contrarium quidquam inter Partem utramque antehac concessum fuerit, & quamvis concessum, præsenti tamen tempori ac Navigationi Commerciisque accommodari seu applicari nullo modo poterit.

Decimus & nonus Artic. reliquis præteritarum Induciarum Articulis respondet, qui tamen ejusmodi dilucida explicatione indiget, quo Incommoda Ejusdemq; violationes, atque interruptiones, quæ supradictarum Induciarum tempore in maximum Fœderati Belgii Subditorum detrimentum, Commerciorumque & Navigationum libertatis diminutionem obtigerunt, præveniri possint.

Terminus, Articulo vicesimo omissus, perspicuè satis explicabitur.

Vicesimus autem & tertius Articulus eo modo, quo Induciarum supradictarum tempore, observabitur, Imprimis vero quod Comes Bergius, Regis Hispaniarum Vasallus ac Subditus natus Isque mortuus sit, simul etiam quod compositione ante dictas Inducias ea potissimum de causa instituta, atque post earundem exspirationem renovata, deindeque sine ullâ interruptione observatâ, nulla omnino bonorum in Gelria publicatio sive usitata sive admissa fuerit; Contrà vero, tam Clerici quàm Laici, cujuscunque tandem Status ac Conditionis fuerint, absque ullâ Partis utriusque Personarum, quæ vel arma gesserunt, vel iisdem abstinuerunt, distinctione, liberam ac securam bonorum suorum omnium possessionem obtinebunt, haud secus ac si Ejusdem Partis Subditi existerent.

Quod

Quod ad vicesimum & quartum Articulum attinet, eodem Salinarum cæterarumque sylvarum adjacentium, atque ad Celsissimum Arausionensium Principem pertinentium, pars aliqua postulatur.

Secundùm vicesimum & septimum Articulum omnibus & singulis, absque ullo Personarum bona sua possidentium, discrimine, satisfaciendum veniet.

Monasterii Sandensis, uti etiam Præpositura Everzomiensis possessio firmâ ac rata habebitur, idque secundùm Articuli quadragesimi & sexti præscriptum: memorati vero Articuli pars reliqua tamdiu transmittetur, donec de eadem conventum fuerit.

Cæsareæ Majestatis Ordinumque Imperii super Neutralitate Declaratio majorem in modum urgenda ac promovenda erit, prout Articulo quinquagesimo & quinquagesimo primo propositum fuit, Idque Parti utrique æque necessarium erit.

Pecuniæ adhuc debendæ, de qua Articulo sexagesimo & secundo, ab iis, quorum curæ tributorum exactio suprema demandata fuit, exsolventur.

Sexagesimus & tertius Articulus perquam necessarius est, Imprimis autem iis, quorum opera in Tractatione præsente adhibetur.

Ad sexagesimum & quintum Articulum ea, quæ Bruxellis mittetur, responsio exspectabitur.

Et quoniam præsens Tractatio Consilio ac decreto omnium Provinciarum Earumque Ordinum consensu instituta atque incepta fuit, qui nihil aliud, præterquam firmam & perpetuam Amicitiam cum Affinibus suis colere expetunt, supradicti Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii firmiter sibi persuasum habent, Regis Hispaniarum Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios communi omnium saluti atque incolumitati studentes, nullas difficultates adversus dictos Articulos allaturos esse, qui quidem eâ de causa exhibiti traditique fuere, ut omnes prorsus deliberationes Provinciarum novæ, quæ præsenti Tractationi moras nonnullas injicerent, eamque aggravarent, penitus amoveri possint. Actum Monasterii VVestphal. vicesimo & quarto die Maji, Anno 1646.

Vicesimo & septimo autem die Maji ea, quæ sequitur, Responsio ab Hispanis tradita fuit.

Regis Hispaniarum Plenipotentiarii, quorum nomina sequentibus inserta leguntur, magis, magisque indicare cupientes, quantopere Pacem atque incolumitatem Subditorum & Incolarum totius Belgii amplectantur, ad novissima Fœderati Belgii D. D. Ordinum Generalium Legatorum Extraordinariorum & Plenipotentiariorum Scripta, quarto & vicesimo die Maji, Anno 1646. tradita, respondent, quod prompti paratique sint Articulum primum libertatem Supremi Imperii in Fœderati Belgii Provincias summedictorum D. D. Ordinum Generalium concernentem, eâ quidem formâ, quâ Scriptis decimo & septimo die Annoque memoratis, à Fœderati Belgii D. D. Ordinum Generalium Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis exhibitis traditisque inserta legitur, universum concedere.

Quod autem ad dicta Majestatis Suæ Confirmationem & Ratihabitionem attinet, illam, secundum posteriora Scripta vicesimo & quarto die Maji, Anno 1646. tradita, duorum duntaxat Mensium spatio addito, sedulò curabunt. Eâ lege tamen ac conditione, quod si supramemorata Confirmatio & Ratihabitio à Regia Majestate maturius missa fuerit, ut omnis hostilitatis actus cessaret, neque constitutum temporis spatium exspectandum foret.

Tertium Articulum quod spectat; Superioritas, *ut vocant, Majoratus Sylva-Ducensis, quamvis ad Vrbem minimè pertineat, dehinc concedetur; ea lege tamen ac conditione, ut respectu Ecclesiasticorum in dicto Majoratu commorantium, simul etiam respectu agri suburbani, moderatio nonnulla in utriusque Partis satisfactionem adhibeatur. Ager patens VVaasiæ Regi Hispaniarum proprius erit; Ordines vero Generales loca munita, & quæ ibidem Fortalitia occupant, retinebunt. Insuper etiam Hulstensis Præfecturæ Superioritatem & possessionem propriam habebunt.*

Septimus Articulus concedetur, Idque eâ formâ, quâ expressus legitur, cum explicatione versuræ semissem exæquantis, non obstante tamen quod hic Articulus novus sit, respectu eorum quæ præteritis Induciis, Anno 1609. initis, fuerant stipulata.

Duodecimus Articulus albi Salis advectionem spectans concedetur, quâ lege etiam Salis albi advectio Regis Hispaniarum Subditis permittetur.

Decimus & tertius Articulus, respectu Iuris Stapelæ, adhibita navium commutatione, concedetur; Sic tamen ut idem Majestati Suæ concedatur, iis locis, in quibus præteritis Induciis ejusmodi Ius Stapelæ vel obtinuit vel in quibus locis usitatum fuit.

Similiter etiam decimus & quartus Articulus concedetur; qui alioquin nullo modo admitteretur, nisi hoc pacto Christiani sanguinis profusio celeriter præveniri, belloque tam funesto obortæ vastationi finis imponi posset.

Decimus & octavus Articulus eo modo, quo tertius Articulus, respectu Ecclesiasticorum, accipietur; atque in Partis utriusque Satisfactionem moderatio aliqua adhibebitur.

Quoniam autem decimus & nonus Articulus à superioribus Induciis nequidquam differt, prout Scriptis novissimis indicatum fuit, concedetur, ut iisdem verbis, quæ dicto Induciarum Tractatu reperiuntur, exprimatur.

Vicesimus & tertius Articulus, terminis generalibus, quemadmodum in superiorum Induciarum Tractatu, admittetur.

Vicesimus & quartus Articulus, respectu eorum, quæ à Majestate Suâ neque empta neque exsoluta comperientur, accipietur.

Vicesimus & septimus Articulus infectus omnino transmittetur, donec plenissima ad eundem Responsio Bruxellis allata fuerit.

De Articulo quadragesimo & quarto, respectu Satisfactionis quam Celsissimus Arausionensium Princeps prætendit, aut prætendere potest in ea dominia, quæ necdum possidet, privatâ quadam Tractatione agetur. Quod vero ea spectat, quæ jam nunc concessione ac traditione à D. D. Ordinibus Generalibus factâ in Hulstensi Præfecturâ, sive alibi, quam nuperrimè quoque confirmarunt, possidet; Ea omnia Celsissimo Principi, tanquam propria sunt futura. neque ulla prætensio in ejusmodi bona, vi aliorum Articulorum præsentis Tractatus admittetur.

Majestatis Suæ Cæsareæ Ordinumque Imperii Declaratio reipsa procurabitur ac promovebitur, quemadmodum Articulo 50. & 51. commemoratum fuit: Majestati Suæ Cæsareæ Mensium duorum, Imperiique Ordinibus Anni spatio concesso.

Sexagesimus & secundus Articulus eo modo concedetur, quomodo superioribus scriptis, vicesimo & quarto die Maji traditis, explicatum fuit.

Eum in modum etiam sexagesimus & quartus Articulus admittetur.

Ad sexagesimum & quintum vero Articulum secundùm Responsionem, Bruxellis missam, declarant supradicti Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Regis Hispaniarum secundùm præteritarum Induciarum præscriptum nulla loca munita nullaque Fortalitia mutuò tradita aut

aut restituta iri. Actum Monasterii VVestphal. vicesimo & septimo die Maji, Anno 1646. Subsignatum erat, Comes Penerandæ, Frater Josephus, Archi-Episcopus Cameracensis, Ant. Brun.

Ad hæc autem Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii sequentem in modum responderunt.

AD novissima Regis Hispaniensis D. D. Legatorum Extraordinariorum & Plenipotentiariorum Scripta, vicesimo & septimo die Maji, Anno 1646. tradita, Præpotentium Fœderati Belgii Provinciarum D. D. Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii per præsentes respondent ac declarant, quod exhibitam per dicta scripta super Articulis declarationem ac responsionem categoricam accipiant Eamque admittant.

Quod verò ad positiones quasdam & allegationes in diversos Articulos, supramemoratis Scriptis insertas attinet, dicti Legati & Plenipotentiarii minimè dubitant, quin Earundem sensus cum suo conveniat, ut videlicet præsentis Tractationis Articulis non inserantur; iisque duntaxat exprimantur, de quibus inter Partem utramque hactenus conventum fuit, aut dehinc convenietur.

Imprimis autem ut Articulus decimus & tertius concedatur, quo modo supradictis Articulis institutus atque explicatus fuit; quandoquidem in supramemoratis Scriptis rationes, eò spectantes, admissa acceptaque fuerunt.

Postremò, ut Articulo sexagesimo & quinto exprimatur, ut reditus annui Castelli Leuthensis, cæteraque privilegia eodem pertinentia Comiti Flodrosensi, utpote Proprietario & Domino suo legitimo, absque ullâ morâ ullove impedimento, restituantur.

Ut dictis Articulis exprimatur atque inseratur, hæc omnia ab utraque Parte sincero & fideli animo declarari.

Insuper etiam Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, quem ad modum in principio ac deinceps declararunt, ita quoque jam nunc declarant, communi operâ atque auxilio Gallis satisfaciendum esse, atque ut quamprimum iisdem satisfiat, rogant atque obsecrant, quo Pacis conclusio simul confirmari, & ingens sanguinis Christiani profusio præveniri possit. Actum Monasterii VVestphal. tricesimo die Maji, Anno 1646.

INterea autem Legati & Plenipotentiarii per literas creberrimas, eò quod Articuli bini, Commercia & Navigationes in Orientalem & Occidentalem Indiam concernentes, Mense Octobri, proximè elapso, ex Instructione, proindeque ex uno & septuaginta Articulis deleti fuerant, à Deputantibus suis petierunt, ut de iis agendi & conveniendi potestas atque Auctoritas daretur.

Decimo, vicesimo & secundo die Maji Gelriæ Ordines instare occeperunt, ut citerioris Gelriæ Partis Consolidatio Monasterii urgeretur: Quapropter etiam Dominis Legatis & Plenipotentiariis, ut eandem promoverent, atque ab Hispanis postularent, mandatum præceptumque fuit, hac tamen clausulâ additâ: *Ne Tractationi in Pacem & tranquillitatem Monasterii instituta, memoratâ prætensione ac petitione quidquam moræ injiceretur, neve res principalis ullo modo ei adstringeretur;* quem in finem etiam Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis Extraordi-

nariis & Plenipotentiariis majorem in modum commendatum fuit, ut dictam restrictionem cum omni cautione ac circumspectione instituerent.

Hispani verò, sive ipsis clausula hæc clam innotuerat, sive reipsa mandatum fuerat, ne dictæ petitioni annuerent, eam tamen nunquam concesserunt.

De omnibus igitur Articulis, Orientalis & Occidentalis Indiæ Negotio excepto, simul cum eo de Majoratu Sylvæ-Ducensis sive de moderatione rerum Ecclesiasticarum inter Partem utramque instituendâ, quamvis cum Hispanis Legati & Plenipotentiarii D. D. Ordinum Generalium convenissent, idque donec literæ Auctoritatis emendandæ ab Hispanis exhibitæ forent, clam habuissent; ad aures tamen Regiæ Majestatis Legatorum pervenit Tractatum scilicet, sive conceptum quendam unius & septuaginta Articulorum institutum, atque à nonnullis ex Ordinibus subsignatum fuisse. Præpotentes itaque D. D. Ordines Generales rerum plerarumque gestarum & concessarum ignari, per literas de omnibus Se plenissimè certiores reddi voluerunt. Quibus Præpotentium D. D. Ordinum literis supradicti Legati terminis adeo generalibus atque universalibus responderunt (quamdiu enim literæ Auctoritatis à Rege Hispaniarum non erant traditæ, sine ullo fructu omnia gesta forent) ut Præpotentes D. D. Ordines Generales alteras ad Plenipotentiarios suos literas Kalendis Junii miserint, sibi *relationem rerum tam universalem tamque obscuram* neutiquam placere; petere tamen, ut se quæcunque cum Hispanis clam ultrò citròque egissent, sive quæ in posterum agerent, ordine per literas certiores redderent, simul etiam ex centesimi decimi & tertii Articuli Instructionis datæ præscripto agerent. Idque eò magis, quod rationes evidentes ac probabiles dari poterant, Hispanos, omnibus quæcunq; acta forent, quo tempore ac loco Ipsis videbatur, indicare; quapropter etiam multos extrà Fœderati Belgii Ordines Eorumque membra, omnia quæ gerebantur, Præpotentes vero D. D. Ordines Generales nequidquam, aut saltem parum cognoscere.

Gallorum verò Legati, Mense Junio, denuo conquerebantur, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos & Plenipotentiarios tractando nimium processisse, proindeque Hispanos neutiquam jam Gallos sollicitare; ut qui satis sibi esse putarent, Se cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus Negotium confecisse.

Insuper etiam Gallorum Legati Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis literas Comitis Penerandæ interceptas, quas à Majestate Suâ acceperant, exhibuerunt; quibus Hispaniarum Regem certiorem reddebat, Se omnia cum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis transegisse ac confecisse; seque proptèrea à Majestate Suâ non literas duntaxat Auctoritatis emendatas (secundùm Acta eam in rem instituta) verum ipsam quoque Regis Confirmationem & Ratihabitionem eorum, quæ conclusisset, intra Mensis Junii spatium exspectare: Quæ si Monasterium perlatæ forent, tres quatuorve Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatos & Plenipotentiarios Monasterio in reliquas Fœderati Belgii Provincias discessuros esse (præsupponens Hollandiæ Ordines omnibus jam satis annuere) quo iisdem quoque ea, quæ gessissent, persuaderent, omniaque hoc pacto ad Particularis Tractationis conclusionem dirigerent,

gerent, neque exspectarent, donec Gallis quoque in omnibus satisfactum foret. Eapropter etiam Hispanos priorem Gallis satisfaciendi voluntatem amisisse: nonnullos insuper è Dominorum D. Ordin. Plenipotentiariis Hispanos convenisse, iisdemque promisisse, Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Copias quidem eductas iri, sed tamen non nisi castra stativa habituras esse: Hispanos itaque hisce promissis fretos, omnes Copias suas conducturos, & Gallos duntaxat, quid rerum gererent, quidve consilii caperent, observaturos esse. Ad hæc autem, quid Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii dicturi quidve responsuri essent, quærebant; simul etiam petebant, ne quis Legatorum Extraordinariorum & Plenipotentiariorum D. D. Ordinum Generalium Monasterio Hagam-Com. sive ad aliquam Provinciarum discederet; Idque eo magis, quod (ut ajebant) nonnihil subvererentur, *ne Vulgus ad hæc obstupesceret, seque moveret, ac præter ipsorum quoque Plenipotentiariorum opinionem omnem prorsus Tractationem interpellaret.* Hisce quidem plura alia additvros se esse dixerunt: sed vero antequam omnia & singula proponerent, quid ad ea, quæ jam enarrassent, responderent, rogarunt. Quibus tum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii responderunt, Se neque literas interceptas, neque Earundem argumentum scire, nec quidquam de iis percepisse, proindeque omnia hæc negare. Insuper etiam Se fidem nullam adhibere posse, Confirmationem sive Ratihabitionem aliquam in Tractationem, nec dum absolutam, ac cujus Partes nonnullæ essentiales adhuc infectæ forent, de quibus Ipsimet nulla potestate agendi muniti essent, à Rege Hispaniarum exhibitam traditamque iri. Se vero, ubi literæ Auctoritatis emendandæ à Rege Hispaniarum mitterentur, tum secundùm Instructionis præscriptum acturos se esse dixerunt; non diffiteri quidem, Hispanos à se quæsisse, quod si omnia, quæ à Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus petita ac postulata forent, concessissent, num cum Hispaniarum Rege seorsim ab aliis Tractationem hanc concludere vellent, id se facturos esse denegasse. Seque in ejusce rei testimonium (quod itidem Galli exploratum satis haberent) propter Ipsorum petitionem omni Tractatione abstinuisse, atque etiamnum abstinere; multoties autem declarasse, se omnia cum Gallorum consilio & acturos esse, & agere debere; proindeque ab illo tempore rerum omnium Ipsos participes fecisse. Ad hæc Galli, ex aulâ sibi literas missas, dixêre, quibus perceperant, Hispanos sc. indicasse Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Generales non ulterius Se Gallis devinxisse, quam respectu rerum Belgii Provincias concernentium, quum tamen Fœderationes Anno 1634. & 1635. initæ ac sancitæ non quasdam duntaxat Provinciarum, sed vero omnes & singulas Gallorum causas (vulgò *Interesse*) spectarent. Eapropter quoque rogarunt, ut Præpotentium D. D. Ordin. Plenipotentiarii categoricè aperteque responderent, num videlicet Ordines Generales Se Gallorum causis Belgii duntaxat Provincias concernentibus, an verò causis quoque loca in Hispania, Cazali, Pineroli, Catalonia, &c. capta spectantibus obstringerent. Quibus tum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii regesserunt, Se Monasterium cum Hispanis tractandi causa pervenisse: utque Eadem Tractatio, quantum fieri posset, optimo modo dirigeretur, Anno 1644. cum Gallis Tractatum quendam initum conclusumque fuisse. Ex

Ejusdem autem præscripto se egisse, atque etiamnum acturos esse declararunt. Quod si vero casus quidam, dicto Tractatu non comprehensus, atque explicatione ulteriore indigens offerretur, Eam se explicationem à Præpotentibus D. D. Ordinibus, utpote quibus competebat, exspectaturos esse. Hisce tamen non obstantibus, Galli addiderunt, Se in ejusmodi verborum satisfactione neutiquam acquieturos; Sed verò Majestati Suæ Galliæ eandem indicaturos esse: Insuper etiam Domino Tuillerio Majestatis Suæ Legato literas missuros, ut de hisce omnibus in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum conqueratur. qui, nisi apertè loquuti fuerint, Monasterio Se discessuros, atque omnia eodem loco, quo nunc sita forent, relicturos; sperare tamen, Se à Præpotentibus D. D. Ordinibus ulteriorem responsionem & satisfactionem accepturos esse; proindeque Ipsis cogitandi deliberandique tempus dare. Ad hæc Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarii regerendo dixerunt, initos ac confirmatos cum Gallis Tractatus varios & diversos continere Articulos, eosque se perlecturos esse. Postremo autem Gallis, num Hagam-Com. sive ad Provincias è suis nonnullos missuri essent, quærentibus responderunt, Se nullam hactenus Legatorum quorundam dimissionem decrevisse.

Hoc itaque pacto utriusque Partis Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii discesserunt. Interim tamen ad suspicionem tantus cumulus accessit, ut Ipsi quoque Præpotentes Ordines in binas irent sententias: quippe Nonnulli ex ipso Tractatuum cum Gallis initorum præscripto, & quo modo ab iisdem explicarentur, agi oportere, judicarunt; ac tamdiu exspectari, donec Gallis quoque, utpote Sociis & Fœderatis suis, satisfactum esset: Nonnulli autem aliter existimarunt, Præpotentes sc. Ordines Gener. per Tractatus cum Gallis initos non ulterius, quam respectu rerum Belgii Provincias concernentium, obstrictos obligatosque teneri; minimè verò respectu rerum exterarum, sive Galliæ Sociorum, utpote quorum Superioribus Tractatibus mentio nulla facta fuisset.

Ac quoniam in dies singulos supramemoratæ Auctoritatis literæ à Rege Hispaniarum in exspectatione essent, Idcircò Belgii Provinciarum Legati & Plenipotentiarii Præpotentes D. D. Ordines Generales per literas crebras admonuerunt, simul etiam petierunt, ut sibi ulterior de Commerciis utrasque Indias spectantibus agendi Potestas daretur: quibus in Concilio Præpotentium D. D. Ordin. propositis, rursus Zelandiæ Ordines summopere institerunt, ac novum Articulum protulerunt, ut Tractatus Anno 1644. initi amplificatio à Gallorum Legatis impetraretur, quod per literas Præpotent. D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis illico indicatum fuit.

Interea dum hæc geruntur, literæ à Marchione de Castel-Rodrigo octavo & vicesimo die Junii Bruxellis exaratæ perferebantur, quibus Auctoritatem & potestatem tamdiu desideratam, tandem ex Hispania missam esse indicabat. Idem etiam postmodum Monasterio confirmatum fuit; Comitem sc. Penerandæ per Secretarium suum tricesimo die Junii Præpotentes D. D. Ordines Generales ejus rei certiores fecisse; quem ad modum etiam Dominus Brun, Regis Hispaniarum Legatus & Plenipotentiarius tertio die Iulii dictas potestatis atque Auctoritatis literas in Originali, ut vocant, septimo die Iunii exaratas, Præpotent. D. D. Ordinum

dinum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis exhibiturus accesserat; Insuper etiam promiserat Sese curaturum, ut Earundem exemplar (vulgò *Copia*) à tribus Hispanorum Legatis subsignatum, exararetur: quod ita factum, Earumque exemplar eodem die sub vesperam Præpotent. D. D. Ordinum Legatis traditum fuit. Dictæ autem literæ iisdem planè formulis, quibus postmodum Tractationi conclusæ inserebantur, conscriptæ fuerunt.

Hæ itaque Auctoritatis literæ summo gaudio affecerunt eos, qui tam in Fœderatis, quam alterius Partis Provinciis maturam Pacis conclusionem amplectebantur; haud secus ac fundamentum, cui, ut postmodum apparuit, Pacem firmam ac perpetuam superstrui posse, sperabant: Quibusdam tamen non omni ex parte placuerunt. Interea autem Majestatis Suæ Galliæ Legatus, Dominus Tuillerius tertio die Iulii coram Domino Catzio, & sexto die Iulii coram Domino Strevelshoeckio summopere querebatur, (1) quod exercitium Romanæ Religionis in Civitate Hulstanâ, secundùm Tractatum Anno 1635. initum, non admittebatur; quocirca, ut in iis Oppidis, quæ illâ æstate expugnarentur, Romanæ Religionis exercitium liberum permitteretur, promitti literisque conscribi majorem in modum petebat. (2) Omnes querelas, quas antehac à Majestatis Suæ Legatis Præpotentium D. D. Ordinum Deputatis propositas fuisse diximus, nimirum, *super Articulorum à quibusdam jam nunc subsignatorum progressu maximo*, coram supradictis Dominis repetebat: Eaque propter categoricè responderi volebat, in quantum Præpotentes D. D. Ordines Generales Semetipsos Gallorum causis seu interesse, adstrictos obligatosque dicerent. Deinde vero Bredam discedebat, (quo Celsissimus Arausionensium Princeps, Nobilesque plurimi, cum magno Præpotent. D. D. Ordinum Deputatorum numero, de Copiarum eductione consulturi advenerant: de qua re tarde ac negligenter satis deliberatum fuit, quamvis haud exigua expeditionis magnæ, feliciter conficiendæ Antverpiæque expugnandæ, occasio commoda atque opportuna se offerebat. Ac Majestate Sua Galliæ licet acriter instante, binæ tamen difficultates à Præpot. D D. Ordinibus proponebantur; alterâ, quod Copiæ, tantæ expeditioni adhibendæ, deessent: altera, quod cum Gallis super Religionis Negotio difficillimè conveniri posset. Quapropter quoque in primæ querelæ satisfactionem, secundæque moderationem sequens Tractatus undecimo die Iulii initus fuit.

Serenissima Galliarum Regina Celsitudini Vestræ, simul etiam D. D. Ordinibus Generalibus suæ erga Eosdem voluntatis ac benevolentiæ indicium facere cupiens, Id sibi persuasum habuit, Se id nulla in re commodius neque opportunius demonstrare posse, quam ut tria millia equitum ad decem dierum spatium, quibus rem aliquam præclaram effectam reddere possent, in auxilium mutuo offerret: ea lege tamen ac conditione, ut supradicta tria Equitum millia à Copiis D. D. Ordinum deducantur ad eum locum, qui commodissimus esse censebitur: quem ad modum quoque in eorundem recessu, similiter etiam Vrbe ejusmodi capta expugnataque tria Peditum millia à D. D. Ordinibus Majestatis Suæ Copiis mutuo itidem adjungantur: ut hoc pacto Majestas Sua, adauctis Copiis, magnum aliquod atque eximium in commune bonum occipere queat. Insuper etiam Majestas Sua Celsitudinem Vestram Ordinesque Generales vehementer etiam atque etiam rogat, ut Romanæ Religionis exercitium in ea Ci-

ea Civitate, qua expugnabitur, liberum permittatis ac concedatis; quandoquidem Majestas Sua, salvâ conscientia, Copias Suas ad ejus loci expugnationem mittere neutiquam potest, in quo Romana Religionis exercitium pessum daretur. Neque etiam Majestas Sua dubitat, quin Celsitudo Vestra Ordinesque Generales hanc petitionem concessuri sint. Hac itaque Celsitudini Vestra Ordinibusque General. privatim Suo Nomine indicari voluit. Actum Breda: secundo & vicesimo die Iunii. Subsignatum erat, d'Estrades.

Ad Petitionem illam, literis conscriptam, Celsissimus Arausionensium Princeps & D. D. Ordinum Deputati bimembrem hanc responsionem, nono & vicesimo die Junii, reddiderunt.

Celsissimus Arausionensium Princeps & Præpotentium D. D. Ordinum Deputati summa cum gratiarum actione tria Equitum millia ad decem dierum spatium, quibus res aliqua praclara atque eximia confici posset, à Majestate Sua ac Regia Celsitudine mutuo oblata accipiunt. At verò, quo tantò certiores de supradictis Equitibus reddantur & Celsissimus Arausionensium Princeps & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputati Majestatem Suam Regiam Celsitudinemque rogant atque obsecrant, ut oblato trium Equitum millium numero tria peditum millia adjungere velint. Qua quidem per Copias Præpotentium D. D. Ordinum Generalium ad eum locum, qui optimus censebitur, deducentur ac reducentur; Ea lege, ut capto expugnatoque loco proposito, Præpotentes D. D. Ordines Gener. ad idem dierum spacium, eademque conditione, tria peditum millia Copiis Majestatis Sua, prout Celsitudini Sua Regia placuerit, mutuo adjuncturi sint. Actum Breda, nono & vicesimo die Iunii.

Celsissimus Arausionensium Princeps & Fœderati Belgii Ordinum Generalium Deputati cognitâ perceptaque petitione per Dominum d'Estrades *Nomine locoque Majestatis Sua proposita, nimirum ut Romana Religionis exercitium liberum in Oppido expugnato concederetur, declarant atque affirmant, proposito, de quo jam nunc conventum est, feliciter succedente, se dictam petitionem Præpotentium D. D. Ordinum Generalium judicio atque arbitrio relinquere. Actum Breda, nono & vicesimo die Iunii.*

Quibus ad Aureliæ Ducem relatis, per Remondum Cohortis pedestris Præfectum, sequentia responderi jussit.

Celsitudo Sua Regia, Celsissimi Arausionensium Principis & D. D. Ordinum Generalium Deputatorum Propositione cognitâ perceptaque, dictum Equitum peditumque numerum in auxilium mittere decrevit, eâ quidem lege ac conditione, ut Celsissimus Arausionensium Princeps & D.D. Ordines Gen. per Acta quadam, literis conscripta, promittant ac polliceantur, Se exercitium Romana Religionis liberum eo quidem in Oppido permissuros, quod dictarum Copiarum auxilio captum expugnatumque fuerit, eo pacto, quo in Civitate Trajectensium ad Mosam quoque Celsissimus Arausionensium Princeps Ordinesque Generales hoc tempore propter causas varias concesserunt, quas equidem Celsitudo Sua Regia justiores non existimat, quam illas quas Serenissima Regina proposuit: quandoquidem, salvâ conscientiâ, Majestatis

jestatis Suæ Copiæ aliis adjungi nequeunt, quarum operâ Romanam Religionem Catholicam penitus supprimi pateretur: Quibus insuper Celsitudo Sua Regia addit, obligationem integram adhuc prorsusque illæsam esse, respectu D. D. Ordinum Generalium, Idque vi Tractatus Anno 1635. *initi, quo concessum promissumque fuerat*, ut in iis locis, quæ partitione ac divisione D. D. Ordinum Gener. continerentur, exercitium Romanæ Religionis liberum securumque concederetur. *Huic si Celsitudo Vestra Ordinesque Generales, ut antehac de Religionis Negotio concessum fuit, annuant, Celsitudo Sua Regia mandavit mihique præcepit, ut Celsitudini Vestræ Ordinibusque Gener. certò promitterem, dictum equitum peditumque numerum ad Fluvium Brugensem, die locoque constitutis, promptum paratumque fore. Sed verò si Articulo Religionis abnuant, declarat atque affirmat, Se dictum peditum Equitumque numerum Copiis Vestris adjungere nullo modo posse. Insuper etiam Celsitudo Sua Regia mihi præcepit, ut Celsitudinem Vestram certam redderem, Se proposito atque expeditioni D. D. Ordinum Gener. omni opera, studio ac diligentia subventuram, idque per diversionem sive Copiarum hostium distractionem maximam vel Scaldim, vel Oppida maritima versus efficiendo, quò etiam Marchio Caracena cum sex militum millibus secessit. Similiter etiam Lamboy cum Marchione Leeda prope Dornacum Lilamque cum sex militum millibus. Dux Lotharingiæ, uti etiam Lamboy ad minorem Fluvium Scaldensem castra sua posuerunt. Quapropter etiam, dum omnes hostium Copias sibi adversas atque obvias habet, rogat atque obsecrat, ut D. D. Ordines Gener. & Celsitudo Vestra Copias omnes educere, ac tam opportuno tempore expeditionem aliquam insignem occipere velint: neutiquam dubitans, quin hæc in voluntatis & sinceritatis Suæ signum concessuri atque effecturi sint. Celsitudo Sua Regia præter hæc obstupuit, quamprimum annunciatum esset, Se cum Celsitudine Vestra Brugas oppugnaturam esse, ad hostes perlatum fuisse. Quum compertum habeant, Slusæ milites conscribi, pontesque navales inter Copias advehi, quibus, si fortasse reliqui interrupti forent, Fluvios Copiæ transjici possent. Hoc autem Celsitudini Suæ Regiæ, præ cæteris mirum videtur, quod in re tantâ, ea, quæ celata oportebat, hostibus innotescant; unde non exiguum sibi commodum percipere possint, Copias quasdam Nostras à cæteris segregatas profligando. Quorum quidem omnium Celsitudo Sua Regia Indicium facere voluit, ut, si fieri posset, remedium huic malo optimum adhiberetur. Actum Bredæ, quarto die Iulii, Anno* 1646. *Subsignatum erat*, Remondus.

Deliberationibus nonnullis super hoc Negotio habitis, ea, quæ sequuntur, decreta fuerunt.

Celsissimus Arausionensium Princeps & Fœderati Belgii Præpot. D. D. Ordinum Gener. Deputati Christianissimo Galliarum Regi, & Serenissimæ Reginæ Majestatis Suæ Matri promittunt spondentque, quod si Antverpiensium Civitas Copiis Suis expugnata fuerit, Se Catholicæ Apostolicæ & Romanæ Religionis *exercitium liberum securumque in eadem concessuros esse. Actum Bredæ, undecimo die vertentis Iulii, Anno* 1646. *Subsignatum erat*, F. H. Nassavius, Didericus à Linden, Guilielmus à Linteloo, Bouckhorst, Ruysch, A. Bicker, Fr. Herberts, G. Vosbergius, Joh. de Reede, J. Andreæ, J. ab Ysselmuyden, G. à Santen. *Quæ cum Originali suo conveniunt. Notatum erat*, Huygenius.

Cum sequentis tamen Articuli privati beneficio ac limitatione.

IN *Declarationem atque Explicationem eorum, de quibus hoc die inter Dominum Taillerium, Extraordinarium Regis Christianissimi Legatum, apud Præpotentes Fœderati Belgii D. D. Ordines Generales commorantem, Dominumque* d'Estrades *à summedictâ Majestate Sua missum, ab unâ; atque inter Celsissimum Arausionensium Principem & summedictorum Fœderati Belgii Ordinum Generalium Deputatos ab altera Parte, respectu* Catholicæ, Apostol. & Romanæ Religionis in Civitate Antverpiensium exercitii liberi, *conventum fuit, & per* præsentem Articulum privatum *conceditur ac promittitur, templa quæ eam ob causam in Civitate Antverpiensium supramemoratis Pontificiis relinquentur, quatuor, eaque Religionis dictæ exercitio sufficientia & capacia fore. Actum Bredæ, undecimo die hujus vertentis Iulii, Anno 1646. Subsignatum erat ad modum supradictum à Celsissimo Arausionensium Principe & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputatis.*

Hæc autem, postquam Hollandiæ Zelandiæque Ordines percepissent, animo oppidò iniquo tulerunt: Idque partim propter formam suam (quippe speciem Tractationis, quæ reliquis Ordinibus insciis atque invitis institui nequit, præ se ferebant) partim etiam propter ipsam materiam, *Religionem* scil. quapropter Zelandiæ Ordines iis omnibus abnuerunt.

Interea Copiæ pedestres, quæ prope Dordracum navibus septimanas aliquot commoratæ fuerant, statim post dicti Tractatus conclusionem in Flandriam navibus tendere jussæ fuerunt; quem ad modum etiam Copiæ Equestres Bergozomium deductæ, navibus similiter impositæ fuerunt, eo quidem fine, ut ad arcem Philippeam (vulgò Philippijne) tam pedestres quam equestres exponerentur. E præsidio Hulstano quadringenti Equites totidemque Sclopetarii expediti Lovendigum, Copias Gallorum auxiliarias, de qvibus supra, adducturi exiverant. Insuper etiam Celsissimus Arausionensium Princeps Sassam Bergozomio sexto & decimo die Julii petiit; at vicesimo quinto & sexto die cum omnibus Copiis Steeckenii, deinde autem Loockeræ consedit; quibus in locis postquam multum temporis consumpsisset, Arcem quandam nomine *Teemsche*, prope Scaldim, à Parte Antverpiæ citeriore jacentem, occupavit, Eamque continuo deseruit: adeò ut consilium propositumque Antverpiam obsidendi penitus evanesceret; quod Gallis summopere displicebat. Quorum Copiæ trium equitum totidemque peditum millium in Ditione Waasiæ inordinatè satis petulanterque se gerebant.

Dum hæc geruntur, non Monasterii duntaxat, verum Hagæ Com. quoque inter Gallos & Præpotentes D. D. Ordines Gener. super Articulorum septuaginta conclusione & subsignatione, *aut quasi*, creberrimæ querelæ oboriebantur; Insuper etiam super declaratione in quantum Præpotentes D. D. Ordines Generales Gallorum causis obstricti obligatique tenerentur. Imprimis vero Gelriæ Ordines declararunt, *Consolidationi* citerioris Gelriæ Partis insistendum esse: Quicquid autem Præpotentium D.D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipo-

nipotentiarii proponerent, sibique peterent, Hispani declararunt, Se, *confirmato Articulo tertio, utramque scil. Partem, quicquid jam nunc possideret, servaturam*, ex ipso Instructionis præscripto, *nihil, præterquam quod concessum promissumque foret*, tradituros esse. Rebus hoc modo se habentibus, Dominus Meynertsvicius, Knuytius & Nederhorstius (quippe D. Mathenesius jam aderat) tertio & vicesimo die Julii Hagam-Com. pervenerunt, &, quæcunque ab utraque Parte gesta erant, retulerunt, quæ tamen deinde literis conscripta tradiderunt.

Quo Consilio ac Decreto Vestro super relatione Nostra, quinto & vicesimo „ die Julii 1646. traditâ, satisfieret, puncta Articulosque per præsentes expressimus, " quos secundùm Instructionem Nostram, Vestramque petitionem cum Hispaniarum Regis Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis provisionaliter iniisse " ac concessisse Nos confidimus, quemadmodum iidem nudius tertius Vobis propositi perfectique cum Instructione Vestra collati fuerunt. "

Ac quoniam ex eorundem lectione, quemadmodum etiam ex iis, quæ Nosmet " oretenus retulimus, nonnullos haud exigui momenti Articulos sese offerre compertum fuit, de quibus ut Vos plenius deliberetis, quò cum Hispaniar. Regis „ Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis Tractatio continuari possit, necesse " est; Eosdem idcirco articulatim literis conscriptos Vobis exhibuimus. "

1. Primò omnium, quandoquidem tertii Articuli, Sylvæ-Ducensis Majoratum concernentis, tenorem nullo studio nullaque contentione obtinere potuimus, præterquam quod summa Majoratus universi potestas Fœderati Belgii Provinciis concessa, sed quidquid Ecclesiastica spectaret, reservatum sit, quò in utriusque Partis satisfactionem moderamen aliquod inveniri atque excogitari posset; de qua re, cum nullâ potestate hactenus muniti essemus, Vos majorem in modum rogamus, ut de illo Negotio ea Nobis præcipiatis, quæ in Reip. commodum cedere posse existimabitis.

2. Ac quoniam haud dissimiles rationes respectu Marchionatus Bergozomiensis, Baronatus Bredanensis, Ditionisque Cuyckiensis sese offerant, eum quoque ad modum rogamus, ut de moderatione horum omnium Nobis mandare atque instruere Nos velitis.

3. Quum vero ea omnia, quæ Orientalis & Occidentalis Indiæ Negotium spectant, in ipsa Instructione silentio transmissa sint, ut de istoc quoque Negotio Consilium capiatis, Nosque ea potestate, quâ cum Hispanis de eadem plenius agere possimus, muniatis.

4. Quandoquidem autem Regis Galliarum Legati querentes Nobis indicarunt, Se, stante Nostra cum Hispanis Tractatione, neque per Ipsos Hispanos, neque per Mediatores rerum suarum, vulgò interesse, neutiquam admonitos, nec quidquam hactenus propositum fuisse, quo Ipsimet quoque cum Hispanis agendo proficere possent; Eaque propter Nos majorem in modum rogârunt, ut Nostram cum Hispanis Tractationem tamdiu differremus, donec Ipsi quoque, secundùm mutuam Fœderationem, pari passu cum Hispanis tractando processissent; quod cum à Nobis hactenus factum fuerit, Vos rogamus, ut, quid in eodem Negotio dehinc acturi simus, Nobis quamprimum exponatis.

5. Insuper etiam, secundùm mandatum Vestrum, cum Majestatis Suæ Galliæ

Legatis ut de nono Articulo inter Nos conveniremus operam dedimus, eo fine, quo in Partis utriusque securitatem consilium aliquod certum caperemus; at vero quoniam hactenus incertos se prædicarent, quorsumnam Sua cum Hispanis Tractatio evaderet, proindeque Articulum nonum moderari statuerent, idcirco majorem in modum rogarunt, ut aliquamdiu æquo animo expectaremus. Simul etiam ante discessum nostrum serio admoniti, se scripta sua perspecturos esse promiserunt, ut, quantum possent, petitioni nostræ annuerent. Quorum tamen omnium, propter discessum Nostrum inopinatum, nihil quidquam evenit.

6. Ut de rebus, Hanzeaticas Civitates & Navigationum ac Commerciorum in Oceano securitatem concernentibus, de quibus omnibus Vos antehac per literas certiores fecimus, certi quid decernere velitis.

7. Archi-Episcopus Cameracensis Regis Hispaniensis Plenipotentiariorum unus additum Memoriale nobis tradi curavit, de quo similiter ut Vos decernere velitis, rogamus.

8. Postremo, etiam atque etiam petimus, ut modum aliquem titulorum, quibus Principum Electorum Legati à Nobis insigniri possunt, excogitetis, quandoquidem Reipubl. Nostræ haud parvi interesse judicamus. Subsignatum erat, *Bartoltius à Gent, Ioh. à Mathenesse, Ioh. Knuytius, G. de Reede*, Lectumque in Concilio vicesimo & septimo die Julii.

Articulos autem septuaginta hoc modo Inscriptos tradebant:

Articuli, de quibus inter Regis Hispaniarum Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios ab unâ, atque inter Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatos Extr. & Plenipotentiarios ab alterâ Parte, provisionaliter conventum fuit, ut Tractatui Monasterii concludendo inserantur.

Qui quidem Articuli, jam memorati, à verbo prope ad verbum, saltem quoad materiam Suam cum priori petitione à Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiariis decimo septimo & die Maji, Anno 1646. ut dictum est supra, propositâ conveniebant; præterquam quod Articulus quinquagesimus & primus, utpote quinquagesimo comprehensus, transmissus erat: adeò ut septuaginta & unus ad septuaginta redigerentur. Quorum postremus erat Articulus *Cautionalis*, ut vocant, sive quo exprimebatur, *Omnia, quæcunque hactenus gesta fuerant, sine alterutrius prajudicio gesta esse; adeò ut utrique Parti, quæcunque necessaria sibi ac commoda fore existimaret, reliquis vel addere, vel demere, pro libitu postmodum liceret.* Quibus tandem subscriptum erat, Actum & transactum, atque ab utraque Parte subsignatum, Monasterii (omisso tamen subsignationis die) Notatum, *Comes Peneranda, Fr. Iosephus Archi-Episcopus Cameracensis, A. Brun.*

Suprememorati Articuli septuaginta ab Hispaniarum Regis Legatis & Plenipotentiariis subsignati Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis & Plenipotentiariis tradebantur; quibus, postquam Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii subsignassent, Dominus scil. Meynersvicius, D. Heemstedius, & D. Knuytius, Majestatis Suæ Galliæ Legati querebantur, *Hispanorum plurimi interesse*. Veruntamen partim propter Principii formulam (quo expressum fuerat, non veram hanc esse Tractationem, sed Compositionem quandam Provisionalem, Tractatui sive Fœderi inserendam) partim quo-

que

que propter clausulam illam Cautionalem, quâ *utrique vel addere, vel demere quæcunque in rem Suam fore arbitraretur*, salvum atque integrum manserat, dictæ Gallorum querelæ minoris ponderis habebantur.

E viris quibusdam fide dignis postmodum percepi, & Galliarum & Hispaniarum Regum Legatos, jam tum, quum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legati Monasterium advenissent, variis diversisque modis se gessisse. quippe Majestatis Suæ Galliæ Legati, quamvis Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos primo adventu primaque visitatione, quem ad modum Venetos consueverant, excipere jussi fuerant, nihilo minus tamen semper in eo defecerunt, neque præcessum Ipsis neque latus dextrum concesserunt; postea vero Dominum Meynersvicium præcedere quidem ac primò introire permiserunt, Ipsum tamen immediatè sequi voluerunt. Deinde D. Mathenesium præcedere quidem, Ipsum tamen, aut saltem sine aliquo discrimine, sequi cupierunt. Quo à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis recusato, Galli, quamvis inviti, se accommodarunt. Hispani autem contrà, quidquid Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii, quod ad Ceremonias attinet desiderarent, absque ullâ hæsitatione detulerunt, omniaque honoris, reverentiæ, humanitatis, amicitiæ & benevolentiæ signa exhibuerunt.

Hanc quidem animi elationem Dominus Avaucius, & D. Servientius, Hagæ-Com. atque in itinere demonstrare cœperunt; Eoque (sive jussi sive non jussi) Regi Suo malè consuluerunt. Atque hæc visitationis & exceptionis jam à principio oborta diversitas, varios inter Gallorum, Hispanorum atque Unitarum Belgii Provinciarum Legatos effectus consequuta fuit, Gallorum quidem diffidentiam, Hispanorum verò spem firmam ac confidentiam. Sed vero Majestatis Suæ Galliæ Legati in eo quam maximè erarunt, quod à quibusdam persuasum habuerant, nunquam Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. tantùm animi fore, quò separatim à Gallis, (nimirum Gallis conjunctim agere recusantibus) cum Hispanis concludere auderent.

Indies itaque magis ac magis querebantur de iis, quæ jam commemoravi, quæque sequens Memoriale satis superque explanabit.

M*ajestatis Suæ Galliæ Legatus Ordinarius, Monasterio literis quibusdam perlatis, referentibus à Nominibus Præpotentium D. D. Ordinum Regisque Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis* Scripta quædam *subsignata esse, quibus puncta Articulique Induciarum continentur, de quibus inter Se convenerunt, absque ullo tamen respectu habito obligationis qua Præpotent. D. D. Ordines Gener. devincti tenentur*, ad nihil quidquam cum Hispanis seorsim à Gallis agendum, *nullo tamen ejus rei Indicio Majestatis Suæ Legatis & Plenipotentiariis facto; Quod Præpot. D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii tamdiu distulerunt, donec Dominos Suos Deputantes de omnibus, quæ hactenus egissent, certiores fecissent. Ad hæc autem cognito perceptoque*, Scripta Illa *in Præpot. D. D. Ordinum Gener. Concilio nudiustertius recitata fuisse, Suum esse credidit, summedictis Præpot. D. D. Ordinibus Gener. indicare ac declarare*,

Nunquam sibi in mentem venisse, Scripta *ejusmodi tali formâ institui posse, eò quod veræ* Tractationis, *ubi Pars utraque subsignârit, non autem Communicationis simplicis speciem præ se ferant, cujusmodi plerumque instituitur, ubi ad res utriusque ac difficultates componendas conventum fuerit; Ac quoniam actio illa Fœderi atque obligationi, Majestatem Suam inter & Præpotentes D. D. Ordines Gener. initis sancitisque, directè adversetur, quorum fidem tamen perpetuæ ac sinceræ conservationis in dubium vocare Majestas Sua Regia veretur, propterea quod Præpotentium D. D. Ordinum Gener. sinceritatem, prudentiam, gratitudinem ac singularem probitatem cognitam satis perspectamque habeat.*

Quocirca Vos rogat atque obsecrat, ut sibi indicare ac declarare velitis, num Scripta Illa *Vestro consensu, nec ne, subsignata fuerint; ne Majestas Sua, de totius Negotii veritate edocta, aliorum relatione, ubi tanti Negotii Tractationem ignoraret, deciperetur; Idque Vestræ prudentiæ summaque curæ permittit, ut Vobis ob oculos ponatis, quo pacto Majestati Suæ, siquidem hæc absque consensu Vestro gesta sint, satisfacere debeatis.*

Ad hæc Majestatis Suæ Legatus Ordinarius petit, ut Vos, sive de Scriptis illis *subsignatis, relationibus, sive Declarationis Scriptis, à Legatis & Plenipotentiariis Vestris quæsitis, quidquam certi decernatis, antequam Serenissimæ Galliæ Reginæ, Ejusdemve Legatis & Plenipotentiariis Ministrisque, Monasterii Tractationis causa commorantibus, quæcunque inter Hispanos Legatos & Plenipotentiarios transacta fuerint, communicentur; Hoc enim esset confirmare atque annuere Tractationi, quæ Societati atque amicitiæ inter Partem Utramque, quantum ad Tractationis progressum attinet, perpetuò colendæ atque observandæ contraria, ac negotio rebusque Utriusque Partis planè noxia ac damnosa reperitur; præsertim autem in eo, quod Hispani, Scriptis illis succedentibus,* Suis jam nunc sejunctam Vobiscum Tractationem firmiter persuaserint, *quæ quidem spes majores ac multò liberaliores nummorum Suorum expensiones elicit, atque ab hoc Consilio retraliit, quod rerum Suarum desperatio Ipsis capere impulerat, quodque utrique Nostri commodius fuisset. Quemadmodum quoque compertum fuit, Hispanos, posteaquam semetipsos falsa atque inani spe duxerunt, tanta scil. à Vobis se obtinere posse, ut Vos à Gallis retrahere valerent, omni prorsus sincerâ cum Majestate Sua Galliæ Tractatione abstinuisse, neque ullam, præterquam falsam sive adeo iniquam, ut ex eâ mens ipsorum mala satis superque innotuerit, proposuisse. Quod enim ad hæc respondeatur, Hispanos cum Gallis ulterius, quam cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. Tractando promovisse, id verum esse, nemo dicturus; quandoquidem nullam ad hunc usque diem veram aut saltem honestam æquamque Tractationem instituerunt. Neque veritati contrarium est, nulla re magis quam privatæ Vobiscum Tractationis spe eorundem animos efferri, persuasionibus quinetiam atque imaginationibus, quibus confidere Ipsos minimè oportet, quum jam à primo die spes illa eos frustrata esset, postquam Majestas Sua Parenti Suo successit, & Serenissima ac Felicissima Mater Reginâ, atque Ejusdem gubernatio Regni prudentissima, Consiliariis & Senatoribus prudentissimis stipata visa fuit, præterquam quod ubique terrarum in Majestatis Utriusque armis cœptisque cernitur: adeò ut, quocunque tandem modo seu hostium Suorum dolo eveniat, satis spei reliquum sit, credendi ac firmiter persuadendi, Gallos, quamvis cum Hispanis bellum soli continuarent, pluribus equidem molestiis ac difficultatibus oneratos, neutiquam tamen, Divino Auxiliante Numine, deletos extinctosque iri. Actum Haga-Com. vicesimo & septimo die Iulii, Anno* 1646. *Subsignatum erat,* Brasletius.

Insu-

Insuper etiam satis superque innotescit ex ipsa Regii Legati Propositione, quam, Bredâ Hagam-Com. reversus, octavo die Augusti literis conscriptam tradiderat.

CELSISSIMI DOMINI,

QVod Propositionem hesterno die oretenus in Concilio habitam, nunc autem literis exarandam petiistis, id effectum jam nunc dedi, Eamque, quantum potui, verbis iisdem exaratam tradidi.

Quod videlicet rumores, qui tam Haga-Com. quam in castris spargebantur, de omnibus quæ Monasterii aguntur & transiguntur, jamjam in Gallias iter suscepturus majorem in modum Vestram operam auxiliumque implorare me impulerunt, quò scire ac plenè cognoscere possem, quidnam Majestati Suæ Galliæ, Domino Nostro, uti quoque Serenissimæ Reginæ Majestatis Suæ Matri responderem, ubi rationem Status Regnique Sui in hisce Fœderati Belgii Provinciis à me exigerent; Imprimis autem eorum, quæ de Induciis inter Regem Hispaniensem atque inter Vos initis, jamque à tribus Vestris Legatis Extraord. & Plenipotentiariis Monasterii subsignatis perferuntur; Idcirco declarationem atque explanationem à Vobis petii, quod mihi ista cum Hispanis Tractatio tam aliena tamque contraria visa fuit, atque adversa Fœderationibus, quæ Majestati Suæ Galliæ Vobiscum intercedunt, & fidelitati ac sinceritati, quam Vos hactenus cum in Verbis tum in pactis præstitistis, adeo ut, licet ex aliis perceperim, Virum quendam, cujus opera Vos in dicto Tractationis Negotio utimini, minimè dubitasse coram pluribus effutire, Gallos facili quidem Negotio decipi posse, *in animum mihi inducere nullo modo possim tot ac tanta prudentiâ, atque Auctoritate Insignes Viros, eximiam hanc atque præclaram Remp. repræsentantes, Ejusmodi sermones approbaturos, multò autem minus habituros esse. Ego tamen Vobis exponendum esse existimavi, quod si Ejusmodi existerem, qui haud aliter quam ex apparente rerum quarumcunque formâ, sive ex ipsis factis dijudicare possem, dicere non vererer, me in rebus quibusdam mihimetipsi contrarium deprehendi potuisse, quod expectare debebam ab Ejusmodi Ministris, qui ab uno Eodemque Statu dependent, quique ab origine Suâ Nostro Regno adjuncti tenentur, atque ab eodem tot ac tanta beneficia animique benevoli indicia certa consequuti fuere; Adeò ut Vos tam æquos tamque honestos judicem, ut, quamvis ea, quæ meum animum in dubium traherent, Vobis enarrarem, certò tamen scire possem, Vos me non inani, non falso, sed vero debitoque metu, qui vel prudentissimum quemque invadere posset, correptum esse dicturos. Vos quinetiam Tractatuum Fœderumque, inter Majestatem Suam Galliæ & Fœderati Belgii Provincias confirmatorum, haud ignaros esse prædicabam, qui quidem Tractatus Fœderaque mutuâ tam varia ac multiplicia existunt, ut temporis, quo ordine repeterentur, tædium omnes caperet; ad hæc, me bina duntaxat, transmissis cæteris, Fœdera in medium proferre dicebam, alterum Anno 1635. alterum vero Anno 1644. initum conclusumque. Quorum illud belli armorumque Nostrorum ordinem, hoc autem Tractationis cum Hostibus regulam Vtrisque certam præscribebat;. Simul quoque Vos non nescire, posteriori hocce Fœdere contineri, videlicet cum Hispanis æquali gradu in Tractationis Negotio procedendum, neque Ejusmodi Tractationem cum Hoste præ alterâ Parte promovendam esse; Hosti quinetiam Nostro communi omnes eas declarationes proponendas, quæ à Parte alterutrâ exigi possent, mutuo-*

mutuoque auxilio & consilio subveniendum esse; Nibilominus tamen Legatos Extraord. & Plenipotentiarios Vestros, aut saltem eorum aliquos, omissa hujusce Fœderis observatione, Tractationem Suam non modo longe præ nostra, quam nondum cum Hispanis incboatam esse liquidò asserere possum, promovisse dicebam, verum etiam cum Hispanis convenisse & subsignasse septuaginta, supra unum, Articulis, qui omnes ferme difficultates, quæ Unitis Belgii Provinciis cum Hispaniarum Rege intercedunt, componerent, nullâ tamen ratione, nullove respectu Majestatis Suæ, Ejusdemque Regnorum habito; *nullo denique petitionum, quas Majestatis Suæ Plenipotentiarii eum in finem Vestris Legatis Extraord. & Plenipotentiariis exhibuerant, ne ulterius tractando procederent; neve contra promissa Sua dictis Articulis subsignarent, adeò ut, pro mutuo auxilio & consilio secundùm Fœdus Anno* 1644. *initum ferendo, Legati Vestri nimia Sua festinatione Nostram cum Hispanis Tractationem prorsus impediverint. Ego autem dicere non vereor, quod si Legati Vestri majorem Nobiscum familiaritatem atque amicitiam inter Tractandum coluissent, simul etiam majorem erga communem utriusque Nostri Hostem constantiam retinuissent, Vos cum Majestate Sua Regia jam dudum de omnibus convenire potuisse. His quoque addebam, Nos Tractatione Illorum tantum non modo præjudicii, sed & damni & detrimenti percipere; Sic tamen, ut, si quis Mortalium, damno Nos & malo prosequendo, officium cuipiam præstare vellet, neque pejùs, neque deterius Nos excipere posset.*

Ego quoque, suspicionis meæ causas memorans, Vobis, Celsissimi Domini, exposui, me nullam rem aliam præterquam hanc demirari, quod Hispani, Hostes Vestri capitales, quibus cum arma jam nunc Annos octoginta, aut plus eo, gessistis, consilii decretique Vestri magis quam Nos, quos Veros Vestros, jamque multoties fidos Socios Amicosque experti estis, *participes fieri viderentur. Vobis quoque haud incognitum esse ajebam, quod Hispani jam ab Anni hujusce principio sparsissent, se videlicet certos esse, arma Vestra, quantamcunque etiam Galli sedulitatem, studium curamque adhiberent,* nequidquam tamen effectura esse; *quo quidem in negotio, ut ex ipso rerum eventu minus prospero apparet, Veri ac Prophetæ extiterunt; quandoquidem, posteaquam de Copiarum eductione Tractationis, Mense Aprili inita Confirmatio ac Ratihabitio in vicesimum Maji diem dilata & remorata fuisset, qua tamen Vos duodecies centena librarum millia, ad vicesimum Iunii diem, consequimini, solâ rerum ad bellum necessariarum socordiâ quinque vel sex dies subsidio trium Equitum millium totidemque militum inutiles abiere, quod quidem subsidium secundùm crebras Vestras petitiones ad Fluvium Brugensem à Celsitudine Sua Regia, Majestatis Suæ* Patruo, *atque à Duce d'Anguien, Principum Galliæ Primum deductum fuerat. At vero quo ejusmodi Vaticinia effectum suum sortirentur, Copiisq; Hispanorum patentes aditus concederentur, quibus Nos cum omnibus Copiis suis invadere possent, Deputati Vestri, qui Copiis perpetuo adsunt, ad Grammontii Marescallum, cujus Imperio supra memoratum subsidium relictum fuerat, accesserunt, Eidemque annunciarunt, impossibile esse expeditionem aliquam hac æstate instituere, proindeque discessum suum cogitaret, atque ea, quibus in itinere opus haberet, peteret. Num hæc & similia odium ac suspicionem in animis eorum concitare valeant, qui ex ipso hominum vultu pernoscere queunt, num ex hoc tractandi modo Hostis Noster communis plurimum commodi in maximum utriusque Nostri damnum percipere possit, hoc totum Iudicio Vestro committo; quemadmodum etiam tunc temporis Iudicio Vestro commiseram, num taciturnitas illa Tractationis sive Articulorum approbationem argueret, qui tanquam charta nullius rei certæ indices, Nobis obtruduntur. Ea propter igitur à Vobis Majestatis Suæ Galliæ, Domini Nostri Nomine, petebam,*

bam, ut mihi fideliter Provinciar. Belgii Unitarum Ordin. animum exponeretis, quos tamen, sicuti plurimi detulerunt, ab omni privatâ cum Hostib. Tractatione ac compositione longè alienos noveram; num dicta cum Hispanis Tractatio Articulique Vobis innotuissent, atque ea; quæ Memoriali Vobis à D. Brassetio, Ordinario Majestatis Suæ in Hollandia Legato literis tradito, exprimuntur, repetendo, num Fœdera inter Nos inita conservare decrevissetis, quò Majest. Sua Gallia, Vestra responsione cognitâ perceptàque, quid agendum sibi habeat, scire possit. Hisce etiam subjungebam me sperare, Vos, placatos, aut potius devictos jam Hostes Vestros, quique metu duntaxat reliqua amittendi eò redacti essent, nunquam commutaturos esse. Idque speciem aliquam præbendo, quod Vos Ejusmodi semper Erga Socios Vestros Amicosque Veteres, à quibus plurimum subsidii atque auxilii percepistis; quodque à Vobis exspectare me oportet, ut Legatis Vestris Monasterii rem tanti ponderis tractantibus, præcipere ac mandare velitis, ut cum Majestatis Suæ Legatis, ibidem commorantibus, hoc modo agerent, quo dehinc justa querelæ materies omnis auferri prorsusque aboleri possit, super tanto præjudicio damnoque Majestatis Suæ rebus illato, idque propter consensus Vestrorum Legatorum & Plenipotentiariorum cum Majestatis Suæ Legatis & Plenipotentiariis defectum. Eodem quoque tempore plura ordine exposuissem, ni Vobis illa cognita esse persuasum mihi habuissem. Hac causa fuit, ob quam declarationem & rerum omnium explanationem à Vobis literis exaratam postulaverim, quo in Galliâ animum meum, quem in Vestrum officium promptum semper ac paratum habui, pluribus ostenderem, simul etiam consensum mutuum, Societatem atque Amicitiam, quæ Gallis hactenus cum Belgii Uniti Incolis intercessit, quantum maximè possem, colerem.

Eodem quoque tempore Vos, Celsissimi D. D. iterum iterumque rogavi, ut Classem ad oras maritimas mitteretis, idque vi Obligationis, quâ devincti tenemini Tractatione super Partis utriusque Copiarum eductione initâ & confirmatâ, ad omnem operam, auxilium subsidiumque Celsitudinis Suæ Regiæ, Aureliæ Duci consiliis cœptisque ferendum, qui jam nunc Copias suas ad dictas oras maritimas deducit, quæ quidem liberæ atque apertæ ab omnibus iis conspiciuntur, qui Hostes se Nobis præbent; Idque ea propter, quod nulla Classis Vestra navis in iisdem cernatur.

Postremo quoque rogavi, ut Authoritate Vestra efficeretis, quò persequutio seu Processus omittatur, qui à Navarchis quibusdam Amstelodamensis Senatus Architbalassi membris, adversus ipsas cautiones instituitur, quæ dictis Navarchis exhibita traditaque fuerunt, in navium quarundam conductarum exsolutionis securitatem, quas Ipsimet in Celsitudinis Suæ Regiæ auxilium exornarent; quarum tamen apparatus ab Ordinibus prorsus impeditus fuit, nullâ quidem ejus mora causa hactenus perceptâ, quandoquidem ea res libera atque indifferens videtur, tantumque Suecis, Danis Venetisque denegatum non fuit; Nullus dubitans, quin Vos æquum justumque esse judicaturi sitis, quoniam media, quibus classem Nobis apparare possemus, ab Ipsis Ordinibus surripiantur, Eundem quoque ad modum Nos ab omni ulteriore lite processuque, quo Navarchæ Nos prosequuntur, vindicare oportere. Actum Haga-Com. octavo die Augusti, Anno 1646. Subsignatum erat, Com. Tuillerius.

Quibus omnibus ut responderi, Gallisque satisfieri posset, Unitarum Belgii Provinciarum Ordinum Legati & Plenipotentiarii, qui Monasterio Hagam-Com. pervenerant, rogati; D. sc. Meynersvicius, D. Mathenesius & D. Knuytius, sententiam suam, qualis sequentibus inserta legitur, dixerunt.

PRÆPOTENTES DOMINI,

IN Decreti Vestri vicesimo & septimo die Julii, proximè elapsi, traditi super Propositione quadam à Domino Brassetio Majestatis Suæ Galliæ Legato Ordinario Vobis exhibita, atque ea, quæ inter Regis Hispaniarum Legatos & Plenipotentiarios, atque inter Vestros Legatos & Plenipotentiarios Monasterii acta fuerunt, concernente, satisfactionem in memoriam Vobis revocare placebit, quantum videlicet ad primæ querelæ decretum attinet, quæcunque in Tractationis universæ partim provisionaliter subsignatorum, partim etiam adhuc subsignandorum Articulorum explicationem secundùm veritatem relata fuere. Unde satis superque apparet, supradictos provisionaliter subsignatos Articulos nullam veræ ac realis Tractationis formam præ se ferre; sed Tractationis duntaxat Articulorum alios juxta Fœderi postmodum ineundo inserendorum speciem arguere.

Quibus Articulis mediusfidius exprimi haud poterat, quantopere aut quousque Vos cum Hispanis tractaturi, Gallis obstricti obligati maneretis; Insuper etiam haud necessarium erat, quandoquidem illud ipsum in omnibus cum Hispanis Tractationibus provisionalibus multoties & verbis & literis cautum salvumque fuerit, atque dehinc in subsignandis Articulis à Vobis sedulo observari debebit; Et quoniam Legatis & Plenipotentiariis Vestris mandatum perceptumque fuit, ut Ipsimet tanquam summi, non autem interveniente Mediatore quopiam agerent; quemadmodum Gallos inter & Hispanos ad Tractationis suæ testimonium, actum fuit atque etiamnum agitur, Eapropter etiam Plenipotentiarii Vestri, in rerum omnium tractandarum securitatem, cum Regis Hispaniarum Plenipotentiariis convenerunt, ut omnia literis agerent atque ab utraque Parte subsignarent, quem ad modum quoque per Acta quædam quinto die Maji exarata Vobis, indicatum fuit, proindeque ex Tractationis primo die Martii, Anno 1644. initæ, Vestræque Instructionis ea de causa traditæ præscripto, quæcunque ab illo tempore cum Hispaniarum Regis Plenipotentiariis acta & fuerunt, ea omnia ab utraque Parte literis exarata, subsignata, & Majestatis Suæ Galliæ Plenipotentiariis communicata fuerunt. Insuper etiam cum iisdem mutuo consensu stipulati fuimus, quum dictæ cum Hispanis Tractationis Articuli Vobis prælecti forent, ut eorundem Ipsis exemplar traderetur; quod Nos quoque, antequam Monasterio discessimus, fieri sedulo curavimus, ac Vobis Nostra relatione indicavimus; quibus supramemoratæ Remonstrationis petitioni satis factum fuit. Qui autem tractandi modus, quem diximus, si continuatus promotusque fuerit, in animum Nobis inducere haud possumus, quænam querelarum justæ causæ existere possint, aut cui fundamento inniti, multò autem minus, quo modo Galli Vos tantopere rogare audeant, ne quidquam de supradictis Articulis, neque de propositionibus ac deliberationibus è memorata relatione exortis, certi statueretis. Lectum, decimo & quarto die Augusti, Anno 1646.

At

At Domini Nederhorstii sententia hac erat.

PRÆPOTENTES DOMINI,

IN satisfactionem Decreti Vestri, vicesimo & septimo die Julii, octavo atque undecimo die Augusti traditi, super querelis in Propositione à Domino Tuillerio exhibitâ, ac Demonstratione à Domino Brassetio traditâ, expressis, quæ continebant, quosdam ex Vestris Plenipotentiariis adversus Fœdera antehac cum Majestate Sua Galliæ inita, atque adversus promissa dicta Fœdera sequuta, Scriptis quibusdam sub Tractationis formâ Monasterii cum Hispanis subsignasse; quæque similiter postulabant, ut Vos declararetis, num hæc Vestro consilio ac consensu gesta forent, nec ne, num Fœdera Vestra cum Gallis inita ac confirmata observare ac conservare velletis. Quibus si annueretis, ut Plenipotent. Monasterii agentibus ejusmodi Consensum mutuum Societatemque cum Majestatis Suæ Galliæ Legatis colendam præciperetis, qua omnis in posterum querendi causa justa amoveri posset. „

Vobis itaq; tenendum erit, verum quidem esse, quod Articuli, Actis quibusdam cum Hispanis propositi concessique, scriptis postmodum comprehensi, quorum initium est, *Articuli, de quibus inter Regis Hispaniarum Legatos & Plenipotentiarios atque inter Fœderati Belgii Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatos & Plenipotentiarios conventum fuit*, à Regis Hispaniarum Legatis Vestrisque Plenipotentiariis tribus subsignati fuere.

At vero quoniam nonnulli Vestrorum Legatorum & Plenipotent. Scriptis ejusmodi subsignare ægrè vellent; idcirco Scripta illa tanquam infecta ac non subsignata à Vestris Plenipotentiariis reservata, neque Regis Hispaniarum Legatis tradita fuere. Adeò ut Tractationis veræ ac realis Nomine appellari nequeant, utpote quæ inania ac sine effectu aliquo exciderint. Quo querelis, super memoratis Scriptis subsignatis ac sine ullo effectu Tractatione, superque promissis de cessatione omni datis, aliquâ ex parte responderi & satisfieri posset.

Relictis tamen arbitrio judicioque Vestro, quæcunque secundum decreta à Prouinciis omnibus in Concilio Vestro tradita, decernere placuerit, quo modo Legati ac Plenipotentiarii Vestri dehinc cum Majestatis Suæ Galliæ Legatis ac Plenipotentiariis ad omnem justè conquerendi causam amovendam, se gerere debeant, & quæcunque Vos de Tractationis observatione Domino Tuillerio, Majestatis Suæ Galliæ Legato responderitis. „

Antequam vero Responsionem, ad Legatorum Galliæ querelas reddendam, occipiam; Consilium sententiaque D. D. Ordinum Hollandiæ, super Articulorum Monasterii initorum ac subsignatorum Negotio proposita, prius enarranda venit; ea autem hæc est.

QUandoquidem summum jus summumque Fœderatarum Belgii Provinciarum Imperium Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus, *quoad temporale*, datum concessumque fuit, simul etiam relatione quorundam, *quoad Spirituale* „

 à Papa „

à Papa Romano dependere, Ejusdemque, non autem Regis Hispaniarum, Imperio subesse; visum consultumque fuit summum jus, summumque Imperium quoad temporale accipere.

Quod autem Spirituale spectat, stipulari ac cavere, ne Hispaniarum Rex huic Negotio se admisceat, neve illud curet; sed Præpotentes D. D. Ordines Gener. illud cum Papa Romano transigere sinat; Atque ut Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii plenissimè instruantur rationibus, ob quas universum Majoratus Sylvæ-Ducensis Imperium ad Fœderatas Belgii Provincias pertinere credatur, Scripta Actaque omnia, Instructiones verbales, & similia à Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Commissariis in Collatione Tilburgensi antehac adhibita, tradita iri, ut eorundem beneficio sententiam Suam coram Hispaniarum Regis Plenipotentiariis plenissimè defendere eamque effectam reddere possent, cui rei nervos intendi oportere visum consultumque fuit.

Quod si autem supramemorata præter opinionem effici commodè non possent, visum consultumque fuit, *Tractationem eâ de causâ neutiquam succisam, neve aliqua ex parte dilatam iri*, eò quod dictum Negotium plurimis quæstionibus ac difficultatibus implicitum, nequidquam ante hunc diem post varias collationes promotum fuerit; Sed vero Acta quædam singularia Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiariis, alto silentio commendanda, missa ac tradita iri (Instructione tamen omni ex parte salvâ atque integrâ) quibus potestas ipsis de moderamine aliquo, in dicto Majoratus Negotio inter sese excogitando, concedatur. In quem etiam finem summedictis Plenipotentiariis Copiæ sive exemplaria ejusmodi Scriptorum & Actorum, quæ interea temporis, imprimis autem quæ in Collatione Tilburgensi exarata atque exhibita fuerunt, tradentur; eâ lege tamen ac conditione, ut dicti Negotii moderamine efficiendo quantum minime poterit, ea, quæ Ecclesiastica Majoratus Sylvæ-Ducensis spectant, tradantur, deinde etiam per crebriores literas Præpot. D. D. Ordines Gener. de omnibus plenissimè certiores reddantur, quænam in Negotii expeditionem allata sint, & quibus Articulis punctisque consistat, eo fine, quo omni studio cura ac diligentiâ ad illud animadvertatur, ac de novo ejusmodi quid decernatur, quod in Patriæ commodum esse existimabitur.

Visum quinetiam consultumque fuit, ut supradicti Articuli bini in D. D. Legatorum & Plenipotentiariorum Instructione denuo insererentur, eo modo quo jam nunc propositi fuerunt; cum decimi tertii tamen Articuli explicatione, videlicet cum utriusque Indiæ Orientalis & Occidentalis (quæ omissio vitio Scriptoris sive alio modo commissa videtur) insertione; adeò ut clausula illa, quæ continet, *omnes Principes, Nationes, Populosque, quibus aliqua cum Occidentalis Indiæ Societate Amicitia aut Fœderatio ulla intercedit, eodem Fœdere comprehensos iri*, hoc modo extendenda sit, *quibus cum utraque tam Orientalis quam Occidentalis India Societate Amicitia aut Fœderatio aliqua intercedit*: cumque ejusmodi clausulæ, decimo & tertio Articulo comprehensæ, eo, quo decet loco, insertione.

Visum quoque maximè fuit, ut Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii in universo Monasteriensi Negotio mutuo consensu optimaque familiaritate, *pari* denique *passu* cum Majestatis Suæ Galliæ

Galliæ Legatis & Plenipotentiariis, idque secundùm Fœderationem Anno 1644. „ Hagæ-Com. initam confirmatamque, procederent.

Porrò autem, quod ad res causasque sive interesse, summedictæ Majestatis „ Ejusdemque Regni attinet, plurimæ quidem, neque exigui momenti rationes in „ Reip. Nostræ patrocinium afferri posse videntur, quibus Præpot. D. D. Ordines „ Gener. nisi quousque se Belgii Provinciarum districtus extendit, Gallorum re- „ bus causisque obstrictos obligatosque esse demonstrari poterit, veruntamen iis- „ dem ne hoc quidem tempore adeo insistendum, sed vero supradictas rationes, è „ Tractatibus desumptas, eum in finem adhibendas esse, quo Galli ad minora, quam „ quæ hactenus proposuerunt, petenda adducantur; Insuper etiam inter hasce ra- „ tiones proferendum esse, loco ac tempore debitis, argumentum illud desumptum „ *à nummorum ærarii publici penuriâ,* diuturno ac gravi bello attritorum, Idemque „ oretenus ac terminis generalioribus Domino Thuillerio Legato, jam jam in „ Galliam discedenti, simul etiam Majestatis Suæ Legatis & Plenipotentiariis Mo- „ nasterii agentibus, indicandum esse. „

Præter hæc quoque Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legato Ordi- „ nario Domino Oostervicio, in Gallia Residenti, per literas significandum esse, ut „ supradictum, à nummorum ærarii publici penuria desumptum, argumentum, „ loco ac tempore debitis, adhibeat proferatque.

Visum quoque consultumque fuit, ut Præpotentium D. D. Ordinum Gener. „ Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii summopere urgerent atque instarent, „ quo noni Articuli effectum obtineant, eumque in finem, quascunque possent, ra- „ tiones adhiberent; eâ lege tamen ac conditione, ut dictum Negotium seorsim age- „ rent, neque cum causis supramemoratis commiscerent. „

Ut Legati & Plenipotentiarii sedulò animadvertere atque observare jubeantur, „ quorsumnam Gallorum cum Hispanis Tractatio evadat, sive in Pacem sive Indu- „ cias commutetur: utque ejus rei Præpotentes D. D. Ordines General. reddantur „ certiores.

Ac quoniam certum aliquod & definitum Induciarum ineundarum tempus Le- „ gatorum & Plenipotentiariorum Instructione non exprimatur, ob causas aliquas „ visum fuit, ut dictum Induciarum tempus ad triginta, præter propter, Annos ex- „ tenderetur. „

Quum autem Articulo decimo & quarto Eorum, quæ Legati & Plenipotentiarii „ hactenus egerunt, clausula quædam inveniatur, cujusmodi Articulo vicesimo & „ quinto Eorundem Instructionis neutiquam expressa legitur, visum fuit, ut in „ utriusque explicationem pleniorem, ea, quæ sequitur, clausula insereretur, *Re- „ gem sc. Hispaniarum obstrictum obligatumque fore, ad tanta Portubus Flandricis onera impe- „ randum, quanta Præpotentes D. D. Ordines Generales simul cum summedicta Majestate Sua „ Fluvio Scaldensi, ceterisque ostiis maritimis imperaturi sunt;* utque clausulæ iis omnibus, „ quæ dicta sunt, adversantes, sive non dilucidè explicantes, delerentur. „

Vicesimo autem die Augusti, pleniorem mentis suæ explicationem tradi- derunt.

Quod Nobilibus scil. & Potentibus D. D. Ordinibus non ingratum fuisset, si „ Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. visum fuisset, ut Præpotentium D. D. Ordi- „ num „

„ num Generalium Legatis & Plenipotentiariis, qui decernendam adhuc cognitamque Responsionem D. Tuillerio traditiuri sunt, simul etiam *de ærarii nostri publici exhaustis pene attritisque opibus* verba facere licuisset; quarum mediusfidius *penuriam reliquarum Provinciarum* Domini Deputati, qui Concilio intererant, non minus quam Hollandiæ cognitam perspectamque habent: proindeque summopere ipsis placuisset, si Majestatis Suæ Galliæ Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Postulata Sua imminuere aut moderari jussi fuissent; secundò si Domino Oostervicio Ordinario Præpotentium D. D. Ordinum General. in Galliis Legato mandatum præceptumque fuisset, omnia hæc Galliarum Ordinibus Supremis indicare. Sed vero, quoniam Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus neutrum decernere placuisset, Eapropter D. Deputati, Nomine locoque D. D. Ordinum Hollandiæ, in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. ut Provinciarum præsentium quinque Deputati aliquem suorum delegare velint, cum Provinciali Dominorum D. Hollandiæ Ordinum Sententiâ, decimo & octavo die Augusti super deliberationibus è conscripta Responsione Dominorum D. Meynersvicii, Mathenesii, Knuytii, & Nederhorstii, Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Legatorum & Plenipotentiariorum quatuor, resultantibus instituta; eum in finem, quo in primum Semptembris diem, non autem seriùs, Provinciarum Suarum Ordinum Sententiam in Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Concilio exhibeant tradantque; simul etiam Dominis D. Deputantibus Suis præcipiant, Se, scil. Dominorum D. Ordinum Hollandiæ Deputatos, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. indicare coactos fuisse (quamvis summo cum dolore) Hollandiæ nimirum D. D. Ordines *belli sumptus diutius sufferre non posse*, Idque Ærarii Sui nummorum penuriæ causa; quandoquidem à Parte Suâ *nummis variis temporibus ingenti cum versura conflatis*, bellum hactenus gestum fuisset, atque etiamnum magnos sumptus impendere deberent.

Quo propenso, nonnullarum Provinciarum Deputati promiserunt, Se quosdam suorum cum supramemoratâ Provinciæ Hollandiæ Sententia ad D. Suos Deputantes, simul cum dicta communicatione, quam Hollandiæ Ordines fieri rogarunt, missuros esse; Quarundam vero Provinciarum Deputati per literas illud facturos se promiserunt.

Postremò itaque Ea, quæ sequitur, Responsio decreta, atque à Graphiario Majestatis Suæ Galliæ Legato Ordinario, Domino Thuillerio, vicesimo & secundo die Augusti tradita fuit.

D*omini D. Legati & Plenipotentiarii ad Propositionem à Domino Thuillerio, Christianissimi Regis Galliæ Legato Extraordinario in Concilio Fœderati Belgii Provinciarum Ordinum Generalium, septimo hujusce Mensis die, habitam, simul etiam ad Memoriale à Domino Brassetio Majestatis Suæ Residente Summedictis D. D. Ordinibus Gener. vicesimo & septimo die Iulii, proximè elapsi, traditum, super scripto quodam, quod Monasterii subsignasse dicuntur, declarant, atque indicant*, Scriptum illud aliud nihil esse, præterquam congeriem earum rerum omnium, quæ Monasterii respectu Unitarum Belgii Provinciarum inter Regis Hispaniarum & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios cum in finem peractæ fuerunt,

runt, quo tempore locoque debitis Tractatui Monasterii ineundo inseri possent; *Secundò, quo Dominos suos Deputantes tantò plenius perfectiusque certiores redderent, quousque cum Hispanis tractando processissent, non autem quo eas veræ ac realis* Tractationis *loco haberent. Quod autem ad ea attinet, quæ Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Christianissimi Regis Ministris Legatisque Monasterii polliciti fuerunt, de Tractatione cum Hispanis non ulterius promovendâ, respondent, à quibusdam Præpot. D. D. Legatorum & Plenipotentiariorum indicatum fuisse, illa promissa non latiùs Sese, quam ad ea, quæ dehinc proponentur, non vero quæ antehac composita essent, quorum omnium Majestatis Suæ Ministri certiores semper redditi fuêre, extendere potuisse.*

Quod vero ad omnium & singulorum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium animum sententiamque attinet, cujus Regis Christianissimi Legati & Plenipotentiarii declarationem postularunt: Vnitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales affirmant, Se in hunc usque diem Fœdera cum Rege Christianissimo antehac inita fideliter observasse, atque etiamnum observare constituisse. Majestatem Suam ac Præpotentes D. D. Ordines Gener. pro summo studio, *non autem pro necessaria Tractationum conservatione, Pacis Tractationi, Monasterii constandæ, communiter & communi consensu, operam daturos, neque ullam prorsus Fœderationem, nisi conjunctim, idque ad modum Tractatus, primo die Martii, Anno* 1644. *confirmati, inituros esse: Quod Præpotentes D. D. Ordines Generales, ut à Legatis & Plenipotentiariis suis omni ex parte observetur, jussuros Se pollicentur.*

Ad Classis autem in Flandriæ Oras maritimas missionem, secundùm Copiarum Eductionis *Tractatum, respondent, ingentem navium bellicarum numerum, ductu atque auspiciis Præpotentium D. D. Ordinum Pro-Præfecti Archithalassi Trompii, dicto tempore complures septimanas easdem Flandriæ Oras maritimas indesinenter conservasse: At vero Pro-Præfectum Trompium, postquam Hostem nullam insignem in Portubus suis Classem habere, ac parvulas quasdam naves bellè exornatas, nocturnis inservientibus tenebris, in mare immissas esse, quod impedire difficile erat, Insuper etiam Majestatis Suæ Copias, ab Oris Flandriæ deductas, in Provinciarum Hostis parte interiore expeditione aliquâ implicitas teneri, nullo tamen Celsitudinis Regiæ ad Mardicum expeditionis indicio facto, cognitum exploratumque habuisset, mare omni ex parte explorare commodius esse judicasse, si fortassis parvulas Hostium naves intercipere posset; Cui destinato exequendo intentum, cum aliis quibusdam navibus bellicis, imperio suo relictis, sola commeatus penuria ad Patrias Oras, quò de necessariis prospici possent, cursum instituere necesse habuisse; nihilominus tamen reliquas Classis suæ naves, quibus commeatus satis suppetebat, ad dictas Flandriæ Oras dimisisse: Vtque propter commeatus penuriam reversæ naves eò maturius prospicerentur, Præpotentes D. D. Ordines Generales quosdam è Concilio suo delegasse, qui Senatum Archithalassum Ejusdemve Præfectos, quorum officium foret, ad commeatus distributionem exhortarentur. Adeò ut Præpotentes D. D. Ordines Generales neutiquam dubitent, quin Pro-Præfectus Trompius ingenti navium bellicarum numero dictas Flandriæ Oras paucis post diebus petiturus, ac Celsitudinis suæ Regiæ proposito cœptoque subventurus sit.*

Ad petitionem, de processus à Navarchis quibusdam instituti cessatione, propter naves nonnullas, quas in Celsitudinis Suæ Regiæ officium exornarent atque in mare immitterent, & quarum apparatus à Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus prohibitus atque impeditus foret: Summè dicti Ordines Generales declarant atque asseverant, nunquam Se, an ejusmodi naves in Celsitudinis Suæ Regiæ officium apparari liceret, quidquam percepisse: Eaque propter Præ-

Præpotentes D. D. Ordines Generales non immerito, rerumque ignorantiâ justâ, gravissimas ob causas & navium Earundem apparatum & discessum prohibuisse, Quâ de causa etiam processus, à Navarchis instituti, patrocinium rogari neutiquam posse; Postremo unicè se petere, ut Domino Legato in Gallias revertenti Majestati Suæ, Ejusdemque Serenissimæ Matri Reginæ Præpotentium D. D. Ordinum Generalium voluntatem animumque singularem persuadere placeat: Actum in Concilio Præpotentium D. D. Ordin. Generalium. Haga-Com. vicesimo & primo die Augusti, Anno 1646.

In hunc usque diem omnis Monasteriensis Tractatio Inducias duntaxat respexit: postea vero animi omnium Pacem amplecti cœperunt; Cujus rei causam sequentibus exsequar.

REgis Christianissimi Legati tricesimo & primo die Augusti, ac deinde Scripta quædam in multoties memorati Articuli noni *Ligæ securitatis* satisfactionem, de qua Præpotentes D. D. Ordines Generales sæpenumero questi fuerant, in Concilio tradiderunt: quibus hujusce Articuli debilitatem & iniquitatem demonstrarunt, partim etiam media, quibus illi satisfieri posset, commonstrarunt.

Sed vero quandoquidem exinde emergi vix poterat, eo quod majores difficultates apparebant, nullum commodius remedium excogitari aut inveniri potuit, quam ut, ad modum Gallorum, non Induciarum, sed Pacis cum Hispanis Tractatio institueretur. Quo omnes tandem adversus nonum Articulum difficultates penitus confici possent; quodque Gallis ipsis non ingratum foret; præterea etiam gloriosius multò atque honestius Unitis Belgii Provinciis esset, æternam absolutamque Summi Imperii renunciationem à Rege Hispaniarum per Pacem potius quam Inducias consequi: Idque non aliter quam quasi occasione quadam factum dici posset. Quod tamen in Hollandiâ primum propositum, unanimi consensu acceptum gratumque fuit: quidam autem Deputati ad Provinciarum omnium Ordines jam jam discedentes, ut Articulos, de quibus cum Hispanis conventum erat, traderent, simul etiam deliberationibus super iisdem à Provinciis habendis interessent, majorem in modum rogati fuerunt, ut decimo & septimo die Septembr. omnes Propositionem, ab Ordinibus Hollandiæ eam in rem faciendam, audire vellent: qualis ab iisdem decimo & octavo die, ad modum sequentem, proposita fuit.

„ Hollandiæ & West-Frisiæ Ordines, postquam rem omnem in Tractatione Mo-
„ nasteriensi compositam paulò penitiùs perpendissent, eamque hunc potissimum
„ in finem Institutam esse cognovissent, quò Universi Orbis Christiani pax & tran-
„ quillitas obtineri possit, utque illa, mediis quibuscunque optimis promove-
„ retur, antehac visum consultumque fuit, ut cum Rege Hispaniarum Præpo-
„ tentium D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque de Induciis duntaxat ageretur,
„ propterea quod minor in isthoc Negotio difficultas inesse existimabatur, quam
„ si de Pace ageretur; quum tamen è contrario magis magisq; comperiatur, Mona-
„ steriensem Tractationem pedetentim promoveri, ac propter difficultates hinc inde
„ oborientes, tardissimè confectam iri; atq; Induciarum Tractationem tantundem,
„ si non plus temporis quàm Pacis consumpturam esse; Insuper etiam literis Scri-

ptisque

ptisque à Dominis Legatis & Plenipotentiariis ad Præpotentes D. D. Ordin. Generales Monasterio missis clarissimè apparere, non paucas super memoratâ Induciarum Tractatione deliberationes ac perpensiones oboriri, quin etiam Potentissimos fidissimosque hujusce Status Socios variis cogitationibus agitari, Hispanos sc. in animum inducere Idque sibi persuasum habere, Summum Jus Summumque Provinciarum Imperium Induciarum Tractatione non omni ex parte confirmatum fore; Ad hæc, non minus Hispanos Pacem, utpote bellorum omnium finem exoptatissimum, amplexuros, Eamque Gallis persuasuros esse, spemque maximam affulgere omnibus, bellum tam diuturnum, tamque funestum Pace solâ dehinc penitus componi posse. Ac Pace jam confirmatâ, Summi absolutique Unitarum Belgii Provinciar. Imperii securitatem extra omnem, vel apud Ipsos quoque Hostes, controversiam positam, & malevolis queiscunque omnem Imperii Summi prætextum, quo Provincias hasce Fœderatas armis opprimere possent, dehinc surreptum iri; Atque iis etiam, quorum animi nullo Partium studio turbati existunt, posteris denique omnibus quocunque tempore comprobari non posse, ubi post Induciarum exspirationem ac temporis longi intervallum, bellum renovandum foret, cujus quidem loco perpetua atque honesta pax obtineri potuisset; Pace autem conflatâ difficultatibus ac quæstionibus, inter Nos & Gallos super Articulo nono, jam sæpius memorato, importunâ quinetiam nec suscipiendâ rerum Cataloniam spectantium commixtione obortis, finem illico impositum iri; Ipsos quinetiam Gallos, ubi de Pace conventum fuerit, omnem securitatis satisfactionem Unitis Belgii Provinciis oblaturos esse. Idcircò Nobiles & Potentes D. D. Ordines post maturam & diuturnam deliberationem judicarunt, Pacem optimum, præsentissimum, honestissimum, certissimumque remedium existere, quo tandem aliquando è sumptuoso hoc & calamitoso bello emergi poterit; eaque propter à Nostra Parte ad id omnem operam, curam & diligentiam conferendam esse, quò hoc tempore, rebus Nostris ita se habentibus, illam consequi possimus, quem ad modum Præpotentes D. D. Ordines Generales, huic Negotio antehac atque ante Induciarum, proximè elapsarum, initium, omni studio incubuerunt, neque Induciarum Tractationem ullam, nisi omni spe Pacis ablatâ, instituerunt. Insuper etiam Nobiles & Potentes D. D. Ordines neutiquam arbitrantur, nullam rationem honestam, ac certam afferri posse, ob quam Induciæ, quæ quidem temporariæ, Paci firmæ æternæque præferri deberent. Quod autem ad hæc objici posse videtur, Pacis Tractatione plus temporis comsumptum, ac Pace perpetuâ, socordes Nos atque otiosos redditos, studium militare prorsus neglectum, ærarium denique publicum exhaustum iri; Similiter quoque plus securitatis atque observationis in Induciarum quam Pacis confirmatione situm esse, Induciasque utpote temporarias, ac quarum exitus cum longanimitate exspectari potest, fidelius, quam pacem, observari posse. ad primam quidem objectionem modò responsum fuit, Pacis sc. Tractationem tam brevi temporis spatio, aut breviori fortasse, quam Induciarum, absolvi ac confici posse. Arbitrariam illam, quæ tempore Pacis plerumque obrepere solet, socordiam, sive studii militaris omissionem populum, tam longo armorum usu exercitatum, tantamque Provinciarum partem tenentem invadere posse, haud verisimile videri, non magis saltem quam cæteros

 Impe-

„ Imperatores, Reges, Principes, Populosq; capere consuevit, qui & semper & nunc „ etiam de Pace agunt, suamque in eadem securitatem mediis optimis armisq; con- „ sequi student. Quin vel in ipsis Induciis, rerum omnium negligentia, studiique „ militaris intermissio non minus quam Pace irrumpere potest, quæ tamen mala in „ hisce Provinciis propter commoditatem suam, curamque magnam, quæ in secu- „ ritatem atque incolumitatem sui Præpotentes D.D. Ordines Generales semper „ adhibere debent, neutiquam metuenda veniunt; quem in finem quoque cen- „ sus & onera imperanda, quæ pacis tempore nullo modo consumi poterunt, sed „ vero & debitorum & impensorum Provinciar. exsolutioni inservient, quæ res nul- „ lum quoq; metum incutere debet, eò quod Unitarum Belgii Provinciar. Incolæ „ Subditique onera sibi imperata & solent, & largiri cupiunt, quodque onera ejus- „ modi ab omnibus simul Provinciarum Fœderatarum Moderatoribus loco atque „ ordine, præ cæteris, Viris Insignibus conceduntur atque imperantur, neque mi- „ nus quam à Subditis tribuuntur. Postremo autem Induciarum Pacisve Tractatio- „ num omnium observationes aut violationes non ex temporis in iisdem expressi in- „ tervallo. sed è Principum & Rerumpublicarum causis, ex ipsa denique temporis „ occasione æstimantur, cujus quidem utriusque exempla variæ omnium tempo- „ rum historiæ longa serie exsequuntur.

Literis quibusdam Auctoritatis ad D. Andream, in Frisia id temporis commorantem, eum quoque in finem missis, ad Civitates Groningam, Omlandiamque Dominus Ruyl & Dominus Schagen, Civitatis Alckmariensium Consiliarii Syndici, in Zelandiam Dominus Keyser, Civitatis Hornanæ Consiliarius Syndicus, Dominus H. Beaumontius D. D. Ordinum Hollandiæ Secretarius Supremus, & Dominus Hoolckius, Civitatis Ultrajectensium ad Concilium Præpotentium D. D. Ordin Gener. Deputatus, delegati fuerunt.

Sententiæ autem ac deliberationes à Trans-Ysulaniæ, Ultrajecti & Gelriæ, uti etiam à Frisiæ, Civitatum Groningæ & Omlandiæ Ordinibus, super Induciarum cum Pace commutatione habitæ, principio Octobris in Concilio traditæ fuerunt. Cujus quidem rei, quum non exigui sane momenti sit, pleniorem sui perpensionem atque in Partem utramque deliberationem requirat, neque pleniorem neque commodiorem enarrationem quam Propositione ac Responsione super eadem à Zelandiæ Ordinibus habitis, exequi potui. Propositionis autem à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatis, Zelandiæ Ordinum Deputatis (Dominorum D. Ordinum Gener. convocationem negantibus) decimo & tertio die Septemb. traditæ, exemplum hujusmodi fuit.

Nobiles & Potentes Domini,

„ PRæpotentes D. D. Ordines Generales, Deputantes Nostri, jam à multo tem- „ pore cognito perspectoque Tractationem Monasteriensem indies magis ma- „ gisque promoveri, Ejusdemque Articulos *à Partibus quibusdam præcipuis admissos* „ *concessosque*, atque ab aliis Præpotentium D. D. Ordin. Generalium Legatis & Ple- „ nipotent. traditos fuisse; quò scire possent quo pacto Tractationem suam diri- „ gerent; adeò ut præter finalem omnium Fœderatarum Belgii Provinciarum sen- tentiam,

tentiam, nihil quidquam reliquum esset, quem in finem etiam omnes Provincia- „
rum consensus, optimis formulis conscripti, ante in Concilio tradi debuerant, „
quapropter quoque Deputati nonnulli ad Provinciarum suarum, nonnulli etiam „
ad Civitatum Groningæ Omlandiæq; Ordines, ac (si in transitu fieri posset) ad Fri- „
siam quoque missi fuere, quo eosdem ad reliquarum Provinciarum Ordinum „
sententiam quamprimum adducerent; Nos quinetiam ad Nobiles Potentesque „
D. D. Zelandiæ Ordines delegarunt, quos congregatos adhuc à Nobis conveniri „
posse Præpotentes D. D. Ordines Generales speraverant, eaque potissimum de „
causa per literas, ne Concilium suum dimitterent, rogaverant; quoniam vero „
huc advenientes Eos jam discessisse comperimus, priusquam Se ejusmodi Senten- „
tiæ, quæ cum quatuor sive, ut arbitramur, sex Provinciarum reliquarum Senten- „
tiâ conveniret, accommodassent; Eapropter Vos majorem in modum rogamus, „
ut Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines (ad quos præsentes dedimus) quam- „
primum fieri poterit, convocare velitis, quo auditâ cognitâque propositione ac „
declaratione in diu jam remoratam Monasteriensem Tractationem, & Scripta „
quædam à Rege Galliarum missa, deniq; in concessam jam Induciarum cum Pace „
commutationem habita, ejusmodi sententiam æquam bonamque consequantur, „
cujusmodi Præpotentes D. D. Ordin. Gener. à Vobis, in hac rerum constitutio- „
ne secundùm Vestram æquabilitatem Se consequuturos arbitrantur; Minimè du- „
bitantes, quin Vos hanc Convocationem libentissimè concessuri sitis, idque eo „
magis, quod brevi temporis spatio Negotium illud confici queat, quandoquidem „
quatuor Zelandiæ Ordines in hac Insula adhuc commorentur, reliqui autem tres „
commoda atque opportuna hac Cœli facie facillimè convenire possint, secundò „
quod D. Deputati, qui Hagam-Com. tendere decreverant, aut nondum disces- „
serint, aut, die jam nunc Dominico, fortassis discessuri non sint, vel, si jam disces- „
serint, facili Negotio revocari possint; aut denique quod, iis absentibus, univer- „
sus Civitatum Zelandiæ Senatus præsens sit, qui harum rerum enarrationem per- „
cipere, interesse, Easque conficere possit, Idque ea potissimum de causa, quod „
quum literæ ad unum duntaxat Corporis Fœderati membrum Nomine ejusdem „
Corporis mittuntur, nunquam earum rerum perceptionem deneget, quibus dif- „
ficultatibus suis satisfactionem consequi possunt, quo tandem aliquando in unam „
eandemque cum reliquis Provinciis sententiam eant, Idemque decernant ac „
confirment: Quod tamen à Vobis futurum non credimus, ut Vos earum ratio- „
num cognitionem percipere denegetis, quarum Vos participes reddere jussi „
sumus, idque causarum quarundam prætextu, quas perpendendas prius arbitra- „
remini: Præterquam enim quod plurima exempla afferri possint, Provinciarum „
universarum, atque inter illas Hollandiæ West-Frisiæque uti etiam Zelandiæ „
Provinciæ Ordines propter minoris ponderis Negotium per Deputatos, ea potis- „
simum de causa missos, convocatos fuisse, ac, si reliquarum Provinciarum Ordi- „
nes sententiam suam neutiquam dixissent, neque eandem in Præpotentium D. D. „
Ordinum Generalium Concilio tradidissent: nihilominus tamen Vestrum esse „
existimamus, nullis respectibus fictis insistere, præsertim in eo Negotio, quod in „
damnum Patriæ, ut antehac apparuit, & posthac magis apparebit, procul dubio „
cederet, idque Sententiarum diversitatis causa, quam inter hujusce Provinciæ „
 Or- „

„ Ordines orituram esse cognitum perspectumque habemus; ut ea rationibus firmis penitus tollatur, Idcircò Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque huc appulimus, Nosque ipsos officiosissimè obtulimus. At verò quod si Vobis rogatam D. D. Ordinum convocationem denegare placuerit, in Nostri dimissionem atque excusationem petimus, ut memineritis, Nos non summa duntaxat diligentia, sed studio quoque summo laborasse, ut ea, quæ à Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus jussa accepimus, à Vobis impetrare possemus, quo profectò omnis temporis profusio præveniri potuisset, quæ ex disputationibus ac deliberationibus super dicto Negotio habendis suborietur, quas in tanta rerum necessitate Negotioq; tantam celeritatem exigente postpositas maximè oporteret; quo officio Nobis demandato liberatos Nos fore speramus, omnemque culpam in eos prorsus derivamus, qui dehinc eorum malorum autores extitisse comperientur, quæ Unitis Belgii Provinciis ex eo evenire poterunt, quod hujusce Provinciæ Ordinibus abnuentibus, à reliquis Partibus membrisque in Tractatione Monasteriensi agetur & transigetur.

„ Habitum Medioburgi decimo & tertio die Sebtembris, coram Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum Zelandiæ Deputatis, Anno 1646. & die sequenti à Nobis subsignatum ac Domino Zelandiæ Provinciæ Syndico Supremo traditum fuit; ac notatum, Nanningius Keyser, Herbertius à Beaumont, Gisbertus Hoolkius.

Quo peracto, supradicti Deputati die Dominico, Dominum Syndicum visitatum hora sesqui octavâ matutinâ convenerunt, simul etiam exposuerunt, Se majorem in modum D. D. Ordinum Zelandiæ convocationem expetiisse. qua negata, nihilo minus tamen dictam propositionem literis conscriptam exhibuisse, quo eam, dimissa concione, D. D. Ordinum Zelandiæ Deputatis proponeret, si fortassis eò adduci possent, ut D. D. Ordines Zelandiæ convocarent.

Hoc si nullo modo concedi posset, post meridiem se discessuros, omniaque Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. relaturos esse, dixerunt.

Postquam D. Syndicus memoratam propositionem accepisset, num Responsionem literis conscriptam peterent, rogavit, & D. Deputatorum negationis rationes defendere cœpit.

Ad hæc autem Præpotent. D. D. Ordinum Deputati responderunt, Se, quantum ad scriptam Responsionem attineret: Id omne D. D. Deputatorum judicio arbitrioque relinquere, omnemque rationum defensionem futuramque disputationem abruperunt, propterea quod dictâ propositione satis superque omnia exposita judicabant.

Tempore fere meridiano, bini D. D. Ordinum Zelandiæ Deputatorum Delegati, D. Tenisius, & D. Reygersbergius, unà cum D. Stavenisse Consiliario Syndico, D. D. Ordinum Zelandiæ Deputatorum Nomine locoque in Hospitium illorum gratulaturi accesserunt, solitisque gratulandi ceremoniis exhibitis, addiderunt, D. D. Ordinum Deputatos, habitâ concione pomeridianâ, ad propositionem traditam responsuros esse.

Die, qui dicitur Lunæ, tempore matutino, decimo & quinto die Octobris supramemorati Domini ad Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Deputatorum Hospi-

Hospitium reversi fuerunt, & rationibus quibusdam, ob quas dicta D. D. Ordinum Zelandiæ convocatio institui non potuisset, redditis, ad propositionem responsionem literis conscriptam, cujusmodi sequitur, tradiderunt, Eosque solita humanitate prorsus exceperunt.

Nobilium & Potentium D. D. Ordinum Zelandiæ Deputatis, maturâ deliberatione perpensis, quæ Nobilibus & Potentibus D. D. Ordinibus Zelandiæ verbis proposita, hodieque literis exarata, à Nobilissimis, Strenuissimis, Doctissimis, & plurimùm Reverendis Dominis, D. Nanningio Keyser, D. Herpertio à Beaumont, Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum Hollandiæ West-Frisiæque Secretario, & D. Gisberto Hoolckio, Civitatis Ultrajectensium Ex-Consule, atque in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Deputato, omnibus & singulis D. D. Ordinum Zelandiæ Deputatis tradita fuerunt, visum consultumque fuit ad ea sequentem in modum respondere, quem ad modum quoque per præsentes respondent; Se, quamprimum Nobilibus & Potentibus Zelandiæ Ordinibus exposita fuere ea, quæ à D. Meynersvicio, D. Mathenesio & D. Knuytio ac D. Nederhorstio Nobilibus & Potentibus D. D. Zelandiæ Ordinibus tradita fuerunt, insuper etiam deliberationes è Scriptis illis emanantes, tam de Scriptis quam deliberationibus, & quidquid præterea requiri ac desiderari posset, agere & Tractationem Induciarum cum Regis Hispaniensis Plenipotentiariis inire, certò statuisse ac decrevisse. Sed vero quum jam Nobiles ac Potent. D. D. Ordines Zelandiæ ad Provincialem suam per Extraordinarios suos Deputatos declarandam Sententiam prompti paratique essent, de improviso Ipsis D. D. Ordinum Hollandiæ West-Frisiæque deliberationes super Induciarum cum Pace commutatione habitæ obtruduntur; Ac quamvis summè dicti Zelandiæ Ordines facili Negotio dijudicare possent, Tractatione Monasteriensi jam ab ipso initio in Inducias, omniumq; deliberationibus, imprimis autem Plenipotentiarior. Instructione & quæ ab eadem dependent decreta, in unum finem tendentibus, novas hasce deliberationes ingentis moræ, varioque respectu damni ac detrimenti causas fore, quas tamen omni studio, curâ ac diligentia præveniri oportere, prudenter sapienterque judicarunt. Eapropter Nobiles & Potent. Zelandiæ Ordines supradictam D. D. Hollandiæ West-Frisiæque Ordinum, postquam eâ de causa recessissent, sententiam seriò perpenderunt, rationes eadem sententia propositas examinarunt, atque ejusmodi de omnibus consilium inierunt, cujusmodi in Reipubl. universæ commodum cedere posse existimarunt; Insuper etiam de considerationibus seu deliberationibus Unitarum Belgii Provinciar. Plenipotentiariorum literis expressis, quæ vicesimo & octavo die, proximè elapsi Mensis, & tertio die Octobris exaratæ fuerunt, cum mandatis eum in finem additis, ut Nobilium & Potentium D. D. Ordinum Zelandiæ Deputati Extraordinarii Hagam-Com. quantum possent, discederent, ac Deputantium suorum Sententiam in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio exponerent, neutiquam dubitantes, quin reliquarum Fœderati Belgii Provinciarum Ordines in eadem acquiescerent; adeò ut Præpotentium D. D. Ordinum Deputati facillimè videre possint, minimè opus fuisse, ut ad Nobiles & Potentes Zelandiæ Ordines Legatio aliqua institueretur, quo Sententiam matu-

„ maturarent suam, neque deliberationes, quarum mora tam noxia videtur, Nobilibus & Potentibus D. D. Ordinibus Zelandiæ ullo modo imputari potuisse: Quocirca etiam majorem in modum dolent, Præpotentium D. D. Ordin. Generalium Deputatos ad iter, hoc præsertim tempore, suscipiendum rogatos fuisse; Idque Eos jam suscepisse. Quod autem instantiam spectat, quam Nobilibus & Potentibus Zelandiæ Ordinibus exhibere Præpotentes D. D. Ordines Generales voluerunt, quò Ordines Zelandiæ adducerentur, ad Sententiam suam cum Hollandiæ Ordinum sententia conformandam; ad hæc Præpotentium D. D. Ordinum Deputati intelligant, Dominos suos Deputantes (salvâ tamen Præpotentium D. D. Ordinum Gener. reverentiâ) illud indicare, *modum illum* procedendi & deliberandi *communi Regiminis formæ adversari*, videlicet, in ejusmodi Negotio post omnium Provinciarum Ordinum sententiam propositam, in Præpot. D. D. Ordinum Generalium Concilio Authoritate publicâ decerni potuisse, ut per Præpotentium D. D. Ordinum Gener. ac per consequens universi Ordinum Corporis Deputatos Provinciæ sigillatim adducerentur ad illud, quod à privatâ aliqua Provinciâ propositum ac sententiæ loco traditum fuit, quem ad modum in tali Ordinum publicâ Authoritate decernentium Concilio, uti etiam in aliis Ordinum Collegiis ejusmodi Negotium communicari, membrorum omnium Sententiæ ac deliberationes proponi, rationes & dari & perpendi, deindeque secundùm Regiminis modum consuetum decerni debet; neque existimant, ulla huic Negotio exempla cum ratione aliqua applicari, sive plenam in iis convenientiam inveniri posse: Quapropter etiam Nobiles & Potentes Zelandiæ Ordines, ubi per literas istius Negotii certiores reddentur, difficultates nonnullas ad illud moveri posse arbitrantur, quod de novo deliberandum proponatur; id quod Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines omnium Membrorum suorum consensu jam nunc decreverant, Idque priusquam Sententiam suam ac deliberationem, eo, quo debet, loco proposuerant; quam tamen reliquarum Provinciarum Ordines, consilio super Nobilium ac Potent. Instantiâ inito, exspectandam decreverant, prius quam Sententiam suam dicerent.

„ At vero, quamvis Zelandiæ Ordines convocati hujusce Negotii formalitates præterire, atque exempla & consequentias, quæ inde confirmari possent, postponere vellent; Nihilo minus tamen propterea, quod Domini nonnulli ad Monasteriensem Tractationem delegati, qui eidem jam à Principio interfuerunt, Hagam-Com. profecti sunt, conventum D. D. Ordinum Zelandiæ tanto cum effectu tantaque celeritate nullo modo institui vel haberi posset. Præterea etiam, quod Nobiles & Potentes D. D. Ordines Zelandiæ nullo modo percipere possent, Negotii hujusce accelerationem à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. propositam, quamque Nobiles & Potentes Zelandiæ Ordin. quam maximè necessariam arbitrantur, hoc pacto effici posse; præsertim quum Provinciarum omnium Ordinum conventu nihil aliud quidquam effici queat, quam ut Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Deputatorum Propositio audiatur, Dominis Deputantibus referatur, deindeque, congregatis omnibus, consulatur ac certum aliquid decernatur. ad quod profectò non exiguum temporis spatium requiri necesse est; quum tamen ab alterâ Parte Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines Dominis Suis

Depu-

Deputatis Extraordinariis, secundùm Deputantium Suorum mandatum præceptumque absque ulla morâ propositam in Hollandiam Navigationem conficientibus, universum Monasteriense Negotium, & quidquid inde dependet, maturius multò percipi, deque eo omnium Ordinum consensu decerni posse existiment. Quas equidem rationes Nobilium ac Potentium Zelandiæ Ordinum Deputati, ut Præpotent. D. D. Ordinum Deputati hoc sensu capere, optimamque in partem D. D. Deputantibus Suis exponere, atque Ordinum Zelandiæ convocationem, quantum poterunt, hac vice excusare velint, majorem in modum rogant; neutiquam negantes omnem dehinc cum Præpot. D. D. Ordinibus Gen. tum Eorundem Deputatis quodcunque honoris, reverentiæ, officiique genus præstare. paulò infrà, Actum in Concilio supramemoratorum D. D. Ordinum Zelandiæ Deputatorum, Medioburgi, decimo & quarto die Octobris, Anno 1646. Ex autoritate & jussu Eorundem Deputatorum. Notatum erat, *D. Bruyne.* ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Hac Responsione tradita, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Deputati Hagam-Com. discesserunt, at paulò post Zelandiæ Ordinum Deputati sequentem Declarationem ad Induciarum cum Pace commutationem in Præpotentium D. D. Ordinum Concilio tradiderunt.

Dominis D. Ordinibus Zelandiæ post maturam ac diuturnam deliberationem in Nobilium ac Potentium D. D. Hollandiæ West-Frisiæque Ordinum Propositionem decimo & octavo die Septembris, Anno 1646. in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. literis traditam, *super Induciarum cum Pace commutatione*, visum consultumque fuit declarare, quem ad modum quoque per præsentes declarant, sicuti in omnibus & singulis cum Archi-Ducibus, Serenissima Infante, & Rege Hispaniarum post Induciarum exspirationem Tractationibus institutis, nihil aliud unquam intenderunt, quam ut omnis cum Hoste Tractatio ad Inducias redigeretur, eumque in finem præteritarum Induciarum exemplar, Anni 1609. atque Earundem amplificatio, Anni 1610. tanquam præsentis Induciarum Tractationis fundamentum collocaretur, quò mutua operâ & consilio ea omnia conservarentur, quæcunque ad Reipub. universæ, atque adeo ad Civitatum omnium commodum plurimùm pertinere viderentur; aut denique quo ea omnia, quæcunque in Unitarum Belgii Provinciarum damnum semper cedere comperta fuerunt, sive comprehendendo, sive extenuando, redigerentur, Eum ad modum quoque Nobiles ac Potentes D. D. Ordines Zelandiæ adduci se passos fuisse, & tandem concessisse, ut cum Hispanis Monasterii, non de Pace sed Induciis, ageretur; quo quidem fundamento cæteris deliberationibus ab omnibus Provinciarum Ordinibus unanimi consensu jam inde à principio præposito, adeo ut vel ipsis Gallorum Legatis, rationes quædam literis conscriptæ exhibitæ fuerint, ob quas Induciarum Tractatio à Parte utraque institui deberet; At vero, quum è contrario Induciarum Tractatio in Pacis Tractationem converteretur, Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines existimant decreta, huic fundamento innixa, insuper etiam Instructionem Unitarum Belgii Provinciarum Ordinum Plenipotentiariis ex iisdem conscriptam, dissolvi prorsusque annihilari posse; Eaque propter consilium de novo capi oportere, utrum cum Hispanis ulterius de ,,

armo-

„ armorum cessatione, nec ne, agi deberet; Hoc ut præveniatur, simul etiam ne „ dissolvatur prorsusque annihiletur, saltem non in Nobilium ac Potent. D. D. Ordi-„ num Zelandiæ Concilio (in quo non nisi maximo cum labore ad præsentem Tra-„ ctationem animi omnium adduci potuerunt) quidquid antehac post multas ac „ varias deliberationes statutum decretumque fuerit; deinde etiam propter graves „ quasdam, magnique momenti caussas, in ipso Negotio sitas, quæ postmodum „ paulò latius extendendæ venient; Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines judica-„ runt atque existimarunt, ad Fœderati Belgii Provinciar. commodum atque incolu-„ mitatem pertinere, ut insistatur, quem ad modum Ipsi quoque insistunt, delibera-„ tionibus decretisque super Tractatione cum Hispanis, & quæ eòdem spectant, „ antehac habitis confirmatisque; quem in finem quoq; necessarium esse judicant, „ ut memorata cum Hispanis Tractatio continuaretur, quo Induciæ ad duodecim, „ aut viginti Annorum spatium, præter propter, obtineri possint, utque Præpoten-„ tium D. D. Ordin. Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii secundùm In-„ structionem suam deindeque initas deliberationes & adhuc ineundas cum Hispa-„ niarum Regis Plenipotentiariis agerent, imprimis autem secundùm illas delibe-„ rationes, quæ ex relatione à D. Meynersvicio, D. Mathenesio, D. Nederhorstio „ & D. Knuytio, vicesimo & sexto die Julii, Anno 1646. in Præpotent. D. D. Or-„ dinum Concilio proposita, exortæ fuerunt, nec non è Præpotentium D. D. Ordi-„ num Plenipotentiariorum literis crebris, quæque vicesimo & octavo die Septem-„ bris, ac tertio Octobris, ad dictum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Con-„ cilium exaratæ fuerunt. Neque minus promptos paratosque Se præbent ad sen-„ tentiam suam super omnibus ac singulis Articulis dicendum, eo fine, ut ab omni-„ bus similiter Provinciarum Ordinibus, Sententiâ dictâ, ejusmodi quid statuatur, „ ac decernatur, quod cum solito Regiminis modo convenire existimabitur; utque „ more consueto, absque ulteriore morâ supradictæ Induciarum Tractationis Ar-„ ticuli conficiantur penitusque absolvantur.

„ Primariæ quidem rationes, ob quas omnis armorum cessatio Fœderati Belgii Provinciarum securitati ac conservationi hactenus perniciosa habita fuit, sequentibus inseruntur, quas Nobiles & Potentes Zelandiæ Ordines cum Pacis æternæ Tractatione atque armorum omnium cessatione, non minus quam cum Induciarum Tractatione temporariâ, pugnare existimant;

„ 1. Quod videlicet, illa animi persuasio, qua Hispanos nunquam intermissuros „ esse arbitramur certoque credimus, quin aut armorum vi, aut dolo malo Provin-„ cias hasce Fœderatas sub imperium suum redigere annitentur, paulatim ex animis „ Nostris delebitur, & cum Rerum Nostrarum socordiâ commutabitur; quod qui-„ dem malorum omnium ac totius Reip. Nostræ interitus principium futurum est.

„ 2. Quod rei militaris studium armorumque exercitatio omittetur, bellique „ usus negligetur.

„ 3. Onera in Fœderati Belgii Provinciarum defensionem imperata, vix tanta, „ quanta necessaria sunt futura, concedentur, imperabuntur, vixque à Subditis „ exigentur.

„ 4. Commercia Negotiaque, omni dubio procul, flaccescent, atque in alias re-„ giones transferentur.

5. Mul-

5. Multa quoque in utriusque Indiæ Societatis damnum ac præjudicium agi ac committi poterunt; variis modis variisq; mediis emolumenta utriusq; surripientur, atque alterutra, si non utraque, ubi cura ac defensio necessaria adhiberi non poterit, facili Negotio opprimetur.

6. Inter Ipsas autem Provincias, Civitates Ordinesque ex pristinis prætensionibus dissensiones nonnullæ certò oborituræ sunt.

7. Juxta memoratas jam rationes Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines sequentem, non exigui momenti ac ponderis adjunctam voluere:

Quod Induciarum, ad modum Anni 1609. Tractatio jam plurimâ ex parte opus præparatum atque exploratum existit, cujus effectum experti sumus, quodque nova hac Tractatione aut jam digestum, aut digeri poterit, id quod necessarium ducitur, quemadmodum supra dictum fuit; quum tamen è contrario incerti simus, quemnam Pacis perpetuæ Tractatio eventum consequutura sit, quandoquidem variis temporibus Ejusmodi incommoda & difficultates offerri poterunt, quæ Negotio jam nunc intermistæ neque prævideri neque in posterum præveniri poterunt.

8. Quod Pacis perpetuæ Tractatione omnibus & singulis universi Belgii Provinciis, Civitatibus Ordinibusque ejusmodi emolumentis, commoditatibus, opportunitatibus, &c. frui permittetur, cujusmodi à Cœlesti Numine Naturaq; concessas habent, & cujusmodi ante belli tempora possederunt; neque ullo prætextu aut fundamento vectigalia atque onera, quæ propter bellum imperata fuere, quæque Induciarum tempore imperata manere possunt, continuari poterunt; Ac quamvis horum omnium contrarium Tractatione cum Hispanis stipularemur, nihilominus tamen omnes illud Nationes Populique iniquum esse censebunt, idque omni quoque tempore dissensionum & incommodorum plurimorum materiam præbebit: In quibus supramemoratæ Provinciæ Earumq; Civitates omnes quascunque tandem Nationes Populosque Patronos habituræ sunt, præsertim quum ejusmodi atque dissensiones incommoda Negotiis Commerciisque plurimâ ex parte obesse queant, quod quisque Provincias illas Civitatesque frequentans in maximum sui damnum fore arbitrabitur.

9. Tempore autem Pacis perpetuæ Eædem Civitates Oppidaque reipsa restituenda venient, quæ belli tempore in finitimorum Nostrorum agris partim necessitate coacti, partim etiam ne Rex Hispaniarum iis sese præmuniret, viresque suas confirmaret, occupavimus; ac si ejusmodi oppidorum restitutionem, eo prætextu, quod nummi oppidorum conservationi impensi negarentur, declinare vellemus tamen causæ nostræ submissionem eorumque Principum Regumque arbitrium evitare nullo modo poterimus, quicunque Sese oblaturi sunt, cum forsan Respublica Nostra tale subsidium ac patrocinium, quale Nobis jam nunc imaginamur, consequi haud poterit.

10. Onera belli tempore Ejusque causa imperata, imprimis autem Licentæ & vectigalia, quæ comitivæ nomine veniunt, (Belgis, *Convoy-Gelt*) perpetuæ pacis tempore vix, nisi cum summa finitimorum Nostrorum Provinciasque frequentantium offensione, continuari poterunt; ac si ea omnia remitterentur, continuo ImperiumNostrum maritimum, Ejusmodi opibus deficientibus, penitus amitteretur,

„ quod tamen Imperium, hoc præsertim tempore magis quam dudum, naves bellicas in mari continendo, ab Ordinibus Nostris conservari debet; idque eo magis, quod Commerciis Nostrarum Provinciarum in Mari Mediterraneo flaccescentibus, atque ab aliis Nationibus Populisque surreptis, ab iis Navibus, quantum ad hunc usque diem, auxilium, urgente necessitate, ferri nullum poterit.

„ 11. Quin etiam verendum aliquo modo venit (quod tamen Deus Opt. Max. avertat) ne Unionis vinculum, quo omnes & singulæ Fœderati Belgii Provinciæ in æternum atque indissolubiliter sibi mutuo tenetur devinctæ, Pacis perpetuæ tempore, cumque jam belli omnis finem Unionisque terminum consequuti videbimur, non tam sanctè ac religiose, quam quidem decet, conservabitur; Contra vero Unionis hujusce vinculum, quod propter bellum adversus Hispanos nulli hactenus dissolutioni obnoxium fuit, in dubium veniet, ne varias ob causas penitus dissolvatur, vel laxius saltem remittatur; ex quo nihil aliud, præterquam Universæ Reip. Nostræ interitus perniciesque obtingere potest.

„ 12. Quem ad modum quoq; hominibus privatis Pacis tempore omnia omnino bona, jura & privilegia restituenda venient, eum ad modum quoque à Principibus Regibusque Neutralibus, quibus in hasce Provincias Earumve Ordines Subditosque juris quidquam competit, similis Actio institui poterit, inter quos tamen nonnulli existunt, quorum jus competens haud exigui momenti esse cognovimus.

„ 13. Præter hæc, nihil aliud præterquam ingens Reformatæ Religionis eversio exspectanda erit; imprimis autem Papistæ & numero & Authoritate accrescent; qua in re à primariis quibusdam ipsis subvenietur, Pace rationis loco allatâ; causa quinetiam principalis ac primaria, ob quam Papistæ in hunc usque diem tam cautè ac circumspectè suppressi fuerint, nullius prorsus ponderis dehinc futura est.

„ 14. Ad hæc autem, quod difficultates nonnullæ opponantur, & Pacis quam Induciarum Tractatio confici prius possit, nihil est; quandoquidem, ubi de Pace inter Nos decretum foret, omnia de Induciarum Tractatione consilia repetenda, ac de novo perpendenda, Paci quoque applicanda venient; Plenipotentiariorum Nostrorum Instructio commutanda, deindeque super Pacis cum Hispanis ineundæ Articulis conveniendum inter Nos erit; quum contrà, Induciarum Articulis, paucis exceptis, jam concessis admissisque, deliberationes hæ novissimæ nihil quidquam, præter ingentes moras, & decretorum dissolutiones, absque necessitate tamen, neque sine Reip. Nostræ damno maximo, allaturæ sint.

„ 15. Neque est, quod Fœderati Belgii Provinciarum *Ius Summum* perpetuæ Pacis Tractatione cum Hispanis magis quam Induciarum confirmari, minusque ab Hostibus eludi possit; quoniam declaratio in septuaginta Articulorum, de quibus conventum est, initio adhibita, perspicuè satis ac dilucidè proposita sit; ac si Hispani eâ in re perfidè Nobiscum agerent, non immeritò omnibus iis Tractationibus, imprimis verò Paci diffidendum erit, neque Universæ Reip. securitas huic permittenda.

„ 16. Atque ut Amicis Sociisq; Nostris omnem super hac re suspicionem adimamus, ea, quæ die vicesimo & quarto Maji, Anno 1646. decreta fuere, & quo Regis

Regis Galliar. Plenipotentiarii primariò collimant, penitus omitti, insuper etiam ,, Articulus vicelimus & sextus eorum, de quibus cum Hispanorum Plenipotentiariis jam nunc convenimus, hoc pacto extendi summopere poterit, *Quod videlicet, scripta illa vicesimo & quarto Maji, Anno 1646. in Unitarum Belgii Provinciarum damnum ac prajudicium nullo modo rapienda sint, neque etiam in supradictarum Provinciarum Iuris Summi atque absoluti, neque etiam in Declarationis Ejusdem, dictorum Articulorum principio adhibita, prajudicium.* Ipsum denique Provinciarum Belgii Unitarum Jus ,, Summum atque absolutum Præpotentium D. D. Ordin. Gener. Decreto solenni, Anno 1581. promulgato, confirmandum & stabiliendum erit; quo quidem ,, Decreto Rex Hispaniarum *Summo Provinciarum Fœderatarum Iure Imperioque destituitur*, idque ab omnibus Christiani Orbis Principibus, quin ab Ipso quoque Hispaniarum Rege, tam in præteritarum quam præsentium Induciarum Tractatione ,, agnitum fuit. ,,

17. Postremò autem, Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines nullo modo percipere queunt, rumorem illum, quem de Nobis concitaturi essemus, eo quod ,, perpetuam Pacem armorumque finem ultimum consequendi occasionem volentes amittamus, alicujus momenti esse; quippe ab altera parte, nunquam Posteris Nostris comprobare poterimus (ubi in memoriam revocamus, quæcunque antehac variis temporibus acta peractaque fuere, quo pacto Universa Resp. Nostra ab Hispanis *rebellis*, Ejusdemque Subditi omnes *Rebelles* atque *Haretici*, proindeque tam divinæ quam humanæ Majestatis læsæ rei habiti fuerint, queis *neque fides neque promissa* servanda veniant) ut falso ac ficto Pacis perpetuæ nomine, *Exterorum quorundam atque in propria sua commoda evigilantium impulsu*, antiqua illa atque à ,, Majoribus Nostris recepta hujusce Reipub. axiomata, quæ haud incommoda Nobis fuisse cognitum perspectumque habemus, planè jam nunc negligeremus, eoque pacto Fœderatas hasce Belgii Provincias tot millium hominum sanguine opibusque conjunctas atque in libertatem assertas, neque aperta armorum vi, neque que clandestino Hostium consilio hactenus dissolutas, dissolveremus. ,,

Actum, atque in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio, vicesimo ,, die Octobris, Anno 1646. traditum. Subsignatum erat, J. Knuytius, Henricus ,, Thibautius, Mattheus Rollandus, P. de Vroe, Gulielmus Lucæ, L. Pool, G. Vosbergius, C. Stavenisse. ,,

Jam ipso Mense Septembri satis superque apparebat, nihil quidquam à Præpotentium D. D. Ordin. Gener. Copiis in Flandriâ effici posse, præterquam quod Insolentiæ, à Gallorum Copiis auxiliariis in Ditione Waasiæ commissæ, participes se redderent; Eapropter quoque Copiarum dimissionem plerique expetebant, quò sumptus non necessarii prævenirentur, & Celsissimus Arausionensium Princeps Hagam-Com. deliberationibus & consultationibus, super Pacis perpetuæ Tractationi habendis, interfuturus reverteretur. Sed vero, ut Gallis Duynkercæ obsidioni intentis, utque Copiæ Præpotentium D. D. Ordin. Gener. paulo diutius castra sua reservarent, rogantibus satisfieret; Celsissimus Arausionensium Princeps ad Mensem usq; Octobr. in Flandria cum universo exercitu commoratus est. Dein vero Bergozomium trajiciens, num Venloam occupare posset, periculum fecit. Hoc autem ex sententia non succedente, Dominus Meermannus

mannus & D. de Vroe à Præpotentibus D. D. Ordinibus ad Celsissimum Principem missi fuerunt, qui Celsitudinem suam rogarent, ut Copias in Urbium stationibus locaret, Hagamque Comitis rediret. Quo vicesimo & nono die Octobris facto, tertio die Novembris Hagam-Com. pervenit.

Diebus pauculis ante de Induciarum cum Pacis perpetuæ Tractationis commutatione, deque supramemoratis Articulis consilium initum fuit: præsertim vero vicesimo & septimo die Octobris, quum ingens Hollandiæ West-Frisiæque Ordinum Deputatorum Extraordinariorum numerus ad Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Concilium pervenisset, ac simul cum Ordinariis Ejusdem Provinciæ Deputatis Zelandiæ Ordinum Deputatos majorem in modum rogasset, ut cum reliquis Provinciarum Ordinibus de Induciarum cum Pacis perpetuæ commutatione convenirent: quod tamen Ordin. Zelandiæ Deputati mandatum sibi esse negarunt, & Deputantium Suorum Sententiam plurimis rationibus confirmarunt. Quibus tum ab Hollandiæ West-Frisiæque Ordinum Deputatis plurimis ac gravissimis rationibus regestum fuit. Secundo autem extraordinarii & Ordinarii dictæ Provinciæ Deputati Præpot. D. D. Ordinum Gen. arbitrio judicioque reliquerunt, num consultius aut commodius ipsis videretur, quandoquidem Induciarum cum Pace perpetuæ commutatio à sex Provinciarum Ordinibus unanimi consensu decreta foret, ut ad Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios scriberetur, ut cum Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis conceptum quendam utriusque Partis Ratihabitionis & Confirmationis in Tractationem Pacis perpetuæ ineundam instituerent. Quibus omnibus maturâ deliberatione perpensis, simul etiam Provinciarum Ordinum sententiis perceptis, visum consultumque fuit, ut ad Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios Monasterii agentes, literæ mitterentur, quibus certiores redderentur, Induciarum cum Pace perpetuâ commutationis Tractationem omnium Provinciarum Ordinum consensu in eum redactam esse locum, ut dubium nullum esset, quin decem duodecimve dierum spatio Ejusdem deliberationis finis exoptatus obtineri posset, Eaque propter Tractationem cum Hispaniarum & Galliarum Regum Legatis & Plenipotentiariis hoc modo pactoque dirigerent, atque ad eam animum adverterent, quantum ad Reipub. universæ commodum plurimùm pertinere arbitrarentur. Interim tamen supramemoratæ Zelandiæ Provinciæ Ordinum Deputati sæpius rogati fuere, ut Provinciarum omnium sententiæ de Induciarum cum Pace perpetuâ commutatione annuerent, sin minus, omnes sex Provinciarum Ordines decem duodecimve dierum spatio Eandem confirmaturos esse. Quorum omnium supradictæ Provinciæ Zelandiæ Deputati, se D. Deputantes Suos participes facturos esse, promiserunt, minimè dubitantes, quin, quantum maxime possent, intra dictorum dierum spatium hujusce commutationis peragendæ auctoritatem à D. Suis Deputantibus consequerentur. Insuper etiam Zelandiæ Ordinum Deputati adjunxerunt, quoniam literæ, quæ ad Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios mitterentur, nihil aliud intenderent, præterquam ut Legati & Plenipotentiarii, sex Provinciarum Ordinum sententia communi cognitâ perspectaque, ab illo tempore Tractationem Suam cum Hispanis secundùm illud dirigerent,

quod

quod sententiarum pluralitate decretum esset, quod tamen adversus *Vnionem Vltrajectensem*, quæ nullam prorsus cavillationem admittit, directè impingeret, ipsimet interea ad officii optimè administrati securitatem, atque à D. Suis Deputantibus, in Negotio tanto, Unionem tantopere atque adeo universam Rempub. concernente, omnis, quodcunque evenire posset, præjudicii amolitionem rogarunt, ut literæ in tempus aliquod differrentur; Idem illud reliquarum Provinciarum Deputati uno ore petierunt, utque Negotium universum in pristino statu locoque relinqueretur, donec omnes & singuli Provinciarum omnium Ordines de universo Tractationis Negotio, & quidquid inde dependet, certum aliquod consilium unanimi consensu cepissent; ex cujus præscripto Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati Extr. & Plenipotentiarii Tractationem Suam cum Hispanis instituere possent; ac si præter opinionem reliquarum Provinciarum Ordinibus aliter videretur, dicti Zelandiæ Deputati declararunt, se adversus illud protestari, quemadmodum etiam per præsentes protestabantur, utque Regestis insereretur, quo loco ac tempore debito sibi inservire posset, rogabant.

Gelriæ autem Provinciæ Ordinum Deputati commodius esse arbitrabantur, ut Præpotent. D. D. Ordinum Legati Extr. & Plenipotentiarii de Induciarum cum Pace perpetua commutatione simpliciter, *absque ulteriore tamen de eodem Negotio agendi potestate*, certiores redderentur.

Ultrajectensium vero Deputatus in rem esse judicabat, ut Præpot. D. D. Ordinum Gen. Legatis Extr. & Plenipotentiariis, Monasterii cum Hispanis agentibus, ea omnia per literas indicarentur, quæ hoc die super Induciarum cum Pace commutatione in Concilio proposita fuissent, eo duntaxat fine, quo omnium rerum congnitione instruerentur, neque de eadem commutatione agendi auctoritate munirentur.

Deinde quoque Zelandiæ Ordinum Deputati iterum iterumque rogati fuere, ut reliquorum Ordinum sententiæ, de Induciarum cum Pace perpetua commutatione, tandem annuere vellent; Cui quidem petitioni eâ lege ac conditione consenserunt, ut *super tribus punctis præliminaribus* explicatio aliqua propior institueretur. Quo decimo & sexto die Novembris perpenso, visum consultumque fuit, ut ea Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Regestis insererentur, quemadmodum quoque inserta fuere, quæcunque ab omnium Provinciarum Ordinibus eo die super memoratis *punctis tribus* decernerentur; nimirum ut ab omnibus & singulis *Reformata Religio Christiana* stabiliretur, prout impræsentiarum stabilitur, eo modo, atque in iis templis publicis, quo modo illa jam nunc in omnium Fœderati Belgii Provinciarum templis publicis hactenus prædicata, atque à Synodo Nationali Dordracenâ, Anno 1619. approbata atque accepta fuit; utque porrò Reformata illa Religio in omnibus & singulis Fœderati Belgii Provinciis publicâ auctoritate propugnaretur ac conservaretur, neque permitteretur, ut à quopiam aliquo modo immutaretur; Decreta adversus Papistas, antehac promulgata, integra manerent, omnique studio executioni mandarentur. Secundo, ut Unio Ultrajectensis inter omnes & singulas Fœderati Belgii Provincias, & Fœdere junctas regiones, Civitates Earumque Moderatores in perpetuum conservaretur, defenderetur ac propugnaretur. Tertiò, ut *Militia*, *pro rei ac temporis necessitate*,

administraretur, proque more solito à Celsissimo Arausionensium Principe, atque à Frisiæ Moderatore Supremo, & Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Deputatis petitio singulis Annis institueretur, eaque Provinciarum Ordinibus eo fine traderetur, quo consilium iniri, Onera necessaria concedi, ac denique in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. tradi posset.

Gelriæ autem Ordinum Deputati ad primum punctum præliminare, *Religionem* concernens, annotari jusserunt, ut *Reformata Religio Christiana*, cum reliquarum *Sectarum* exclusione, conservari ac propugnari possit; atque ejusmodi sibi conditiones dictæ Provinciæ in perpetuum & prærogativas salvas atque integras voluerunt, cujusmodi in posterum aliis Provinciis salvæ atque integræ manerent.

Nobilium & Potentium D. D. Ordinum Zelandiæ Deputati Ordinarii & Extraordinarii rogarunt, ut Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Regestis Insereretur, ut sibi loco ac tempore suo inservire posset, Dominos Suos Deputantes majorem in modum exoptasse, ut puncta illa præliminaria, *Vera Religionis*, uti etiam *Vltrajectensis Vnionis* conservationem & propugnationem concernentia, arctiori mutuæ obligationis vinculo inter omnes & singulas Fœderati Belgii Provincias, aut saltem ad modum à Dominis Suis Deputantibus decimo & sexto die Augusti, Anno 1645. præscriptum, atque in Concilio Præpotentium D.D. Gen. traditum, confirmata ac sancita fuissent: sed vero, quandoquidem de ea re nihil certi hactenus statui potuisset, ipsique non dubitarent, quin posthac penitius perpenderetur, ac decerneretur (ad quod Dominos Suos Deputantes promptos semper paratosque fore dicebant) nihilominus tamen extensionem super utroque puncto præliminari, nec non Militiæ Negotio, hoc die propositam, majorem in modum sibi placere; eâ lege tamen ac conditione, ut Domini Sui Deputantes intelligant, Ordinem Ecclesiasticum, quantum ad Provinciam Suam attineret, integrum sibi salvumque mansurum, deque eodem, prout hactenus, ex rei temporisque necessitate deliberaturos esse.

Ac quoniam dubia nonnulla variis temporibus, Unioni propiori contraria, proposita fuere, quæ Privilegiis & Superioritati, tam Ordinum Gener. quam Provinciarum singularum opponebantur, Eaque Superioritas propter longum temporis intervallum haud aliter quam possessio concessa habita fuit, proindeque jus acceptum dici posset, tali igitur casu, ubi de Unionis mutuæ conservatione propositum fuerit, ad illud ne respondeatur, Se D. D. Ordinum Zelandiæ Deputatos, câ potissimum de Causâ, utque D. Dominorum suorum Deputantium sincerum de propioris Ultrajectensis Unionis conservatione animum perciperent, secundo declarare voluisse, quem ad modum quoque per præsentes declarabant, Dominos scil. Comitatus Zelandiæ Ordines, hoc sic percipere, ut Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus concederentur, quæcunque antehac iisdem, sive Unione propiore Ultrajectensi cum omnium Provinciarum Ordinum consensu, *habitâ prius, authoritate publicâ, Ordinum omnium convocatione*, data concessaque fuere, sive dehinc ad modum supradictum concederentur; utque ab altera Parte cujusque Provinciæ Ordinibus rerum suarum jus summum atque absolutum relinqueretur, earum scil. quæ ipsis Unione Ultrajectensi reservatæ fuerunt, possessione tamen contraria non obstante.

Pro-

Provinciæ autem Ultrajectensis Deputati declararunt, se dehinc Provinciæ Suæ ejusmodi jura, privilegia & prærogativas, salvas atque integras velle, cujusmodi reliquis Provinciis in posterum concederentur vel conservarentur.

Provinciæ quoque Frisiæ Deputati declararunt, idque Regestis inseri voluerunt, Dominos Suos Deputantes ex Articuli punctique *Religionis* confirmatione neutiquam admittere, quidquam sibi in liberâ *Ordinis* seu *Regiminis* Ecclesiastici, neque etiam juris Patronatus dispositione derogatum iri, sed verò Zelandiæ Ultrajectensisque Provinciæ Deputatorum Declarationibus supramemoratis insistere.

Trans-Ysulaniæ Deputati similem in modum declararunt, se dehinc Provinciæ Suæ ejusmodi jura, privilegia, & prærogativas integras & salvas velle, cujusmodi reliquis Provinciis in posterum concederentur, vel conservarentur.

D. Eybenius, Civitatum Groningæ Omlandiæque Provinciæ Deputatus, declaravit, idque Regestis inseri jussit, Dominos Suos Deputantes ex Articuli punctique *Religionis* confirmatione neutiquam admittere, quidquam sibi in libera Regiminis Ecclesiastici, neque etiam juris Patronatus dispositione derogatum iri, sed cum reliquis, similiter insistere Zelandiæ Ultrajectensisque Provinciæ Deputatorum Declarationibus supramemoratis; Imprimis autem nullo modo dehinc concessum seu latius perrectum iri, quidquid antehac adversus *Unionem* actum concessumque fuerit.

Zelandiæ Ordinum Deputati Extraordinariii & Ordinarii, postquam sententiam Suam dicere iterum iterumque rogati essent, tandem Ordinum Suorum Declarationem de Induciarum cum Pace commutatione supra memoratâ exposuerunt, Seque Provinciis reliquis accommodarunt; quapropter etiam Præpotentes D. D. Ordines Generales summas ipsis gratias egerunt. Deinde autem unanimi consensu decretum fuit, ut Tractatio ad Inducias hactenus instituta, commutaretur, quem ad modum quoque impræsentiarum in Pacis perpetuæ Tractationem conversa fuit; utque decretum illud Præpotentium D. D. Ordinum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis Monasterii cum Hispanis agentibus per literas indicaretur, quo septuaginta Articulos supramemoratos in Pacis perpetuæ Tractationem dirigerent, quemadmodum eos hactenus ad Induciarum Tractationem proposuerunt, cum omnibus & singulis suis clausulis, & Restrictionibus, cujusmodi in ipsa Originali Instructione exprimuntur; Provinciarum tamen Ordinum deliberationibus super universo Negotio habendis, neque hactenus decretis, salvis integrisque manentibus.

Diebus quoque sequentibus, perpensis ac dijudicatis Articulis, ex relatione Dominorum D. Meynersvicii, D. Mathenesii, D. Knuytii, D. Nederhorstii Præpotentium D. D. Ordin. Gener. Plenipotentiariorum, Monasterio reversorum, resultantibus, & vicesimo ac septimo die Julii, proximè elapsi, in Concilio traditis, quibusdam etiam punctis aliis à Dominis Deputatis in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. additis post maturam deliberationem decretum fuit, ut septuaginta Articulorum tertius hoc modo exprimeretur, quo modo tunc temporis quoque expressus fuit, videlicet,

Pars utraque retinebit, ac re ipsa possidebit, eas Regiones, Civitates, Loca & »

Juris-

,, Jurisdictiones, quas hoc ipso tempore retinet ac possidet, neque ullâ, quacunque
,, tandem, molestiâ in iis afficietur; inter quæ loca intelliguntur, pagi, municipia,
,, vicinitates omnisque ager patens, qui ab iis dependet, proindeque Universus
,, Sylvæ-Ducensis Majoratus, Ejusdemque castella, municipia, pagi, vicinitates,
,, atque universus ager patens, qui à dicto Majoratu Sylvæ-Ducensis dependet,
,, Civitas & Marchionatus Bergozomiensis, Civitas & Baronatus Bredanensis, Ci-
,, vitas Trajectensis ad Mosam, Ejusdemque districtus universus, uti etiam Vroen-
,, hoviensis Comitatus, Civitas Graviensis & Cuyckiæ Ditio, Civitas Hulstana,
,, Ejusdemque Balivatus & Ambagtum, uti quoque Axeliensis Præfectura, tam à
,, Meridionali quam Septentrionali Gulæ Axeliensis parte, nec non Fortalitia om-
,, nia, quæ Præpotentes D. D. Ordines Generales in Ditione Waasiensi, Oppida
,, Castellaque omnia in Brabantiâ, Flandriâ, sive alibi jam nunc tenent, eo modo
,, Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus in omnibus suis Supremi Juris Pri-
,, vilegiis propria sunt futura, quo modo in Fœderati Belgii Provinciarum Impe-
,, rium obtinent; eâ lege tamen ac conditione, ut Ditionis Waasiensis pars reliqua,
,, Fortalitiis Castellisque supramemoratis exceptis, Regi Hispaniarum propria sit
,, futura; proindequo in septuaginta Articulis decimus & octauus omittetur, ubi de
,, Templis, in Bredanensi Baronatu, Bergozomiensi Marchionatu, &c. publicis
,, mentio facta fuit.

,, Articulus quinetiam quintus omittetur, Ejusdemque loco inseretur ac divi-
,, detur, videlicet *ad alternationem usque exclusivam*, hoc modo:

,, Ad Indiam utramque Navigationes hactenus institutæ ibidemque Commercia
,, solita conservabuntur, secundùm literas publicas eâ de causa hactenus datas, sive
,, in posterum dandas, quarum Navigationum & Commerciorum etiam securitas
,, sequenti Pacis Tractatione Ejusdemque Ratihabitione à Parte utraque exhibendâ
,, & tradendâ confirmabitur: Atque eâ Tractatione omnes Reges, Principes, Na-
,, tiones, Populique, cum quibus Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus,
,, sive Indiæ utriusque Societati Eorundem Nomine locoque intra terminos literis
,, publicis concessos, Amicitia aut Fœdus aliquod intercedit, comprehendentur;
,, Deinde, Rex Hispaniarum, & summedicti Ordines Generales omnes ejusmodi
,, Regiones, Oppida, Castella, Fortalitia, Commercia, & quæ in Utraque Indiâ ac
,, Brasiliâ, uti quoque in Africæ, Asiæ, & Americæ oris loca possident, eo modo
,, posthac retinebunt: inter hæc quinetiam loca omnia annumerabuntur, quæ Por-
,, tugalli, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. antehac surrepta tenent, seu quæ
,, in posterum absque præsentis Tractationis violatione surrepturi sunt. Quapro-
,, pter etiam Indiæ Utriusque Moderatores, nec non Ministri, Præfecti & Pro-præ-
,, fecti, milites Sociique navales, qui alterutrius Societatis stipendia merentur, seu
,, antehac meriti fuerunt, vel quorum opera dehinc, cum in hisce Fœderati Belgii
,, Provinciis, tum in Utriusque Indiæ districtu Societas utetur, libere secureque in
,, omnibus Regis Hispaniarum terris, in Europâ sitis, navigare, frequentare &
,, Commercia exercere, haud secus quam reliquis Unitarum Belgii Provinciarum
,, subditis incolisque, licebit. Postremò autem Præpotentes D. D. Ordines Gene-
,, rales id sibi salvum atque integrum habebunt, quod Hispani Navigationes Suas,
,, cujusmodi etiamnum in Occidentalem Indiam instituunt, absque ullâ Earundem
exten-

extensione ulteriore, retenturi sunt; Eaque propter Fœderati Belgii Incolæ subditique ad loca Castiliensia, in Orientali India sita, Navigationibus prorsus abstinebunt.

Quod autem ad Indiæ Occidentalis Societatem attinet, illa Navigationes suas Commerciaque in omnibus locis ac terminis, vi literarum publicarum, à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. concessarum, liberè secureque instituet atque exercebit, sive in terris Principum Nationumque Neutralium, sive in iis, in quibus Rex Hispaniarum Castella, Fortalitia qualiacunque tenet, Imperiumque habet; Similem quoque in modum Regis Hispaniarum Subditis, in Principum, Nationumque Neutralium terris & regionibus queiscunque, uti etiam in Indiæ Occidentalis partibus, à Fœderati Belgii Provinciarum Societate occupatis, Commercia exercere, Navigationes instituere, & pro libitu commorari ac frequentare liberè secureque licebit: Eoque casu à neutra Parte majora onera imperabuntur, quam vel ipsis locorum Incolis Subditisque imperata sunt.

Decimus & quartus Articulus omittetur, Ejusdemque loco vicesimus & quintus Originalis Instructionis Articulus hoc modo inseretur:

Navibus mercibusque, è portubus Flandricis avectis vel advectis, ejusmodi vectigalia à Rege Hispaniarum imperabuntur, atque imperata manebunt, cujusmodi navibus mercibusque per Scaldim aliosque Canales Sassæ & Swyndæ, uti etiam reliqua ostia maritima adsita, advectis sive avectis imperata sunt: atque dehinc super vectigalium onerumque æqualitate inter Partem Utramque agetur.

Quod ad Civitates Hanseaticas, & Navigationes ac Commercia in Oceano attinet, huic Negotio Extraordinarii Legati & Plenipotent. D. D. Ordinum Generalium unicè incumbent, quò veteris illi ac legitimi Domini in pristinis suis Privilegiis Juribusque propugnentur ac conserventur; & quò vectigalia oneraque ad modum Anni 1618. imperentur.

Quod ad Archi-Episcopi Cameracensis, Regis Hispaniarum Plenipotentiarii, petitionem de media redituum fructuumque Sylvæ-Ducensis Majoratus, Anni 1638. parte attinet, prout in Memoriali quodam à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis tradito propositum fuit; ea redituum fructuumque pars media illius Anni 1638. duntaxat per Ratihabitionem concedetur.

Proprietatem versuræ, quæ Fisci Nomine loco bonorum venditorum reperta fuerit, uti etiam prætensionum versuræque proprietatem, quæ Fisci Nomine debentur, Proprietariis sive Dominis Suis Legitimis vendere, seu de iis, haud secus quam de propriis suis, pro libitu agere licebit: denique ea, quæ Articulo vicesimo & tertio sub finem inserta sunt, eo quoque modo instituetur ac dirigetur.

Tempus, quod Articulo vicesimo omissum fuit, intra quod Justitia Ordinaria executioni mandare, damnumque dicto Articulo expressum resarcire deberet, illud totum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis commendatur; eoque fine etiam ex ipso Articulo sequentia omittentur, *tam Regi Hispaniarum, quam Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus*, Eorumque loco, juxta

„ formulam aliquam à Parte utraque decernendam, sequentia inserentur, *Ipsos ad* „ *omnia, quæ à Belgii Provinciarum Incolis Subditisque agentur aut committentur, uti quoque ad onera, quæ à Parte utraque mercibus bonisque imperabuntur, animum adversuros esse.*

„ Articulo denique quinquagesimo, in quo de Cæsare Imperioque Rom. men- „ tio facta fuit, post verbum *Neutralitatis*, adjungetur, *Societatis* atque *Affinitatis* „ optimæ.

„ Fortalitiorum prope Sluysam dirutiones à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. „ Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis Regis Hispaniarum Legatis, Monaste- „ rii agentibus, proponentur atque intendentur.

„ In *terminorum* Flandriæ aliarumque partium *extensionem* à Præpotent. D.D. Or- „ dinum Gener. Deputatis, *Vrye* Moderatoribus, à Sluysæ Senatu, Ardenburgi alio- „ rumque, quibus competit, inquiretur; & quodcunque de eâ re constitutum de- „ cretumque fuerit, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatis Extraordinariis & „ Plenipotentiariis, Monasterii agentibus, indicabitur.

„ Tractus Gelriæ Superioris cæterorumque trium Gelriæ Tractuum, Præpotent. „ D. D. Ordinum Gener. Imperio obtemperantium, *Consolidatio*, ut vocant, quæ „ antehac proposita atque etiamnum petita fuit, ea Regis Hispaniarum Legatis & „ Plenipotentiariis rursus proponetur, verbisque seriis ab iisdem petetur.

„ Insuper etiam D. D. Ordinum Frisiæ Deputati declarant sibi à Deputantibus „ suis hoc imprimis demandatum fuisse, ne ullo modo admitterent neque concede- „ rent, ut verba quædam, sive termini, sive scribendi formulæ præsenti Tractationi „ insererentur, quibus Fœderatis Belgii Provinciis Earumq; Incolis & Subditis in „ iis, quæ de admissione & permissione Orientalis Indiæ Societatis adhuc instauran- „ dæ, sibi competere arbitrantur, quidquam detrahi aut derogari posset; quoniam „ enim literæ publicæ, jam nunc exspiraverint, easque decreto quodam speciali, „ quarto die Maji, Anno 1644. in lucem edito, locisque publicis affixo, ab omni- „ bus impetrari posse indicatum sit, Idcircò protestantur, sibi nequidquam damni „ dehinc imputandum esse, quotiescunque iis, qui Indiam Orientalem frequen- „ tant, *Societatis titulus tribuatur*, sive *Ejusdem Societatis literarum publicarum continua-* „ *tionis mentio fiat:* Simul etiam petunt, ut hæc omnia, Præpotent. D.D. Ordinum Ge- „ neralium Actis publicis diurnis inserantur.

„ Porrò etiam, quandoquidem majorem in modum sibi à Deputantibus suis „ commendatum habeant, ut serio urgerent atque insisterent, quò Rex Hispania- „ rum apud Cæsaream Majestatem, Imperiumque Romanum, juxta Neutralitatis „ conservationem, prætensionum tam iniquarum renunciationem effectam reddat, „ quas Cæsarea Majestas hactenus instituit; Eapropter hæc quoque Sententiæ Pro- „ vincialis loco iisdem Actis diurnis seu Regestis inserta cupiunt.

„ Insuper etiam declarant, Se Archi-Episcopi Cameracensis petitioni, utpote „ moderamini rerum Ecclesiasticarum Majoratus Sylvæ-Ducensis, jam nunc decre- „ to ac confirmato, adversæ & repugnanti, neutiquam annuere posse.

Postquam vero ulterius inter se de ea re deliberassent, eodem tempore decretum consultumque fuit, ut Dominus à Gent, D. Mathenesius, D. Beveren, D. Catzius, D. Knuytius, D. Stavenisse, D. Hoolckius, D. Roorda, D. Mulertius, D. Eybenius & D. Musch Graphiarius rogarentur, simul etiam deputarentur

ad

ad Articulos septuaginta, de quibus cum Hispanis, ad Inducias obtinendas, conventum erat, quique vicesimo & sexto die Julii, proximè elapsi, Monasterio in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio traditi fuerant, cum Instructione Originali conferendum; eo fine, quo Pacis perpetuæ Tractationi applicari, uti quoque ad puncta Articulosque, à Frisiæ Ordinum Deputatis in Sententia Eorundem Provinciali propositos, sedulò animadverti possit.

Præter hæc Præpotentes D. D. Ordines Gener. supradictos Dominos Deputatos rogarunt, Iisdemq; Auctoritatem dederunt, ut è propositione Ratihabitionis, à Domino Graphiario Musch, ex Auctoritate & jussu Præpot. D. D. Ordinum Gener. compositæ atque institutæ, nec non è propositione Ratihabitionis Nomine locoque D. D. Hollandiæ Ordinum traditæ, propositionem aliquam Ratihabitionis componerent, quæ *mutatis mutandis* ab utraque Parte, super Pacis perpetuæ Tractatione instituenda, applicari posset; eâ lege ac conditione, ut propositio Ratihabitionis à D. Deputatis instituenda, ab omnium Provinciarum Deputatis traderetur; atque ab iis ad D. suos Deputantes mitteretur, neque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatis Extraord. & Plenipotentiariis, Monasterii agentibus, communicaretur, prius quam omnium & singularum Provinciarum Ordinum super ea re Sententiæ in Præpot. D. D. Ordinum Gener. Concilio traditæ forent; Quod se quam primum facturos esse, omnes simul Deputati promiserunt, quo deinde, secundum Regiminis Ordinem consuetum, de Ea re certi quidquam decerni posset. Insuper etiam Præpotentes D. D. Ordines Gener. Deputatis suis, jam memoratis demandarunt, ut quæcunq; hactenus gesta essent, Celsissimo Arausionensium Principi indicarent; quodque Præpotentes D. D. Ordin. Generales jam nunc septuaginta Articulos in Pacem perpetuam convertere in animo haberent; quapropter etiam Celsitudinem suam rogarent, ut Præpotentes D. D. Ordines Generales consilii sui prudentissimi participes reddere dignaretur: denique ut omnia à præsentibus Dominis, uno alterove absente, agerentur & transigerentur.

Quibus propositis decretisque, visum fuit, quantum ad familiaritatem mutuam inter Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios, atque inter Majestatis Galliarum Plenipotentiarios colendam, rerumque omnium Monasterii agendarum communicationem attinet, ut secundum Articulos Instructionis ageretur.

Decretum quinetiam fuit, ut Domino Boreelio, D. Catzio, D. Stavenisse & D. Graphiario Musch præciperetur, ut duodecimum & decimum tertium Articulum, decimo & quarto die Octobris, Anno 1645. ex ipsa Instructione deletum, hoc modo instituerent, quo reliquis jam concessis Articulis uterque inseri posset.

Eodem ferme tempore literæ à Domino Heemstedio, Nederhorstio, Donia, & Clantio, Præpotentium D. D. Ordin. Gener. Plenipotentiariis quatuor, decimo & septimo die hujusce Mensis exaratæ, nec non & alia quædam Scripta allata fuerunt, quibus indicabant, Se post novissimas suas, decimo & tertio istius Mensis die datas, literas tam cum Regis Hispaniarum quam cum Regis Galliarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis varios diversosque conventus instituisse (qui-

bus Regis Galliarum Plenipotentiarii Generalem illam mutuamque securitatem multis repetierunt, simul etiam Dominum Brassetium Ejusce mentionem & detectionem coram Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. facturum esse declararunt) seque ulterius cum iis egisse; Eodemque die summopere laborasse, quo rem inter Partes hasce principales componerent; indeque spem magnam affulsisse, quamprimum consilia & decreta Præpot. D. D. Ordinum Gen. simul cum Dominis suis Collegis Monasterium pervenerint, non Ipsos duntaxat ad rerum suarum compositionem, sed & Præpot. D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraord. & Plenipotentiarios ad eandem adductos iri. Quibus perceptis ac perpensis, Præpot. D. D. Ordines Gen. declararunt, se literas illas tanquam rerum Indices accipere, seque D. Brassetii propositionem & detectionem exspectaturos esse. Quapropter etiam D. Mathenesius & D. Knuytius Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii rogati fuerunt, ut iter suum Monasterium versus omni cum celeritate conficere, dictosque Articulos & consilia Præpot. D. D. Ordinum, super rebus Monasteriensibus inita, literis exarata comportare vellent. Decretum denique fuit, ut per literas D. Meynersvicius rogaretur, quo se Monasterium quamprimum conferret. Literarum autem & Scriptorum à Plenipotentiariis quatuor missorum Provinciarum Deputati exemplum petierunt, quod etiam impetrarunt.

Dominus Boreelius, Catzius & Stavenisse, Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Deputati die præcedente retulerunt, Se vi D. D. suorum Deputantium decreti vicesimo hujusce Mensis die Articulos, decimo & quarto die Octobris ex Instructione Monasteriensi deletos, quibus de Orientalis & Occidentalis Indiæ Societate mentio facta est, hoc modo instituisse, quo septuaginta Articulis concessis, secundum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. voluntatem atque intentionem, commodissimè inseri possint, exceptâ tamen *alternatione*, supra dictis Articulis deletis additâ; quæ quidem *alternatio* Dominis Plenipotentiariis à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gen. privato aliquo decreto concedi posset, quo eadem tempore opportunè uti possent. Quibus perpensis, Præpot. D. D. Ordines Gener. illa omnia acceperunt, suisque Deputatis ingentes gratias egerunt. Supramemorata autem *alternatio*, postmodum Articulis inserta, hæc fuit: *Sed vero, si supramemorata stipulatio obtineri nequeat, tam Regis Hispaniarum, quam Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Subditi omni prorsus Navigatione ad ejusmodi loca, quæ utraque Fortalitiis, Propugnaculis Castellisque suis munita tenet, intermissuri sunt: ac si Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis consideranda quædam objici possent, minime convenientia cum iis, quæ supra memorata fuerunt, eorum omnium Præpotentes D. D. Ordines Generales certiores reddituri sunt, ut, cum alterutra sive utraque India Orient. & Occident. Societate, de iisdem agere possent.*

Dominus Mathenesius, D. Beveren, D. Catzius, D. Knuytius, D. Stavenisse, D. Hoolckius, D. Roorda, D. Mulertius, & D. Eybenius Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputati retulerunt, Se vi Præpotent. D. D. Ordinum Gener. decreti vicesimo die vertentis Mensis, *per Resumptionem*, ut vocant, instituisse Propositionem Ratihabitionis à Domino Graphiario Musch, ex Auctoritate & jussu Præpotent. D. D. Ordinum Gener. compositæ, uti etiam D. D. Hollandiæ Ordinum Ratihabitionis Propositionem, eo modo, quo *mutatis mutandis* applicari pos-

posset, super Pacis perpetuæ Monasteriensi Tractatione. Quam Ratihabitionis compositionem atque institutionem in Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Concilio propositam Provinciar. omnium Deputati accepturos Se esse declararunt, quo eandem ad Dominos suos principales deferrent, Eorumque super ea sententiam, quamprimum possent, in Concilio traderent.

Insuper etiam Præpotentium D. D. Ordinum Deputati supradicti retulerunt, Se vi Præpotent. D. D. Ordinum decreti vicesimo die Mensis hujusce vertentis, septuaginta Articulos, ab Hispanis admissos, atque ad Induciarum Tractationem propositos cum hujusce Reipub. Plenipotentiarum Instructione contulisse, eumque ad modum instituisse, quo Pacis perpetuæ Tractationi inservire possent. Quibus in Præpot. D. D. Ordinum Gener. Concilio lectis perlectisque, visum fuit, eosdem Articulos jam nunc admittere, atque ad Plenipotentiarios, Instructionis loco mittere, ut, quid in Monasteriensi Tractatione ab Hispanis petendum atque obtinendum sit, è Præpotentium D. D. Ordinum Consiliis, 17. 19. 20. & 21. die propositis confirmatisque, uti etiam ex Eorundem Instructione cognoscere possent.

Denique supramemorati Deputati retulerunt, se secundùm Præpotentium D. D. Ordinum Generalium petitionem, vicesimo die propositam, Celsissimo Arausionens. Principi communicasse, quæcunque in Concilio de Induciarum cum Pace perpetuâ commutatione decreta forent, ac Celsitudinem suam, rerum illarum communicationem majorem in modum sibi gratam esse, declarasse; insuperq; rogasse, num dubia quædam super Religionis Negotio ab Hispanis moverentur; quapropter etiam septuaginta Articulis, multoties memoratis, insertum fuit. Pro quo Celsissimo Arausionensium Principi & supradictis Dominis Deputatis maximæ gratiæ fuerunt actæ.

Eo quoque tempore à Quæstore ab Ylen ad Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Deputatos decimo & nono die hujusce Mensis, literæ fuerunt traditæ, quibus Tractus Trans-Mosani quatuor separatim à se dependere probare conabatur: quibus cognitis perceptisque, suum esse credidit, Easdem Præpot. D. D. Ordinibus Generalibus communicare, atque hanc Quæstoris demonstrationem tradere, quo ejusmodi super eadem consilium inire possent, cujusmodi in rem Patriæ fore arbitrarentur; hisque addidit, Quod si, rebus hoc modo commutatis, omnes Trans-Mosanorum Tractuum reditus fructusque ab hac Parte cessarent, quid cum Fortalitiis, Armamentariis, Muneribus cæterisque rebus in Urbe Trajectensi ad Mosam necessariis ageretur, incertum fore, quandoquidem exsolutionis nummi à Provinciar. Ordinibus petendi essent, qui non maturè petitioni annuendo, & tardè annumerando tamdiu exspectare haud poterunt; Interim tamen ab Ordinibus Generalibus exsolvendos esse, quibus tamen, quo pacto eos persolverent, nullum remedium superesset. Quo perpenso, visum consultumque fuit, ut Articulus tertius amplificaretur, quem ad modum etiam hac clausulâ amplificatus fuit, videlicet; *uti etiam Tractus Trans-Mosani tres, quales sunt, Dalemum, Valkoburgum, & Comitis-Raden.*

Deliberato denique consilio, decretum fuit, ut tertius Articulus hac clausula, *uti etiam Tractus Trans-Mosani tres, quales sunt, Dalemum, Valkoburgum, & Comitis-Raden,*

den, adauctus, conservaretur; utque Præpotentium D. D. Ordin. Gener. Legatis Extraord. & Plenipotentiariis præciperetur, quem ad modum etiam per præsentes iisdem præcipitur, ut omnem operam, curam ac diligentiam eò conferant, quò dictorum Tractuum Trans-Mosanorum trium Auctoritas Summa & Jurisdictio Fœderatis Belgii Provinciis adjuncta maneat; *sic tamen ne Tractatio Universalis ejusmodi clausula alligetur?* Sed verò si supradicti Tractus Trans-Mosani tres à Regis Hispaniarum Plenipotentiariis obtineri nequeant, Negotium tamen illud non omnino dimittant, sed integrum reservent, quo, si Pacis perpetuæ Tractatio conclusa ac confirmata fuerit, *Cameræ Bipartitæ* tradi, atque ab Eadem confici & expediri possit. Ultrajectenses verò Deputati declararunt simul etiam Regestis inseri jusserunt, de Valkoburgo, Dalemo & Comitis-Raden eo modo agendum fore, quo modo de reliquis, eodem Articulo tertio expressis locis, actum decretumque fuit.

Super iis, quæ à Domino Mathenesio, & D. Knuytio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatis Extraord. & Plenipotentiariis relata fuere, decretum fuit declarare, ut, quæcunque inter Præpotent. D. D. Ordinum atque inter Regis Hispaniarum Legatos Extraord. & Plenipotentiarios agerentur & transigerentur, ea omnia ab utraque Parte literis mandarentur ac subsignarentur: Ac quam primum universum Negotium eò perductum foret, ut ad Tractationis formam institui posset, ne hujusce Reipub. Plenipotentiarii ad subsignationem, Regis Galliarum Plenipotentiariis inconsultis seu insciis, procederent; sic tamen, ne illa, quæ cum Hispanis transacta fuerint, pro vera ac reali Tractatione haberetur, prius quam Regi Galliarum, secundùm Fœdera antehac cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. eum ob finem inita, satisfactum fuerit.

Visum quinetiam consultumque fuit, ut Legati & Plenipotentiarii Præpotent. D. D. Ordinum Gener. summa ope niterentur, quo ab Hispanorum Legatis & Plenipotentiariis Chartas, Munimenta, Scripta & Acta quæcunque procedendi, quæ ad Fœderatas Belgii Provincias, Earumve Socios, Civitates, Ordines aut Subditos hominesque privatos, aliqua ex parte pertinent, quæque Avennis, Mechliniæ, sive aliis queiscunq; in locis, Regi Hispaniarum Imperio obtemperantibus, asservantur, à Ministris Ejus peterent.

Visum quoque fuit, ut Consilia super Negotio Monasteriensi, uti etiam septuaginta Articulis, diebus Saturni, Lunæ, Martis, Mercurii & Jovis, decimo & septimo, 19, 20, 21 & 22 die Novembris confirmata, absque ordine certo Regestis insererentur; simul etiam decretum fuit, ut harum rerum omnium exempla Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis mitterentur; Eorum quoque Exemplaria Dominis, D. Hemmenio, D. Catzio, D. Stavenisse, D. Renswoudæ, D. Roordæ, D. Nyekerckio, D. Eybenio, Nomine locoque Provinciarum Gelriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ultrajecti, Frisiæ, Trans-Ysulaniæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque, Eâ lege tamen ac conditione, ut Præpotent. D. D. Ordinum Deputatis, quotiescunque libitum fuerit, eadem in Concilio perlegere integrum sit.

Postquam ea, quæ D. D. Ordinum Hollandiæ Deputati in Præpot. D. D. Ordinum Gener. Concilio proposuerant, penitius perspecta essent, visum consultumque

que fuit *diem supplicationis*, per omnes & singulas Fœderati Belgii Provincias in duodecimum Decembris diem, qui dicitur Mercurii, Stylo novo, decernere; quo Pacis perpetuæ cum hujusce Reip. Hostibus *(divino humanoque honestatis Iure salvo)* progressus atque eventus felix faustusque à Deo Optimo Maximo impetrari posset.

Ordinarii & Extraordinarii D. D. Ordinum Zelandiæ Deputati rursus iis rationibus, quæ tali Negotio inservire possent, exhibuerunt, ac declararunt, perquam necessarium esse, quod si ab Hispanis Commercia ac Navigationes in Indiam Occidentalem mutuæ nullo modo impetrari possent, ut Præpotentes D. D. Ordines Generales tali casu stipularentur, quo Hispani non ea duntaxat loca, Indiæque Occidentalis partes, quas Præpotentes D. D. Ordines in India Occidentali ac Brasilia tenent, & quæ Indiæ Occidentalis Societati in iisdem regionibus seu vi seu fraude à Portugallis surrepta sunt, relinquere cogantur, neque aliquas eòdem Navigationes armata manu instituere, quo Commercia exercere possint; Sed ea quoque, quæ Portugalli jam nunc in India Occidentali Brasiliaque milite præsidiario asservant. Huic petitioni ut reliquarum Provinciarum Deputati annuere vellent, rogarunt, utque Præpotent. D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis Monasterii agentibus, simul cum reliquis Articulis punctisque indicaretur, petierunt. Quam petitionem reliquarum Provinciarum Deputati altiori examini subjecerunt; eò fine, quo proximo Ordinum Hollandiæ conventu publico Deputantium suorum super Eadem Sententiam traderent.

Quibus peractis, D. Mathenesius & D. Knuytius, ut Monasterium reverti vellent, rogati fuerunt; eaque propter vicesimo & septimo die Novembris è Concilio discesserunt.

Dum in omnibus Fœderati Belgii Provinciis Hagæque Comitis à vicesimo & septimo die Julii res supra memoratæ peraguntur, Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii nequaquam tempus suum in otio transegerunt; quippe omni studio, curâ ac diligentia huic soli incubuerunt, quo Regis utriusque, incommoda & difficultates suo interventu componerent; quæ quidem ut paucis complectar, tenendum est, quod Regis Galliarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii decimo die Septembris Præpotent. D. D. Ordinum Plenipotentiarios visitantes, de frivolis exiguisque Hispanorum oblationibus questi fuerint, adeo ut Tractatio jam minus minusq; procederet; *Se*, (Gallos sc.) *quidquid armis belli ceperant, retinere cupere; ac majores quidem petitiones, Navarram, Arragoniam, Neapolim, Siciliam & Mediolanum concernentes, instituere, ac postmodum gradatim descendere potuisse, mercatorum vero more agere noluisse.*

Præpotentium D. D. Ordinum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii firmiter sibi in animum inducentes, rem omnem inter Gallos & Hispanos facili Negotio componi posse, omnes nervos intenderunt suos, quo tantæ rei eventum tam exoptatum consequerentur. Apud Hispanos quidem nullâ certiore atque solidiore ratione uti potuerunt, præterquam quod dicerent, *Omnem inter Hispanos & Præpotentes D. D. Ordines Generales Tractationem nihili fore, ni pari quoque passu inter Regem utrumque concluderetur.* Gallis autem petitionum moderamen summopere commendarunt; simul etiam addiderunt, Hollandiam omnibus fermè facultatibus

tatibus destitutam atque exhaustam animum ad pacem, non vero ad bellum sive Copiarum eductionem adjecisse.

Eodem quoque tempore, prout in mandatis acceperant, Osnabrugis Intercessionem suam obtulerunt, tam quoad Religionem Palatinorum, quam Pomeranorum, Hassiæque Land-Gravii satisfactionem. Osnabrugis autem, tam à Suecorum quam Cæsareorum Legatis, omni honore, dignitate & magnificentiâ, quantâ fieri potuit, excepti fuerunt: quod verò ad rem ipsam attinet; & Gallorum & Suecorum Legati tacitè innuebant, quod si Præpotentes D.D. Ordines General. similem in modum arma sua Cæsareæ Majestati adversa habuissent, intercessionem suam majoris ponderis fore.

Nihilo minus tamen utrique intercessio grata atque accepta erat, & compositionis spes magna affulgebat. Suecorum Legati, Se Pomeraniam non à Principe Electore, sed à Cæsareâ Majestate (qui tamen alio quodam loco seu dominio Principi Electori satisfacere cupiebat) petere atque accipere ajebant.

Negotium vero Palatinatus universum in solos Britannos derivabant, dubitabant tamen, num ejus rei causa Galli bellum continuarent ad defensionem & propugnationem Viduæ Hassiæ Land-Gravii: Ipsi, quod possent, porro promittebant.

Hæc causa fuit ob quam, ut externè apparebat, Osnabrugas peterent: reipsa autem ut cum Gallis de Negotio universo agerent, Eosque ad maturam cum Hispanis conclusionem adducerent.

Res utriusque, cùm Cæsaris in Germaniâ, tum Hispaniarum in Belgii Provinciis, ad extremum redactæ fuerant. Bavariæ Princeps Elector, Suecorum transitu Danubii atque in Bavariam invasione perterritus, indicium faciebat clarissimum, Semetipsum atque agros suos singulari aliqua Tractatione tanto periculo eximere coactum esse. In Belgii quoque Provinciis Duynkercæ Antverpiæque expugnationem jam veluti ante oculos cernebant; si modo Præpotentium D.D. Ordinum Copiæ, quam Galli intenderant, expeditionem suam instituissent.

Eâ propter igitur Hispani, suasu ac consilio Cæsaris, quæcunq; possent, omittere, & Gallorum oblata accipere, decreverunt, quo Pacis Tractatione veloci, quidquid in Belgii Provinciis haberent reliquum, conservarent: quippe quæ hactenus Hispani Gallis obtulerant, & pauca & exigua erant; existimantes, omnes difficultates suas antehac obortas Tractationibus ac Fœderibus confirmatis sancitisque à Tractatione Madricensi ad Cameracensem & Verwijncensem usque solutas & expeditas esse; atque ab illo tempore, quotiescunque inter Se convenissent, quidquid sibi mutuo armis belli eripuerant, redditum ac restitutum fuisse; Adeò ut Hispani declararent, Se ne hoc quidem tempore aliâ lege ac conditione agere posse, quam quo erepta cuique, à Fœderis dissolutione, oppida restituerentur. Et Galli profectò, quantumcunque ab Hispanis evicerant, ne minimum quidem ab Hispanis Tractando consequuti fuissent; quod si Præpotentes D.D. Ordines Generales seorsim à Gallis cum Hispanis conclusissent. Quod etiam si Hispani jam diu intenderant, nihilo minus tamen, quum, hoc præsertim tempore, res se aliter habere non possent, & partim Fœderati Belgii Provinciarum Ordinibus (cum quibus summam confidentiam atque Amicitiam componere

nere

nere ſtudebant) omnem honorem & reverentiam exhibere; partim etiam Gallorum ſegnes moras rumpere ſive ad ruborem (ut dicebant) adigere coacti fuere, eo quod Ipſimet Hiſpani Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Hoſtium ſuorum, arbitrio judicioque permitterent, quaſcunque cum Gallis difficultates liteſque infectas haberent; quibus (ut ajebant) animum ſuum ac propenſionem ad Pacem commonſtrabant. Præpotentium autem D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii, quamvis ab Ipſis quoque Mediatoribus ad hoc invitati eſſent, ejuſmodi tamen *Compromiſſum*, ut vocant, haud libenter ſuſceperunt; partim, quod omnis ab Hoſtibus queiſcunque Amicitia ac Reverentia nonnihil ſuſpicionis habeat; partim etiam, quod Galli querelas ſuas cum ſuper infecta Præpotentium D. D. Ordinum Copiarum expeditione, tum ſuper mutuâ Articulorum ſeptuaginta ſubſignatione antehac inſtituerant; poſtremò denique, quod ex hac Interceſſione Plenipotentiarii nihil niſi repulſam ferre, ac Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. præjudicium afferre poſſent. Interim tamen (quamvis ejus rei peragendæ nullâ poteſtate muniti eſſent, neque præter Dominum Pauw, D. Doniam & D. Clantium quiquam alii adeſſent) ad Negotium illud capeſſendum adduci ſe paſſi fuerunt. Quapropter etiam tanto ſtudio incubuerunt, ut ante Septembris exſpirationem univerſum Negotium eouſque perduxerint, ut literis ſuis expreſſerint, Se præcipua difficultatum capita jam penitus confeciſſe, atque ab utraque Parte judicio ac ſententiæ ſuæ relicta & permiſſa eſſe; adeò ut minimè dubitarent, quin univerſum Negotium brevi temporis ſpatio, quinimo breviori, quam quidem efferre auderent, conficere atque expedire poſſent. Quapropter etiam Collegarum ſuorum adventum celerrimum expetebant, quò cum Hiſpanis quoque proprias difficultates ſuas abſolverent, ſimulque univerſam Tractationem concluderent.

Tanti Negotii confectionis ſpes maxima Ipſo quoque initio Octobris affulſit; ſic tamen, ut jam de omni hoſtilitatis ceſſatione ageretur, utrum à primo ſubſignationis, an vero Ratihabitionis Commutationis die initium caperet. Quin & Ipſi quoque Hiſpani, poſtquam Præpotentes D. D. Ordines Generales Induciarum Articulos cum Pace perpetua commutare velle percepiſſent, ut Negotium illud accelerare vellent, majorem in modum rogarunt. Ac quoniam loca in Catalonia à Gallis occupata Tractatione duntaxat (ad æquale cum Præpotentibus D. D. Ordinibus tempus) Induciarum Majeſtati Suæ Galliæ propria eſſent manſura, Idcirco ejuſce rei expediendæ remedium inventum atque excogitatum fuit. In eum denique locum res omnis perducta fuit, ut de iis quoque, qui ut Socii atque Amici eidem Tractationi infererentur, verba facerent.

Præpotentium autem D. D. Ordin. Legati & Plenipotentiarii nihil quidquam de Interceſſione ſua, aut quem in locum res ipſa jam perducta foret, indicarunt, ſed terminis generalioribus de eadem ad ſuos ſcripſerunt. Quod etiamſi ab utraque Parte ſibi majorem in modum commendatum fuiſſe dicerent, Præpotentium tamen Ordinum adverſus Semetipſos odium Sui ob eam rem concitarunt Idque eo magis, quod Regis Galliarum Reſidens Braſſetius, eodem ferme tempore, cum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii rem propè univerſam inter Gallos & Hiſpanos compoſitam ſcriberent, tam Memorialibus, quam

sermonibus suis contrarium affirmaret, & rem ne tam prope quidem confectam esse diceret. Utrumque à veritate non alienum, ac res omnis confecta atque infecta erat: quippe Hispani Gallis, quidquid tenerent, concesserant. *Induciarum*, saltem ad tempus aliquod exiguum Portugallis *concedendarum*, atque *auxilii* dehinc Regno huic *ferendi* quæstio sola restabat; Insuper etiam *D. Duarti relaxatio*, & qua lege ac conditione; locorum *in Cataloniâ munitio*, quæ Induciarum tempore institueretur; *terminorum* cum in Cataloniâ tum in Belgii Provinciis divisio infecta adhuc erat. Sed vero de *Lotharingiâ* paucis actum fuit. Cum igitur Pars utraque, altera pluribus, alterâ paucioribus verbis coram Præpotent. D D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis, Se Pacem majorem in modum expetere, *neque propter difficultates reliquas Pacis Negotium dissoluturos esse, dicerent*, verè Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. literis suis exarare licebat, haud exiguam quidem, quinimo haud dubiam Conclusionis spem datam esse; siquidem Pars utraque vera prædicasset, *Pacis se. Negotium propter difficultates reliquas se neutiquam dissoluturos esse.* Verum ab alterâ quoque Parte D. Brassetius ejusce contrarium dicere poterat: quippe Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii, Monasterii agentes, ab unâ Parte spargebant, Se eventum obsidionis Duinkercæ in Flandriâ ac Leridæ in Hispaniâ exspectare; eoque voluntatem suam plura ac majora occupandi facillimè accendi posse; ab alterâ vero Hispani, se quidem, ubi Duinkercâ Galli potiti essent, cum Præpot. D. D. Ordinibus Gener. pacem inire cupere, bellum vero cum Gallis continuare necesse habere.

Sueci quinetiam & Galli, ingenti exercitu Bavariam Mense Octobri invadentes, majora se dehinc effecturos, Bavariam saltem cæteraque Ligæ membra à partibus Cæsareis retracturos, eoque pacto Domui Austriacæ, tam in Germania, quam in aliis locis, insignem calamitatem, si non universam perniciem, illaturos esse sperabant.

Principio quoque Novembris haud exigua inter Gallos & Hispanos difficultas, de Portu Longonæ & Piumbini, simul etiam de præsidio Casaliensi, oborta fuit. Sed vero id non alia de causa factum, quam quod Galli majorem in modum Suecis devincti tenebantur, neq; Portugalliam deserere volebant; quapropter etiam varias paulatim petitiones instituebant; nimirum de Philippoli, Carolo-montib. & Mariæ-burgo Principi Leodiensi restituendis; Insuper etiam de Dominis nonnullis, adversus quos jam ante Annum 1635. sententia lata fuerat, relaxandis; deque rebus aliis: quam ob rem Penerandæ Comes, animo incenso postmodum dixit, *Quidvis ferre possum, quam Gallorum insolentiam*; Insuper etiam: *Potius occidemus parentes, suspendemus uxores, comburemus templa, vendemus calices, quam Gallorum protervia subjecti fiamus, &c.* Sed vero Gallis & jure & lege Tractatuum, nondum conclusorum aut confirmatorum, plura semper ac majora postulare integrum erat.

Tantâ igitur Tractationi, atque inter Gallos Hispanosque intercessioni morâ interjectâ, Hispanorum Legati & Plenipotentiarii octavo die Novembris, Præpotentium D. D. Ordin. Gener. Legatos & Plenipotentiarios visendi causa convenerunt, simul etiam nonnihil questi fuerunt, *tantas Tractationis moras cum in Germania, tum in Italiâ pejorem in partem raptas fuisse*; *se Præpotentium D. D. Ordinum*

Gene-

Generalium Legatos & Plenipotent. solos (Mediatoribus reliquis semotis) *consque Tractationi admisisse, neque eventum aliquem apparuisse: Seque eâ de causâ insimulatos fuisse, ac si Pacem nullo modo expeterent: ac proinde quoque tam Catholicos, quam Protestantes Principes Electores Germaniaque Ordines apud Cæsareæ Majestatis Ministros institisse, ut seorsim ab Hispanis Tractatio concluderetur ac confirmaretur*, quod postmodum etiam contigit: *Mediatores quinetiam doluisse, quod à rerum omnium cognitione, ob quam tamen primario advocati essent, longissimè semoti haberentur. Se denique neque Regi Suo, neque Ejusdem Ordinibus tanta mora Tractationi injecta, imprimis vero Tractationis inter Hispanos & Præpotent. D. D. Ordines Gener. instituta, satisfacere posse.* Pluribus deinde ac variis sermonibus satis superque innuebant, cupere Se, ut Præpot. D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii acrius apud Gallos instarent, quo tandem Intercessioni finis exoptatus imponeretur; hoc si diebus post pauculis minus ex sententiâ succederet, Se nihilo minus tamen Pacem Universi Belgii Provinciis effectam reddere, cumque Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis, seorsim à Gallis, agere, majorem in modum cupere. Hoc, utrum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. acceptum gratumque foret, cognoscere volebant, quò res suas omnes eòdem dirigere possent. Ad hæc Præpot. D. D. Ordinum Gen. Legati & Plenipotentiarii promiserunt, se hac quoque vice pòstremâ, quidnam ponderis apud Gallos verba sua haberent, periculum esse facturos. Ad privatam vero Tractationem quod attineret, eadem, quæ antehac, retulerunt: Se autem, Dominum Mathenesium, D. Meynersvicium & D. Knuytium, Collegas suos, ad dies singulos, cum mandato atque Auctoritate Inducias cum Pace perpetuâ commutandi, cæterosque, necdum concessos, Articulos peragendi componendique, exspectare.

Decimo itaque die Novembris Præpotentium D.D. Ordinum Gener. Legatis Extraord. & Plenipotentiariis Intercessionis munere fungentibus, Galli *Ligæ cujusdam Securitatis* mentionem fecerunt, quâ Hispanos, Pacis observationi ac conservationi, siquidem ea ex sententia confirmaretur, obligari atque obstringi volebant. Secundò, Portugallos eâ Tractatione quoque comprehendi cupiebant: postremò, difficultatum inter Indiæ Occidentalis Socios & Portugallos in agro Brasiliensi obortarum compositionem ac decisionem etiam atque etiam commendabant.

Hispanorum vero Legati & Plenipotentiarii ex utriusque hujus Articuli propositione facillimè videri posse, Gallos à Tractationis conclusione maturâ animum quam maxime alienum habere, dicebant.

Quippe novam aliquam *Securitatis Ligam* cum Hispanis ineundi Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii nullam auctoritatem vel potestatem acceperant: quinimo Dominus Servientius eâ potissimum de causâ Hagam-Com. Mense Januario adveniens, semestrem prope, Negotium illud expediendo, consumpsit, haud exiguis sanè altercationibus obortis, quousque Præpotentes D. D. Ordines Generales Gallorum causis obstricti obligatique tenerentur.

Portugallorum quoque inclusionem quod spectaret, dissensiones ac simultates inter Indiæ Occidentalis Socios & Portugallos tantopere jam tum accreverant, ut tam brevi temporis spatio vix confici aut componi possent; quippe Indiæ Occi-

Occidentalis Socii, præter locorum sibi à Portugallis fraude ac dolo interceptorum restitutionem, *bis centena supra octoginta florenorum millia*, quibus damnum sibi illatum resarciri posset, petebant.

Plura autem de Intercessione & Tractatione inter Gallos ac Hispanos inceptâ, eâ narratione, quæ Mense Januario proximè venturo, Hagæ-Com. per Dominum Philippum Regium proposita fuit, nec non ex relatione Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiariorum quorundam habitâ, cognosci poterunt.

Tractationi itaque & Intercessioni inter Gallos ac Hispanos hoc pacto per Mensem Novembr. & Decemb. morâ injectâ, vehementer etiam atque etiam laboratum fuit, quò Suecis, Gallis Hassisque satisfieret. Sueci autem Pomeraniam restituere nolebant, at Princeps Elector Brandenburgensis cœpto desistere recusabat. Adeo ut Serenissimus Princeps Elector eâ potissimum de causâ Hagam-Com. pervenerit, Matrimonium cum Loysia, Celsissimi Arausionensium Principis Frederici Henrici Filia natu maximâ, contraxerit, & Præpot. D. D. Ordinum Gener. Amicitiam ac Societatem per Fœdus aliquod expetierit.

Dominus Plettenburgi Cæsareæ Majestatis, & Dominus St. Germani Regiæ Majestatis Galliæ Nomine ac loco Mense Decembri Hagam-Com. eo fine pervenerunt, quo veram denique Serenissimi Principis Elect. Brandenburg. sententiam de expeditione, quæ ad Celsitudinis Suæ & Suecorum satisfactionem fuerat adhibita, cognoscerent; nimirum de universa Pomerania Suecis tradenda, aliqua tamen Pomeraniæ Superioris parte excepta, quæ Serenissimo Principi Electori simul cum Jurisdictione Halberstadiensi reliquisque Ditionib. redderentur. Ac quoniam Serenissimus Princeps Elector Ejusdemque Ordines se Pomeraniam neutiquam reddituros esse spargerent, quem in finem etiam à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. serias intercessiones per literas apud Suecos (quas per legationem fieri maluissent) impetraverant; tandem tamen Serenissimus Princeps Elector Brandenburgensis Sese iis accommodare necesse habuit.

Dominus Meynersvicius, D. Mathenesius, & D. Knuytius, postquam ultimo die Novembris, ut supra commemoravi, cum nova agendi auctoritate & potestate Haga-Com. discessissent, atque initio Decembris Monasterium advenissent, ab omnibus Legatis & Plenipotentiariis Ministrisque excepti fuerunt, cum demonstratione summæ expectationis, in qua hactenus apud omnes fuissent. Hispani, quorum maximè intererat, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraord. & Plenipotentiarios simul invisentes declarabant, ad aures Suas accessisse, novos quosdam, & de quibus hactenus mentio nulla facta fuisset, Articulos à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. propositos iri; quocirca in antecessum hæc præmonebant, Se alios Tractationis Articulos, supra quos in Hispaniam miserant, & de quibus agendi mandatum acceperant, concedendi nulla potestate nullaque auctoritate munitos esse; neque novos Articulos admittere, neque rerum & fortunarum suarum statum permittere posse, ut eorum causâ ad Regem Suum literas scriberent tempusque hoc pacto consumerent, quod tamen præmonuisse se antea dicebant, Regemque Suum absque morâ ullâ alterutrum eligere debuisse. Haud dissimilis quoque, licet aliis terminis, à Regis Galliarum Lega-

Legatis Extraord. & Plenipotentiariis detectio inter visitandum facta fuit, nimirum res suas in eum redactas esse locum, ut tributa atque onera quædam, in belli dispendium, Majestas Sua Galliæ propediem imperare decreverit, quo facto, de Pace agere frustra fore; quapropter etiam necessarium esse ducebant, aut Tractationi Gallos inter & Hispanos finem quamprimum imponendum, aut de Pace nequidquam postmodum cogitandum, sed novos Articulos Hispanis expectandos esse. Ad hæc accedebat etiam, quod Ducis Mantuani Legatus, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos & Plenipotentiarios visendi gratia conveniens, indicaverat, Se Gallorum Legatos, sive ad Tractationis confirmationem, sive ad ejusdem dissolutionem, promptos ac paratos comperisse; Eaque propter majorem in modum rogaverat, ut Domini Sui Deputantis res causasque Intercessione Sua ad finem, quam possent optimum, perducerent.

Hanc ob causam igitur duodecimo die Decembr. Regis Hispaniarum Legatos Extraord. & Plenipotentiarios visitando, propiorem Præpotentium D. D. Ordinum Generalium de *Induciarum cum Pace perpetuâ* commutatione animum coram exposuerunt, simul etiam septuaginta Articulos cum eorundem commutatione atque adjectione *Paci perpetuæ* destinatos, tradiderunt, nec non mandata quædam singularia exhibuerunt, quibus demonstrare voluerunt, Se nequidquam dilationis cupere, sed vel quamprimum universi Negotii Summum accipere idque confestim absolvere promptos paratosque esse.

Idcirco etiam Dominus Brun Regis Hispaniar. Plenipotentiarius cum duobus aliis Deputatis Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarios postridie ejus diei convenit, iisque indicavit, Se, cum Collegæ Sui omnes, quæcunque exarata à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis pridie accepissent, perceptis perpensisque, haud aliud, quam Induciarum cum Pace perpetua commutationem simplicem, expectarent, comperisse tamen *novos & magni ponderis Articulos, prioribus vel additos vel desumtos esse. Imprimis autem eos, quibus de superioris Gelriæ Tractus Consolidatione, tribus quinetiam Trans-Mosanis tractibus agitur, nec non de rebus in Sylva-Ducensi Majoratu Ecclesiasticis Articulum penitus omissum esse*; quos quidem non alia lege ac conditione admissos fuisse dicebat, neque supra eos quidquam sibi agere licere, reliquos autem Articulos binos adeò absurdos adeoque iniquos esse, ut nullâ ratione proponi vel postulari possent: Articulum quoque Indiam Occidentalem concernentem hoc modo propositum, nimirum, *ut Indiæ Occidentalis Societati, aut quibus placeret, liberè secureque eodem Navigationes instituere omnibusque locis Commercia exercere integrum foret*, Privilegiis Hispanorum fundamentalibus penitus adversari, idque ea de causâ in omnibus cum Serenissima Magnæ Britanniæ Regina, uti etiam cum Majestate Sua Daniæ non tantum salvum atque integrum sibi reservatum, sed ne *Arragoniæ* quidem, *Portugalliæ*, *Belgiique* Incolis Majestatis Suæ subditis licitum permissumque fuisse, neque cuipiam permitti posse. Quod si vero ejusmodi postulatis insistere vellent, sibi demandatum fuisse ut declararent, *Regis Hispaniensis Plenipotentiarios de iis nullo modo acturos, omnique Tractatione ulteriore destituros, Præpotentium D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis quæcunque haberent reddendo, suaque scripta omnia, quæ antehac Præpotentium D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis tradiderant, recipiendo. Se denique rem omnem*

Cœlesti Numini commissuros esse. Sed vero, quod si Præpotentes D. D. Ordines Gener. Articulos, hactenus Induciis destinatos, cum Pace perpetua commutare in animo haberent, quamvis Majestas Sua nimium ipsis concessisset, ac, Pacis Tractatione succedente, alia quadam postulata non sine ratione proponere licuisset, nihil quidquam à Parte Suâ in dictis Articulis aut commutatum aut renovatum iri, sed continuò se cum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis Negotium suscepturos & confecturos, eoque perpetuæ Amicitiæ & Societatis mutuæ inter Statum utrumque fundamentum jacturos esse.

Suprememoratus Dominus Brun alios hisce sermones proposito suo inservientes superaddidit, atque humanissimis ubique loquendi formulis usus, Dominorum Suorum Deputantium animum, de firmo ac perpetuo cum Præpotent. D.D.Ordinibus Gener. Fœdere incundo, & antehac fuisse, atque etiamnum sincerum fidumque existere: at vero nunquam Dominos Suos Deputantes cum tanto Regis sui præjudicio Ejusdemque honoris ac dignitatis imminutione acturos esse. Neque, ut ejusmodi quid à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. peteretur, expectasse; Ac quoniam nonnihil doleret, Tractationem hanc infectam iri, idcircò Deputantes Suos ad ultimum expectasse, neque diutius jam nunc expectare posse, eo quod rerum suarum conditio aliter dirigenda esset, quod si Tractatio præsens dissoluta foret. Eapropter quoque, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii mentem suam plenius explicare, ac rationibus æquis honestisque concedere vellent, iterum iterumque rogavit; simul etiam, ne aliis talium quoque petitionum insolentium exemplum præberent, petiit, quibus id ipsum, quod à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis exstructum fuerat, funditus everti posset. Postquam Præpotent. D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii ad ea respondissent, nihil quidquam se novi proposuisse, præterquam quod ex ipsis Articulis prioribus redundasset, vel ab iis dependisset, quodque Salvum sibi atque integrum semper voluissent; se denique articulatim universum Negotium agere, ac rationibus honestis æquisque cedere promptos paratosque esse. Quapropter etiam propius de re universa postero die agere decreverunt.

Varii autem Conventus ac Disputationes tam super Articulis adversis componendis, quam extendendis, ultro citroque habitæ fuerunt. Adeò ut sermones de Tractatione dissolvenda prorsusque omittenda inciderent: quibus non obstantibus, tantâ tamen diligentiâ ac sedulitate ab utraq; Parte laboratum fuit, ut in omnibus ferme punctis adversis quidquam compositum sit; inter quæ Indiæ utriusque Orientalis & Occidentalis Negotium tantâ quoque difficultate oblatum fuit, ut eventus ejus in dubium veniret, eo quod Hispanis Negotium illud tantopere cordi erat, ut omne ferme & singulum verbum examinarint ac sedulò perpenderint: quibus Conventibus, Extensionibus, & Commutationibus ad vicesimum & septimum diem Decembris occupati fuerunt. Sub cujus tamen finem cum Hispaniarum Regis tum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraord. & Plenipotentiarii utrique de omnibus ac singulis Instructionis Suæ, ad Pacem sibi concessæ, Articulis inter se mutuo convenerunt. Gelriæ duntaxat superioris Tractus Consolidatione excepta. Cui quidem Negotio quamvis nervos omnes intendissent, nihil tamen quidquam impetrare potuerunt, eò quod Hispani ne minimam

nimam

nimam quidem istius propositionis partem concedere volebant. Quapropter etiam cum hac petitione, tum moderamine ab Hispanis super rebus Ecclesiasticis, in Majoratu Sylvæ-Ducensi, atque alibi, secundùm tertium & decimum octavum Articulum proposito ac prætenso desistere necesse haberent. Quibus tamen Articulis antehac concessis Hispani institerunt, ac, demonstrationum & persuasionum nullo respectu nullaque ratione habitâ, immutati permanserunt, utpote qui antehac sæpenumerò declarassent, non tantum contrarium sibi mandatum perceptumque fuisse, sed nullam quoque spem affulgere, quò ejusmodi auctoritate à Rege suo præmunirentur; Idque multò magis, quod omnia Regis Sui privilegia, & jura antehac eâ lege concessissent, neque se alia concessuros, sive Tractationi inseri permissuros esse: Ac quoniam Præpotentes D. D. Ordines Gen. ne respectu prioris Articuli superioris Gelriæ Tractum concernentis, Tractationem dissolverent, præcepissent,sed vero, ut posteriori Articulo insisterent, Legati Nostri, quantum potuerunt, in eodem permanserunt; at postquam rem non ulterius promovere possent, Præpotentes D. D. Ordines Gen. de eâ re certiores reddere necesse habuerunt; addentes, se omnia & singula puncta Articulosque, hoc uno de rerum Ecclesiasticarum moderamine excepto, absolvisse; neque in animum sibi inducere potuisse, prout universum ab initio Negotium apparebat, eousque promoveri potuisse; Idque propter varias ac multimodas contradictiones & difficultates, super plurimos eosque primarios Articulos obortas, quod Hispanorum Plenipotentiarii ad illum usque diem existimassent, quamvis *Induciarum* Tractatione plurimam eorundem partem concessissent, Tractatione Pacis perpetuæ quam longè aliter se habere prædicabant, atque alio plane modo disponenda & transigenda esse, idque propter non ferenda præjudicia, quæ inde ad se plurimâ ex parte reditura esse arbitrabantur; à quibus tamen omnibus, crebris Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legator. instantiis simul ac petitionibus, ut tandem Pacis perpetuæ finis exoptatus obtineri posset, sapienter prudenterque aversi fuere, Moderamine duntaxat rerum Ecclesiasticarum Hispanis salvo atque integro manente.

Hoc autem *Moderamen* summopere Hispani urgebant, simul etiam variis circumstantiis, nimium à se hocce Negotio conficiendo temporis consumptum querebantur, & Regis Sui res fortunasque haud longiores moras pati posse, Eumque hoc illudve decernere debere, jamque Matrimonii Tractationem, & Belgii Provinciarum traditionem Regno Galliæ omittere; quæ tamen quantum Tractatio Præpotentibus odii quantumque indignationis addidisset, non ignorabant. Præpotentium itaque D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii ad Deputantes Suos scripserunt, utrum Moderaminis hujusce causa Tractationem cum Hispanis confirmarent an vero dissolverent. Interim tamen, de quibus cum Hispanis convenerant, ordine Suo disponi formulisque solennibus ad subsignationem præparati jusserunt. Sed postquam jam ea, quæ dixi, inter Hispanorum & Præpotentium D. D. Ordinum Legatos & Plenipotentiarios acta & transacta omnino essent, uti quoque ultimus Articulus, de quo hactenus controversum fuerat, vicesimo & sexto die ad multam vesperam per utriusque Partis Deputatos post varias disputationes decretum fuisset, ut vicesimo & septimo die, tempore matu-

matutino, Collegialiter in Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotent. Hospitium conveniretur, decretum fuisset, quo sibi mutuo Declarationem proponerent, simulque Articulorum omnium descriptionem curarent, Regis Galliarum Plenipotentiarii Præpotent. D. D. Ordinum Plenipotentiariorum colloquium summo mane postularunt, postquam pridie ejus diei, tempore pomeridiano, Domino Servientio, Hagam-Com. discedenti valedixissent, &, quæcunque cum Hispanis hactenus gessissent, quorum tamen plurima ipsis displicebant, multis enarrassent. Ac quamvis Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarii Hispaniarum Regis Legatis & Plenipotent. colloquium ante concessissent, non tamen ideo Galliarum Regis Legatis & Plenipotentiariis idem denegare voluerunt, Eosque statim intromiserunt, utque Hispaniarum Regis Plenipot. adventum suum in tempus pomeridianum differre vellent, rogarunt. Regis Galliarum Legati, postquam introducti essent, coram Præpotentium D. D. Ordin. Legatis & Plenipotentiariis declararunt, Eorundem cum Hispanis Tractationem ulterius quam Suam productam promotamque esse, quapropter etiam petierunt, ne vel Tractationi, vel Scriptis queiscunque subsignando procederent, sed vero tam diu tractando subsisterent, donec Ipsi quoque Tractationem Suam cum Hispanis eousque promovissent, eaque propter omnia, in quo nunc essent loco, relinquerent; quibus tum Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarii, Se non dubitasse, responderunt, quin Gallorum cum Hispanis Tractatio eò quousque Sua promota foret; insuper etiam, neque Tractationem ullam Se conclusuros esse, nisi Gallorum simul Tractatio conclusa ac confirmata esset; non tamen Se otiosos existere posse, quin Articulos, de quibus cum Hispanis extra Tractationis formam jam nunc convenissent, eousque conficerent atque expedirent, quo Partis Utriusque mens plenissimè pernosci & certi quid decerni posset; denique ut Deputantibus Suis eorum omnium, quæ hactenus gessissent, rationem reddere possent. Quod tamen ex Deputantium Suorum sententia ac voluntate effectum reddere, multò autem minus, quæcunque infecta mansissent, indicare ullo modo possent, nisi concessos jam Articulos confirmassent, atque in Partis Utriusque satisfactionem subsignassent; quibus etiam subjungenda atque inserenda essent ea omnia, de quibus postmodum conveniretur; non autem in Tractationis formam debitam reducenda, priusquam Regis Galliarum cum Hispanis Tractatio in eundem locum redacta foret, ad quod omnem operam suam ac diligentiam, ut hactenus, conferrent: interim tamen Deputantium Suorum mandata super iis, quæ per literas indicassent, exspectarent; offerentes ac promittentes, Se omni ex parte secundùm Fœdera & Tractationes ante hunc diem cum Gallis initas sancitasque fideliter acturos esse. At vero Gallorum Plenipotentiariis in hisce acquiescere neutiquam placuit, sed verbis superbis coram Præpotent. D D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis uti, eo quod Præpopotentium D. D. Ordinum Generalium Legati dixerant, Se Tractationem cum Hispanis, quibus colloquium ac conventum permiserant, tali modo abrumpere vix posse, quò Negotium Suum in dubium venire, Dominosque Suos Deputantes incertos reddi necesse foret eorum omnium, quæ vel hactenus effecta, vel infecta existerent.

Hoc autem colloquio sine effectu ullo dimisso, Regis Hispaniarum Plenipotentiarii

tentiarii ut constitutum fuerat, tempore pomeridiano Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarios convenerunt, cum quibus ea, quæ pridie ejus diei per Deputatos Suos acta fuerant, perpenderunt, atque ea ab utraque Parte acceperunt & confirmarunt: visum quinetiam fuit, quemadmodum jam à principio decreverant, ut quæcunque agerent vel transigerent, in ordinem formamque debitam redigerent, atque in Partis utriusque securitatem subsignarent; Inter hæc autem Præpot. D.D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii declararunt, *Se ad Tractationis Conclusionem nullo modo posse pervenire, nisi cum Gallis Tractatio similiter concluderetur.* Simul etiam difficultatum utriusque Regis infectarum exordium sumpserunt, utque easdem quamprimum conficerent, rogarunt. Ad quæ Regis Hispaniarum Plenipotentiarii longâ orationis serie excusationem sui proposuerunt, simul etiam promiserunt, Se, quæcunque Præpotentium D.D.Ordinum Plenipotentiariorum Intercessione inter Partem utramque acta & transacta forent, cum Gallorum Plenipotentiariis conclusuros ac confirmaturos esse; & quod ad reliqua attineret, Se quoque eadem propositione, quæ ab ipsis Gallis adhibita esset, contentos fore; Sed vero novos Articulos à Gallis interea temporis propositos neutiquam admittere neque de iisdem convenire posse, Eaque propter Tractationem omnem dissolvere, potius quam quidquam ejusmodi concedere voluisse; rogantes, atque obsecrantes, ut Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legati Partis utriusque causam justam injustamque memoriæ mandarent, ejusdemque testimonium redderent; Ac si Galli injustam causam agerent, neque eadem desistere, neque ad Tractationis conclusionem pervenire vellent, ut tum Præpotentium D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii quæcunque hactenus secum egissent, jam nunc penitus conficere vellent; disertis verbis declarantes diutius expectare vetitum sibi prohibitumque fuisse, contra vero alterutrum eligere demandatum. Quibus perceptis, Præpotentium D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii, quantum maxime poterant, verbis humanissimis Eosdem adducere summopere laborarunt, ne Suam cum Gallis Tractationem terminis adeo dubiis exponerent, sed vero rem omnem diligentius perpenderent, Suamque intercessionem ad continuationem admitterent. His itaque transactis, Conventus dimissus fuit. At Præpotentium D. D. Ordinum Legati vicesimo & octavo die, tempore matutino ad Regis Galliarum Legatos & Plenipotentiarios pervenerunt, enarrantes quousque cum Hispanorum Legatis & Plenipotentiariis egissent, rogantes quoque ut ea, de quibus inter Partem utramque conventum foret, hoc modo instituerent, quo veluti confecta jam haberent, & quæ infecta hactenus mansissent, arbitrio Suo Judicioque relinquerent. Quibus etiam addiderunt, Se Hispanis declarasse, nullam Se Tractationem confirmaturos esse, nisi cum Gallis quoque Tractationem Suam confirmassent, quod ut obtineri posset, quantumcunque in se esset officii, eo animo obtulisse, quo idem quoque Regis Galliarum Legatis jam nunc offerebant. Sed neque hæc Gallis satisfacere potuerunt, qui rursus, ne Tractationi cum Hispanis subsignarent, petierunt, donec Suam quoque cum Hispanis Tractationem eum in locum perduxissent; cumque Præpot. D. D. Ordinum Legati ad ea respondissent, Ipsos (Gallos scil.) de punctis Articulisque, de quibus cum Hispanis convenerant, multo certiores esse, eo quod à Se (Præ-
 poten-

potentium videlicet Legatis) istius rei testimonium reddi posset, ut quorum intercessione omnia hactenus gesta essent, Se vero nullam aliam certitudinem Partis Suæ adversæ Negotii, nisi ex ipsa subsignatione habere posse; eoque modo jam ab ipso Tractationis initio cum Hispanis egisse, idque sibi à Deputantibus Suis demandatum fuisse; eâ lege tamen ac conditione, ne hæc omnia ad formam Tractationis transigerent; eumque ad modum etiam facere, neque seorsim, sed simul cum Gallis Tractationi subsignare constituisse; nihilominus tamen Gallorum Legati iisdem necdum acquieverunt; adeò ut Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarii eousque ipsis morem gesserint, ac promiserint, Se ad *dierum octo decemve spatium* omnem cum Hispanis Tractationem intermissuros esse. Quod autem ad intercessionem attineret, ut eandem Præpotentium D. D. Ordinum Legati omni studio ac diligentia continuare vellent, etiam atque etiam rogarunt, eâ spe ac fiduciâ, ut tandem aliquando cum Hispanis de omnibus & singulis Articulis punctisque convenire possent; quod ut obtineri queat, Præpotentium D. D. Ordinum Legati obnixè omnia facturos Se esse polliciti fuerunt: quibus habitis, omni cum humanitate ac reverentia ab utraque Parte exhibitâ discessum fuit. Horulâ autem post Dominus Servientius, qui omnibus rebus hactenus interfuerat, Monasterio Vesaliam indeque Hagam-Com. profectus est.

Quæcunque posterioribus Conventibus inter Hispaniarum Regis & Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos & Plenipotentiarios acta & transacta fuere, ea ex sequentibus, ad formam Memorialis, conscriptis, atque ad Præpotentes D. D. Ordines Generales missis, quò eadem altiori examini subjicerent, imprimis autem rerum Ecclesiasticarum moderamen, &c. satis superque innotescent.

Decimo & tertio die Decembris, Anno 1646. Præpotentium D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis scripta quædam tradiderunt, quibus Articuli septuaginta, antehac Induciarum Tractationi destinati, in Pacis perpetuæ Tractationem commutati erant, idque secundùm decreta atque Instructionem propiorem, vicesimo & secundo die Novembris tandem confirmatam, superiorib. vero insertam; In fine autem septuaginta Articulorum tertii Articuli nulla omninò rerum Ecclesiasticarum in Majoratu Sylvæ-Ducensi, Marchionatu Bergozomiensi, Baronatu Bredanensi aliisque in locis Moderaminis mentio facta fuerat.

Decimo & quinto die Decembris Anno 1646. Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii ad septuaginta Articulos cum Pace perpetua commutatos per Scripta quædam responderunt, quibus Articulo tertio sequentia exposuerunt: *Nequidquam commutare licet eorum, quæ sub finem Articuli tertii de rebus Ecclesiasticis in Majoratu Sylvæ-Ducensi inserta fuerunt.*

Ac quoniam Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii instarent, nullam quidem supradicti Moderaminis mentionem fieri oportere, Eapropter Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii decimo & octavo die Decembris, Anno 1646. sequentia proposuerunt; Quod ad rerum Ecclesiasticarum Moderamen attinet, illud ipsum infectum manebit, donec Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. exhibitum fuerit, propterea quod Regis Hispaniarum

niarum Legati & Plenipotentiarii declarant, *Se dicto rerum Ecclesiasticarum in Majoratu Sylva-Ducensi, Marchionatu Bergozomiensi, & Baronatu Bredanensi Moderamine, de quo Articulis septuaginta commemoratum fuit, nullo modo destituros esse, neque etiam posse.* Quandoquidem autem Regis Hispaniarum Legatorum & Plenipotentiariorum Articulum Præpot. D. D. Ordinum Plenipotentiarii admittere nollent, idcirco Regis Hispaniarum Legati sequentia eidem Articulo inseruerunt: *Nisi forte remedium aliquod commodius excogitari atque inveniri posset.*

Vicesimo & septimo die Decembris Anno 1646. omnes & singuli Articuli in Pacis perpetuæ Tractationem conversi, admissi concessique fuerunt. quoniam vero Præpotentium D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii eum in modum, quem jam à principio seriò urgebant, ne Moderaminis clausulæ, ejusdemve admissionis mentio aliqua fieret, eapropter Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii sequentia proposuerunt: *Quod ad Religionis Romanæ Catholicæ exercitium, & bonorum Ecclesiasticorum usum Majoratus Sylva-Ducensis, Marchionatus Bergozomiensis, & Baronatus Bredanensis Ditionisque Cuykiensis attinet, de utroque hoc sex Mensibus post præsentis Tractationis conclusionem & Ratihabitionem agetur.*

Atque hæc sunt, quæ à Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis in omnibus Conventibus Colloquiisque inter Tractandum habitis, proposita fuerunt, eo fine, quo supradictum rerum Ecclesiasticarum Moderamen à Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus admitti & Pacis Tractationi inseri posset. Quod cum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis & Plenipotentiariis concedere nullo modo liceret, idcirco sequens Memoriale Dominis Suis Deputantibus eo fine proposuerunt, quo optimum, quodcunque videretur, decernerent, idque Legatis & Plenipotentiariis Suis per literas indicarent.

Articuli autem ipsi Eorumque forma compositionis hujusmodi erat:

Articuli, de quibus decimo & octavo die Decembris Anno 1646. Regis Hispaniarum & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii eo fine provisionaliter inter Se convenerunt, quo Pacis perpetuæ Tractationi, Monasterii conflandæ, inseri possent.

64. Flandriæ aliarumque Provinciarum termini eo modo dirigentur, quo modo à Partis alterutrius Provinciis dependere comperientur: quem in finem etiam in universum Negotium penitius inquiretur, quo tantò commodius supradicti agrorum termini suo tempore instituantur. „

66. Regesta quæcunque, Chartæ, Literæ Publicæ, Originalia, causæ sive processus, aliquam Fœderati Belgii Provinciam, Ejusdemque Regiones & Ditiones Fœderatas, Civitates, aut membra, sive Incolas Subditosque privatos concernentia, atque in Aulis, Cancellariis, Conciliis, & in Cameris Politiæ, Justitiæ, & nummorum publicorum, &c. sive Auennis, sive Mechliniæ, sive aliis quibuscunque in locis Regis Hispaniarum Imperio obtemperantibus, asservantur, optimâ fide iis „

,, iis tradentur, quibus à Præpotentibus D. D. Gener. eorundem cura demandabi-
,, tur; cum quoque ad modum à Partibus Præpotentium D. D. Ordinum Gener.
,, in Provinciarum, Civitatum, Incolarum & Subditorum privatorum Regi Hispa-
niensi subjectorum futurum est.

,, 67. Præsenti Pacis perpetuæ Tractatione omnes & singuli comprehendentur,
,, qui ante Confirmationis seu Ratihabitionis permutationem, sive tribus Mensibus
,, post ab utrâque sive ab alterutrâ Parte nominati fuerint.

,, 68. Comiti Flodrovensi omnes & singuli proventus annui à Castello Leuthensi
,, dependentes, si qui Ipsi fuerint surrepti, restituentur; Ipsi quinetiam habitatio
,, in dicto Castello libera & secura concedetur; Eâ lege tamen ac conditione, ut
,, Regi Hispaniarum, ubi libitum fuerit, milite præsidiario idem præmunire ac reser-
,, vare integrum sit. Subsignatum erat, *Comes Peneranda, Fr. Iosephus Archi-Episcopus*
,, *Cameracensis, A. Brun, Bartoltius à Gent, Iohannes Mathenesius, Adrianus Pauw, I. Knuy-*
,, *tius, — — — F. à Donia, Gulielmus Ripperda, Adrianus Clantius.*

Articuli, de quibus vicesimo & septimo die Decembris, Anno 1646. inter Regis Hispaniarum & Fœderati Belgii Præpotentium D.D. Ordinum Gener. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios eo fine provisionaliter conventum fuit, quo Pacis perpetuæ Tractationi, Monasterii ineundæ & contrahendæ, inserantur.

,, 5. NAvigationes & Commercia ad utramque Indiam Orientalem & Occiden-
,, talem secundùm literas publicas eam ob causam concessas, sive dehinc
,, concedendas reservabuntur; atque eorum omnium securitati præsens Tractatio
,, Ejusdemq; Confirmatio seu Ratihabitio dehinc tradenda inserviet; insuper etiam
,, omnes & singuli Principes, Gentes & Populi, cum quibus Præpotent. D. D. Or-
,, dinibus Gener. sive Indiæ utriusque Societati intra literarum suarum publicarum
,, limites ac terminos Amicitia, Societas aut Fœdus aliquod intercedit, præsenti Pa-
,, cis perpetuæ Tractatione comprehendentur. Eaque propter Rex Hispaniensis &
,, Præpotentes D. D. Ordines Gener. ab utrâque Parte liberè securèque omnes &
,, singulas Jurisdictiones, Civitates, Arces, Propugnacula, agrosque patentes pos-
,, sidebunt, simul etiam Navigationibus & Commerciis gaudebunt, quæcunque in
,, India utraque Orientali & Occidentali, uti etiam in agro Brasiliensi, atque in Oris
,, Asiæ, Africæ & Americæ maritimis jam nunc exercent, inter quæ loca quoque
,, omnia illa comprehenduntur, quæ Portugalli ab Anno 1641. Præpot. D. D. Or-
,, dinibus Gener. eripuerunt, aut quæ summedicti Ordines Gener. dehinc absque
,, ullâ præsentis Tractationis violatione ipsimet expugnaturi sunt. Proindeque Fœ-
,, derati Belgii Societatis utriusque Indiæ Moderatores, Ministri, Præfecti & Pro-
,, Præfecti, Milites, Sociique Navales, sive utriusque Societatis signa in dictâ India
,, utraque aut in Fœderati Belgii Provinciis jam nunc sequuntur, sive eadem antehac
,, sequuti fuerint, omnes & singuli in omnibus Regis Hispaniarum Regnis, in Eu-
,, ropa sitis, liberè securèque navigabunt, commercia exercebunt, commorabun-
,, tur; denique haud secus excipientur, ac reliqui Præpotentium D. D. Ordinum
Gener.

Gener. Incolæ Subditique in agris, Provinciis & Ditionibus excipiuntur. Postremo autem conventum concessumque fuit, ut Hispani navigationes suas eo modo instituerent, quo easdem hactenus in Indiam Orientalem instituere consueverant; eâ lege tamen ac conditione, ut ne latius aut longius Navigationes suas extendant; quem ad modum quoque Unitarum Belgii Provinciarum Ordin. Generalium Incolæ Subditique omni Navigatione ad *loca India Orientalis Castilienfia* prorsus abstinebunt.

6. Quod autem ad Indiam Occidentalem attinet, Incolæ Subditique Regnorum, & Provinciarum cum Regis Hispaniarum, tum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. omnem Navigationem intermittere tenebuntur, ad ea loca, quæ à Parte alterutrâ propugnaculis, Fortalitiis, ædibus Mercatorum publicis Castellisque munita tenentur: nimirum, Regis Hispaniarum Incolis Subditisque Navigationes suas ad portus, & Regiones Præpotent. D. D. Ordinum Gen. neque instituere, neque in iisdem Commercia exercere licebit; & vicè versâ, Præpotent. D.D. Ordinum Gener. Incolis Subditisque Navigationes suas ad portus Regis Hispaniarum Ejusdemque Regiones neque instituere, neque Commercia exercere liberum erit. Atque inter hosce portus, Regiones & loca omnia ea quoque annumeranda venient, quæ Portugalli Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. ab Anno 1641. in agro Brasiliensi eripuerunt, quæque Portugalli jam nunc & quamdiu possidebunt: sic ut supradictus Articulus nequidquam præsentibus derogare aut detrâhere queat.

14. Fluvius Scaldensis, uti etiam Sassiæ & Swyndæ Canales, cæteraque Ostia maritima in Scaldem profluentia, à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. occlusa reservabuntur.

15. Navibus Mercibusque ad portus Flandriæ advectis, sive ex iisdem avectis, ejusmodi vectigalia atque onera à Rege Hispaniarum imperabuntur, atque imperata reservabuntur, cujusmodi navibus mercibusque trans Scaldem, Ejusdemque Canales Ostiaque maritima apportatis sive exportatis imperantur: atque dehinc super æqualitate onerum & vectigalium ab utraque Parte imperandorum convenietur.

65. Quod ad minora prope Sluisam Fortalitia seu propugnacula attinet, de illorum omnium dirutione à parte Regis conventum est; eâ lege tamen ut à parte Præpotent. D.D. Ordinum Gener. similiter futurum sit; de qua re ab utraque Parte conveniendum erit. Subsignatum erat, *Comes Penerande, Fr. Iosephus Archi-Episcopus Cameracensis, A. Brun, Bartoltius à Gent, Iohannes à Mathenesse, Adrianus Pauw, I. Knuytius*, ——— *F. à Donia, Gulielmus Ripperda, Adrianus Clantius.*

Verum enim verò, quo Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis plenissime satisfacerent, sequentem Ipsis Declarationem, literis conscriptam, tradiderunt:

NOs Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii declaramus, quod vi Tractationis inter Christianiss. Regem Galliarum atque inter Præpotentes D. D. Ordines Generales primo die Martii, Anno 1644. initæ confirmatæque obligatio ac devinctio mutua, de nullo Fœdere

 cum

„ cum Rege Hispaniarum *nisi conjunctim ac communi consensu concludendo confirmandoque*, intercedat; Eaque propter mens nostra & sincera animi intentio sit Articulos, de quibus cum Hispanis convenimus, & quibus subsignavimus, nullum prorsus veræ Tractationis effectum consequuturos esse, prius quam Gallis, ex præscripto Fœderis, primo die Martii, Anno 1644. initi confirmatique, plenissimè satisfactum fuerit: quodque hanc nostram Declarationem Articulis inter Regis Hispaniarum Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios atque inter Nos concessis confirmatisque veluti insertam ejusdemque ponderis cum dictis Articulis habeamus. Actum Monasterii, octavo die Januarii, Anno 1647. Subsignatum erat, *Bartoltius à Gent, Iohannes Mathenesius, Adrianus Pauw, Ioh. Knuytius, F. à Donia, Gulielmus Ripperda, Adr. Clantius.*

Quantum vero hac Declaratione Regis Galliarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis satisfactum fuerit, ex ipsorum insolenti ac superba responsione, literis conscriptâ, satis superque liquet: quippe, postquam verbis magnificis nec non minantibus multa exprobrassent & minitassent, sequentia tradiderunt.

Christianissimi Regis Galliarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, cognito perceptoque, quod Fœderati Belgii Provinciarum D. D. Ordinum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, post Collegarum suorum adventum, creberrimos cum Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis conventus ac colloquia instituerint, quorum tamen omnium Regis Galliarum Legati Extr. & Plenipotentiarii inscii prorsusque ignari fuerunt, atque interea temporis unicâ duntaxat vice de iis secum egerint, conventibus licet colloquiisque inter ipsos sæpius uno eodemque die repetitis, devinctos Se atque obligatos esse declarant (idque eo magis, quod supradicti Regis Galliarum Legati Extraord. & Plenipotentiarii omnes & singulos inter Regis Hispaniarum, atque inter Fœderati Belgii Provinciar. D. D. Ordinum Generalium Legatos & Plenipotentiarios Articulos, uno alterove excepto, concessos confirmatosque esse perceperint) quò officio suo fungi, Seque coram Majestate Sua excusare queant, D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraord. & Plenipotentiarios majorem in modum rogare atque obsecrare, idque vi Tractatus Anno 1644. initi confirmatique, ut, quo in loco Sua cum Hispanis Tractatio jam nunc sita est, indicare atque explicare dignentur, atque omni interim Tractatione abstinere, neque semetipsos ulterius intromittere velint, donec Gallorum cum Hispanis Tractatio in eundem quoque locum promota fuerit, aut denique pari passu *promoveri possit, secundùm supramemoratum* Tractatum, *Anno* 1644. *initum confirmatumque: Propterea, quod D. D. Ordinum Gener. Legati Extraord. & Plenipotentiarii præ cæteris Legatis & Plenipotentiariis sciant ac cognoscant, Gallorum cum Hispanis Tractationem, cui hactenus interfuerunt, atque etiamnum intersunt,* vixdum etiam inchoatam esse, *Ejusque summam seu fundamentum hoc semper extitisse,* Nihil scil. eorum, quæ Regi Catholico tempore belli erepta fuerunt, *iri redditum, nisi etiam Gallis restituerit, quæcunque Ejus Prædecessores superioribus bellis surripuerunt. Quibus non obstantibus tamen Regis Hispaniarum Legati Extraord. & Plenipotentiarii hisce diebus non paucis Insigni loco atque Ordine Viris indicarunt, Se nullo modo admittere aut concedere posse, ut portus Piumbini & Longona Gallis relinquatur, neque etiam ut Carolo-Montium, Philippopolis & Mariaburgum Episcopatui & Principatui Leodiensi restituantur, neque Comitatus Artesiæ, Oppi-*

Oppidum S. Odomari, Atrebato & Bassæo exceptis, Regi Galliarum concedatur. Præterquam varias aliasque difficultates plurimas, è Tractatione Moussoniensi *&* Queirasquensi*, Serenissimæ Infantis Catharinæ dotatione, Ducis Atriensis causâ, ex Inducijs Portugalliæ ineundis, Ducis Caroli exclusione, denique ex aliis ejusmodi rebus obortas, quæ quidem tot tantæque existunt, ut jure meritoque dici queat, Gallorum cum Hispanis Tractationem non modo intermissam (quippe dies jam abierunt quindecim, quibus Regis Hispaniarum Legati Extraord. & Plenipotentiarii D. D. Ord. Gener. Legatis & Plenipotent. illud ipsum scriptis Suis traditis indicarunt, quibus tamen D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis neutiquam visum fuit idem Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis indicare) verum etiam in eum redactam esse locum, ut parum absit, quin brevi temporis spatio penitus dissolvatur prorsusque abrumpatur. Ad hac accedit etiam, quod Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii divulgarint, Se videlicet octiduo ante Scripta quædam Tractationem cum Gallis concernentia D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis tradidisse, quum tamen Eorundem Scriptorum nihil quidquam Regis Galliarum Legatis & Plenipotent. innotuerit; neque ratio causaque ulla apparuerit, ob quam D. D. Ordinum Gen. Legatis & Plenipotentiariis tanta mora injiciatur, rem quamcunque Regis Galliarum Legatis indicandi, quæ tamen ipsos solummodo, Galliaque causas spectat.*

Idcirco summedicti Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii D. D. Ordinum Gener. Legatos & Plenipotentiarios rogant atque obsecrant, ut eorum, quæ supra memorata sunt, ejusmodi explicationem literis conscriptam tradere dignentur, cujusmodi ab Amicis Sociisque fidissimis expectanda venit; insuper etiam petunt, ut D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii vi Pactorum, omnem prorsus cum hostibus Tractationem interdicentium præsertim ubi Socii ac Fœderati illud serio rogantur, Negotio cum Hispanis desistere velint, atque istboc loco subsistere, in quem Tractando pervenerunt: quemadmodum etiam Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii, postquam decem supra octo Menses D. D. Ordinum Gener. Legatorum & Plenipotentiariorum ad Concilium hocce adventum expectassent, neque Propositiones quascunque à Dominis Mediatoribus Regis Hispaniarum Nomine locoque adhibitas acceptassent, jam ab illo tempore D. D. Ordinum Gener. Legatis sæpenumero obtulerunt, quotiescunque ipsis libitum fuisset, Suam cum Hispanis Tractationem Se intermissuros esse. Adeò ut Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii declarent, Se ejusmodi Tractationis intermittendæ Negationem haud aliter quam Fœderis antehac initi confirmatique transgressionem habituros esse. *Actum Monasterii, vicesimo & octavo die Decembris, Anno* 1646.

Hac itaque oretenus per Regis Galliarum Legatos Extraord. & Plenipotentiarios coram Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis proposita, haud aliud effecerunt, præterquam quod supramemorati D. D. Ord. & Plenipotentiarii tantò magis cum Hispanis concludere properaverint, ac sine metu aliquo postero die idem Galliæ Regis Legatis & Plenipotentiariis indicare decreverint, atque omnia quæ supramemorata sunt literis mandaverint, quò summedictis Legatis & Plenipotentiariis eadem exhiberent. Sed vero, quoniam propter Eorundem querelas crebrasque petitiones multoties ab Ipsis propositas, ut D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii huc usque saltem subsistere vellent, quandoquidem in maximum initi Fœderis detrimentum tantopere hactenus properassent, octo decemque dierum intermissionem obtulerant, atque à Gallorum parte petitum fuerat, ne Tractationis intermissio in certum aliquod tempus determinaretur, sed tamdiu differretur, donec Gallorum

cum

cum Hispanis Tractatio in eum locum perducta esset, in quo D. D. Ordinum jam nunc perducta erat, quem ad modum disertis verbis Articulo tertio & quarto Tractationis Anno 1644. *inita confirmataque expressum legitur; seu deniq; donec Comes Servientius rem omnem D. D. Ordinibus Gener. indicasset, atque ab iis responsum accepisset; idcirco ab omnibus & singulis D. D. Ordin. Generalium Legatis & Plenipotentiariis libenter illud concessum fuit. Deinde, quoque rogati, num Scripta illa tradenda forent, responderunt, id minimè opus esse, propterea quod jam inter se convenissent. His itaque Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii jam tum contenti fuerunt, eaque fiducia Dominus Servientius Hagam-Com. discessit. Sed vero quandoquidem nullum istius promissi effectum comperimus, insuperque D. D. Ordin. Generalium Plenipotentiarii Nobis declaraverunt, Se decem diebus post omnibus cum Hispanis Tractationis Articulis subsignaturos esse, Idque* scriptis chartisque diversis *futurum; ac si hujusmodi agendi forma impediret, quo minus vera & realis Tractatio Pacis existeret; Ipsique, Tractationis licet & promissorum suorum observationi adstricti atque devincti, adduci nunquam potuerunt, ut Dominorum suorum Deputantium mandata expectarent, quæ ultra quatriduum aut quintiduum differri haud possunt, Ita tamen, ut, postquam Regis Galliarum Legati & Plenipot. Se deliberationem ac perpensionem in tempus aliud dilaturos esse promisissent, quem ad modum Se facturos simulabant, supradictis Legatis & Plenipotent. asserere negaverint, Se interea temporis memoratis Articulis neutiquam esse subsignaturos; Idcircò Nos Regis Galliarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii declaramus atque asserimus, quod dictæ Articulorum Subsignationi Nosmetipsos Regis Galliarum Nomine locoque reapse opponamus, eamque* veram ac realem Tractationis initæ atque ab Ordinibus confirmatæ violationem *habeamus; Insuper etiam testemur atque obtestemur* adversus auctores & promotores Negotii adeò fidei publicæ, omnique humanitatis generi adversi, quodque incommoda exinde oboritura ipsis imputanda sint. *Atque hæc ideo declarare tenemur, quò omne dissensionis discordiæque initium longissimè semotum haberemus, aut si id minimè fieri posset, quo apud Majestatem Suam atque apud universum Galliæ Populum officio Nostro functi esse videremur, qui vix sibi in animum inducere posset, nisi hæc Nostra aliter indicaret Protestatio, Hispanos sc. in re quadam, nihil aliud, præterquam ut Hosti promissa quadam privata præstentur, sive ut Fœderibus & Tractationibus cum Antiquis Sociis Amicisque solenniter confirmatis satisfiat, continente, plus potuisse apud D. D. Ordinum Gener. Legatos & Plenipotentiarios, quo Eosdem à Tractationum observatione absterrerent, quam Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii potuerint, quo Tractationum observationem ab iisdem impetrarent.*

Præter hæc autem observandum venit, quod ejusmodi cum Hispanis Negotium quam maximum Pacis communis Tractationi impedimentum, sub promotionis specie, afferat; præsertim in eo, quod voluntatem Hispanus concitet (quam tamen amittere penitus non possunt) ad Pacis Tractationem privatim atque seorsim à Gallis instituendam, & dubio procul vanitatem ejusce spei foveat; quæ si penitus sublata fuisset, omnes sanè utraque Partes difficultates suas dudum composuissent; quod tamen ab Hispanis impediri certum est, qui D.D. Ordin. Generalium Legatos & Plenipotentiarios ad Articulorum, de quibus utriusque conventum fuit, hoc est, Tractationis universæ subsignationem indesinenter sollicitant. Majorem quoque in modum dilationem aliquam, quam Nobis concesserunt, dolent, atque isthoc pacto querelis & sollicitationibus, à Pace quam maximè alienis, dies decem, de quibus tanta fuit quæstio, consumunt, neque horulam unam difficultatibus inter Regem utrumque componendis impendunt,

dunt, quamvis tamen Responsionem ad novissimas Nostras deliberationes & consilia iisdem communicata, insuper etiam ad septem octove Tractationis Articulos eodem quoque tempore propositos, jam ante trium septimanarum spatium tradere debuissent. Quod si igitur, post tam certum atque indubitatum Consilii eorundem cœptique de Tractatione privatim cum Hispanis instituenda, indicium, Dominorum D. Ordinum General. Legati & Plenipotentiarii in eo acquiescant, quod dies aliquot temere atque frustra consumpserint, (quippe tempus præsens nullo pacto inservire potuit, ad Deputantium suorum animum cognoscendum, neque ad Gallorum Negotium solum suscipiendum (obligationis mutuæque devinctionis, quæ inter Negotium utriusque Nostri intercedere debebat, violationis certissimum futurum est indicium, *simul etiam impedimentum maximum, quò minus Hispani cum omnibus Pacem contrahere possint. Quum tamen contrà, siquidem Hispanis declarare atque affirmare velint (quem ad modum etiam vi Tractationis, Anno* 1644. *initæ confirmatæque, ad id obstricti obligatique tenentur) Se Articulos nullo modo subsignaturos esse, donec Gallorum quoque Tractatio ad subsignationem usque promota fuerit, omnes ilicò difficultates cum Partis utriusque satisfactione conficientur atque expedientur; Idque eò magis, quod Nos in hoc casu, quamvis Hispanorum Plenipotentiarii tanto temporis spatio nihil quidquam in eâ re egerint, offeramus Nos viginti & quatuor horarum intervallo universæ Tractationis Argumentum tradituros esse, quò tanto maturius Negotium confici atque expediri possit.*

Exemplar tertii quartique Articuli Tractationis Regem Galliarum inter & Fœderati Belgii Provinciarum Ordines Gener. Anno 1644. initæ confirmatæque.

3. *Nulli Tractationi nullive Fœderi subsignari aut confirmari*, nisi conjunctim & mutuo consensu, licebit: *Galli quinetiam Ordinesque Generales suas cum Hispanis Tractationes* æqualiter & pari passu *promovebunt.*

4. *Vt vero Hispanis spes omnis eripiatur, quâ hactenus crediderunt, posse Se Gallorum causas ab Ordinum causis sejungere, idque alterius Tractationem promovendo, alterius autem differendo, supramemorati Legati & Plenipotentiarii tenebuntur, quotiescunque rogati fuerint, Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis declarare atque affirmare, obligationem atque devinctionem mutuam intercedere, qua Parti utrique, non nisi conjunctim mutuoque consensu Tractationi subsignare ac confirmare, eamque* pari passu *promovere licet.*

Fœderati Belgii Dominorum, D. Ordinum Gener. Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis septimo die Ianuarii, Anno 1647. *traditum.*

Postero quoque die sequentia tradiderunt.

Regis Galliarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii summam, cum Fœderati Belgii D. D. Ordinum Generalium Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis, amicitiam mutuumque consensum conservare semperque cum iisdem omnia agere majorem in modum cupiunt atque expetunt; atque ad id omnem operam, studium ac diligentiam conferre student. Adeo ut præter ea, quæ à dictis Regis Galliarum Legatis impetrari possunt, non obstante tamen summâ inæqualitate, quæ inter binas Tractationes, quæ pari passu *promoveri debebant,*

bebant, intercedit, supramemoratis Fœderati Belgii Provinciarum D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis subsignationem, diversis tamen scriptis chartisque, *variis diebus exaratis, Articulorum septuaginta supra octo, de quibus cum Hispanis convenerunt, permittant concedantque, eâ lege tamen ac conditione, ut unus saltem Articulus reservetur, atque iis prope formulis verbisque exprimatur, ut videlicet inter Regem utrumque relinquatur, quod quidem ad* locorum captorum *Negotium pertinet.*

. *Denique ut plura à Parte suâ præstarent, utque plenissimè Fœderati Belgii D.D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis in omnibus assentirent, quod si prior illa oblatio, quæ tam justa, tamque animo benigno proposita fuit, nihil ponderis habere possit, rogant atque obsecrant, ut septuaginta & octo Articulis eâ lege ac conditione subsignare velint*, Eos sc. nullum effectum consequuturos esse, nisi etiam Gallos inter & Hispanos conventum, totumque Negotium confectum fuerit; *utque conditionem hanc iisdem verbis omnibus & singulis Chartis scriptisque Articulorum à Dominorum D. Ordinum Gen. Legatis & Plenipotentiariis subsignandorum, inserere dignentur.*

Post hoc autem expeditionis medium, cujus loco Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii nullum aliud accepturi sunt, quod si illud D. D. Ordinum Plenipotentiariis non omni ex parte placuerit, aut si ab Hispanis persuaderi sibi passi fuerint, satis sc. fore ut ea conditio ac clausula chartæ cuidam, *à suprememoratis Pacis Articulis* sejunctæ, *atque* loco illegitimo, *in quo ridenda sanè veniet, inseratur, postremum indicium futurum est, Amicitia mutuique consensus cum Regis Galliarum Legatis & Plenipotent. malè servati, cœptique, quod etiam Hispani ingenue fatentur*, de dissensione atque distractione inter Fœderatos Sociosque concitandâ, *quod tamen effectum reddere neutiquam annitentur, nisi Ipsis à Fœderati Belgii Ordinum Legatis & Plenipotentiariis occurratur; quod si, posteaquam Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis ea omnia negarunt, quæ ad Tractationis Fœderisque observationem & conservationem pertinent, etiamnum denegare pergant in eadem Tractatione, quæ ab omnibus suis cum Hostibus rebus causisque transeunt, antequam Articulus unicus Gallos inter & Hispanos compositus confectusque sit, declarare atque affirmare, ea omnia, de quibus inter se convenêre, nullum effectum prorsus esse consecutura, donec omnes & singulæ difficultates inter Regem Hispaniarum atque inter Regem Galliarum composita fuerint.*

. *Ejusce declarationis, quæ Unitarum Belgii Provinciarum D. D. Ordinibus Gener. nequidquam derogare seu obesse poterit, denegatio tantopere cum apertâ defectione convenit, ut Dominorum, D. Ordinum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii iterum iterumque rogentur, ut Negotium illud sedulo perpendere ac penitiori examini subjicere velint. Actum Monasterii, octavo die Ianuarii, Anno* 1647.

Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis, ut supra commemoravi, Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii promiserant, Se octo decemve dies Articulorum subsignationem dilaturos esse, quò Gallis plenissimè Se satisfecisse credebant, cujus tamen contrarium compertum fuit; utpote quibus certum erat, Articulos à Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiariis post tempus prædictum subsignatos iri. Eapropter igitur ut subsignationem vel impedire, vel infectam reddere possent, Comes Servientius, postquam ultimo die Decembris Monasterio discessisset, sexto die Januarii Lugdun. Batavor. pervenit, atque octavo die Hagam-Com. solenniter intravit, exceptus à Domino Roorda, & à Domino Mulartio, loco Celsissimi Arausionensium Principis

cipis

cipis Gulielmi, qui ejusmodi Legatorum exceptioni posthac interesse recusabat, eò quod Magistri Ceremoniarum magis quam Principis officium erat.

Spargebatur interim, supradictum Legatum Regis Galliarum Nomine ingens quoddam nummorum subsidium Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus, at Serenissimo Principi Electori Brandenburgico satisfactionem eâ lege ac conditione offerre, ut Præpotentes D. D. Ordines Gener. bellum adversus Hispanos continuarent.

At vero quò ejusmodi rumores (quibus odium in se transmotum iri credebat) penitus supprimeret; nonnunquam differendo repetebat, Se nequidquam mandati de Serenissimo Principe Electore Brand. habere, neque ea de causa venisse, quo subsidium Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. offerret, aut Copiarum eductionem urgeret, sed vero ut Fœdus securitatis (vulgo Ligam Garantiæ,) proponeret: quæ autem in Concilio proposuit, postmodum dicentur.

Primum itaque supramemoratus Comes Servientius dolebat adventum Philippi de Roy, Graphiarii & Regis Hisp. Fisci Consiliarii, qui cum literis Auctoritatis Bruxellis non tantùm ad Præpotentes D. D. Ordines Gener. verum etiam ad Celsissimum Arausionensium Principem, jam defunctum, atque ad Serenissimam Principem missus fuerat; quippe Hispanis summopere displicebat, quod Gallis tam liber ad Concilium aditus patebat, quos talia Præpotentibus Ordinibus persuadere certum erat, quibus ipsimet Præpotentes D. D. Ordines & Gallorum & aliorum Principum rebus causisque tantopere devincti manebant; qui denique omne Intercessionis Negotium celabant. Quapropter etiam ut Præpotentes D. D. Ord. omnia edocerent, simul etiam fidum ac sincerum Hispanorum animum de Tractationis Conclusione Ipsis persuaderent, certosque redderent, quendam Suorum Hagam-Com. delegare commodius esse duxerunt. At vero quo pacto, aut quo modo illa proponerent, incerti erant, propterea quod suspicabantur, quamprimum hæc Præpotentibus D. D. Ordinibus innotuissent, continuò illa Monasterium relegarent. Quapropter etiam, ut tantum malum evitarent, Salvum-Conductum Philippo de Roy decimo & quinto die Octobris Anno 1646. petierunt, eo prætextu, quo cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. de Regis Hispaniarum Ditionum & Jurisdictionum quarundam venditarum aut pignori oppositarum redemptione, simul etiam de rebus quibusdam publicis ageret. Quo prætextu, imprimis autem rerum quarundam publicarum, principio Januarii Hagam-Com. adveniens, Suoque adventu indicato, rem non omni plane difficultate vacuam esse comperit. Ejus autem Narratio hæc est.

Septimo die Januarii, Anno 1647. Dominus Vethius, tunc temporis in Concilio præsidens, Præpotentibus D. D. Ordinibus indicavit, supramemoratum Dominum in Ravels beneficio Salvi-Conductus à Præpotentibus D. D. Ordinibus concessi, decimo & quinto die Octobris, proximè elapsi, Bruxellis Hagam-Com. advenisse, perque Procuratorem Craackium literas publicas sibi tradidisse, simul etiam rogasse, ut Commissarii aliquot mitterentur, cum quibus de Negotio sibi mandato agere posset; Se tamen (D. Præsidem scil.) absque prævia Præpotent. D. D. Ordinum cognitione & mandato dictas literas accepturum esse denegasse. Quibus perpensis, visum consultumque fuit, ut literæ publicæ acciperentur, at-

que in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium legerentur, eo fine, quo de ulteriore ejus petitione, quantum Reipub. universæ commodo inservire posset, deliberarent.

Literæ itaque publicæ, quales sequuntur, in Concilio recitatæ fuerunt.

CELSI ET PRÆPOT. DOMINI,

PHilippo de Roy, Consiliario ac Graphiario, tributorum à Parte Galliæ Exactori Supremo, Hagam-Com. discedenti, de rebus quibusdam acturo, ob quas Salvum-Conductum à Vobis impetravit, visum mihi fuit ipsi præcipere, ut res quasdam, publicum concernentes commodum, coram Vobis explicaret; Quapropter ut in omnibus, quæ propositurus est, plenissimam Ei fidem habere dignemini, vehementer etiam atque etiam rogo. Officiosissimus Vester

Marchio de Castel-Rodrigo.

Dabantur Bruxellis, vicesimo & octavo die Decembris, Anno 1646.

Literarum autem Inscriptio hæc erat,

Fœderati Belgii Provinciarum D. D. Ordinibus Generalibus. Insuper etiam Ejusdem Marchionis sigillo obsignata erant.

Quandoquidem autem, ut supra dixi, binas literas, alteras ad Celsissimum Arausionensium Principem, alteras ad Serenissimam Principem exaraverat, utrasque sequentibus referre visum fuit.

CELSISSIME PRINCEPS,

QVoniam Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus Salvum-Conductum Philippo de Roy, Consiliario & Graphiario Nostro de iis rebus, quæ eodem Salvo-Conductu referuntur, acturo, concedere placuit, visum mihi fuit eidem præcipere, ut Celsitudinis Vestræ manus meo Nomine locoque oscularetur, ac res quasdam bonum concernentes publicum, quasque Dominis D. Ordinibus Gener. expositurus est, coram Celsitudine Vestra enarraret. Idcirco rogo atque obsecro, ut in omnibus plenissimam ei fidem habere Celsitudini Vestræ placeat. Quod reliquum est, permaneo Celsitudinis Vestræ Officiosissimus

Marchio de Castel Rodrigo.

Dabantur vicesimo & octavo die Decembris, Anno 1646.

Inscriptio Literarum, Ejusdem Marchionis sigillo obsignaturum, hæc erat,

Celsissimo Arausionensium Principi.

SERENISSIMA DOMINA,

QVandoquidem Philippum de Roy, Consiliarium & Graphiarium Hagam-Com. delegavi, nonpotui, quin Eidem præciperem, ut Celsitudinis Vestræ manus meo Nomine locoque oscularetur, simul etiam lætissimum mihi de Celsitudinis Vestræ salute atque incolumitate nuncium afferret, cujus indicium, ut Celsitudo Vestra ei facere, simul etiam, quæcunque expositurus est, plenissimam fidem habere dignetur, rogo atque obsecro. Quod reliquum est, permaneo Celsitudinis Vestræ Officiosissimus

Marchio de Castel-Rodrigo.

Dabantur Bruxellis, vicesimo & quinto die Ianuarii, Anno 1647.

Literarum, Ejusdem Marchionis sigilloobsignatarum, inscriptio hæc erat,

Serenissimæ Dominæ Arausionensium Principi. Prio-

Priorum itaque Literarum causa Præpotentes D. D. Ordines Gener. D. de Capelle D. Huygenium, D. Reuylium, D. Schapium, D. Schagium, D. Nissæum, D. Vosbergium, D. Reynswoudæ, D. Hoolekium, D. Roordam, D. Mulartium, D. Beeckium & D. Eybenium eo fine delegarunt, quo supramemorati D. Philippi de Roy Propositionem hora quinta pomeridiana perciperent, Eamque in Concilio referrent.

Postquam autem supradicti Deputati consedissent, præmemorato Domino Graphiario per binos Deputatorum introducto, inter Zelandiæ Frisiæque Deputatos locus assignatus fuit, unde oretenus enarravit, postea vero Scriptis tradidit, Propositionem seu Memoriale quoddam, *Veram Narrationem*, postmodum autem à Gallorum Plenipotentiariis Philippi de Roy Scripta dicta, ne fortassis per voculam (Veram) ea, quæ deinde in partem contrariam protulerunt, confunderent; Propositio autem hæc fuit.

Celsi et Præpot. Domini,

Philippus de Roy, Fisci Regii Consiliarius, & Cameræ Computationum Graphiarius, superiori die tanto honore affectus quod à Vestris Deputatis, vi literarum publicarum à Marchione de Castel-Rodrigo concessarum, exauditus fuerim, insuper etiam rogatus, ut, quæcunque tunc temporis verbis, ea nunc literis exarata traderem, Vobis cum omnimodâ reverentia eo tempore me retulisse declaro, Imperatum mihi mandatumque fuisse, ut Vos salute summa, Nomine locoque summedicti Marchionis de Castel-Rodrigo, impertirem, idque propter animum Vestrum sincerum, quo Vos per Legatos Vestros & Plenipotentiarios Monasteriensem Tractationem hactenus tantopere promovisse cognovit; atq; id insuper causæ fuisse, quod Regis Hispaniarum Plenipotentiarii universam Vobis Intercessionem super iis difficultatibus, quæ Gallis cum Hispanis intercedunt, quæque inter partem illam utramque componendæ ac conficiendæ veniunt, tradiderint, vestræque fidei commiserint. Ac quamvis Regi Galliarum ejusmodi conditiones atque ejusmodi commoda oblata sint, quæ, nisi propter prudentem simul ac sapientem Vestram intercessionem, nunquam Galliarum Regi concessa fuissent, iis tamen acquiescere neutiquam voluisse, sed novis semper petitionibus universam Tractationem obruisse. Quem in finem autem? id Vos non ignorare certum est. Atque ut scire possetis, quales ac quantæ per Legatorum & Plenipotentiariorum Vestrorum Intercessionem conditiones à Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis, Nomine locoque Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis oblatæ fuerint, eapropter supramemoratus Graphiarius, Dominus in Ravels, Scripta quædam, omnia, quæ à Legatis Vestris in ea intercessione acta & transacta fuere, continentia, in Concilio Vestro tradidit. Quippe dubium nullum est, quamvis omnia variis temporibus Vobis indicata sint, quin breviter id factum sit, propter crebras petitiones à Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis coram Plenipotentiariis Vestris eum in finem propositos, quò Vos omnia celarent; neque etiam dubium est, quin maximam rerum omnium partem ignoraveritis, quæ nihilo minus scitu perquam necessariæ sunt; propterea quod impossibile pœnè videatur, Vos tali casu non inductos atq; impulsos iri, ad media

ejusmodi invenienda & excogitanda, quibus mala atque incommoda universi Belgii Provinciis, ob tantam Gallorum inconstantiam oboritura, præveniri possent. Quæ ut sedulo à Vobis agerentur atque media tam honesta, quàm Societas atque Amicitia Vobis cum Gallis intercedens patietur, adhiberentur, supramemoratus Dominus in Ravels iisdem scriptis majorem in modum rogavit, quandoquidem nullo modo constituit, talia à Vobis postulare, quibus mutua Vestra cum Gallis Amicitia & Societas aliqua ex parte dissolvi, aut quibus simultas vel minima quoque suboriri posset; Sed vero quo Vobis media suppeditaret, quibus Gallorum Legatos & Plenipotentiarios impellere ac commovere possetis. Quippe animo fido ac sincero hæc omnia à Nobis peraguntur, quo per Sanctam omnibusque Christianis tam diu exoptatam Pacem Cœlesti Numini acceptiores redderemur.

Rerum autem omnium Narratio vera (quæ hoc Nomine appellabatur) hujusmodi fuit.

NARRATIO VERA

Rerum omnium, quæ Gallos inter atque Hispanos gestæ fuerunt, posteaquam Unitarum Belgii Provinciarum Præpot. D. D. Ordinum Gen. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, tanquam Partis Utriusque Mediatores, adsciti fuerunt.

Quæ jam in ipso Tractationis initio Regi Galliarum à Rege Hispaniarum oblata fuerunt, hæc sunt.

QUæcunque loca munita sive Oppida ad tertium usque diem Septembris per Mediatores à Parte Regis Hispaniarum Gallis concessa fuere, quo pax firma ac perpetua obtineri posset, fuit oppidum Atrebatum, & quæcunque in Comitatu Artesiæ occupata tenent, Landrechium in Hannoviâ, Dampuillierum in agro Lutsenburgensi, insuper etiam de uno alterove in Belgii Provinciis Oppido haud multum controversum iri. Cui equidem oblationi Comitatum Rossellonensem adjunxerant; nec non Inducias Annorum quatuor, idque propter Ducatus Cataloniensis Negotium; Portugalliæ omissionem, neque aliquam Ejusdem in universa Tractatione insertionem. Quod vero ad res Italicas attinet, siquidem Galli ea, quæ in Sabaudia agroque Mantuano loca possident, Dominis Suis restituere vellent, Regem Hispaniensem iis Vercellium & Vercellem redditurum esse; conservando duntaxat jus universum quod Serenissimæ Principi Margaritæ Ejusdemque Gnatæ Duci Mantuanæ competit; quamvis tamen locum illum tam injuste tamque illegitimè, ut omnibus notum est, possideat. Sin vero Galli Pinarollam restituere nollent, Regem Hispaniensem Se oblationibus à Cæsarea Majestate sibi propositis accommodaturum esse. Sed si tali casu mœnia Casaliensia à Gallis diruerentur, eaque Dominis Suis loca restituerentur,

rentur, jam tum Vercellium & Vercellem à Rege Hispaniensi redditum, simul etiam jus, quod ipsi in Alsatia competit, quantum Cæsareæ Majestati Galliarum Regi concedere placeret, omissum; denique conditiones ejusmodi propositas iri, quibus pax firma ac perpetua inter Majestatem utramque obtineri ac retineri posset: Gallis videlicet, quæcunque in Belgii Provinciis, Burgundia, atque Artesia occupata tenent, simul etiam Commercia Negotiaque secura reddentibus, ac Pacem firmam perpetuamque cum Cæsarea Majestate, Domus Austriacæ Principibus, uti etiam cum omnibus & singulis Principibus Electoribus, Principibus, Imperiique S. Ordinibus, denique cum Duce Lotharingiæ consuetis formulis solennibus, quæ Ejusmodi Tractationibus atque in earundem securitatem adhiberi solent, constantibus.

Gallorum autem Responsio Prima hujusmodi fuit.

UTpote qui summis Suis petitionibus perpetuo insisterent; Nimirum, Se, quæcunque in Belgii Provinciis atque etiam in Burgundia armis belli occupassent, retinere sibique reservare velle: ac quantum ad Cataloniam attineret, Induciis cum Rege Hispaniarum ineundis annuere, rebus ab utraque Parte, in quo jam nunc loco sitæ sunt, relictis, Oppidoque Flixensi, quamvis in Regno Arragoniæ sito, iisdem incluso: Insuper etiam Oppidum Portumque Rosarum oblationibus Rossellonensib. adjungendum esse. Gallos quinetiam concedere, ut in tantum temporis spatium cum Portugallis Induciæ contraherentur, in quantum Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentes D.D. Ordines Gener. cum Rege Hispaniarum Inducias contraherent. Dominum Duartum de Bergance liberatum cupere; eâ lege tamen ac conditione, ut, quidquid Regi Galliæ juris in Regnum Navarræ competeret, salvum atque integrum Eidem maneret. Quod vero ad res Italicas pertineret, cupere se, ut à Rege Hispaniarum Marescallo de Poma Sabionetta restitueretur, cumque omnibus ac singulis Italiæ Principibus Liga, seu Fœdus aliquod mutuum iniretur, utque in majorem Pacis, utramque Majestatem concernentis, securitatem obligatio mutua institueretur, qua utraque adversus omnes & singulos, qui Se hisce opponere conarentur, arma capere teneretur. Quod vero Casaliam spectaret, petere Se, ut alia quædam in hujusce Negotii expeditionem media ab Hispanis proponerentur; denique Pinarollam retinere constituisse. Ad Sabaudiam agrumque Mantuanum quod attineret, Tractationi Queirascensi & Mousoniensi insistere velle; addentes Graubunterienses in eam cum Gallis Societatem atque Amicitiam adsciscendos esse, in quam Anno 1617. adsciti fuerant. Postremo autem, quod ad Ducem Lotharingiæ attineret, nihil quidquam Regi Hispaniarum amplius competere, præterquam ut semetipsum obligaret, ad omne ipsi auxilium subsidiumque omni modo negandum.

Ad

Ad hæc autem Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentium D.D. Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, Intercessionis Suæ officio, ad modum sequentem, perfuncti fuerunt.

TRactatione inter Majestatem utramque hoc modo se habente, neque utramque quidquam proponente, propter reluctantiam Gallorum assiduam, Unitarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Per-Illustrem Comitem Pennerandæ decimo & septimo die Septembris convenerunt, quò Eundem rationibus optimis ac honestissimis admonerent, ut in Belgii Provinciarum atque universi Orbis Christiani Pacem atque incolumitatem res suas Negotiumque explicare vellet, ac tempus Gallorumque progressus armorum felices, ob oculos sibi poneret, Eos namque declarasse, Se omnia, quæcunque in Belgii Provinciis possiderent, retinere, Inducias quinetiam in Catalonia in tantum temporis spatium, in quantum cum Unitarum Belgii Provinciarum Ordinibus Generalibus, contrahendas concedere vellent, omissioni quinetiam Portugalliæ, idque propter Præpotentium D. D. Ordinum Gener. ut prædicabant, petitionem, annuere. Seque insuper coram Regis Galliarum Plenipotentiariis affirmasse, à se quidem in universo Portugalliæ Negotio nequidquam actum iri. Quibus tum Comes Penerandæ, ad hæc omnia Se animadversurum esse, respondit: utque supradictis D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiariis animi sui fidi ac sinceri indicium faceret, suamque fiduciam, quam in ipsis positam habebat, commonstraret, & quousque Eorundem opera ac benevolentia uti vellet, postero die iisdem respondit, omnimodam potestatem faciendo, Ipsorumque arbitrio, universum Gallos inter & Hispanos Negotium componendi, relinquendo. Quod quidem Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii acceperunt, simul etiam pluribus demonstrarunt, Se illud permagni æstimare, Per-Illustri Comiti pro tanta animi sinceritate ac fidelitate ingentes gratias egerunt: denique obtulerunt ac promiserunt, Se Regis Hispaniarum res causasque eodem, quo Suas consueverant, studio, cura ac diligentia confecturos esse; agnoscentes summam Sui devinctionem, propter magnam illam fiduciam quam in se positam haberet, & cui semetipsos antehac, propter Intercessionem ipsi oblatam, majorem in modum devinxerant. Ac quoniam Præpotentes D. D. Ordines Gener. pronum paratumque ad Pacem haberent animum, de eventu rerum exoptato nullo modo desperandum esse; quas equidem res Gallorum Legati & Plenipotentiarii viginti & quatuor horarum spatio componi ac confici posse, affirmarant.

Inter hæc quinetiam supradicti Domini Plenipotentiarii indicabant, Inducias contrahendas, resque Catalonienses vix eodem modo, tam respectu temporis quam verborum, institui posse; quod ut præveniretur, Inducias cum Regia Majestate ineundas, cum Pace commutaturos esse.

Quibus peractis, supramemorati Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarii Intercessionis initium sumpserunt, ac protinus (alio tamen prætextu) Osnabrugas recta tenderunt, quò omnes Regis Galliarum Legati Extraordinarii & Pleni-

Plenipotentiarii tunc temporis advenerant. Ac, postquam Osnabrugis Monasterium rediissent, quicquid cum Regis Galliarum Plenipotentiariis egissent, ordine exposuerunt; deinde etiam quo pacto Se cum Gallis gessissent, ad Tractationem hanc inter Utramque Majestatem inchoandam atque promovendam. Inter hæc autem plurimum Se ex eo laboris percepisse dixerunt, quod Tyrannum Portugalliæ eâ Tractatione secluderent; ac Suo quidem judicio, cum Rosarum à Rosseloniâ sejunctionem, tum Domini Duarti de Bergance detentionem maximum Tractationis Conclusioni & Confirmationi impedimentum afferre, Seque eapropter rogare, ne quidquam super hoc Negotio difficultatis movere, sed rem omnem quamprimum conficere vellent. Articulos quinetiam, de quibus cum Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis egerant, literis conscriptos Regis Hispaniensis Plenipotentiariis tradiderunt. Illi itaque sive confecti, sive infecti ab utraque Parte fuerint, secundùm difficultates, postulationes & responsiones, sequentibus dicentur.

Postremo autem Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii Regi Galliarum omnia loca, quæcunque in Belgii Provinciis, in Comitatu Burgundiæ & Charlesiæ jam nunc possideret, concesserunt; at Galli ad Articulorum conclusionem procedere nolebant, donec eorundem Ratihabitio & Confirmatio à Rege Hispaniarum tradita fuisset; quibus tum Hispani vi literarum publicarum ab utraque Majestate Suâ Legatis Extraord. & Plenipotentiariis concessarum, nihil isthac Ratihabitione & Confirmatione Regis utriusque ad plenissimam Tractationis securitatem opus esse dixerunt, propterea quod Majestas utraque, quæcunque à Plenipotentiariis Suis jam à primo Monasterium adventu acta & transacta forent, ea omnia approbatura ac confirmatura sit; quod ex ipsis quoque literis publicis datis liquet: Quapropter etiam visum consultumque videri, quo maturius universum Negotium confici posset, quod omnes ac singuli exoptant, ut hostilitatis cujuscunque cessatio concedatur, ac tempori, quod Ratihabitionis & Confirmationis expectatione temere consumeretur, consulatur. Quibus tum Galli, quod si à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gen. similiter fieret, supradictis Se accommodaturos esse responderunt, ac veluti concessum habuerunt, ut à Tractationis Conclusione omnis hostilitatis actus à Parte utraque cessaret; nihilo minus tamen Ratihabitionem & Confirmationem exhibendam, insuper etiam consuetas subsignationis ac juramenti formulas, quemadmodum in Tractatione Verviniensi factum fuerat, sedulò observandas esse. Hispani vero, quantum ad Ratihabitionis expectationem attineret, semetipsos iis omnibus, quæ à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis ac Plenipotentiariis hac in parte agerentur, accommodaturos esse promiserunt. De hoc igitur Negotio inter Partem utramque hactenus conventum fuit.

Porrò autem Galli petebant, ut universus Rossellonienfis Comitatus, cui similiter Rosæ earumque portus includerentur, in perpetuum Regis Galliarum Imperio subjiceretur; Cui equidem petitioni ab Hispanis responsum fuit, Rossellonienfi Comitatu includi, quæcunque Pertas inter & Gallias sita essent, neque etiam Rosas unquam supradicti Comitatus partem extitisse; Eaque propter minimè decere, ut Oppida ac Civitates à Parte Sua naturali distraherentur, regio-

numque & Provinciarum limites commutarentur, aut inter se confunderentur; proindeque æquum justumque videri, ut Rosæ Principatui Cataloniæ, quemadmodum hactenus fuerant, conjunctæ manerent. Gallis itaque Petitioni Suæ insistentibus, Comes Penerandæ universam illam difficultatem Præpot. D. D. Ordinum Gener. arbitrio judicioque submisit; quo, postquam ad Articulorum omnium, Pacem concernentium, conclusionem perventum esset, accommodare Se necesse haberent, quod alioqui denegarent. Post hæc Gallorum Legati petierunt, ut Rosæ sibi cum omnibus locis, ab iisdem dependentibus, quibus etiam Portum Cadacquesium, & quicquid inter Mare Rosarum Rosselloniam usque interjacet, traderentur. Quibus tum Comes Penerandæ coram Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis respondens dixit, Portum Cadacquesium æque commodum, quin imo Portu Rosarum commodiorem esse; atque utrumque etiam, omni dubio procul, ad Principatum Cataloniensem pertinere, nec quidquam cum Comitatu Rossellonienſi commune habere; insuper quoque iniquum plane atque absurdum videri, quod Regis Galliarum Legati Portum Cadacquesium, portu Rosarum commodiorem multò, tanquam locum aliquem dependentem, ut supradictum est, peterent; nihilo minus tamen ea de causa Pacem minimè dissolutam iri, ubi Præpotent. D D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii, quorum judicio atque arbitrio Negotium illud commiserat, difficultatem hanc expedirent. Res itaque de Portu Cadacquesio infecta mansit.

Galli quinetiam petebant, ut in perpetuam conservationem eorum, quæ Hispanis concessissent ac tradidissent, ejusmodi Pacis Tractatio institueretur, qua locorum traditiones ac renunciationes solennibus formulis exprimerentur; adeo ut omni securitate Regno Galliæ adjungi possent. De qua re conventum fuit, ut à Majestate Hispaniensi satisfieret.

Denique ut respectu Principatus Cataloniensis in tantum temporis spatium, in quantum cum Præpotentibus D. D. Ordin. Gener. Induciæ contraherentur; absque ulla tamen ejusdem rei in dicto Tractatu insertione; utque Induciæ illæ in ipso Principatu Cataloniensi fide optimâ conservarentur, omni hostilitatis actu, atque omni in contrarium actione seposita; quem in finem quoque plenissima securitas, cautiones quascunque exprimens, tradenda foret. Hispani vero, in totum Sese Arbitrio Judicioque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. submittentes, dixerunt, Inducias de quibus ante pluribus inter Se egerant, neque eadem formâ neque eodem tempore cum Induciis Præpotent. D. D. Ordinum institui posse. Ac respectu securitatis & cautionis Hispaniar. Regem fide optimâ acturum esse. Galli Inducias hasce Catalonienses ad triginta Annorum spatium institui volebant, non obstante tamen Pacis seu Induciarum cum Præpotent. D. D. Ordinibus Tractatione. Quam etiam difficultatem Hispani Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Arbitrio Judicioque reliquerunt, atque de eadem, ubi cæteræ compositæ forent, agi voluerunt.

Ad res quinetiam Italiæ & Graubunteriensium quod attinet, Regis Galliarum Plenipotentiarii coram Præpotent. D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis declararunt, simul ac petierunt, ut Rex Hispaniarum Ducibus Sabaudiæ Mantuæque

que ea quæ ab iisdem occupata tenet, imprimis autem Vercellium & Vercellem redderet; Eaque propter Rex Galliarum supramemoratis Sabaudiæ Mantuæque Ducibus restitueret, quæcunque ab iisdem tenet in Pedemontio & Montferrato, Susam videlicet, Abillanum, Castellum Thurinense, Crecentinum, Chivatium, Berruam, Trinum, cæteraque loca Montferratensia, Oppidum, Arcem, Castellumque Casaliæ, & quidquid ad Montferratum pertinet; Solâ Pignarollâ cum locis ab eadem dependentibus, prout Tractatione Galliarum Regem inter & Sabaudiæ Ducem confirmatâ exprimuntur, exceptâ: denique, ut loca ab utraque Parte eodem tempore restituerentur: Ad hæc Hispani, Se & hactenus obtulisse, atque etiamnum locorum omnium à Se in Sabaudia Mantuaque captorum restitutionem Dominis suis legitimis offerre; quandoquidem illa restitutio unicum & solum Pacis Italicæ conservandæ remedium esse videretur; hac lege tamen ac conditione, ut omnia à Galliarum Rege loca occupata similiter restituerentur. Galli, ut ab utraque Parte simul eodemq; tempore Pignarolla cum locis suis dependentibus restitueretur, nec non Principis Margaritæ Jus competens reservaretur, concesserunt. De his itaque ab utraque Parte conventum fuit. Diebus vero paucis post Galli præter ea, quæ supramemorato Articulo concessa fuerant, voluerunt ut Casaliæ loca Helvetiorum milite præsidiario, Nomine ac Titulo Ducis Mantuani, reservarentur, atque in manus Ejusdem Annis singulis coram Regis Galliarum & Reipubl. Venetorum Deputatis jurarent; eâ lege tamen, ut à Gallis militi Præsidiario, & Gubernatori, qui jam nunc est, satisfieret. Ac si deinde Gubernator alius substitueretur, ut is à Duce Mantuano, Majestate Sua Galliæ approbante, è Subditis Montferratensibus eligeretur. Quod tamen perinde est, ac si dixissent, Casaliam, sicuti nunc à Gallis tenetur, Regis Galliarum imperio relinquendam esse; quamvis aliter prætendant. Quo contingeret, ut Veneti quoque Partem militum Helvetiorum, Casaliam asservantium, exsolverent; idque in Pacis securitatem petere Se dixerunt, quo Rege Hispaniarum, dissolutâ Pace, Gallorum Regna invadente, Casalia tamdiu à Gallis teneretur, donec ejusmodi difficultas inter Partem utramq; composita foret. At Rege Galliarum in Hispaniensem agrum irrumpente, Casaliæ miles Præsidiarius obligatione ac devinctione, qua erga Galliarum Regem teneretur, liberaretur; Oppidumque Ducis Mantuani Imperio totum relinqueretur. Quod Galli quoque intendebant, ne Casalia atque universus Montferratensis ager ab Imperio Mantuano, in Principis alicujus Austriaci potestatem, sive conjugio, sive alio quovis modo, deveniret: Quem in finem etiam summè dictus Mantuanus Dux, Ejusdemque Mater tanquam Tutrix, Semet obstringere atque obligare deberent; Ipsus denique Papa Romanus, Duces Sabaudiæ, Florentiæ, Modenæ, Parmæque, uti quoque Respublicæ Venetorum, Genuæ, Lucæque, ut de hujusce rei securitate cavere vellent, rogandi forent. Ad hæc Hispaniarum Regis Legati responderunt, quæcunque de Casalia modo Galli proposuissent, nova quædam esse, iisque contraria, quæ paulo ante de eadem re concessa compositaque fuerant; ad Pacis autem Italicæ securitatem & conservationem quæcunque loca ab utraque Majestate occupata tenerentur, quibus etiam Casalia annumeratur, eodem tempore Dominis suis absque ulla limitatione, restituenda esse. Eapropter quoque Hispaniarum Regem, Spe Pacis con-

consequendæ, Pinarollam Gallis concessisse, idque secundùm oblationem istius Oppidi à Cæsarea Majestate propositam; quâ quidem Cæsarea oblatione declarandum fuerat, Regem Galliarum obtulisse, Se, quæcunque loca expugnata possideret, Principibus, qui ipsi antehac, atque etiamnum ab ipso belli initio Fœdere juncti fuerunt, redditurum esse: Hispaniarum vero Regem Duci Sabaudiæ, qui antehac bellum adversus Se paraverat, atque etiamnum gerebat, sua traditurum esse. Atque ut Regis Hispaniarum animus in omni Tractatione sincerus tantò melius pernosceretur, unam, ex hisce tribus, conditionem Pars utraque acciperet. 1. Ut Majestas Sua utraque, quæcunque in agro Montferratensi & Pedemontensi jam nunc possiderent, tamdiu retinerent, donec Liga seu Fœderatio Principum Italiæ confirmata foret; quod quidem Pacis conservationi haud solùm, sed & Gallorum quoque postulatæ securitati plurimùm inservire posset. 2. Ne Casalia in alterius, præterquam in Ducum Mantuanorum, potestatem traderetur, vel ut Papæ Romani aut Venetorum tutelæ ac fidei committeretur. 3. Denique ut munitiones quæcunq; Casalienses diruerentur, adeo ut nequidquam inde dependens, sive directè sive indirectè, neque Præfectus, neque miles Regis utriusque sumptibus relinqueretur; hac tamen oblatione non obstante, Galli primis rursus petitionibus inhærebant, dicentes Articulum hunc nullam pati moram; Eapropter igitur Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii Negotium illud Præpot. D. D. Ordinum Gener. Judicio Arbitrioque relinquentes, rationes suas Gallis adversas coram exposuerunt.

Galli quinetiam petebant, ut Tractatus Queyrascenses & Mouzonienses executioni mandarentur, exceptis tamen iis rebus, quæ præsenti Tractatione mutandæ forent: Quibus Hispani responderunt, omnes difficultates, quæ inter Majestatem utramque intercederent, nullis exceptis, præsenti Tractationi inserendas esse, adeò ut minimè necesse foret alterius Tractationis mentionem fieri, sive ad aliam recurrere, quandoquidem ex eâ plus difficultatis, quæ exoptatam Negotii confectionem impedire plus posset, exoriretur. At Galli contrà affirmabant perquam necesse esse, ut in Tractatione Pacis Tractatus Queyrascenses & Mouzonienses conservarentur, idque propter Pacis Italicæ securitatem, & conservationem eorum omnium, quæcunque inter Sabaudiæ Mantuæque Duces composita & confecta existerent; insuper etiam offerebant ac promittebant, Se Duci Mantuano, quocunque loco visum foret, tantam pecuniæ Summam exsoluturos esse, quantam memoratâ Tractatione Queyrascensi promiserant: quantum vero ad Mouzoniensem Tractatum attineret, velle Se, ut postremus cum Graubunteriensibus Mediolani initus confirmatusque Tractatus sibi exhiberetur, quo indicari ac demonstrari posset, quodnam moderamen huic Negotio adhiberi posset. His itaque Hispani satisfacientes dicebant, Regem Hispaniensem, quantum ad Tractatum Queyrascensem attineret, à sua Parte eundem observare cupere, eâ lege tamen ac conditione, ne Rex Galliarum deinde ea stipularetur, quæ non mediatè ad se attinerent, quæque, ut jure optimo effecta redderet, à dicto Hispaniarum Rege nullâ ratione peti poterant. His igitur Galli acquiescebant, eâ lege tamen ac conditione, ut neutra Majestas Principibus, quorum interesset, Tractatum Queyrascensem violantibus quidquam auxilii subsidiique conferret; contrà vero

arma

arma sua adversus ejusmodi omnes gestaret, quò eos ad ejusdem Tractatus observationem cogeret; postremò autem Mouzon. Tractatum, quantum Hispanos Gallosque spectaret, eo modo observaret, quo modo Anno 1617. observatus fuerat, nimirum ut Majestas utraq; ad Graubunterienses atque ad Valtelinenses aditus liberos haberet, eamq; Amicitiam & Societatem, quæ iisdem tunc temporis erat, perpetuò coleret. Ad hæc quinetiam Hispani Majestatem Suam, quantum ad se attineret, Queyrascensis Tractatus observationem promittere ac polliceri, neque justum æquumque judicare, ut plura à Se postularentur; sed vero non abs re videri, ut neque Majestati Hispaniarum, neque Majestati Galliarum cuiquam Principum dictum Tractatum Queyrascensem violantium, armisque belli contra nitentium, opem quamcunque ferre liceret. Galli Tractatus Queyrascensis observationi atq; executioni Hispanos devinctos prædicabant (quamvis nulla ratione sive æquâ, sive honestâ illud probare poterant, eò quod nemo plenissimâ Auctoritate à Rege Hispaniarum munitus intercessisset) quapropter etiam Galli prioribus suis petitionibus insistebant, ac petebant, ut Majestati utrique in dictas Graubunteriensium & Valtelinensium agros liberi semper aditus paterent: atque Veterum cum Graubunteriensibus & Valtelinensibus Fœderum, quondam cum Gallis initorum, Auctoritas conservaretur; denique ut in difficultatibus reliquis Commercia, Gubernationem atque inter dictos Graubunterienses ac Valtelinenses moderamen concernentibus, Tractatus Mediolanensis observaretur. Ad hæc Hispani ea, quæ ante, repetierunt; nec Majestatem Suam Regi Galliarum prohibituram esse, quo minus aditus ad Graubunteriensium agros, quos competere sibi arbitrabatur, liberos patentesque haberet, aut quo minus veterum Fœderum observationem cum iisdem consequeretur: Sed vero quoniam Negotium illud ad Graubunterienses & Valtelinenses duntaxat attineret, cum iisdem quoq; conficiendum atque expediendum esse. Ubi tum Galli eâ lege ac conditione iis, quæ ab Hispanis de Tractatu Queyrascensi concedebantur, se accommodarunt, ut Majestas utraque promitteret fidemq; daret, se pro Authoritate suâ effecturam, ut omnis Tractatus violatio præveniretur atque illata resarciretur: ac si violationes non cessarent, ut Regi Galliarum cuicunque Principi, cui damnum infertur, succurrere licitum, Regi vero Hispaniensi adversæ Parti subvenire illicitum sit. Postremo ut Negotium universum Graubunterienses & Valtelinenses concernens, quo mens atque intentio Partis utriusque rectius pernosceretur, Regis Galliarum Plenipotentiarii literis mandari curarent. His itaque terminis præsens Articulus hactenus relictus fuit.

Galli Fœdus aliquod inter Principes Italiæ conflari volebant, idque in securitatem eorum omnium, quæ præsenti Tractatione componerentur ac confirmarentur; de quo Negotio, Italiæ sc. Fœdus spectante, à Parte Regis Hispaniarum conventum fuit.

His insuper Galli adjungebant, illicò de mediis, quibus Fœdus illud inter Italiæ Principes effectum reddi posset, cogitandum esse. Eaque de causa cum Eorundem Principum Ministris, jam tum Monasterii commorantibus, agendum esse. His autem Hispani regerebant, Regem suum ad ejusmodi Fœdus ineundum promptum paratumque esse, cujusmodi in Italiæ securitatem excogitari atque

adhiberi possset: neque Regi Hispaniarum plura, quam iis, ad quos Negotium illud pertineret, proponenda, deque Negotio hoc, eo quo deceret loco ac tempore, agendum esse, quandoquidem à Majestate Hispaniensi majora postulari non possent. Galli tamen majorem in modum urgebant, ad Fœdus memoratum efficiendum, necesse esse, ut Regis Hispaniarum Plenipotentiarii tantopere apud Principum Italiæ Ministros, Monasterii commorantes, quantopere Regis Galliarum Plenipotentiarii ad dictum Fœdus contrahendum urgerent. Hispani operam suam in Fœdere ineundo apud Principum Italiæ Ministros pollicebantur; hac lege tamen, ut nihil intermitterent, ad Tractationem Pacis præsentem conficiendam confirmandamque; ac rationem, ob quam hactenus nondum conclusissent, hanc fuisse, ne Tractationis, quæ à Fœderati Belgii Ordinibus paulò penitius perpendebatur, secretiora proderent; in quem etiam finem Pars utraque fidem dederat. Quibus tum Galli, Se etiam atque etiam scire velle, quantopere Galli apud Principum Italiæ Ministros instarent; cupientes, ut dictum Fœdus inter Principes Italiæ concluderetur prius, quam præsentis Tractationis Pacis Ratihabitio traderetur: interea autem temporis Rex Galliarum, quæcunque in Italia possideret loca, retineret, donec supradictum Fœdus inter Principes Italiæ initum confirmatumque foret. Hispani ea, quæ supra, respondebant, nec quidquam aliud addebant: at Galli, se continuo Fœdus illud initum cupere, addebant, illud quam maximè Majestatis utriusque securitati inservire posse. Articulus itaque hactenus relictus fuit.

Porrò autem Galli petebant, ut Domui Sabaudiæ, quantum ad Dotem Infantis Catharinæ attineret, Hispani satisfacerent. Hispani Negotium illud variis temporibus Regem Hispaniensem inter & Sabaudiæ Ducem agitatum fuisse dicebant, atque ut ea, quæ inter Partem utramque composita ac confirmata essent, cognoscerentur, Actis Causæ utriusque & Scriptis, quorum copia Monasterii non daretur, peropus esse: interim tamen Hispani offerebant ac promittebant tantam pecuniæ summam à Rege suo exsolutam iri, quantam Dux Sabaudiæ æquam justamque esse judicaret. Quibus non obstantibus, Galli tamen instabant de prædicta dotis summâ detrahi posse, quantum Principi Margaritæ competere judicaretur; adeò ut ab Hispaniarum Rege satisfaciendum foret; quibus Hispani, se, quæcunque de eâ re transacta forent, præstituros esse dicebant: at Galli, dictam pecuniæ summam quamprimum exsolvi, volebant. Ad quæ Præpotent. D.D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii responderunt, sententiam à neutrarum Partium Judicibus dicendam, eumq; in finem tempus aliquod certum determinandum esse; cui quidem propositioni Hispani annuentes, universi Anni spatium concedebant, insuper etiam addebant, dictam sententiam omni ex Parte observandam, atque interea Principi Margaritæ, Ejusdemque Gnatæ satisfaciendum esse. Galli vero tempus aliquod ad respondendum stipulati (postquam cum Ducis Sabaudiæ Legato consilium super hac re iniissent) Se contentos eo dicebant; hac lege tamen & conditione, ut Hispani securitatem aliquam in pecuniæ exsolutionem exhibeant, quam *Rota Romana*, respectu Dotis Infantis Catharinæ, persolvendam judicaret. Hispani Ejusdem *Rota Rom.* Sententiam concedebant, veruntamen ne qua ejusce securitas à Parte Hispanorum danda foret.

Gal-

Galli, ut Partis utriusque Subditi secundùm æquum justumque ubique locorum exciperentur, petierunt; iisdem bona sua restituendo; imprimis vero Duci Atriensi. Regis vero Hispaniensis Nomine locoque responsum fuit, ut, quantum ad Majestatem Suam attineret, Eandem curaturam ac prospecturam sedulo, quò Partis utriusque Subditis secundum æquum justumque distribueretur. Galli majorem in modum urgebant restitutionem bonorum Ducis Atriensis, in Regno Neapolitano, uti quoque bonorum omnium Ducis Bournonvillæ, & Croyæ, nec non Principis Espinoyæ, Comitis Egmontii; & reliquorum, qui bonis suis destituebantur,quiq; ante præsentis Tractationis Confirmationem ac Ratihabitionem proponentur. Hispani eadem, quæ de Atriensis Ducis bonorum restitutione, respondebant; adjungentes, reliquos omnes Regis Hispaniarum Vasallos subditosque existere, læsæque Majestatis criminis ante utriusque Regis bellum arcessitos,atque à judicibus damnatos esse. Galli,omnibus & singulis, qui Regis Galliarum signa sequuti fuerant, imprimis autem Duci Atriensi, si non ex omni, saltem ex aliqua Parte satisfieri volebant; dicentes, iis bonis, quæ Regis Hispaniarum Nomine ac titulo Ejusdem Domus scutifero tradita fuerant, satisfieri posse. Batavis quinetiam signa Regis Galliarum sequutis, omnia bona, jura, privilegia dignitatesque reddendas esse; idque eo modo,quo vi Tractatus Madricensis cum Duce Bourboniensi, ac vi Tractatus Præpotent. D. D. Ordinum Gener. cum Seniori Principe Espinoyæ actum fuit. Hispani, justam æquamque satisfactionem iis datam iri, promittebant, qui Ducis Atriensis Nomine insignirentur: quamvis neque Italicâ, neque Familia Aquavina oriundi existerent, idque Rex Hispaniarum determinaret: Regem quinetiam Hispaniensem Duci Bournonvillæ, Principi Espinoyæ, Comiti Egmontii, cæteris, qui Regis Galliarum militiæ fuerunt, bona eorum omnia, quæ adhuc supersunt, sub condonationis forma, Rege ac Regina Galliarum petentibus, redditurum esse, nimirum si Rex Galliarum omnibus, qui à Partib. Regis steterunt, sua quæcunque restitueret; adeo ut ab utraque Parte bona omnia actionesque subditorum reddenda, atque in eum, in quo ante bellum fuerunt, locum restituenda forent; versuris nihilominus jam præteritis exceptis, quas neutra Pars exsolvere teneretur, atque imprimis à Regis Hispaniarum Parte Domino Baroni Pictaviensi, Dominæ Isabellæ Burgundiensi, Dominæ Marchionis Marvayæ Viduæ, Dominæ Pordevaucensis Ducis Viduæ, D. D. Dynastis Sceyensib. Marchioni Varamboniensi, Comiti S. Amoutii, aliisque qui ante præsentis Tractationis Conclusionem sese offerent, satisfaciendum esse.

Galli clariorem satisfactionis,Duci Atriensi præstandæ, declarationem postularunt; simul etiam voluerunt, ut Regis Hispaniarum subditis Vasallisque Regis Galliarum Partes sequutis, vi Tractationis ineundæ, non autem condonationis offerendæ, bona omnia restituerentur; quemadmodum superioribus Tractatibus factitatum fuit, Eorum voluntati atque arbitrio, qui sese in Gallias receperunt, commisso, ita tamen ut bonis suis uti liceat. Hispani autem promittebant, causam Ducis Atriensis eodem temporis spatio confectam, ipsique à Rege Hispaniensi æqualiter satisfactum iri, prout Majestati Suæ æquum justumque videretur. Ac quantum ad Regis Hispaniarum Vasallos attinet, qui semetipsos Regis Galliarum fidei ac clientelæ commiserunt, iis jam bona, quæcunque adhuc supersunt, resti-

tuta

tuta iri, eâ lege tamen ac conditione, ut à Regis Galliarum Parte idem similiter subditis Vasallisque, qui ad Hispaniarum Regem se contulerunt, fieret. Ad hæc Galli responderunt, quantum res Atriensis Ducis spectaret, interea, dum Neapoli sententia judiciumque expectaretur, Regem Hispaniensem Dominia Aquavinensis Domus, quæ à regno Galliæ hactenus dependerunt, restituere debere; eâque conditione summedictus Comes promitteret fidemque daret, Se Majestati Suæ Galliæ Actiones quascunque, siquidem causam vicisset, traditurum esse, omni ulteriore remuneratione, præterquam Marchionatus Vitontnesis restitutione exceptâ. Eo igitur loco supradictus Articulus à Parte utraque relictus fuit.

Galli insuper postulabant, ut Publicationum seu Confiscationum, Repressaliorum, Commerciorumque Negotium debito & consueto Tractationis modo dirigeretur: ac, si mutatio quædam nova oboriretur, ea Partis utriusque consensu componeretur: quibus Hispani contentos Se esse dicebant. Atque utrique annuebant, ut ab hoc quoque die Articulorum Propositio sive Conceptus quidam, Repressalia, Commercia cæteraque concernens institueretur, quò dictum Negotium tantò magis promoveri posset.

Galli quoque eos omnes & singulos, qui Se Tractationi præsenti inclusos vellent, eâ auctoritate ac potestate mutua nominandos esse, ut sex Mensium intervallo alias eidem includere Parti utrique integrum ac licitum foret, Parte videlicet utraque annuente. Hæc quoque Hispani concesserunt.

Ad Lotharingiam quod attinebat, Galli similiter jus quodcunque Parti utrique competens, imprimis autem in Regnum Navarræ, salvum atque integrum volebant, ad modum Tractationis Vervinienfis. Quibus Hispani concesserunt, quantum ad juris Parti utrique competentis reservationem attineret, Tractationis Vervinienfis modum formamque observatam iri. Galli majorem quoque in modum urgebant, ut regni Navarræ mentio fieret, concedentes nihilominus, ut petitionibus Suis, non per armorum sed Amicitiæ ac compositionis modum, annueretur. Hispani autem, ubi Navarræ, ibi quoque Burgundiæ mentionem fieri oportere declarabant, eo quod jus illud Parti utrique competens omni fide ac sinceritate esse oportebat. Galli Navarræ juris competentis specificationi insistebant, neque reciprocum illud Burgundiæ à Parte Regis Hispaniarum concedebant. Quibus Hispani, ab utraque Parte juris competentis Renunciationem, ad modum Tractationis Vervinienfis, instituendam esse dicebant.

Quod tamen Galli admissuros Se esse negabant, sed vero juris in Navarram competentis expressioni insistebant, neque Burgundiæ insertionem concedebant. His itaque Hispanis abnuentibus, Galli responderunt, Se jus Majestati Suæ Galliæ in Navarram competens neutiquam omittere velle; nihilominus tamen Hispanis concedere, ut quidquam etiam, cujus Renunciatio nulla facta fuerat, salvum atque integrum reservarent; quibus tum Hispani, nunquam Se Ducatui Burgundiæ renunciasse, responderunt; Ideoque jus illud sibi competens, secundùm ipsam Gallorum oblationem, reservare licitum sibi atque integrum esse.

Galli captivorum omnium, quinetiam D. Duarti de Bergance relaxationem, ab utraque Parte concedi, fidemque dari volebant, Eos omnes & singulos ab hoc usque

usque die non pejori modo exceptos iri. Ad hæc Hispani, Ducem Duartum non bello captum, sed Regis Hispaniarum Vasallum existere, in quem nemini, præterquam Majestati Suæ, quidquam juris reliquum esset: Interim tamen Pacis Tractatione confirmatâ, Reginæ Galliæ Ejusdemque Filio Regi licere, quemcunque cuperent, Intercessorem Patronumque D. Duarti ejusque Causæ apud Regem Hispaniensem parare atque adhibere. Sed quod ad reliquos Partis utriusque captivos attineret, Se petitionibus Gallorum annuere dicebant: Gallis autem D. Duarti liberationem urgentibus, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii responderunt, Eum Cæsareæ Majestatis seu Regis Galliarum fidei eâ lege interea committi posse, ne Eundem in Portugalliam dimitterent, neve auxilium, quodcunque directe sive indirecte, sive fratri Ejusdem sive Portugallis suppeditarent; denique ut Depositarius horum omnium observationi semetpisum obstringeret. Hispani, postquam pluribus super Negotio hoc disseruissent, responderunt, Se harum conditionum alterutram admissuros esse, nimirum, ut D. Duartus sive Cæsareæ Majestatis, sive Regiæ Galliarum fidei committeretur, id vero Tractatione quadam privata expediendum esse; relicto tamen Majestatis Hispaniarum arbitrio, quænam conditionis utriusque placeret, ea quidem ne in Portugalliam dimitteretur, neque fratri ejus aut Portugallis subveniretur. His quidem Galli contentos Se ajebant, interim tamen plenissimam D. Duarti libertatem absque ulla conditionis insertione petebant, concedentes, ut privata quædam ea de causa Tractatio institueretur. Quo quidem in loco supramemoratus Articulus, absque ulteriore Hispanorum responsione, transmissus fuit.

Galli insuper proponebant, de utriusq; Partis Deputatis trium Mensium spatio mittendis, qui ordinem aliquem locorum Gallis tradendorum instituerent, reliquosq; Articulos, qui præsenti Tractatione infecti mansuri essent, componerent; cui equidem propositioni Hispani annuebant, simul etiam concedebant, ut de locorum, quæ utrinque commodiora viderentur, per Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Intercessionem, permutatione ageretur. Gallis autem Articulum de Sabionettensi Negotio repetere occipientibus, Hispani responderunt, illud universum à Concilio Cæsareo confectum existere, utpote cui jus integrum in Partem utramque competebat, quæ Semetipsam dicti Concilii Cæsarei judicio submiserat; proindeque ad præsentem Tractationem neutiquam attinere.

Hoc igitur loco universa Gallos inter & Hispanos Tractatio, post tot tantasque Regis Hispaniarum oblationes, relicta fuit. Adeò ut facili Negotio videri possit, quam negligenter tam exoptato Pacis Negotio Galli studebant, simul etiam quam parvi Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Intercessionem æstimabant: quippe pluribus compertum est, ipsos non à petitionibus duntaxat magnis ne latum quidem digitum destitisse, præterquam quod media, quæ ipsimet proposuerunt, quanvis honesta, æqua justaque rejecerint; verum etiam sæpenumero ea, quæ ante concesserant, postmodum denegasse, & nova paulatim petitionibus suis addidisse, & quæ præsentem Tractationem, aut Regnum utrumq; ne minima quidem Parte spectarent, proposuisse, Pacis quinetiam Tractationi moras quam maximas injecisse. Exempli gr. quod Fœdus inter Italiæ Principes ante præsentem Tractatio-

nem contractum, res quinetiam Graubunterienses, Valtelinenses Mantuanosque concernentes, absque ulla Eorundem intercessione à semetipsis decisas, Hispanos denique pro exteris ac peregrinis Subditis absque ulla potestate obstrictos atque obligatos voluerunt. Contra verò cognitum satis perspectumque fuit, nihil quidquam à Rege Hispaniarum intermissum fuisse, quo animi sui sinceri fidelisque indicium faceret. Eapropter etiam Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis visum consultumque fuit, ne quidquam de hac re amplius ageretur, quamdiu Plenipotentiarii Hagæ Comitis commorarentur; quandoquidem certum erat, si remedium aliquod adhiberi potuisset, quò Galli ad Pacem, à qua tamen animum suum tam alienum habebant, impelli poterant, id solummodo propter Præpotentium D. D. Ordinum Gener. cum Hispanis conclusionem ac confirmationem futurum fuisse. Nec non & illud certum erat, quod Galli nonnihil subverebantur, ne Præpotentes D. D. Ordines Gener. eorum omnium, quæ inter ipsos cum Hispanis acta fuerant, à Legatis & Plenipotentiariis certiores redderentur. Quod tamen Gallorum Ministri majorem in modum, ne per literas Deputantibus Suis indicarent, rogarunt. Quod profectò à veritate haud longè alienum erat, propterea quod judicarent, si Præpotentes Ordines per Plenipotentiarios Suos rerum omnium participes redderentur, continuò impellerentur, ad propiores tantæ moræ rationes jure meritoque à Gallis exigendas; quas si reddere negarent, Suam cum Rege Hispaniarum Tractationem seorsim à Gallis confirmarent. Hisce igitur aliisque de causis Comiti Penerandæ visum fuit, ut Scripta hæc, quibus omnia, quæ Gallos inter & Hispanos, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis intercedentibus, acta propositaque exprimuntur (quamvis Præpotentium D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis datum concessumque fuerat, ut, quæcunque à Rege Hispaniarum Articulatim proposita concessaque forent, ad eum usque locum, in quem universa Tractatio hactenus perducta fuerat, omnibus insuper novis petitionibus, adjectionibus, commixtionibus, quas Galli quotidie excogitant, additis, Regis Hispaniarum Nomine locoque conficere ac confirmare) Domino Marchioni de Castel-Rodrigo virò prudentissimo ac sapientissimo traderentur, Ipseque simul cum Instructione quadam, à Celsitudine Sua conscripta, Hagam-Com. delegaretur, quo absque ulla mora Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. simul etiam Celsissimo Arausionensium Principi & quorum intererat, iniquam prorsus atque injustam Gallorum Tractationem, simul etiam Regis Hispaniarum sincerum fidumque animum, demonstrare posset. Quandoquidem negare minimè possent, eousque perventum fuisse, Regemque Hispaniensem absque ulla cautione ac reservatione concessisse, quæcunque Gallos immediate spectarent; quippe cætera vel ad Ipsos neutiquam attinebant, vel exigui plane momenti erant, nisi ut per ea, quæ producebant, Pacis Confirmationi moras injicerent, eamque prorsus abrumperent. Neque etiam verisimile videtur, quenquam inter Præpotentes D. D. Ordines Gener. quantumvis Gallorum causis faventem, existere, qui dicere non verebitur, Præpotentes D. D. Ordines Gener. Regis Galliarum tam injustis tamque iniquis petitionibus obstrictos Se obligatosque teneri, sed vero eodem acquiescere posse, quod commodorum maximorum, quæ Gallis ab Hispaniarum

niarum

niarum Rege non Belgii duntaxat Provinciis, sed in universo quoque terrarum Orbe, respectu conditionum à Majestate Sua Gallis concessarum, idque propter Præpotentium D. D. Ordinum Gener. intercessionem, oblata fuere, causæ extiterint, iisdemque liberè licere (propterea quod difficultatum omnium renunciatio, quam Rex Hispaniarum Eorum judicio arbitrioque commiserat, omni ex parte summedictos Ordines Generales excusare debeat) à Gallis semetipsos sejunctos habere, neque à quopiam Fœderis Securitatis reliquorumque Fœderationum, quæ à Gallis perperam allegabantur, violationis sive transgressionis accusari posse.

Postea vero Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii ceu Mediatores Comiti Penerandæ sequentia, difficultatum Gallos inter Hispanosque componendarum, media proponebant, Eum rogantes, num hæc ipsi placerent? respondit, Se cum Regis Galliarum Plenipotentiariis super iis acturum esse.

Gubernator sive Præfectus Casaliensis à Duce Mantuano constituetur, ex ipsius subditis, isque in manus summe dicti Ducis, coram utriusque Majestatis Venetorumque Commissariis, simul cum milite suo præsidiario jurabit.

Milites Præsidiarii, partim ex Helvetiis, partim è Ducis Mantuani subditis, conscribentur.

Militis Præsidiarii stipendium Commissario uni, cui id Negotium, sive à supramemorato Duce, sive à Venetis demandabitur, tradetur, qui Ejusdem Ducis Nomine ac titulo dictum stipendium militi Præsidiario exsolvet.

Tractatio quædam privata cum summememorato Duce ea de causa instituetur, donec ipsemet annum ætatis suæ vicesimum & quintum sive Annum ... excesserit; eoque non obstante, promissio illa, nunquam scil. dictum Oppidum, sive Conjugio, sive alio quocunque modo, in alterius Principis Regisque potestatem traditum, contra vero Imperio Mantuano semper relictum iri, sincere fideliterque observabitur.

Rex Hispaniarum à Tractatione fidem dabit, Se nunquam locum aliquem Montferratensem oppugnaturum esse; insuper etiam Italiæ Principes ab utraque Majestate rogabuntur, ut à Gallis propositum Fœdus inter Se conflare velint, partim in Tractationis inter Majestatem utramque ineundæ securitatem, partim in promissorum, de Casalia Imperio Mantuano relinquenda, certitudinem; absque ulla tamen præsentis Tractationis intermissione.

Quantum ad Tractationem Queyrascensem attinet, Articulus à Rege Galliarum propositus observabitur, hac tamen adjunctione, ut tam Sabaudiæ quam Mantuanis Ducibus salvum atque integrum maneat proponere atque exhibere damnum & detrimentum, quodcunque ex ea Tractatione percepturos Se esse arbitrabuntur. Idque vel Amicitiæ vel Justitiæ viâ, absque ullo tamen actu hostilitatis sive armorum auxilio, futurum est.

Graubunterienses & Valtelinenses, eo, in quo nunc sunt, loco relinquentur, eâ lege tamen ac conditione, ut respectu Gubernationis quatuor Mensium spatio, post præsentis Tractationis confirmationem, suam declarare sententiam exponereq; velint, quò ab utraq; Majestate Sua Negotium sedulò confici ac curari possit.

 Grau-

Graubunterienses insuper & Valtelinenses Regi Galliarum patentem semper ad agros suos aditum concedent, &, quod olim cum summedicto Rege Fœdus contraxerunt, idem jam nunc cum Eodem, cumque Rege Hispaniarum observabunt; sic tamen, ut neque Gallis neque Hispanis id ipsum impedire unquam liceat, neque de Tractatione Mouzoniensi & Mediolanensi quidquam proponi concedatur.

Hispani, quodcunque modo severissimo à *Rota Romana* conclusum confirmatumque fuerit, fideliter observare ac conservare tenebuntur.

Pars utraque Articulo vicesimo primo, & vicesimo secundo Tractatus Vervinienfis Semetipsam accommodabit; Sic tamen, ut utrique terminis generalioribus reservare liceat, quodcunque superioribus Tractatibus non renunciaverit; aut si Galli jus sibi in Navarram competens salvum atque integrum voluerint, ut idem etiam Hispanis in Ducatum Burgundiæ cæteraque loca, superioribus Tractatibus expressa, quibus jus salvum atque integrum cupierunt, reservare licitum sit.

Rex Hispaniarum D. Duartum de Bergance Cæsareæ Majestatis fidei commissurus est, Ipsumque prorsus impulsurus est ut promittat fidemque det, Se neque Fratri Suo neque Portugallis, sive directe sive indirecte, opem quamcunque laturum esse.

Ducis Atriensis satisfactio Regis Hispaniarum voluntati ac benevolentiæ relinquetur, sive Articulo quodam privato promittetur, semel ipsi, seu quotannis, sub stipendii formâ, satisfactum iri.

Quibus perlectis, supramemoratus Comes Penerandæ Præpot. D. D. Ordinum Generalium Legatis & Plenipotentiariis per Dominum Brun indicari jussit, Se propositos ab Ipsis Articulos perlegisse, Seque pro arbitrio suo iis accommodaturum esse.

Posthæc autem evenit, ut Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii, quò tandem ad Articulos compositionis, à Fœderati Belgii Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis Regis Hispaniensis Legatorum & Plenipotentiariorum Nomine locoque propositos, responderent, nono die Decembris Anno 1646. sequentia literis conscripta tradiderint.

Primum omnium, quandoquidem Urbs Casalia, in agro Montferatensi sita, Ejusdemque Incolæ Ducis Mantuani Subditi existant, æquum justumque esse, ut Subditus Montferatensis ejusdem Civitatis Gubernator constituatur; alioquin enim necesse fore, ut Ducis Mantuani Subditi in Gallia commorantes, aut domicilium fixum habentes, ad dictam præfecturam æquè ac Mantuani admittendi essent.

Nullum quinetiam Regis Hispaniarum Commissarium ibidem loci admissum iri, partim, quod Oppidum ipsius Imperio neutiquam subjiciatur, partim, quod affinitas illa nonnihil suspiciones concitaret.

Milites Præsidiarios nullo modo milite peregrino permistos, sed Helvetios duntaxat admissos iri, propterea quod juramento præstando, exprimi deberet, ejusmodi devinctio, quæ Subdito omni ex parte adversaretur.

Cum Duce Mantuano compositum iri, quamdiu supradicta devinctio atque obligatio sit duratura.

Execu-

Executionem inter Majestatem utramque admitti non posse, idque propter rationes oretenus D. D. Mediatoribus propositas.

Insuper etiam finem hujusce Articuli à reliquâ securitate ac facilitate, quæ ab Hispanis proponenda veniet, dependere.

Regis Galliarum Plenipotentiarios censere etiam, ut eodem tempore Carolomontium, Philippopolis & Mariæburgum Principatui Leodiensi restituantur, eâ lege tamen ac conditione, ut in Regis Hispaniarum commodum eandem securitatem procurare liceat, quæ à Parte Regis Galliarum in Negotio Casaliensi procurata fuit. Quoniam nulla discriminis causa nullaque ratio in contrarium adferri possit.

Quæcunque Articulo Queyrascensis Tractationis addentur, discordiæ causam maximam fore, unde postmodum bellum exoriri posset, quod tamen omni studio ac diligentia cavendum venit.

Articulum Graubunterienses & Valtelinenses concernentem admissum iri, ac, si quid postmodum adjungendum sive demendum sit, dicto Articulo insertum iri. At vero quæstionem aliquam exortam esse propter Tractatum quendam inter utrumque Regem ante tempora belli initum, itemque propter alium tempore belli ab alterutro confirmatum, neque ullam dari posse rationem, ob quam alter in dubium vocetur, alter vero dissolvatur.

Quod vero ad res Gallor. attinet, nullum aliud remedium, præterquam quod propositum fuit, adhiberi posse; ac, si improbatum fuerit, cum ipso Ducis Sabaudiæ Legato agere licitum rejectum, idque Papæ Romani Nuncii intercessione, sive alio quocunque medio optimo, esse nisi per utriusque Partis Arbitrôs, numero æquales, rem omnem confici malint.

Respectu autem Navarræ, Articulum ab utraque Parte unum omissum, neque tamen præsentem Tractationem intermissam iri.

Quod si concessum fuerit id, quod præsenti Articulo de D. Duarto Cæsareæ Majestatis fideicommittendo ac libertati ante Tractat. hujusce confirmationem restituendo asseritur, nullas prorsus discordiæ causas propositas iri: sed vero, si intelligatur, ut Cæsareæ Majestatis fidei duntaxat, post Tractat. confirmationem, committeretur, neque illud, neque promissum eâ de causa datum, acceptum iri.

Rem denique gravem magnique ponderis, quantum ad Ducem Atriensem attinet, postulari; quandoquidem de magnis aliquot Dominiis, quorum nonnulla Regis Hispaniarum imperio adjuncta sunt, agatur.

Quapropter etiam hæc scripta à Regis Galliarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis tradita fuere.

Quandoquidem autem difficultates, quæ in prætensionum seu Juris Competentis Regis utriusque Inquisitione obortæ fuerunt, præsentis Tractationis Conclusioni impedimento maximo existere, summumque bonum, quod inde ad universum Orbem Christianum perventurum est, longissimè differre potuissent: idcirco in spem Pacis compositum concessumque fuit, ut Pars utraque retineret sibique propria reservaret, Oppida, agros, Regiones, Castella Dominiaque cum

 omni-

omnibus locis ab iisdem dependentibus, quæ hoc tempore aliquo in loco possidet, sive in Belgii Provinciis, in Comitatu Burgundiæ, Rossellonia, Catalonia in *Anglia Elbanensi*, sive in oris Etruriæ, quemadmodum sequentibus ordine dicetur.

Simul etiam universa & singula Oppida & Territoria Veurnæ, Winoci-Bergæ, Castelli, Corteriaci, Grevelingæ, Duinkercæ, Borburgi, Lincæ, Mardici, Armenteriæ, Cominii, *La Mote au Bois*, Watenii, Landreceii, Maubogii, Dampullerii, Theonisvillæ, Serichii, *Longuy*, Ivocii, Veltherani, S. Amandi, Polignii, Jouxii, Longiæ, Saylinerii, atque alia Oppida, loca, Castella & arces, quæ hoc tempore occupatæ tenentur in Burgundia; eum ad modum quoque reservabitur universus Artesiæ Comitatus, cui etiam adjungendum venit Oppidum Arlevium, cum Esclusæo, exceptis tamen, S. Odomari Fano, Ariâ, Bassæo, Eorumque locis, ab iisdem dependentibus, quæ omnia & singula dehinc atque perpetuo Christianissimo Regi Galliarum, Ejusdemque Successoribus Galliarum Regibus, vi præsentis Tractatus, propria sunt futura, neque ulla dehinc à Regibus Hispaniarum, Eorumve Ducibus, Principibus, aliisve ab Eorundem Parte stantibus, molestiâ in dictorum locorum possessione afficientur, quocunque tandem prætextu id evenire queat; sive Eorundem Incolæ Subditique antehac cum reliquis locis subjectis onera imperata solverint, sive Regum Galliarum Eorumve Præfectorum imperio subjecta fuerint. Sic tamen, ut hisce omnibus comprehendantur Vasalli, Incolæ Subditique, loca quæcunque, municipia, pagi, Parochiæ, Sylvæ, Flumina, universus ager patens, & quidquid ad illa pertinet, sive ab illis dependet. Eaque propter etiam summedictus Rex Hispaniarum renunciat, tradit, ac propria cedit, quemadmodum etiam Ejusdem Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Ipsius Nomine locoque per præsentes renunciant, tradunt ac Regibus Galliarum dehinc propria concedunt, Actiones quascunque, jura & privilegia, quæ summedicto Regi Hispaniarum Ejusdemque Successoribus Hispaniar. Regibus quacunque de causa competere possunt in ea, quæ supradicta sunt, loca, Oppida, Territoria, Arces, Castella, Ditiones, Præfecturas, Balivatus, atque in omnes & singulas Parochias ab iisdem dependentes. Quibus similiter, ut dictum est supra, omnes & singuli Vasalli, Incolæ Subditique, loca, municipia, pagi, Sylvæ, Flumina, atque omnis denique ager patens, & quidquid ad illa pertinet, vel ab iisdem dependet, comprehendentur. Quæ summe dictus Rex Hispaniarum Regi Galliarum Ejusdemque Successoribus propria tradit, utque dehinc ab iisdem propria occupentur concedit; non obstantibus tamen legibus sive Statutis queiscunque, sive Tractatibus in partem contrariam initis, qui omnes & singuli dehinc nullius habebuntur pretii.

Insuper etiam Regi Galliarum Ejusdemque Successoribus Galliæ Regibus irrevocabiliter & vi præsentis Tractationis in æternum proprius erit Comitatus Rossellonienfis, quo contineri dicuntur omnia Dominia, Oppida & Jurisdictiones, quæ trans montes Pyrenæos, Galliam versus, sita sunt, cum omnibus Suis Vasallis, Subditis, Locis, pagis, municipiis, Parochiis, Sylvis, Fluminibus, agro patente, & quicquid ab eodem comitatu dependet; similiter quoque portus Rosarum & Cadacquensium, & quæ eidem adjacent, oppida, portus, loca, municipia, Pagi

Pagi & Parochiæ, juxta oras maritimas dictorum oppidorum, à Rosis & Cadacquensibus usque ad Rossellonienſe oppidum Galliæque regnum, cum omnibus Suis Districtibus, & quæ inde dependent. Ac quamvis oppida quædam, loca, Jurisdictiones, & Dominia, quæ ab hac parte saltuum Pyrenæorum, cæterorumque oppidorum, portuum, locorum, municipiorum, Parochiarum, juxta oras maritimas, ab hac parte Rosarum, Cadacquensium, & quæ eodem spectant, sita sunt, antehac annexa fuissent alicui Comitatui, Jurisdictioni & Dominio, neque hactenus à Comitatu Rossellonienſi dependissent, nihilominus tamen summe dicto Regi Galliarum in æternum propria futura sunt; quemadmodum quoque omnia loca, quæ à Comitatu Rossellonienſi supramemorato dependent, aut si quæ ab altera Pyrenæorum saltuum Parte, Hispaniam versus, sita forent; ea lege ac conditione, ut nequidquam molestiæ, sive injuriæ, quocunque tandem prætextu vel occasione, à summedicto Hispanienſi Rege Ejusdemque Hæredibus, aut Domus Suæ Principibus, vel ab alio quocunque Majestati Suæ Galliæ Ejusdemve Successoribus Regibus, in dictorum locorum, Dominiorum, Jurisdictionum, Oppidorum & Comitatuum possessione & proprietate inferatur; Eaque propter summemoratus Hispaniarum Rex, tam pro Sua quam Successorum suorum parte, renunciavit, tradidit, concessitque, quemadmodum quoque Ejusdem Regis Legati & Plenipotentiarii Regis Sui Nomine locoque per præsentem Pacis Tractationem irrevocabiliter atque in perpetuum renunciarunt, tradiderunt & concesserunt, in commodum ac possessionem summedicti Regis Galliarum Ejusdemque Hæredum & Successorum, aut quibus competet, omne Jus, Actiones & Prætensiones, quas Rex Hispaniarum Ejusdemque Hæredes & Successores Reges aut habent, aut ratione aliqua habere possent sive in universum Rossellonienſem Comitatum, Oppidum Rosarum, Cadacquensium cæteraque oppida, loca, Portus & Dominia supramemorata, quæ cum omnibus Suis Incolis, Subditis, Vasallis, locis, oppidis, municipiis, Parochiis, sylvis, fluminibus, agro patente, & quæcunque ab iis dependent, Rex Hispaniarum, tam Suo quam Hæredum Suorum & Successorum Regum Nomine locoque, dehinc in perpetuum à Rege Galliarum occupari ac propria possideri sinit, permittit, concedit, non obstantibus tamen legibus, Statutis & Tractatibus in partem contrariam initis confirmatisque, quæ omnia & singula vi præsentis Tractationis Eorumque locorum omnium renunciationis ac traditionis abrogantur, ac pro nihilo habentur.

Similiter etiam, vi præsentis Tractationis, Portus Longonensis & Piombinensis, cum omnibus & singulis suis oppidis, locis, municipiis & agro patente, quæ in Insula Elba atque in oris Tosc. maritimis sita sunt, irrevocabiliter ac perpetuum summè dicto Regi Galliarum Ejusdemque Hæredibus & Successoribus Regibus propria futura sunt, quo dicta loca, oppida, municipia & quæ inde dependent, eodem jure, eodemque modo possidere possint, quo jure quoque modo Rex Hispanienſis ea omnia ante hunc diem possedit. Quapropter etiam ea omnia & singula, tam pro Sua quam Hæredum & Successorum Suorum Parte, Regi Galliarum Ejusdemque Hæredibus & Successoribus Regibus irrevocabiliter atque in perpetuum, vi Præsentis Tractationis, tradit, renunciat, concedit, quemadmodum

modum eadem per Legatos & Plenipotentiarios Suos, Suo Nomine locoque tradit, renunciat ac concedit cum omnibus Suis Actionibus & jure, quod Regi Hispaniarum Ejusdemque Hæredibus & Successoribus, quocunque tandem modo, competere posset in loca jam supramemorata.

Ad Scripta illa, quæ à Galliarum Regis Legatis & Plenipotentiariis Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis, atque ab iisdem Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis vicesimo die Decembris, Anno 1646. tradita fuere, sequentia in Præpotentium D. D. Ordinum Instructionem allegantur.

Quod videlicet Scripta illa sine ratione habeantur instar Responsionis ad media compositionis, quæ Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii proposuerunt, propterea quod dicta compositionis media à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis solummodo adhibita fuerint, quæque ab iisdem eodem tempore alterius Partis Legatis & Plenipotentiariis tradita, atque à Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis accepta, à Regis Galliarum vero rejecta fuere, in omnibus Suis Articulis punctisque, imprimis autem in eo Articulo, quo agitur de præsidio Casaliensi, de Gubernatoris electione, de juramento à militibus coram Commissariis præstando, de tradenda obligatione à Duce Mantuano temporis, quo Casalia Domino suo legitimo restituetur, determinationem certam spectante, de Tractatu Queyrascensi, Mouzoniensi & Mediolanensi, de Graubuntensibus & Valtelinensibus, de Infantis D. Catharinæ dotis exsolutione, de juris in Navarram reservatione, de Domini Duarti de Bergance liberatione, de Domini Anglurensis, qui Dux Atriensis dicitur, satisfactione; Insuper etiam quod Scripta illa nova ac varia quædam contineant, quæ ne minima quidem ex parte Gallorum causas spectant, sed vero adversantur ac contrariantur debito modo Tractationis, qua Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii, jam à decimo & septimo die Septembris, proximè elapsi, declararunt, Sese mentem suam ad omnes prætensiones coram Præpotentium D. D. Ordinum Legatis & Plenipotentiariis explicuisse, qui eadem Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis eo quoque die in Hospitio Suo retulerunt.

Novitates illæ consistunt in eo, quod Articulo septimo Declarationis, quam Galli ad Articulos seu media à Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. proposita adhibuerunt, intermista sit restitutio Charlemontii, Arcis Philippeæ, & Marienburgi Episcopatui Leodiensi, cujus quidem rei mentio nulla sive mediis ipsis compositionis, sive propositionibus antehabitis facta fuit: quippe Rex Hispaniarum supradicta loca jam ante ætatem possedit: In eo quod inter loca, quæ Rex Galliarum à Rege Hispaniensi in Belgii Provinciis occupata possidet, Serichium & Longuya intermisceantur, quæ quidem loca Duci Lotharingio competunt, atque in Comitatu Burgundiæ, Poligny & Lyone de Sanvier sita sunt, quæ à Rege Galliarum neutiquam possidentur; simul etiam Joux, quod à Tribuno Legionis, Germano quodam, tenetur, qui agnoscere nunquam voluit, Se oppidum illud pro Rege Galliarum asservare, quique semper privatim Nomine ac Titulo Suo de Induciis Armorumque cessatione, deque Neutralitate cum dicto Comitatu Burgundiæ, absque ullo Regis Galliarum interventu, cum Burgundiæ Ordinibus egit.

In eo quod Galli universam Artesiam Regi Galliar. propriam esse velint, Fano S. Odomari, Atrebato & Bassæo exceptis, pro eo quod universam Artesiam Regi Hispaniarum propriam darent, Atrebato, Hesdino, Baupameo, cæterisque locis, ibidem à Gallis occupatis, exceptis; Idque secundum propositiones ea de causa institutas, quodque inter loca, quæ Galli in Artesia tenent, Atrebatum & Esclusеum annumerentur.

In eo quod, postquam primaria loca illa, quæ Galli tam in Belgii Provinciis, quam in Comitatu Burgundiæ possident, non paucis, quæ dictum est ipsos non possidere, additis, expressa atque inserta fuerint, hæc verba & alia loca, oppida atque arces quæ à Gallis occupatæ fuere, adjungantur, pro eo quod aut locorum specificationi inhærerent, aut omnia terminis generalioribus includerent, prout Propositionibus & Responsionibus, utrinque traditis, factum fuit.

In eo quod Comitatu Rossellonienſi, prout utrinque concessum fuerat, acquiescerent, jam nunc portus utrosque & Rosarum & Cadacquensium postulent, qui nullo modo ad dictum Comitatum pertinent; reliqua vero oppida, portus, municipia, pagos, loca, Dominia, & quæcunque ab iis dependent, quæ ab hac parte saltuum Pyrenæorum Galliam versus sita sunt, seu quæ in oris maritimis ab oppidis & Rosarum & Cadacquensium sejungendo, ad Comitatum Rossellonienſem usque, quamvis loca quædam à dicto Comitatu nullo modo dependeant, nihilominus tamen Rex Galliarum, quæcunque ab alia Parte saltuum Pyrenæorum ad Hispaniam vergunt, sibi propria postulet.

In eo quod adversus Declarationem multoties à Gallis habitam, de restitutione locorum omnium ab utraque Parte in Italia captorum (Pinarolla duntaxat excepta, quæ Gallorum propria foret) jam nunc Portus Longonienſis & Piombinensis, uti quoque oppida, municipia, Parochiæ, & quæcunque dependent à locis in Insula Elba in oris Etruriæ sitis, à Gallis postulentur.

In eo quod Galli dicta loca sub formâ conjunctionis repetant, ac si à Regno Galliæ quondam bello sejuncta fuissent, idque sub forma restitutionis in jura ac privilegia Sua pristina, cum tamen loca illa armis belli capta atque expugnata sint; Eapropter igitur, ne Mediatorum opera diutius perdatur, à Regis Hispaniarum Parte respondetur, optimam tamen componendi & Pacem cum Rege Galliarum perpetuam firmamque conflandi spem superesse, regno Galliæ universum Rossellonienſem Comitatum, quæcunque in Belgii Provinciis atque in Burgundia à Gallis occupata sunt, relinquendo, Inducias quinetiam triginta Annorum in Catalonia contrahendo, loca, quæcunque ab utraque Parte posteriori bello expugnata fuere, utrinque restituendo, Pinarolla duntaxat Regno Galliæ, ac jure, quod Saubaudiæ Principi Margaritæ competit, salvis; insuper etiam jus possessionis, quod Regi Hispaniarum in Alzatia competit, regno Galliæ tradendo, ac Palatinatum inferiorem Cæsareæ Majestati reddendo, prout Imperii Ord. judicabunt eundem competere, quod si sc. pax inter Ordines Imperii simul cum Pace inter Majestatem utramque conflata fuerit; Ducemque Lotharingium Pacis Tractationi includendo; Postremo autem, quæcunque ad captivorum Partis utriusque relaxationem pertinent, eorum qui proscripti fuere restitutionem, aut qui Partem alterutram fuere sequuti, Dominæ Catharinæ dotis exsolutio-

 nem,

nem, D. Duarti liberationem, Tractationis Queyrascensis observationem, Graubuntensium & Valtelinensium gubernationem, Domini Angluriensis, qui Dux Atriensis dicitur, prætensiones, bonorum omnium annotatorum sive publicatorum, in Partis utriusque Subditorum damnum, restitutionem, Fœdus inter Principes Italiæ in præsentis Tractationis securitatem ineundum, Casaliæ cum Domo Mantuana perpetuam conjunctionem; postremò autem quod ad modum, quo Casalia ad plenissimam Ejusdem restitutionem Duci Mantuano asservabitur, attinet, in omnibus & singulis secundùm ea, quæ superiori Declaratione concessa fuere, quæque Præpotentes D. D. Ordines Gener. scriptis Suis nono die Decembris, Anno 1646. proposuerunt, agetur: Eâ lege ac conditione, quod Rex Hispaniensis nullam prorsus commutationem seu renovationem concessurus vel admissurus sit, præterquam quæ Rosarum & Cadacquensium Negotium spectant, quod Præpotentium D. D. Ordinum Gener. judicio arbitrioque committetur, ne Pacis Tractationi mora aliqua injiceretur, quod si Negotium illud obesse videretur: Addendo quinetiam brevem aliquam enarrationem, sub forma Argumenti Negotiationis sive Tractationis, quæ ab utraque Parte instituta fuit, & quæ Præpotentium D. D. Ordinum Gener. directione seu intercessione acta fuere, quæ omnia & singula cognita perspectaque habent, quo omnia hæc perpendentes ac sedulo considerantes, pro singulari Sua solitaque prudentiâ dijudicare queant, quantum Hispaniarum Rex Præpotentium D. D. Ordinum intercessioni tribuerit, ac quantum Rex Galliarum eidem ademerit, quantas difficultates Rex Hispaniarum superaverit, quantas vero Rex Galliarum obtulerit; rogantes atque obsecrantes, ut in memoriam sibi revocare velint, quo modo post Gallorum Declarationem Dominis Mediatoribus datam, atque ab iisdem Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis traditam, propter Ejusdem Declarationis insolentiam superbiamque ipsimet respondere noluerint.

Quum autem Præpot. D. D. Ordinum Legati & Plenipotentiarii modo generaliter, modo particulariter Hispanos urgerent, ut Rex Hispaniarum oppidum atque alterum Gallis adderet, videlicet, Grevelingam, Bourburgum, & Theonisvillam, Cataloniensibus Inducias ad quatuor Annorum spatium concederet; idque eâ lege ac conditione, ut Pacis Tractatio certo succederet, sub spe Theonisvillæ retinendæ. Quibus omnibus & singulis ab Hispaniarum Regis Legatis & Plenipotentiariis concessis, universum tamen Negotium tantæ spei effectum nullum consecutum fuit.

Deinde autem Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii decimo & septimo die Septembris Comitem Penerandæ convenerunt, eidemque coram reliquis Hispaniarum Regis Legatis & Plenipotentiariis affirmarunt, Regis Galliarum Legatos & Plenipotentiarios declarasse sibique indicasse sub forma posterioris Declarationis ultimique decreti, Se, quod si Rex Hispaniarum, quæcunque à Gallis in Belgii Provinciis Burgundiæque Comitatu tenerentur, simul cum Comitatu Rossellonienfi, atque annorum multorum Inducias in Catalonia concedere vellet, viginti & quatuor horarum spatio Pacis Tractationem conclusuros ac confirmaturos esse. Quapropter etiam Præpot. D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii, quod si hæc omnia ab Hispanis concederen-

derentur, postero die Osnabrugas discedere decreverunt, quo in Oppido Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii commorabantur, ut tandem aliquando Negotio finis exoptatus imponi posset.

Quibus à Regis Hispaniarum Plenipotentiariis concessis, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii Osnabrugas discesserunt, indeque cum Pacis confirmandæ promissione reversi fuerunt, ipsamque Tractationis Conclusionem ac Confirmationem in Regis Galliarum Legatorum Osnabrugis adventum distulerunt. At postquam Regis Galliar. Legati & Plenipotentiarii inde rediissent, viginti & quatuor horarum, quibus Se Pacis Tractationem confirmaturos esse promiserant, loco Menses tres abiere; ac pro eo quod Declarationem, convenientem cum illâ, quam Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii à Gallis acceperant, traderent, in dies singulos, majores atque insolentiores multò, quam ullis unquam inter Reges Principesque Christianos Tractationibus Declarationes adhibitæ fuerunt, proposuerunt. Quippe Galli præter Comitatum Rosselloniensem Rosas quoque postulabant, Oppidum Cadacquensium, & quæ ab utroque dependerent; Insuper etiam præter Pinarollam Casaliam quoque urbem sibi reservare velle ajebant, eo prætextu, ne unquam in Principum Austriacorum potestatem incideret; Deinde de Fœdere aliquo inter Principes Italiæ confirmando proponebant, quo ab Hispanis concesso promissoque, ea lege tamen, ne sua interim cum Hispanis Tractatio differretur; dictum interPrincipes Italiæ Fœdus prius institutum ac confirmatum iri volebant. Quamvis certum sit, sex Mensium spatium ad Fœdus illud inter Italiæ Principes confirmandum prærequiri, propterea quod nullis Italiæ, sed Hispaniæ duntaxat Ministris potestate atque auctoritate Negotium hocce conficiendi opus sit. Post hæc autem D. Duarti liberationem petebant, cujus difficultatis expediendæ licet media quædam, Ipsis quoque Gallis comprobata, fuerint adhibita, non tamen ea admittebant. Alio quoq; loco dotis D. Catharinæ Infanti exsolvendæ mentionem faciebant; adhæc, postquam Hispani concessissent, ut causa illa Regnumque Neapolitanum aliorum Judicum arbitrio committeretur, eo quod difficultas, nimirum dotis illius assignatio in Regno Neapolitano sita erat, Judices ipsimet Galli eligere cupiebant, nimirum, *Rotam Romanam*; deinde etiam, postquam huic quoque petitioni Hispani annuissent, Galli certitudinem ac securitatem eorum omnium, quæ concederentur, petebant: quo ab Hispanis eum ad modum, si visum foret, concesso, non tamen Galli contenti erant ea securitate, qua ejusmodi Tractationes confirmantur, utpote cui res majoris ponderis, quam quidem dos ipsa, innitantur. Prætensionem quoque imaginariam in commodum D. Angeluriæ proponebant, qui sc. neq; nomen neque signa gentilitia Ducis Atriensis habet, neque ex Atriensi Familia oriundus, attamen sibi competere dicit, omnes actiones & prætensiones, quas illi Duces, qui & nomen & signa gentilitia habent, atque insuper nulli fundamento aut rationi innituntur, & propter res quasdam jam nunc intenduntur, quæ ante centum supra sexaginta Annos obtigerunt, quorum Annorum spatio tam Pacis quam Induciarum Tractatus initi confirmatique fuerunt, Tractatus videlicet Madricensis, Cameracensis, Bomyensis, Nycensis, Crespyensis, Vacceliensis, Cambresiensis, & Verviniensis, quum nulla tamen Ejusmodi

prætensionum in hisce omnibus mentio facta fuerit, quamvis aliæ quædam minoris momenti prætensiones iisdem contineantur. Præter hæc quoque Galli, ut Princeps Espinoyæ, Dux Bornovillæ, & Comes Egmontius cæterique Regis Hispaniarum Subditi rei atque ab Eodem accusati, qui sese in Galliam contulerunt, bonis Suis ac dignitatibus omnibus restituerentur, petebant. Postremo, quamvis de ea re cum Hispanis non convenissent, tamen Tractatum Queyrascensium observatum, Eosque Gallis pristino Fœdere ac Societate conjunctos volebant; sibiq; insuper per agros Graubunteriensium transitum petebant; quæ tametsi Hispani *ex superabundanti* concessissent, quo modo scriptis Suis, nono die hujus Mensis traditis, expressum fuit, quibus continetur moderamen à Præpotentib. D.D. Ordinibus Gener. propositum, non tamen Galli hunc compositionis modum suscipere, neque iter, cum alio modo compositionis commutare possint, Monasterium instituere volebant. quo quidem Duci Mantuano Fœderato Suo unicam spem surripiunt, quam habere potest ad dolendum & querelas Suas post Annum à præsentis Tractationis Conclusione super causis suis instituendum, quamque antehac habuerat, posse scil. causas illas cum bona potius quam cum mala gratia sive armis componi. Quod ad Graubunterienses attinet, de iisdem Galli absque Graubunteriensium ipsorum interventu, auctoritate ac potestate, agere cupiebant; conficiendo Negotium illud eum ad modum, quem ad modum Subditorum & Vasallorum Suorum Negotium causasque conficerent, vertendo ac commutando omnes & singulos Tractatus, quos Graubunterienses & Valtelinenses super regimine Commerciisque Suis instituerunt, quod Ipsis ceu Populis liberis, neque ab alterutro regno dependentibus, ex sententia ac voluntate Sua liberrimè licuit.

Insuper etiam Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii in memoriam sibi revocare debebant, quamprimum Monasterium Tractandi causâ advenissent, Generales unius, duorum, trium, quatuor, quinque aut sex Annorum Inducias, prout Regi Galliarum placuisset, quibuscunque in locis utriusque Regis arma gerantur, à Parte Hispanorum oblatas fuisse, quo tanto commodius Venetis adversus Turcarum Copias succurri ac subveniri posset. Ac postquam oblatio hæc nullius momenti esset, Rex Hispaniarum Reginæ Galliæ difficultates decidendas tradidit, Eamque Tractationis Mediatricem omnis humanitatis animique sinceri ac benevoli indicio, quæ tamen ab iisdem non accepta, sed prætextu diffidentiæ rejecta fuere. Qua quidem Gallorum Hispanorumque Tractationis varietate, non tantum agnoscendum, verum etiam universo terrarum orbi indicandum venit, quibusnam Christiani sanguinis profusio imputanda sit; Idque propter dilationem ac moras Pacis Tractationi injectas, à misero populo tamdiu exoptatæ, qui jam nunc tot Annos tantis miseriis ac calamitatibus, quas bellum tam funestum tamque cruentum apportare solet, obrutus ingemuit; ac propter experientiam, quàm multoties in oppositionibus à Gallis adversus Pacis Tractationem non tantùm quæ ipsis cum Hispanis, verumetiam quæ Regis Hispaniarum Subditis in Belgii Provinciis, cum Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. intercedit, adhibitis, cognitam perspectamque habemus; Quapropter etiam æquum justumque fuit, ut, omni dilatione ad prædictas oppositiones sepositâ, à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener.

Gener. finalis quædam sententia decernatur, quandoquidem haud iniquum est curam rerum incerti eventus omitti; omnemque prorsus laborem super consiliis, ab aliorum voluntate in tanti ponderis Negotio dependentibus, deponi; & quarum causa Rex Hispaniarum, post omnimodam Præpot.D.D. Ordinibus Gen. satisfactionem oblatam, universum Negotium missum facere, Eidemque, sive hoc sive illo modo, finem imponere decrevit.

Scriptis itaque jam memoratis, cum *Verâ*, ut vocatur, *Tractatione* cum ad modum traditis, nonnullis Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Deputatis visum consultumque fuit, ut omnia illa scripta Domino Philippo de Roy redderentur, quandoquidem sæpenumero antehac in Concilio decretum statutumque fuerat,nullos à Rege Hispaniarum Delegatos exauditos(quemadmodum quoque post Cancellarium Peckium Anno 1622. ad colloquium nemo admissus fuit) verum omnes Monasterium ablegatos iri.

Quo in Concilio proposito, Dominus de Capelle in Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Concilio proposuit D. Jacobum Craackium, Nomine ac titulo supramemorati Philippi de Roy,Domini in Ravels,sibi Memoriale quoddam literis conscriptum obsignatumque tradidisse, quod Dominus Philipp. de Roy septimo die hujus Mensis Domino de Capelle traditurum se promiserat. Quæcunque igitur Dominus de Capelle à D. Philippo de Roy Deputatis Ordinum tradita acceperat, Præpotentibus D. D. Ordinibus obsignata reddidit. Super queis Consilio inito, utrum supramemorata Scripta perlegerentur, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. visum consultumque fuit, ut dictum Memoriale, uti etiam Scripta omnia in Concilio recitarentur, quemadmodum quoque recitata fuere: deindeque concessum fuit, ut D. D. Ordinum Hollandiæ Deputati supradictum cum Scriptis omnibus in originali, ut vocant, acciperent, eaque Dominis Suis Deputantibus, qui eodem tempore publicâ auctoritate decernebant, post meridiem communicarent, quod facturos Se dictaque Scripta cum Memoriali horâ sexta vespertina in Concilio, quod eadem horâ convocaretur, reddituros esse promiserunt.

Tempore itaque vespertino Dominorum D. Ordinum Hollandiæ Deputati Scripta omnia, quæ *Narratio vera* appellabantur, simul cum Memoriali, quæ in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. tempore matutino recitata atque ab Ordinibus Hollandiæ pomeridiano perlecta, reddiderunt. Quibus perpensis, Ordinumque Provinciarum omnium sententiis cognitis perceptisque, visum fuit, ut Dominus Bronckhorstius & Dominus Wimmenomii rogarentur ac deputarentur ad dictum Memoriale & Scripta omnia Celsissimo Arausionensium Principi ipsa vespera oretenus breviter exponendum; quod supradicti Domini curarunt, &, quid à Celsissimo Arausionensium Principe responsum esset, enarrarunt. Quocirca cum Memorialis, tum Scriptorum omnium, simul etiam literarum auctoritatis, à Comite Castel-Rodrigo Domino Philippo de Roy concessæ,Copiam sive exemplar Celsissimo Arausionensium Principi datum iri decretum fuit. Eum ad modum quoque Dominus ab Hoolck & Dominus à Beecke rogati ac potestate muniti fuerunt, quo D. Servientio, Regis Galliarum Legato Extraordinario, simul etiam Dominis Legatis & Plenipotentiariis Monasterii

 agen-

agentibus & Memorialis & Scriptorum omnium exemplar per literas communicarent; quo dicti Legati & Plenipotentiarii Præpot. D. D. Ordines Gener. de Scriptorum & Memorialis veritate certiores redderent.

Porro autem Præpotentes D. D. Ordines Generales decreverunt, ut omnium Provinciarum Ordinibus Memorialis, Scriptorum & literarum auctoritatis exemplar traderetur; Eumque in finem Domini, D. Huygenius, Wimmenomii, Veth, ab Hoolck, Roorda, Mulartius & Eybenius Nominati fuerunt, ut ejusmodi exemplar acciperent; insuper etiam, ut, dicto exemplari literis mandato, Originalia absconderentur, quò tantò magis celarentur; at Hollandiæ Ordines de Scriptorum silentio convenire non potuerunt.

Quo factum est, ut Comes Servientius, antequam Colloquium expeteret, per Nobilem quendam Suum, Dominum Præsidem rogari jussit, quo dictus Philippus de Roy dimitteretur, utpote quem non alia de causa Hagam-Com. advenisse dicebat, *quam ut inquireret, pejora omnia persuaderet, atque inter Regem Galliarum Ordinesque Gener. diffidentiam summam concitaret.* Provinciarum autem quarundam, imprimis Zelandiæ Ultrajectique Ordines addebant, Dominum Philippum de Roy quoque obstrictum esse, *quædam de Regis Hispaniarum venditis oppignoratisque Dominiis proponere.* Et quoniam in Concilio nihil quidquam nisi de Negotio Monasteriensi egerat, ac plura rogatus, Se plura proponere velle, negaverat, Salvo-Conductui ab Ipso non satisfactum esse dicebant, eaque propter aut simpliciter eum dimitti, aut Monasterium ablegari oportere; at Deputatorum plurimi Se Dominos Suos Deputantes horum omnium certiores fecisse responderunt, Ipsiusque negationem, videlicet, *de nullis rebus aliis proponendis*, intelligendam esse, *illo tempore*; Ejusque Salvi-Conductus effectum Ipsi incolumem reservarunt.

Quemadmodum variæ semper super tantâ Tractatione sententiæ extiterunt, eum ad modum quoque ab uno improbatum, ab altero approbatum fuit, quod Domini Philippi de Roy Salvus-Conductus nonnunquam prolongatus sit; quia, ut ferebant, nihil aliud Hagæ-Com. ageret, quam inquireret Suosque Deputantes per literas certiores redderet, quid animi haberent, quidve consilii Præpot. D. D. Ordines Gener. caperent. Hoc autem certum erat, quod Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii per literas sæpenumero questi sint, quod Hispanorum Plenipotentiarii prius quam ipsimet de Consiliis decretisque Præpotentium D. D. Ordinum Gener. certiores redderentur. Iis scilicet, qui Tractationem cum Hispanis separatam atque à Gallis sejunctam haud libenti animo concedebant, durum sane ac non ferendum videbatur; quapropter etiam sæpenumero proponebatur, utrum, nec ne dimitteretur; Sed quoniam Hollandiæ Ordin. animum à bello prorsus alienum habebant, & media omnia, quibus Pacis Tractatio promoveri posset, adhibebant, præsentiam Ipsius haud incommodam, Ipsum quinetiam haud ingratum sibi judicabant, utpote cui maximum consanguinitatis vinculum cum primariis quibusdam intercederet; qua de causa etiam Hispani non abs re ejusmodi hominem elegisse existimabantur; proindeque ab illis, qui Pacem unicè expetebant, majorem in modum diligebatur, nec non collaudabatur in omnibus, quæcunque cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. atque in Eorundem satisfactionem privatam, simul quoque in Hostilitatis maritimæ

timæ cessationem (quemadmodum postea dicetur) & Copiarum detentionem, quippe Hollandiæ Ordines Copias Suas educere neque volebant, neque studebant, effecta reddidit.

At decimo & tertio die Januarii Dominus Servientius ad Colloquium admissus fuit, summaque eloquentia proposuit, repetendo, quæcunque unà cum Domino Avaucio, quum per Hollandiam ante triennium Monasterium proficisceretur, in Concilio egisset; multa quoque de Regis Galliarum erga Rempub. hanc benevolentiâ, contrà verò de Hispanorum machinationibus technisque disserendo; quod videlicet Gallos à Fœderati Belgii Ordinibus sejungere obnixè operam darent, atque utrosque cum Regem Galliarum, tum Ordines Gener. phaleratis dictis decipere studerent. Præter hæc quoque summopere questus fuit, super iis, quæ octavo die Januarii Regis Hispaniarum Legatos inter & Præpotentium D. D. Ordinum Legatos & Plenipotentiarios subsignata fuerant. Postremò autem summa cum humanitate Negotium Electores, Palatinum & Brandenburgensem, Hassiæ Landtgravium, cæterosque Protestantes Germaniæ Principes concernens, proposuit; quantum Rex Galliarum pro iis omnibus effecisset, atque etiamnum facere vellet, recensendo. Propositionis vero Conclusio fuit, ut secundùm Tractatum, Anno 1644. initum confirmatumque propior quædam Tractatio institui deberet, quâ Hispani futuræ Pacis observationi arctissimè obstringi atque obligari possent; aut alioquin simul adversus Eos bellum restaurari necesse esset. Eapropter igitur Commissarios petiit; cum quibus postquam in Conventu egisset, eadem fermè repetiit, deindeque Articulos nonnullos literis conscriptos tradidit; quos idcirco simul cum Dominorum D. Hollandiæ Ordinum sententiâ, super iisdem habitâ, tanquam breves quosdam cum Gallorum tum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Sententiarum indices, sequentibus insertos volui, Libellos Famosos ac dissertationes, quæ hoc tempore in lucem plurimæ edebantur, silentio transmittendo.

Quoniam Rex Galliarum, ac Majestatis Suæ Mater Regina semper crediderint, summum universi cum Hispanis Negotii Articulum in eo consistere, ut Securitas Tractationis cum Rege Hispaniarum ineunda, cum Regis Galliarum tum Præpotentium D. D. Ordinum operâ, studio ac diligentia mutuâ curetur. idcirco deliberatum fuit, utrum nec ne summopere urgendum foret, quo Hispani ex omnibus & singulis Belgii Provinciis Earumque Oppidis discederent, *quæque Oppida in dictis Belgii Provinciis Hispanorum Imperio subjicerentur, Regis Hispaniarum Subditis Provinciarumque Incolis relinquerent, utque Provinciarum illarum Ordines semetipsos Tractationis observationi obstringerent ac devincirent, quemadmodum Tractatione Gandavensi, Anno 1576. inita conventum atque utrinque concessum fuit; simul etiam quemadmodum in Conventibus, Anno 1632. deindeque Anno 1634. habitis, propositum fuit. Ac quoniam primaria & principalis hujusce Tractationis securitas in ejusmodi obligatione consistere visa fuerit idque propter rationes vivâ voce demonstratas, existimarunt, quod si consilio cœptoque, Tractatu Anni 1635. proposito,* de Provinciis Regis Hispaniarum Armis belli excipiendis occupandisque, *desistatur, illud saltem Tractatione præsenti impetrandum esse, ut dictæ Belgii Provinciæ Ejusdemque Oppida omnia summedicto Regi propria relinquerentur, ne quidquam suspicionis suboriri posset. Sine quo tamen Tractationis effectus difficillimè obtineri poterit.* *Maje-*

Majestas tamen utraque, quò omnem suspicionem prorsus amoverent, quam de Eadem habere quis posset, nimirum, velle ipsam Tractationis Confirmationem differre, satis sibi esse arbitrabuntur, dummodo ea, quæ supramemorata fuere, annotentur atque ad illa animadvertatur, ne Majestati Suæ in posterum imputari queat, quod incommoda, ex eo quod ejusmodi obligatio non impetrata fuerit, oboritura neutiquam averterint, quodque ejus rei Fœderatos ac Socios Suos certiores non in tempore reddiderint: Semet utramque, quantum ad Conclusionem ea de causa instituendam, D. D. Ordinum Gener. prudentiæ ac sapientiæ committendo, quibus Sese libentissimè accommodabunt, quod si plenissimè Tractationis securitas procurata fuerit; quandoquidem in ipso belli initio nihil aliud intenderint, præterquam ut sibi adversus Hispanorum consilia, quantum possent, prospicerent, ac Fœderatio cum Hispanis tam commoda debinc, quam impræsentiarum utilis deprehendi posset.

Cautiones autem ac conditiones, quas Majestates Suæ perquam necessarias & à quibus nequidquam discedendum esse existimant, bujusmodi sunt.

1. *Quandoquidem Tractationis Anno 1644. initæ Articulo octavo conventum fuit, ut Rex Galliarum Ordinesque Generales Legatis & Plenipotentiariis Suis plenissimam auctoritatem ac potestatem concederent, quâ omnia adhiberent, quæcunque securitati Tractationis Monasterii à Parte utraque proponendæ inservire posse arbitrarentur, mutuaque opera & consilio media, quibus Pax communis stabiliri ac confirmari posset, transigerent; & quoniam D.D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotent. declaraverint, se nullâ potestate nullaque auctoritate hujusce Negotii transigendi à Deputantibus Suis munitos esse; Idcirco de novo iterum conveniendum esse arbitrantur ac concedendum, ut omnia, quæcunque antehac sive per Majestatis Suæ, sive per D. D. Ordinum Gener. Legatos & Plenipotentiarios cum Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis acta, transacta & subsignata forent, nullius momenti effectique haberentur, donec Regis Galliarum & D. D. Ordinum Gener. cum Hispanis Tractationes eodem tempore transactæ, confirmatæ, subsignatæque fuerint.*

2. *Ac proinde, quò effectis quibusdam malis ac nimiæ* promotioni *obviam eatur, quæ D.D.Ordinum Gen. Legatorum & Plenipotentiariorum Tractationem, octavo hujusce Mensis die, variis in locis effectam reddidit, quæque Hispanis spem maximam concitavit, qua se ab omni Tractatione cum Gallis segregatos habuerunt, pro eo, quod exigua mora utramque & Majestatis Galliæ & D. D. Ordinum Gener. Tractationem penitus conficere potuisset, vera quædam ac realis renunciatio eorum omnium instituenda foret, quæ à D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis adversus sæpiusculè à D. D. Ordinibus Gener. repetitas instructiones, & crebras à Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis multoties adhibitas instantias, acta, transacta & promissa fuerint, eorumque Articulorum subsignatio ac Ratihabitio in tempus aliquod differretur; insuper etiam ea, quæcunque in præjudicium Fœderum & Tractationum omnium, quæ disertis verbis exprimunt,* nihil quidquam nisi communi Consilio ac consensu cum Hoste actum, alterumque Fœderatorum, ubi ab altero rogabitur, tractando desistere obstrictum obligatumque iri, *differrentur, ac pro nihilo haberentur.*

3. *Vt omnis hostilitatis Actus adversus Hispanos absque ullâ intermissione eodemque studio tamdiu continuaretur, donec Galliarum Regi atque Ordinibus Gener. dictâ cum Hispanis Tractatione, pari passu promota, plenissime satisfactum fuerit; Dominorum D. Ordinum Gener. arbitrio judicioque permittendo, utrum in Tractationis utriusque confirmatione ac subsignatione, an vero in Ejusdem Ratihabitionis traditione, actibus hostilitatis abstineri velint.*

4. *Quod*

4. *Quodsi Hispani, qui hactenus plus animi de Fœdere, Gallos inter & Ordines Generales conflato, dissolvendo, quam de perpetuo ac sincero cum iisdem ineundo confirmandoque habere se ostenderunt, idem animi propositum ostendere perrexerint, Majestatis Sua & D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii ejusmodi declarationes atque obtestationes, cujusmodi à se invicem rogabunt, proponere atque instituere tenebuntur, quo Hostibus omnem spem mutui Fœderis dissolvendi adimere, atque ad honestius æquiusque consilium adigere possint.*

5. *Quodsi Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii, quo propositum suum iniquum efficere possint, sive Regis Galliarum, sive D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis eorum omnium, quæ cum ipsis acta & transacta forent, Ratihabitionem & Confirmationem, ante alterius Tractationis Ratihabitionem & Confirmationem, quæ eodem quoque tempore tradenda atque exhibenda veniet, tradituros Se esse promitterent, nullo modo ab iisdem accipi poterit, Idque propter fidem ab utraque Parte invicem datam,* de nullâ Tractatione nisi conjunctim ineundâ. *Eapropter etiam concedi ac promitti de novo oportebat, idque vi Superiorum Fœderum, utramque cum Hispanis Tractationem* conjunctim mutuoq; consilio confirmandam, *non nisi eodem tempore conclusam subsignatamque iri, omnem hostilitatis cessationem eodem tempore institutam, denique Ratihabitionem & Confirmationem non nisi eodem tempore, iisdemque formulis, de quibus utrinque convenerit, acceptam iri.*

6. *Quodsi post Tractationis confectionem, Confirmationem & Ratihabitionem, Articuli Pacis sive Induciarum (eodem tempore, quo vel Pacis vel Induciarum Tractatio durabit) ab Hispanis violati fuerint, sive ejusmodi violatio Cæsareæ Majestatis, Regis Catholici, Principis alicujus Austriaci, sive aliorum qui à partibus Eorundem stabunt, Nomine armisque oblata fuerit, Hostesque loca sive oppida, quæcunque Rex Galliarum seu Ordines Generales eo tempore, quo Pacis vel Induciarum Tractationes confirmabuntur, vi earundem Tractationum possidebunt, hostiliter aggressi fuerint, oppugnaverint vel quocunque modo obsederint, Majestas Sua Ordinesque Generales* arma simul capere, *omnique loco, quo ejusmodi violatio, quacunque tandem de causa, illata fuerit, absque ullo locorum distinctione ac rationum respectu, ad Fœdus cum Hostibus dissolvendum obstricti obligatique tenebuntur. Ac postquam cum Hostibus solutum fuerit, tamdiu continuabitur, omnisque hostilitatis actus instituetur, donec ejusmodi ab Hostibus illata violatio resarcita, Articulisque, sexto, nono, & decimo, Tractatus Anno 1635. confirmati, satisfactum fuerit.*

7. *Quandoquidem autem Majestas Sua Ordinesque Generales huic incumbunt, quo Tractatio cum Hispanis ineunda fideliter observetur, concessum jam nunc promissumque erit, quod si Rex Galliarum Tractationem postmodum violaverit, Ejusdemque Tractationis dissolutiones, adversus Cæsaream Majestatem, Regem Hispaniarum Eorumque Fœderatum quemcunque Principem, hostiliter primum ea loca invadendo atque oppugnando, quæ vi Tractationis initæ propria habituri sunt, cœperit, hujusce dissolutionis D. D. Ordines Generales neutiquam participes futuri sunt. Idem quoque Regi Galliarum salvum atque integrum erit, adeò ut, ubi D. D. Ordines Generales primum Eos aggressi, dictumque Tractatum transgressi fuerint, cum Cæsareâ Majestate abrumpere nullo modo teneatur.*

8. *Ac quoniam Majestas Sua neque concessit neque promisit Se Inducias in Cataloniâ componere velle, nisi ubi D. D. Ordines Gener. Inducias similiter in Belgii Provinciis conflaverint, quo arma simul post Induciarum expirationem capere possint; ac si consilio, quod ceperit, Majestatem Suam obstrictam obligatamque Domini D. Ordines Gener. vellent, ubi suum ipsi-*

ipſimet commutaverint, maximum inde damnum ac detrimentum percipere poſſit: Ea propter conceſſum promiſſumque fuit, D. D. Ordines Generales omnem operam ſimul cum Majeſtate Sua, vi Fœderum quondam confirmatorum, daturos eſſe, quo ſupramemoratus Catalonienſis Principatus, & quæ ab Eodem dependent, præſenti cum Hiſpanis Tractationi includatur; Rege Galliarum & Rege Hiſpaniarum ea omnia, quæ in dicto Comitatu loca poſſident, retinentibus, aut ſi difficultates, ejuſce rei cauſa obortæ, expediri ac confici nequeant, & Tractationem tamen confirmari oporteat; nulla alia præterquam Induciarum, ad triginta Annorum ſpatium, in dicto Principatu Tractatio inſtituetur, eâ lege ac conditione, ut Pars utraque in eodem loca atque oppida, quæ jam nunc poſſidet, propria retineat, utque D. D. Ordines Gener. Semetipſos devinciant atque obſtringant, Se, ubi Rex Catholicus Induciarum Tractationem iis conditionibus, quibus jam nunc concedetur ac confirmabitur, continuare & prolongare recuſaverit, bellum ſimul cum Majeſtate Suâ adverſus Regem Hiſpanienſem renovaturos ac reſtauraturos eſſe; At ſi Rex Chriſtianiſſimus dictam Induciarum Tractationem prolongare recuſaverit, arma adverſus Regem Hiſpanienſem capere neutiquam obligatos obſtrictosque iri.

9. *Quoniam vero optimum firmiſſimumque medium, quo Hoſtes Tractationis ſimul cum iiſdem ineundæ obſervationi & conſervationi devinciri poſſint, ſic ut fateri cogantur, eandem à Se nunquam violari poſſe, niſi eodem tempore & Regis Galliarum & D. D. Ordinum Gener. arma vireſque ſibi adverſas habere velint; Idcircò iiſdem indicabitur, ſecundum Fœdera quondam confirmata ſancitaque, arctiſſimam Gallos inter & D. D. Ordines devinctionem mutuam intercedere, quâ Tractationes cum Hiſpanis confirmandas propugnare, armaque ſimul adverſus violatores, quocunque loco, ſeu quacunque de cauſa ejuſmodi violatio oblata fuerit, capere tenentur.*

10. *Præſens denique cum Hiſpanis Tractatio utraque abſque ullo præjudicio ac damno componetur, ad Superiorum Tractationum Fœderumque renovationem & reſtaurationem, quæ omnia & ſingula, omni ex parte, præterquam quæ hac Tractatione derogata atque annihilata fuerint, dehinc religioſe obſervabuntur fideliterque conſervabuntur.*

Hæc, poſtquam ab Ordinibus Hollandiæ perpenſa eſſent, comperta ſunt duobus præliminariis, decemque punctis aliis principalibus conſiſtere, ad quæ ſequentia reſponderunt.

Primum, ut in hoc Negotio caveretur, ne quæquam Articuli novi examini ſubjicerentur, quibus Legatorum & Plenipotentiariorum Inſtructio ſive mutanda ſive amplificanda foret.

Secundum, *ne mutatio quæpiam* in conceſſis jam compoſitiſque Articulis immiſceretur; ſed vero omnis cura, ſtudium ac diligentia adhiberetur, quo Pacis Tractatio quamprimum conficeretur.

Quod autem ad Articulos, ſupramemoratâ deductione comprehenſos, ſigillatim attinet, viſum fuit, ut puncta bina præliminaria (quibus exprimitur, præſenti Tractatione ſtipulandum eſſe, ut Hiſpani è Belgii Provinciis diſcedere, partiſque alterius Ordines Tractationem ineundam ceu Vades aſſerere tenerentur) eo quod intempeſtiva forent, in dicta Pacis Tractatione omitterentur; Idque eò magis, quod à Majeſtate Suâ dicatur, non pertinaciter iis inſiſtendum eſſe.

Quod ad duos priores Articulos attinet, quibus petitur, ut pro nihilo haberentur,

rentur, quæcunque à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis cum Hispanis acta & transacta forent, donec Regis Galliarum Ministri, eo modo, quo Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Ministri, cum Hispanis composuissent, Eaque propter omnia à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Ministri cum Hispanis confecta abrogarentur; visum consultumque fuit, ut responsionis loco Comiti Servientio declararetur atque affirmaretur, Præpotentes D. D. Ordines Gener. quamcunque cum Rege Galliarum Fœderationem initam fideliter & constanter observare decrevisse; Interim tamen haud male censuisse quidquid Legati & Plenipotentiarii cum Hispanis provisionaliter transegissent & subsignassent; idque ob rationes multoties memoratas; eo tamen sensu, ne Tractatio quæpiam cum Hispanis, absque Regis Galliarum Legatis & Plenipotentiariis, finaliter confirmaretur.

Quod tertium spectat Articulum, quo petitur, *ut arma adversus Hispanos omni studio, quo antehac, gerantur*, donec Pacis Tractatio plenissimè confirmata fuerit, & quo Regis Galliarum Ministri Præpotentium D. D. Ordinum Gener. judicio arbitrioque relinquunt, quo tempore, sive à Tractationis confectione, sive ab Ejusdem Ratihabitionis ac confirmationis traditione, omnis armorum seu hostilitatis cessatio initium caperet; visum consultumque fuit, ne quæpiam hostilitatis cessatio concederetur, donec Pacis Tractatio cum Hispanis penitus confecta confirmataque foret, pro re natâ ageretur, utrum hostilitatis cessatio ab illo confectionis tempore initium caperet, an vero ad Ratihabitionis traditionem ac publicationem bellum continuaretur.

Quartum quod spectat Articulum, continentem (quo spes omnis Hispanis, posse scil. Regem Galliarum ac Præpotentes D. D. Ordines Gener. à se invicem dissolvi, eripiatur) *Declarationes perspicuas tam à Rege Galliarum, quam à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. proponi oportere, quibus Hispanis spes imaginaria, de Gallorum Ordinumque Generalium dissidio, prorsus adimi possit*; visum consultumque fuit, ut Ejusmodi Declarationes admitterentur, idque secundum Tractatus Fœderaque antehac cum Rege Galliarum inita confirmataque.

Ad quintum quod attinet, quo petitur, ne Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Legati & Plenipotentiarii quamcunque à Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis eorum, quæ cum Ipsis acta & transacta hactenus fuerunt, Ratihabitionem acciperent, sed vero eandem recusarent, donec eo modo, quo Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Gallorum cum Hispanis Tractatio confecta foret; visum consultumque fuit, ut in hoc Articulo secundum Tractationes ageretur, neque Ratihabitio qualiscunque à Rege Hispaniarum acciperetur, donec utraque, tum Regis Galliarum tum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. cum Hispanis Tractatio confecta penitus ac subsignata foret.

Ad sextum & septimum Articulum quod attinet, quibus continetur, quod si post Tractationis conclusionem & confirmationem Majestas Cæsarea, Rex Hispaniarum, sive Princeps quispiam Austriacus, aut alius quicunq; dictam Tractationem violaret, seu vi belloque aperto aggrederetur, quæcunque loca oppidaque Rex Galliarum Ordinesve Gen. jam tum possiderent, *Partem utramque arma capere, aperteque cum Hispanis dissolvere, absque ullo locorum discrimine, obstrictam obligatamque* iri,

iri, neque ab armis, tum de novo susceptis, discessum iri, donec violatio oblata actu & reipsa resarcita fuerit; Eâ lege tamen ac conditione, ut, si violatio à Rege Galliarum primum oblata fuerit, Præpot. D. D. Ordines Gen. ad abrumpendum neutiquam obstricti obligatique teneantur; & vice versa; Post varias eam in rem deliberationes decretum fuit, ut sequentia Domino Servientio, responsionis loco, proponerentur.

Quod videlicet Præpotentes D. D. Ordines Generales declarent, secundum Tractatus ac Fœderationes Anno 1644. summedicto Comite Servientio præsente, Hagæ-Com. initas confirmatasque, Regem Galliarum Ordinesque Gener. quod si Monasterii Pacis Tractationem cum Hispanis componerent, ac Majestas Sua Ordinesque Gener. postmodum, sive directè sive indirecte, seu quocunque tandem prætextu, à Rege Hispaniarum, Cæsarea Majestate, sive ab alio quocunque Domus Austriacæ Principe, armis oppugnarentur, ab utraque Parte ad sextum, nonum, & decimum Articulum Tractatus Anni 1635. omni ex Parte observandum Eosque executioni mandandum obstrictos obligatosque fore. Quos equidem Articulos Præpotentes D. D. Ordines Gener. fideliter ac religiose Se observaturos, utque fideliter ac religiose observentur curaturos esse, fide, quæ est optima, promittunt spondentque, quotiescunque supradicti casus obtingere possunt.

Visum quoque fuit, ut Domino Servientio indicaretur, idque in commodiorem totius Negotii expeditionem, ejusdemque explanationem, omnes videlicet sermones, omniaque verba super Pacis Tractatione Monasterii sive alibi proposita, nullius pretii futura; eo quod nullum hactenus consilium aliud, super Ligâ *Garantiæ* sive Securitatis, Præpotentes D. D. Ordines Generales iniissent, præterquam quod superioribus Tractatibus commemoratum fuit.

Quod ad octavum attinet, quo petitur ut Præpotentes D. D. Ordines Gener. curarent, *ut Pricipatus Cataloniensis, cum omnibus ab eodem dependentibus, Pacis Tractatione comprehenderetur*, vel denique post Induciarum triginta Annorum exspirationem Præpotentes D. D. Ordines Gener. efficerent, quo dictæ Induciæ ad eundem modum prorogarentur; hoc si effectum reddi non posset, ut tali casu Præpotentes D. D. Ordines Gener. uti etiam Rex Galliarum Tractatum cum Rege Hispaniarum initum dissolverent; visum fuit, ut secundum primæ propositionis membrum (nimirum ut Præpotentes D. D. Ordines Gener. curarent, quo Principatus Cataloniensis, cum omnibus quæ ab eodem dependent, Pacis Tractatione comprehenderetur) dicta petitio quidem intenderetur, non tamen certum foret an obtineri posset, quandoquidem Hispani nonnihil difficultatis moverent, eaque propter propositio illa forsan relinquenda esset; at vero ut alterius propositionis membrum (nimirum, quod si Hispani, post Induciarum triginta Annorum exspirationem, Easdem prolongare nollent, ut Præpotentes D. D. Ordines Gen. uti etiam Rex Galliarum Tractatum cum Hispanis initum dissolverent) eædem prorsus rationes dictæ propositioni adhiberentur, quas ipsimet Regis Galliarum Ministri coram Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis adhibuerant, quum Articulus nonus Tractatui, Anno 1644. confirmato, frustra intendebatur.

Ad

Ad nonum vero quod attinet, quo petitur, ut post Pacis Tractationis confirmationem Hispanis indicaretur, Ipsis, quod si à Parte Regis Hispaniarum confirmatus Tractatus violaretur, *cum Præpotentium D. D. Ordinum Gen. tum Regis Galliarum arma simul expectanda esse*, quocunque etiam prætextu ejusmodi violatio obtigisset; visum fuit, ut hoc ejusmodi terminis Hispaniarum Regis Ministris indicaretur, cujusmodi Tractatus cum Rege Galliarum initi continent.

Postremò autem accommodârunt sese Articulo decimo, quo declaratur, ut Præsens Tractatus nihil quidquam cæteris, antehac initis confirmatisque, derogaret, neque eosdem aliqua ex parte commutaret; sed omnes & singuli vim Suam conservarent, quo religiose à Parte utraque observari possent, præterquam in iis, quæ hocce Tractatu derogata forent.

E propiori hac Articulorum explanatione, decimo octavo & vicesimo septimo die Decembris proposita, atque Octavo die Januarii, Anno 1647. subsignata, satis superque liquet, Dominum Nederhorstium solum iis omnibus non subsignasse. Rationes, ob quas dictis Articulis non subsignarat, vicesimo & primo die Januarii Anno 1647. in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. tradidit: quarum exemplar tale est.

Prima; propterea quod Ipsemet commodius esse ducebat, antequam Articuli subsignarentur, secundum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. non confirmatam declarationem, adversus Hispanos magis insistendum fuisse Negotio Superioris Gelriæ Tractus, absolutum Majoratus Sylvæ-Ducensis imperium, &c. concernenti; aut saltem expectandum fuisse, quidnam Provinciarum omnium Ordines, jam nunc deliberantes, de eodem Negotio decrevissent; existimans, deliberante Principe omnia & singula provisionaliter tantum in eodem loco relinquenda esse.

Neque tamen sibi in animum inducere poterat, quo pacto in prioribus Scriptis absolutum Sylvæ-Ducensis Majoratus imperium, absque ulla restrictione, exceptione seu conditione quacunque, postularetur; posterioribus vero una cum Hispanis statueretur, ut Hispanorum, de Religione Romana & bonorum Ecclesiasticorum possessione, petitio infecta maneret, ac postmodum inter partem utramque conficeretur.

Secunda; quia propter Hispanorum petitionem Articulo sexto, Indiæ Occidentalis Societatem concernenti, præter Præpotentium D. D. Ordinum Gener. decretum & mandatum sequentia verba fuerant inserta, *aliorumque omnium*, quæ quidem pro Ipsius judicio dictæ Societatis in damnum summopere cedebant; cui alioquin in omnes regiones atque insulas, in quibus Rex Hispaniarum nulla Fortalitia, Habitacula sive Castella tenet, Navigationes Suas instituere & Commercia exercere licuerat; *quum exceptio confirmet regulam in casibus non exceptis, & unius sit inclusio alterius.*

Tertia; eo quod Dominus Nederhorstius censebat, absque speciali Præpotent. D. D. Ordinum Gen. mandato, mutuam promissionem, Fortalitiorum quorundam dirutionem & Scriptorum omnium traditionem spectantem, &c. neutiquam concedi oportuisse; ac quamvis bina hæc Puncta, in se spectata, ne tanti quidem momenti erant, nihilominus tamen de iisdem absque mandato agi non licuisse;

Idque eo magis, quod Præpotentes D. D. Ordines Gener. disertis verbis mandassent, ut Legati Sui Extraordinarii & Plenipotentiarii nequaquam Instructionem Suam excederent, sed vero secundum Eam, & quidquid insuper per literas Ipsis indicaretur, agerent; in cujus quoque rei testimonium dextram fidemque dederant; arbitrans, *in minimis æque ac maximis juramentum præstitum violari*, eaque propter, pro temporis rerumque statu, sive Amicos sive Inimicos calumniari posse; quum tamen nullus calumniandi locus nullaque occasio ultrò offerenda foret.

Quarta; Quia Præpotentes D. D. Ordines Gener. posteriori Suo decreto mandârant, ut, quicquid cum Hispanis successivè transegissent, literis mandaretur, idque à Parte utraque subsignaretur; non tamen eapropter Scripta illa successivè subsignata, Tractatuum loco venire, uti passim in Scriptis factitatum fuit; quum tamen contradicat iis, quæ in Ipso Articulorum initio exprimuntur: *Articuli de quibus provisionaliter conventum fuit, eo fine, quo postmodum Tractationi Monasterii ineunda inserantur*; quum tamen in ipso textu dicatur, *Præsens Pacis Tractatio:* Ipsique Præpotentes D. D. Ordines Gener. posteriori suo decreto & mandato distinguant inter *Scripta successiva*, atque inter *Tractatum* eo loco, quo, quidquid cum Hispanis successivè transigetur, *Scripta* vocant quæ subsignanda erunt; & quidquid in *Tractatus* formam redigi posset, non nisi sub conditione subsignari velint; è quibus omnibus credebat Præpotentes D. D. Ordines Gener. neutiquam voluisse, ut *Scripta* illa *Successiva Tractatuum* Nomine appellarentur.

Quibus insuper, secundum Ipsius judicium, res haud exigui momenti accedebat, quod videlicet Regis Galliarum Ministri Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. Legatos & Plenipotentiarios sæpenumero rogârant, *ut tam diu cum Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotent. tractando desistere vellent, donec Sua quoque cum Hispanis Tractatio in eundem locum promota foret*; Idque juxta tertium & quartum Articulum Tractatus Anno 1644. cum Rege Galliarum confirmati; aut saltem donec Comes Servientius, qui jam Hagam-Com. discessurus erat, ad eam propositionem, quam in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium proponeret, responsionem qualemcunque referret; sive ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii Sua intercessione efficerent, quo Hispani *Articulum illum de locis expugnatis* Gallis concederent. Aut denique, ne Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Tractationi, multò autem minus Paci, moram aliquam injicere, Eidemque adversari viderentur, Se Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis & Plenipotentiariis concedere, ut Articulis, de quibus cum Hispanis convenerant, Subsignarent, eâ lege tamen ac conditione, ut sequentia fini insererent, *Se omnes illos & singulos Articulos neutiquam ratos aut confirmatos habere, nisi Galli etiam ad eundem Præpot. D. D. Ordinum Tractationis modum cum Hispanis concluderent*; quemadmodum quoque Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extr. & Plenipotentiarii antehac, atque etiam nuperrimè, conditionem illam obtinuerant, & in commodum Reipublicæ Suæ stipulati fuerant, quamque Cæsarei, in Suecorum & Hassiæ Land-Gravii Viduæ commodum, libenti animo concesserant; eaque propter Hispanos petitioni tam justæ tamque honestæ neutiquam abnuere oportere; neque etiam Præpotent. D. D. Ordinum Gen.

Lega-

Legatos Extr. & Plenipotentiarios, quod si hanc Gallorum petitionem serio proposuissent, ac promovissent, repulsam laturos fuisse.

Idcirco Dominus Nederhorstius hisce omnibus assentiri non poterat; simul etiam quod Regis Galliarum Ministris promissum fuerat, ad octo decemve dierum spatium dictam Articulorum subsignationem dilatam iri, donec perciperetur quidnam Præpotentes D. D. Ordines Generales Legatis Suis Extraordinariis & Plenipotentiariis præciperent, tamdiu expectandum fuisse, donec Comiti Servientio satis temporis concederetur, ut Hagam-Com. perveniret, atque à Præpotentibus D. D. Ordinibus ad Propositionem Suam responsionem qualemcunque accepisset; rationis suæ fundamentum è centesimo decimo & quinto Instructionis Articulo petens; quo disertis verbis exprimitur, omnia exactissimè secundum Tractatum, primo die Martii, Anno 1644. cum Gallis initum confirmatumque, agenda esse: quæ quidem verba aliquid ponderis habere debuissent, aut saltem promissio, de Tractationis subsignatione ad dierum octo decemve spatium differenda, sano sensu accipienda fuisset, donec Præpot. D. D. Ordines Gener. responsionem Suam ad Comitis Servientii Propositionem tradidissent; Idque eo magis, quod Regis Galliar. Ministri tam serio, tamque vehementer, protestationibus denique idem multoties petierant; sive ut Præpot. D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii alteram petitionem, quæ est de *locis expugnatis*, effectam redderent, rogarânt; addendo, petitionis tam honestæ tamque justæ denegationem summo dedecori Ipsis apud omnes & singulos Regum & Principum universi Orbis Christiani Ministros ac Legatos, Monasterii agentes, futuram esse; Idque facinus ab ipsis quoque hostibus erisum iri (quibus Præpotent. D. D. Ordinum Gener. fidem, Amicitiam, & Affinitatis indissolubile vinculum perpetuò summis laudibus extulerant) utpote à quibus & Tractatuum violatorum & Fidei publicæ læsæ accusabuntur; cujus quidem facinoris rationem reddere deberent; neque ullam quoque potestatem petitioni tam honestæ tamque justæ abnuendi haberent; addendo, quod si Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. ejusmodi petitiones innotuissent, certos Se esse, Eosdem neutiquam esse denegaturos; Eaque propter liberius, quæ peterent, concedi, neque recusari debere ejusmodi, è quorum repulsa majora ac plura incommoda oboriri possent.

Hasce igitur ob causas Dominus Nederhorstius (qui Easdem plurimâ ex parte proposuit, vel propter temporis angustiam omnes simul proferre haud potuit) Articulis, de quibus cum Hispanis conventum fuerat, subsignare dubitavit; contra vero satius esse duxit, ut, quæcunque acta & transacta forent, ea omnia Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus per literas ordine ac sincere indicarentur, quo Eorundem super hisce Consilium perciperetur; neque etiam in eorundem sententiam transire potuit, qui per Articulorum subsignationem Pacis Tractatum majorem in modum promotum iri credebant, sed multò magis ad revisionem & ulteriorem perpensionem causam orituram esse.

Eaque subsignatione Tractationem Germanicam nimis maturè promotam, atque eapropter occasionem datam iri, quâ res Brandenburgenses, Palatinæ, Has-

Hassiacæ, & Protestantium Principum, quibus Regis Galliarum Ministri summopere favebant, minus ex sententia excederent.

Interim tamen Dominus Nederhorstius omnibus, quæcunque Præpotentes D. D. Ordines Gener. de iis rebus decernerent, Se accommodaturum, eaque secundum mandatum Eorundem executurum esse, declarabat.

Has itaque rationes Dominus Nederhorstius in Concilio Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. vicesimo & primo die Januarii, Anno 1647. tradidit. Subsignatum erat, *G. à Reede.*

Exemplum Rationum, quarum causa Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii impulsi fuere Ejusmodi Articulis subsignare, de quibus cum Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis provisionaliter convenerant, quò tandem Tractatui, Monasterii ineundo, inseri possint.

1. *Quia jam ab initio Tractationis Monasteriensis cum Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis in eo conveuerant, ut ad majorem securitatem & certitudinem omnia, quæcunque ad Partem utramque pertinerent, scriptis traderentur, atque à Parte utraque subsignarentur; Sed verò quæ singula pars traditura esset, sigillatim quoque subsignarentur, atque utrique Parti exhiberentur; cujus conditionis ergò Literæ Auctoritatis utrinque fuerunt traditæ, ipsaque conditio Actorum Conscribendorum & Subsignandorum sive communiter sive sigillatim ab utraque Parte subsignata, atque utrinque tradita fuit: Qui deinceps ordo atque usus inter Partem utramque obtinuit; adeò ut ex hisce, quin insuper etiam ex ipso Tractatus fundamento, sequentia inserantur;* Quod semel placuit, amplius displicere nequit; & pacta conventa servanda veniunt.

2. *Quæ profectò conditio eò magis fuit necessaria, quod Præpotentes D. D. Ordines Gener. Articulo nonagesimo & septimo Instructionis, Legatis suis Extraordinariis & Plenipotentiariis traditæ, disertis verbis mandârant, ut Plenipotentiarii Sui, Reip. Suæ Nomine, atque auctoritate propria, cum Regis Hispaniarum Legatis Extraord. & Plenipotentiariis agerent, neque Mediatorem quempiam admitterent; Eaque propter Regis Hispaniarum, imprimis autem Præpot. D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii nullam omnino Tractationis Suæ certitudinem consequi potuissent, nisi ex iis, quæ ab una alterave vel ab utraque Parte simul subsignata forent; eò quod, præter Partes agentes, nemo alius vel scire hæc vel ordine enarrare posset.*

3. *Quem ad modum etiam Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii nihil quidquam certi Dominis Suis Deputantibus enarrare potuissent, ad quod tamen, vi centesimi decimi & tertii Articuli Instructionis sibi datæ, obstricti obligatique tenebantur; imprimis autem ad indicandum Tractationis Suæ initium, progressum & quousque eandem produxissent, simul etiam vi Consilii cujusdam Anno 1646. initi, quod similiter Legatis & Plenipotentiariis supramemoratis, Instructionis loco, per literas indicatum fuit, ad concessos jam confectosque Articulos in Pacem à Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis stipulandos, nisi jam eosdem subsignatione conscripta confir-*

confirmassent, unde certò sciri posset, quidnam cum Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis actum & transactum, quidnam infectum aut omissum fuisset.

4. *Præsertim vero, quia absque ejusmodi conditione, licet utrique verbis duntaxat, sive in Scriptis Suis utrinque traditis, convenisse viderentur, nihilominus tamen in Articul. propositione, amplificatione, ac sensus utriusque applicatione, graves quædam difficultates ac diversæ sensus alterius Partis explicationes antehac obortæ fuerant, quæque deinceps in Negotio tam exoptato magis magisque Se obtulissent, quod ni vera ac genuina sensus utriusque Partis explicatio, ex ipsis Articulis, de quibus controversum, simul etiam conventum & subsignatum fuerat, clarissime innotesceret, ne postmodum in diverso ac perverso modo capi posset; prout Legibus expressum est;* Eapropter fieri Scripturas, ut, quæcunque acta & transacta sunt, per easdem facilius probari queant.

5. *Quæ similiter, postquam Præpotentes D. D. Ordines Generales pro singulari Sua prudentia prævidissent, Idcirco Mense Novembri, proximè elapsi, decreverunt ac constituerunt, ut, quæcunque tum à Suis, tum à Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis acta & transacta forent, & literis conscripta traderentur, & manibus subsignarentur; quod equidem* Mandatum speciale, post maturam deliberationem, *impositum, atque ea, quæ subinde Monasterii peracta fuere, sequutum, in hisce absque ulla hæsitatione effectum reddi oportuit.*

6. *Ac quoniam post Mensium complurium Tractationem, plerique & qui majoris erant ponderis Articuli Tractatus, de quo inter Partem utramque controversum fuerat, satis jam præparati, atque ad Pacis commutationem, loco Induciarum, (quam tamen Induciarum cum Pace commutationem Hispani jam à Tractationis initio judicio atque arbitrio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. reliquerant) pro rei necessitate accommodati, & conventus utrinque plurimi continuati fuerant; simul etiam post varias disputationes, protestationes, intermissiones ac declarationes peremptorias, Negotium tandem universum eousque inter Partem utramque variis temporibus promotum, literis conscriptum, utrinque collatum, correctum, ac denique, consentiente Parte utraque, confirmatum fuerat, adeò ut Pars utraque in eo jam convenerat, quo ad utriusque securitatem, secundum ordinem ac conditionem supramemoratam, quæcunque acta & transacta erant, à Parte utraque similem in modum subsignarentur; Eapropter Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, prævia deliberatione maturâ, eò quoque pervenerunt, quò ab alterâ Parte Tractationem hanc, juxta Instructionem Ipsis datam, omni ex Parte confirmarent, ab alterâ verò Præpot. D. D. Ordines Gener. Deputantes Suos, de fidelitate Suâ atque animi sinceritate in universo hoc Negotio adhibitâ, certos redderent.*

7. *Quod si vero Præpotentium D. D. Ordinum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Articulorum subsignationem ob causas aliquas neglexissent, recusassent vel distulissent ac casu aliquo adverso (cui res humana, atque hujusmodi præsertim, quæ tanti ponderis ac momenti existunt, sæpenumero obnoxia sunt) rerum quædam mutatio oborta fuisset, ejusmodi profectò subsignationis negligentiam Præpotentes D. D. Ordines Gener. Legatis Suis Extraordinariis & Plenipotentiariis imputare, Ipsi quinetiam Plenipotentiarii non-Subsignationem haud facili negotio excusare potuissent, eaque Iuris regula adversus Ipsos allegari potuisset;* Qui mandatum suscepit, si potest id adimplere, deserere promissum officium non debet; alioqui, quantum ad mandatorem attinet, damnabitur. *Quod equidem*

dem crimen Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati Extr. & Plenipotentiarii committere, vel ejusmodi accusationem expectare dubitarunt.

8. Idque eo magis, quod neque alios quosdam Articulos concesserint, neque subsignârint, præterquam ejusmodi, qui cum Ipsa Præpotentium D.D. Ordinum Gener. Instructione Eorundemque decretis omni ex Parte congruebant; Eaque propter mandato officioque perfuncti, neque mandato aliquo modo egressi fuerunt; quem ad modum illud sequentibus breviter demonstrabitur, ac pluribus sive coram sive scriptis, siquidem opus fuerit, confirmabitur.

9. Primò enim, quantum ad Consolidationem citerioris Gelriæ Tractus attinet, postquam Præpotentium D.D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, cum de Induciis ac de Pace ageretur, pluribus sæpiusculè & coram & verbis Negotium illud urgere cœpissent, Regis Hispaniarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, sive de Pace sive Induciis ageretur, petitionem hanc tam pertinaciter denegârunt, simul etiam contradixerunt, ut ne minimum quidem Ejusce obtinendæ atque impetrandæ spem reliquerint; utpote qui non ignorârint, quid de ea re Præpot. D. D. Ordines Gener. consilii cepissent: adeò ut Præpot. D.D. Ordinum Gener. Legati Extr. & Plenipotentiarii operam ludentes, secundum mandata Ipsis, vicesimo & secundo die Maji, Anno 1646 per literas indicata, neque postmodum commutata, Semetipsos Hispanorum voluntati accommodare necesse habuerint, absque ullo tamen, cum Reipublicæ Suæ, tum Gelriæ Provinciæ, per Articulorum subsignationem, damno aut præjudicio.

10. Quantum vero ad Majoratum Sylvæ-Ducensem cæteraque loca attinet, in quibus Religio Romana hactenus licita fuit, supramemorati Legati Extraord. & Plenipotentiarii eorundem locorum Ius atque imperium summum Dominis D. Deputantibus Suis in subsignatis Articulis stipulati fuerunt, idque iisdem omni ex Parte integrum conservarunt, quapropter etiam Hispaniarum Moderamina, decimo & tertio, 15. & 18. die Decembr. proposita, denegarunt. Verum enimvero quoniam Regis Hispaniarum Legati & Plenipotentiarii arbitrabantur de eadem re sex mensium spatio, post Pacis Tractationis Confirmationem, conventum iri, simul etiam, quo Ejusce rationem reddere possent, huic petitioni Se inhæsuros esse declarabant, idcirco Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati Extraord. & Plenipotentiarii evitare neutiquam potuerunt, quin de ea re Scriptis quibusdam privatis ageretur, atque, in testimonium duntaxat rei gestæ, subsignaretur: nullam tamen ejusce rei in præcipuis, de quibus conventum fuit, Articulis mentionem fecerunt, neque conditionaliter eam Articulis subsignatis addiderunt, sed vero universam atque integram, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. Deputantibus Suis, reservarunt.

11. Quæcunque Articulo sexto, Indiæ Occidentalis Societatem concernente, hujusmodi sc. verbis (aliorumque omnium) adjuncta leguntur, ea nullo modo Præpotent. D. D. Ordinum Gener. decretis adversantur, sed multò magis eadem confirmant; quandoquidem hic Ipsorum scopus atque intentio fuerit, Navigationes videlicet mutuas ad Indiam Occidentalem neutiquam obtineri aut conservari posse, quod si Pars utraque Navigationibus ad ea loca sive Insulas abstineret, quas Fortalitiis, habitaculis, sive Castellis munitas haberet; hanc igitur ob rem Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati Extr. & Plenipotentiarii disertis verbis non modo plenissimè stipulati fuerunt, verum ejusmodi quoque verborum additione expresserunt, etiam præter Fortalitia, Castella, Habitacula cæteraque Acta possessionis, ad Navigationis in Indiam Occidentalem conservationem atque extensionem usitata, conservari atque exerceri posse, ut hoc pacto ad Indiam Occidentalem Navigatio multò latius institui posset. Adeò ut supra-

supramemorata verba ad extensionem Navigationis in Indiam Occidentalem potius, quam ad ejusdem restrictionem, adhibita sint, atque adhibita fuisse intelligi debeant.

12. *Mutua quinetiam propugnaculorum artiumque haud magni ponderis dirutio, Chartarum Scriptorumque, variis in locis asservatorum, traditio, sexagesimo & quinto & 66. Articulo, variis Chartis inscripto, concessa, primò & aequa & justa videtur, Idque propter regulam sequentem generalem:* Quid quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem quoque jure gaudeat; *secundo neque in praejudicium cedere potest, propterea quod, dirutione Fortalitiorum tradendorum negata, ejusmodi Fortalitia sive Castella integra ac munita reservari queant, nullaque Charta aut Scripta quaecunque à Praepotentibus D. D. Ordinibus Gener. unquam postulata, verum à Parte Hispanorum (utpote apud quos Priora semper & antiquiora Collegia, Archiva, & Belgarum Principum Concilia exstiterint) petita, sed denegata sint.*

13. *Quod Praepotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraord. & Plenipotentiarii nulla omnino Scripta sub Tractatus cujusdam forma subsignarunt, id satis superque liquet ex Ipso initio, sive Inscriptione Articulor. diversis temporibus diversisque Chartis conscriptorum; cujus exemplum tale est:* Articuli, de quibus inter Regis Hispaniarum & Foederati Belgii Provinciar. Praepotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios eo fine provisionaliter conventum fuit, quò postmodum Tractatui Monasterii ineundo inserantur.

14. *Adhaec accedit etiam, quod subsignati illi Articuli absque sensus connexione sive numerò Articulorum, at vero pro Tractatione variis diebus continuatâ, diversis chartis scriptisque contineantur, atque in ejusmodi Statum praeparatorium redacti sint, ut postmodum secundum formam Tractatus optimam disponi possint; quod etiam causam praebuit, ob quam Vox* Tractatus *passim Articulis inserta fuerit, tam quò Instructionis verba ipsa exprimerentur, ex quâ dicti Articuli excerpti fuere, quam quò postmodum propter verborum commutationem nullae difficultates oborirentur. Quem ad modum quoque dicti Plenipotentiarii aliud nihil intenderunt, quam quo ex conjunctione Articulorum separatim confectorum & subsignatorum tantò meliore ordine* Instrumentum Pacis *disponerent, suoque tempore ad formam Tractatus confirmarent. Adeò ut in hoc quoque Negotio, secundum Praepot. D. D. Ordinum Gener. praescriptum, Articulo quinto expressum, egerint, & secundum quod Praepot. D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii deinceps acturi sunt.*

15. *At vero omnes quidem objectiones & difficultates sponte Suâ evanescerent, neque ultrò se offerrent, ni illae Gallorum contradictionibus oblatae fuissent. Ac quamvis supramemorati Plenipotentiarii summum semper honorem ac reverentiam Regi Galliarum Ejusdemque Ministris exhibuerint, atque Ipsorum arbitrio judicioque multa deferre voluerint, nihilo minus tamen Semetipsos obstrictos magis obligatosque viderunt, ad Patriae ac Reipublicae Suae commodum prae caeteris procurandum, atque ex omni Parte agendum potius secundum fidem in Negotio hoc suscipiendo datam, ex praescripto Articuli nonagesimi & primi, quo tenentur omnia conferre, quaecunque ad Patriae ac Reipubl. Suae commodum pertinere arbitrabuntur; contra verò omnia evitare, quaecunque Patriae ac Reip. Suae damnum aut praejudicium aliquod apportare posse existimabunt. Praeter haec quoque Praepotentium D. D. Ordinum Generalium Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, ad animi Sui fidelitatem omnibus comprobandam, paucis commonstrabunt, Se in omnibus actis & factis nihil quidquam adversus Tractatus, multò minus in Regis Galliarum praejudicium, neque etiam in* Religionis

gionis Sociorum *Germaniaque Fœderatorum damnum aut prajudicium per maturam hanc Articulorum subsignationem commisisse.*

16. *Hac itaque res est, quod Regis Galliarum Ministri, quacunque hactenus proposuerunt, omnia illa per Mediatores, atque interpositas personas egerint, neque ante hunc diem unquam (quantum cuique innotuit) scripta sive Instrumenta quadam subsignata tradiderint, acceperint, commutârint, proindeque Articulis nullis provisionalibus subsignarint; quamvis unicuique facile notum sit, summedictos* Regis Galliarum Ministros *jam à multo tempore cum* Legatis Extraord. *&* Plenipotentiariis Cæsareis *egisse, omniaque Scriptis confecisse, quantum videlicet ad* Regem Galliarum, *& debendam satisfactionem attinet, qua multos quidem neque exigui ponderis Articulos, ingenti admodum Charta comprehensos, continet; de quibus Articulis Partes illas primarias inter Se convenisse, haud subsignasse tamen, certum est. Cum quibus etiam* Suecia Legatos Extraord. *&* Plenipotentiarios, *uti quoque* Hassia Land-Gravii Vidua Ministros *(qui arctissimo similiter Fœderis vinculo Regi Galliarum adstricti tenentur) jam diu pracessisse, neque reliquis Sociis ac Fœderatis Suis satisfecisse, sed verò omnes, quantum ad satisfactionem attinet, & tempus & finem etiamnum expectare, nemo est qui ignorat.*

17. *Cumque jam Negotium inter Regem Galliarum atque inter Regem Hispaniarum à* Prapotentium D. D. Ordinum Generalium Legatis Extraord. *&* Plenipotentiariis *Mense Septembri, proximè elapsi, agi cœptum, ac brevi temporis spatio, tantopere promotum esset, ut ab utraque parte nequidquam dubitaretur, quin illud octo dierum, vel viginti quoque & quatuor horarum intervallo expediri penitusque confici posset,* Prapotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraord. *&* Plenipotentiarii *Tractationem Ipsorum, quantum potuerunt, promoverunt, quamvis Sua cum Hispanis Tractatio nondum debito ordine disposita, Ejusque eventus dubius adhuc atque incertus existeret; Nihilque aliud sibi salvum atque integrum voluerunt, praterquam ne Partes primaria inter Se Articulos Suos confirmarent ac subsignarent, donec* Prapot. D. D. Ordinum Gener. *cum Rege Hispaniarum Tractatio ad confirmationem similiter & subsignationem promota foret.*

18. *E quibus satis superque apparet, quandoquidem* Prapot. D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii *&* Plenipotentiarii, *uti quoque* Regis Galliarum Ministri, *Tractationem Suam diversimodè instituebant, Ipsos neque eodem tempore, neque eodem ordine; sed Suo quemque modo ac tempore Tractationem Suam promovere debuisse; unde etiam liquet utriusque Tractatus promotionem sana interpretatione, pro re nata, cujusque conditione, consuetudine ac forma agendi, accipiendam atque explicandam esse.*

19. *Quod si igitur Gallorum cum Hispanis Tractatio eousque promota, quin imo ad finem perducta, fuisset, aut saltem eousque promoveri atque perduci potuisset, quemadmodum hujusmodi spes magna Mense Septembri atque Octobri affulserat, nonne* Prapot. D. D. Ordinum Gener. Legatis Extraord. *&* Plenipotentiariis, *utpote qui omnem ad id operam, curam ac diligentiam intendebant, summa dolendi & conquerendi causa oblata fuisset, Suam cum* Regis Hispaniarum Legatis Extraord. *&* Plenipotentiariis *Tractationem eousque promotam fuisse, quod si videlicet* Regis Galliarum Ministris *Ejusce Tractationis Conclusionem differre libitum fuisset?*

20. *Verum enimvero quandoquidem novis quibusdam difficultatibus supramemorata Gallorum & Hispanorum Tractationes in eodem loco aliquamdiu hæserint, at* Prapotentium D. D. Ord. Gener. *cum Hispanis Tractatio interea temporis in manus recepta, & eousque promota fuerit, ut utrique Articulos primarios composuerint, alios quinetiam superaddiderint, ac* succes-

succeßive ad subsignationem (secundum conditionem atque ordinem jam ab ipso Tractationis initio observatum) præparaverint, idcirco Præpot. D.D. Ordinum Gen. Legati Extr. & Plenipotentiarii neutiquam percipere potuerunt, quo pacto aut quo modo à Regis Galliar. Ministris rogari jure optimo potuerint, ne dictis Articulis, de quibus cum Hisp. convenerant, subsignarent.

21. *Præterquam enim quod per ejusmodi subsignationis dilationem ea, de quibus cum Regis Hispaniarum Legatis Extr. & Plenipotentiariis jam nunc plenißimè convenerant, ad nihilum quasi redacta ac veluti infecta fuissent, omnis quoque Tractationis directio, atque in omnibus & singulis rebus Plenipotentiariorum fidei mandatis auctoritas, quâ Præpot. D. D. Ordinum Gen. Nomine Ipsimet atque immediatè ad agendum instructi fuerant, penitus auferri atque eripi, Ipsorumque cum Regis Hispaniarum Legatis Extr. & Plenipotentiariis Negotium peractum, ex aliorum sive Mediatorum judicio infectum reddi potuisset, quod tamen neque ex Instructionis, neque ex reliquorum mandatorum præscripto, facere ullo modo poterant.*

22. *Quidquid autem Præpot. D. D. Ordines Gener. Legatis Suis Extr. & Plenipotentiariis Articulo 114. & Articulo 115. Instructionis de Regis Galliarum Ministris præceperant, id omne Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii effectum reddere studuerunt; interim tamen percipere nullo modo potuerunt, Articulos illos Instructionis tam latè Se extendere quam quidem à multis extensi fuere; Ideoque ex Instructionis Suæ præscripto ad maximam Tractationum, quarũ cura Ipsis relicta erat, promotionem agere commodius esse existimarunt, neque Tractat. illas infectas dimittere, unde postmodum plurima incommoda oboriri possent.*

23. *Quodcunque etiam in Partem contrariam allegari potest, imprimis autem quod Partis utriusque Tractationes pari passu promovendæ, quod res causæque (vulgò* interesse) *utriusque mutuâ operâ, curâ ac diligentiâ suscipienda, aut saltem ab Hispanis ea, quæ de* locis expugnatis *Galli proposuerant, impetranda, atque sub Articulorum finem inserenda & utrinque subsignanda; quod Articuli neutiquam concludendi erant, nisi Gallorum similiter cum Hispanis Articuli concluderentur, id omne ex iis, quæ supramemorata sunt, secundum varios usus defensum fuit; Insuper etiam faciliori argumentorum in contrarium allatorum solutioni inservire poterit, quod, postquam Præpot. D.D. Ordinum Gen. Legati Extr. & Plenipotentiarii jam ultra quinque Menses ab omni cum Hispanis Tractatione abstinuissent, Gallorum cum Hispanis Tractationi omnem operam, studium, curam, ac diligentiam, nervos denique omnes Suos intenderint, omniaque adhibuerint, quibus Tractatio ad finem exoptatum perduci posset. Quo factum est, ut Regis Galliarum res causæque (vulgo* interesse) *non modo susceptæ, ac defensæ, sed præcipua quoque Ejusdem postulata Præpot. D. D. Ordinum Gen. & Plenipotentiariorum suasu atque impulsu ab Hispanis impetrata fuerint: Articulus quinetiam de* locis expugnatis *jam omnino confectus fuisset, nisi propter casum quendam in Italia, postquam Hispani eundem Articulum concesserant, obortum, nova denuò difficultas oblata fuisset; adeò ut Articuli de quibus Præpot. D. D. Ordinum Gen. Legati Extr. & Plenipotentiarii cum Hispanis convenerant, varias ob causas, imprimis vero ob* momentum temporis, *quum id à Regis Galliarum Ministris petebatur, Eorundem cum Hispanis Tractationi alligari neque adstringi poterant, quum Tractatio alteri admisceri neutiquam debuerat, præterquam* quod factum aliorum promitti nec potuit nec debuit.

24. *Præcipuum vero ac primarium, quod opponi posset, illud est, Præpot. videlicet D. D. Ordinum Gen. Legatis Extr. & Plenipotentiariis neutiquam licitum fuisse, Articulos Suos, de quibus cum Hispanis convenerant, nisi simul cum Gallis concludere, idque sub Articulorum finem inserendum atque ab Hispanis subsignandum fuisse.*

25. *Ad*

25. *Ad ea Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraord. & Plenipotentiarii sequentia respondent; Se nimirum non semel Regis Hispaniarum Legatis Extraord. & Plenipotentiariis, ubi de Induciis atque Pace actum fuit, & coram & Scriptis subsignatis indicasse ac declarasse, quomodo Præpot. D. D. Ordines Gener. & Rex Christianissimus arctissimo inter se Fœdere obstricti atque obligati tenebantur, adeò ut neque Præpot. D. D. Ordines Gener. seorsimsine Majestate Sua, neque Majestati Regiæ seorsim sine Præpot. D. D. Ordinibus Gener. sed conjunctim & consensu mutuo cum Rege Hispaniarum Tractatum sive Fœdus quodcunque inire liceret; Ac quamvis Regis Hispaniarum Legati Extr. & Plenipotentiarii hæc omnia se non ignorare, insuper etiam Tractatum illum inter Regem Galliarum atque inter Præpot. D. D. Ordines Gener. initum Sancitumque penes se habere responderant, nihilo minus tamen, quò Præpot. D. D. Ordinum Gen. Legati Extr. & Plenipotentiarii officio Suo plenissimè functi viderentur, Articulum quendam declaratorium, ut vocant, eâ potissimum de causâ conscripserunt, eumque duobus Scriptis primariis, quæ Articulos cum Hispanis compositos continebant, tam Belgicâ quam Gallicâ linguâ conscriptis & subsignatis inseruerunt, Regisque Hispaniarum Legatis Extraord. & Plenipotentiariis exhibuerunt. Qui quidem Articulus non novam duntaxat inter Regem Galliarum atque inter Præpot. D. D. Ordines Gener. Tractatuum Fœderumque initorum declarationem continebat, verum Eorundem quoque applicationem ad actum præsentem adhibitam; nimirum Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiariorum hunc esse animum, Articulos, de quibus cum Regis Hispaniarum Legatis Extraord. & Plenipotentiariis convenerant, nullum omnino Veri ac Realis Tractatus effectum consecuturos esse, nisi etiam Regi Galliarum à Parte Hispanorum, secundum Tractatum Kalendis Martii, Anno 1644. inter Regem Christianissimum atque inter Præpot. D. D. Ordines Gener. initum confirmatumque, plenissimè satisfactum fuerit; Seque insuper præsentem hanc declarationem supramemoratis Articulis veluti insertam, Eamque non minoris ponderis, quam reliquos Articulos perpetuo habituros esse.*

26. *Quæ quidem declaratio Scriptis utriusque Partis inserta, atque eodem tempore, coram Regis Hispaniarum Plenipotentiariis subsignata, ab iisdem perlecta ac perpensa, nullam prorsus contradictionem passa fuit, quamvis antea declaraverant, Se Declarationi illi subsignare nullo modo posse, propterea quod esset* res inter alias transacta, *neque opus esse, ut de eadem secum conveniretur, sed vero ut à Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiariis observaretur, eaque propter ut saltem verbis indicaretur necesse esse.*

27. *Eum quoque ad modum Legati Extraord. & Plenipotentiarii Cæsarei Instrumento sive Exemplari Satisfactionis decimo & tertio die Septembris Anno 1646. cum Rege Galliarum inito insertum voluerunt, Se nullum prorsus Tractatum inituros neve confirmaturos esse, nisi Pacis Tractatio Gallos inter & Hispanos similiter procederet: Cui equidem Declarationi Regis Galliarum Legati Extraord. & Plenipotentiarii per Contra-Declarationem terminis duntaxat generalioribus, Se eidem adstrictos obligatosque nolle, responderunt; proindeque Cæsaream Declarationem neque accipere, neque subsignare voluerunt.*

28. *Insuper etiam Regis Galliarum Legati Extraord. & Plenipotentiarii hujuscemodi Declaratione acquiescere potuissent, eò quod hæc omnia in iis Scriptis, quæ per Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraord. & Plenipotentiarios, ceu Mediatores inter Regem Hispaniarum atque inter Regem Galliarum, Mense Septembri utrinque tradebantur, & proposita, atque ab utraque Parte admissa & concessa fuerant; Illa præsertim, nihil quidquam inter Partes præcipuas conclusum confirmatumque iri, nisi Præpotent. D. D. Ordinum Gener.*

Gener. cum Rege Hispaniarum Tractatio ad conclusionem similiter & confirmationem perducta foret; de qua re Præpotentes Domini D. Ordines Generales Deputantes Suos tunc temporis certiores fecerunt, licet eadem Declaratio non-signata manserit, propterea quod nulla Scripta sive Instrumenta inter Partes præcipuas subsignata fuerant.

29. *Præterea quoque supramemorati Plenipotentiarii Se ad id obstrictos magis obligatosque viderunt, quo in ipsa Declaratione verba, secundum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. decretum, Mense Novembri, proximè elapso, præscriptum, agerent, quam iis uti verbis, quæ Regis Galliarum Ministris Instrumentis Sua scriptis suis, decimo & octavo die Ianuarii traditis, proponere visum fuit; cujus quidem rei (si opus fuerit) Nomine locoque Præpotentium D. D. Ordinum Gener. à quibus eam Legatorum & Plenipotentiariorum qualitatem fuerant consequuti, rationes ulteriores reddere possent.*

30. *Verum quidem illud est, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos Extr. & Plenipotentiarios ea, quæ Regis Hispaniar. Legatis Extr. & Plenipotentiariis promiserant, Regis Galliarum Ministris majorem in modum petentibus, tantopere cohibuerint, ut contenti fuerint post Comitis Servientii Hagam-Batavor. discessum octodecemve dierum spatium Articulorum, de quibus cum Hispanis convenerant, subsignationem differre: quo profectò tantum Regis Galliarum Ministris concesserunt, quantum ab iisdem vel peti, vel rogari debuerat, quod similiter Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. per literas ordine indicarunt. Verum enim vero quandoquidem intra dictorum dierum spatium, neque etiam postmodum Præpot. D. D. Ordinum Gener. Legati Extr. nihil quidquam super hac re mandati per literas Deputantium Suorum acciperent (quamvis Dominus Brassetius, Regis Galliarum apud Præpotentes D. D. Gener. Legatus Ordinarius, per Scripta quædam hoc ipsum petierat) quisnam mortalium Præpotentes Dominos D. Ord. Gener. consilium, quod antehac ceperant, mutasse potius quam idem confirmasse credidisset? Eapropter igitur Legati Extr. & Plenipotentiarii etiam atque etiam necesse habuerunt, Id quod susceperant Negotium, quodque jam dieculas aliquot distulerant, quantum pote promovere, atque ad finem, tam diu ab omnibus speratum, perducere; Regis Galliarum Legatorum Extr. & Plenipotentiariorum offensam (licet immeritò) in se expectare cupientes potius, quam Præpot. D. D. Ordinum Gener. Deputantium Suorum jussa ac mandata exequi negligentes, universum Negotium tantopere Eorundem curæ ac studio commendatum, in Statu locoque tam dubio tamque incerto diutius relinquere, quinimo in eum locum dimittere, unde postmodum emergere vix potuisset, ac postremo omnem culpam, tarditatem ac negligentiam, ipsa denique mala & incommoda exinde oritura in Se derivassent.*

31. *Quum tamen Tractationibus inter Regem Galliarum atque inter Regem Hispaniarum institutis nullum damnum, mora aut præjudicium fuerit illatum, neque solum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii obtulerint, Partes Suas Mediatorias porro continuare, sed vel Ipsi quoque Regis Hispaniarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii asseruerint, non minori Se verum multo majori jam nunc desiderio teneri, cum Rege Galliarum mediis quibuscunque honestis, æquis justisque componendi, omnesque difficultates cum bona gratia conficiendi; Quem ut obtineamus finem, quantumcunque in omnibus est officii, auxilii, curæ ac diligentiæ, id omne huic duntaxat consequendo impenditur, Summique Numinis in opere tam salutari benedictio cœlestis æquo animo expectatur.*

32. *Insuper quoque Religione Fœderati, sub Nomine Partis utriusque Euangelicæ Osnabrugis congregatæ, neutiquam dubitarunt Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Legatis Extr. & Pleni-*

Plenipotentiariis declarare pluribusque affirmare Se nullo modo alienum, aut præmaturum, sed æquum justumque, simul etiam ad Bonum publicum summopere utile arbitrari, quæcunque inter Regis Hispaniarum atque inter Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatos Extr. & Plenipotentiarios hactenus eo modo, quo supra commemoratum fuit, acta & transacta fuerant; tantum abest, ut Ipsimet Tractationibus aut moram aut præjudicium qualecunque intulissent. Ac quantum ad Euangelicos Principes atque P. P. Electores Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. Fœdere Conjunctos attinet, Eorundem Ministris similem quoque in modum plenissimè satisfactum fuit; qui cum reliquis Regum Principumque Ministris judicarunt Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarios dehinc Partes Suas Mediatorias majori studio ac diligentia transigere posse, quandoquidem gravissimas Suas difficultates cum Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis jam nunc penitus confecissent.

33. *Quapropter etiam Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii paulò post Osnabrugas se contulerunt, atque ad Religione-Fœderatorum Germaniæ commune commodum, eum ad modum quoque per Intercessionem in rebus Pomeranis, ad commodum Sereniss. Principis Electoris Brandenburgensis, atque ad rerum Palatinensium aliarumque restaurationem, tantam diligentiam adhibuerunt, ac in iis tantopere elaborarunt, ut neutiquam dubitandum sit, quin tanta opera, cura studiumque effectum suum sit consequuturum; Quod si nimirum Regis Galliarum Ministri, pro Gallorum consuetudine, ac crebra petitione, iisdem proposita, operam mutuam tradere dignentur, quod omnes & singuli Eosdem propter difficultates, hactenus inter Ipsos & Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios intersitas, neutiquam esse neglecturos, credunt; quandoquidem à Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Legatis Extraord. & Plenipotentiariis nulla succensendi causa data fuit; ac licet ab utraque Parte variis modis mediisque Tractationes promoveantur, nihilominus tamen omnia ad unum eundemque scopum & finem, videlicet ad universi Orbis Christiani Pacem, dirigenda atque adhibenda veniunt.*

34. *Postremò Legati Extraord. & Plenipotentiarii nequaquam negligere possunt, quin Præpotentes D. D. Ordines Gener. rogent atque obsecrent, ut pro singulari Sua prudentia rerumque experientia altiori paulò examini subjicere velint, quod Consilia Gallorum multò maturius quam Præpotentium D. D. Ordinum Gener. capiantur ac confirmentur; insuper etiam quod Regis Galliarum Ministri plenissima agendi potestate atque auctoritate muniti sint, at vero Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii certis quibusdam agendi regulis adstricti teneantur; ac propterea quod præter per-Illustre Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilium etiam Provinciarum singularum Ordinum Concilium, & per consequens universa Respublica ea, quæ Monasterii agerentur, cognoscere majorem in modum desideraverit, Idcirco Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraord. & Plenipotentiarii Semetipsos secundum Fœderatarum Belgii Provinciarum Statum ac Conditionem, quantum pote, gerere necesse habuerunt; proindeque certi quid statuere debuerunt, ne ejusmodi Negotium incertum relinqueretur, unde novæ quædam ac variæ deliberationes & consilia, cum ingenti temporis & commodæ rerum benè gerendarum occasionis dispendio, ineunda ac capienda forent, quo denique præsens cum Hispanis Tractatio tam longe retrolabi, aut saltem tamdiu differri potuisset, ut interea temporis Cæsarei, Galli, Hispani, Sueci & Germani Tractationes Suas penitus confecissent, ac Præpotentes D. D. Ordines Gener. posteriores ad tractandum parati, eas conditiones, quas reliqui Ministri Ipsis competere judicarent, æquo animo accipere debuissent: cum tamen Galli, quibus & res magis sunt secundæ, & ubique*

ubique hostibus pares, hujuscemodi discrimen subire necesse non habeant, sed vero ab omni parte se rerum Dominos præbere, sibique summo cum honore, armorumque vi plenissimè satisfacere queant.

35. *Quocirca etiam Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati Extr. & Plenipotentiarii summa animi sinceritate, juxta Instructionem fidemque datam, nec non secundum omnes & singulos cum Rege Galliarum Tractatus initos; cum nullius Fœderatorum, Amicorum & Sociorum damno aut præjudicio in hisce omnibus officio functi, minimè dubitant, quin Præpotentes D. D. Ordines Gener. quæcunque cum Hispanis acta & transacta sunt, æquo animo amplexuri, neque ullas rationes adhibituri sint, ob quas ea, quæ cum Hispanis transacta jam & subsignata sunt, hoc illove prætextu in partem pejorem rapiantur, multò autem minus repudientur, ne tandem cum Hispanis Tractatio, per subsignationem Articulorum provisionalem eousque promota, & quæ inter Gallos Hispanosque componenda restat, ac per Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios, quantum maxime potest, promovetur, effectu suo tamdiu exoptato destituantur. Ac si plura incommoda inter Regis Hispaniarum atque inter Regis Galliarum Ministros oboriantur, Præpotentes D. D. Ordines Gener. majori efficacia intercedere apud illos poterunt, qui privatam Suam causam universi Orbis Christiani Paci ac tranquillitati anteponere non verentur. Actum Monasterii, quinto die Februarii, Anno* 1647.

Paucis post diebus, Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum Zelandiæ sequentem propositionem ad Articulorum subsignationem, literis conscriptam, in Præpot. D. D. Ordinum Gener. Concilio tradiderunt.

Præpotentes Domini,

Quandoquidem Religio ejusmodi res est, quæ ad conscientiam attinet, & Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines, Deputantes Nostri, firmiter persuasum sibi habent Religionem Reformatam, quem ad modum ea jam nunc in omnibus Fœderatarum Belgii Provinciarum templis docetur ac prædicatur, quamque Ipsimet Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines profitentur, esse Ipsam Veritatem Dei ad salutem, Eaque propter ab omnibus & singulis Principibus Christianis, rationibus quibusdam humanis non obstantibus, quibuscunque mediis fieri poterit optime, capessendam, promovendam, atque ab omnibus corruptelis conservandam esse; Idcircò hæc Deputantium nostrorum veluti Magistratuum animis sententia insita, atque per experientiam inscripta est, *Religionem Reformatam in Fœderati Belgii Provinciis prædicatam, solum atque unicum existere fundamentum, cui præclara Respublica Nostra innititur, insuper etiam præcipuum vinculum, quo omnes & singuli Provinciarum Moderatores ad Rempublicam hanc Ordinum more administrandam obstricti atque inter se alligati teneantur:* Quapropter etiam, postquam Deputantes Nostri viderint dictam Religionem, & quidquid ab eadem dependet, à multis hujusce Reipublicæ Moderatoribus minoris haberi atque æstimari, quam dudum, simul etiam à nonnullis proponi de *moderamine aliquo Religionis causa* admittendo, nihil aliud ex eo percipere queunt, præterquam quod hujusce Reip. Palladium diruetur, nec non benedictio Cœlestis avertetur, universum Reip. fundamentum subvertetur, arctissimum unionis vinculum dissolvetur; atque eo pacto Nosmet Ipsi cum Religioni tum Politiæ viam ad interitum sternemus.

Sff Quan-

„ Quandoquidem igitur, Præpotentes Domini, D. D. Deputantes Nostri in „ Tractatu Pacis Præpotent. D. D. Ordines inter & Hispaniarum Regem nihil „ quidquam desiderari experientiâ comperiunt, præter Religionis Negotium & „ & quidquid ab eo dependet in Majoratu Sylvæ-Ducensi, Baronatu Bredanensi, „ Marchionatu Bergozomiensi, Cuyckensi Ditione, &c. atque insuper, super hac „ re commodum aliquod Moderamen excogitari posse ac debere, nonnulli existi- „ mant; quum nihil aliud inde expectari ac sperari possit, quam ut Tractatus Pa- „ cis, quemadmodum Præpotent. D. D. Ordinum literæ, ad Extraord. Legatos & „ Plenipotentiarios vicesimo & octavo die Decembr. 1646. exaratæ, continent, „ hanc solam ob caussam dissolvendus ac succidendus veniat.

„ Idcirco D. D. Deputantes Nostri Vobis, Præpotent. Domini, ob oculos po- „ nere atque demonstrare voluerunt, Se non minori quam reliquarum Provincia- „ rum Ordines, ut diuturnæ huic Tractationi, Monasterii institutæ, finis imponere- „ tur, resque ad firmi, honesti, & Christiani Tractatus Pacis conclusionem perdu- „ ceretur ac promoveretur, desiderio teneri.

„ Verum enimverò Sese nequaquam animo Suo concipere, ejusmodi Tracta- „ tum admitti posse aut debere, quo Reformata Religio postponeretur, atque ali- „ cubi, ubi & quocumque prætextu id fieri posset, publicum Romanarum super- „ stitionum exercitium permitteretur.

„ Eapropter quoque Nobiles Ordines initio Consiliorum, super Tractatione „ Pacis initorum captorumque, ut supradictum Religionis Negotium immotum „ maneret, cum inter, tum post Pacis Tractationem summopere instituerunt, ei- „ demque assiduò inhæserunt.

„ Non jam Vobis, Præpot. Domini, omnia illa, quæ ad præmemoratum Nego- „ tium pertinent, referemus, id solum dicemus, Deputantes Nostros, quandoqui- „ dem hujus Reipub. leges fundamentales, Vestra quinetiam, Præpot. Domini, nec „ non uniuscujusque Provinciæ Edicta, adhæc tam solennis tamque recens, quum „ de confirmandis Præliminaribus Articulis proximâ vice Consilium caperetur, ab „ omnibus Fœderatis Membris data fides de Edictis observandis atque execu- „ tioni mandandis facta declaratio exstat, neutiquam capere, quo pacto vel mini- „ mam considerationem mereatur, ut præsenti Pacis Tractatione traderentur atque „ ab Hostibus solenni Tractatu stipularentur, quæcumque supradictis legibus, „ Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Edictis atque Præmemoratæ Provinciarum „ datæ fidei, tam directè contrariantur.

„ Ac præsertim Reformatæ Religionis conservationi & propugnationi, quæ „ non solum in eo consistit, ne Ejusdem exercitium directè impediatur, disturbe- „ tur, aut aliqua difficultas Eidem inferatur, verum præcipuè ac primariò ut cura „ geratur atque opera detur, ut omnes reliquæ *hereses*, quæ *Zizaniorum & contagionis* „ instar supradictam Religionem Reformatam tandem suffocarent, inficerent ac „ perderent, opprimantur, neque è contrario inferantur, foveantur, atque au- „ toritate publicâ cum Reformata Religione juxta habeantur: id autem si aliquâ „ ex parte fieret, nihil exinde expectari poterit, quam ut eodem modo, quo Ponti- „ ficii, impræsentiarum gradatim in libertate conscientiæ procedentes, quæ ipsis „ adimi denegatur, quamvis, qui Reformatam Religionem profitentur, non ubivis „ eadem

eadem libertate fruuntur, tantam in Negotio publici Superstitionum exercitii licentiam consecuti sunt, supradictum Moderamen concederetur, eodemque medio Religione utraque juxta æstimatâ, atque æquali favore utrique exhibito, ad Rempub. & Religionem opprimendam procedetur.

Secundò, Deputantes Nostri percipere nullo modo possunt, quoniam Vos, Præpotentes Domini, post diligentissimam inquisitionem ac multifariam perpensionem sæpenumero in Conventu Thilo-Burgensi clarissimè demonstratis Majoratum Sylvæ-Ducensem ad Civitatem Suam reductum fuisse, insuperque certissimum esse, summum atque absolutum jus Baronatus Bredanensis, Marchionatus Bergozomiensis, Ditionis Cuyckiensis, Fœderatarum Belgii Provinciarum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. solis competere, quo pacto aut qua ratione Hispani jam nunc de iisdem, respectu religionis, quæ quidem pars maxima summi juris existit, convenire, vel Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. modum præscribere conentur?

Unde sibi in animum inducere vix possunt, Regem Hispaniarum summum atque absolutum in dicta loca imperium Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus in totum tradere decrevisse, sed vero ejusmodi cautione sive stipulatione imperium aliquod, summas deinde difficultates pariturum, sibi reservare, constituisse.

Et quis scire potest, num Hostes postea demonstrare ac probare conabuntur, Regem Hispaniarum similem quoque in modum Fœderatas Belgii Provincias (in quas non minus sibi imperii vel juris, quam in Majoratum Sylvæ-Ducensem atque in cætera loca, competere existimat) liberas, & in quas nihil juris sibi reliquum competit, declarasse, nisi ut Religionis Romanæ exercitium suo quoque tempore variis in locis consequerentur, ac rationum loco *implicitas conditiones, cautiones mentales, spem datam, sive imaginationes afferrent*, quas, multis aliis adornatas, data occasione proponerent, &, quantum possent, ponderis adderent?

Insuper etiam Deputantes Nostri hoc in eo prævident, commodam scilicet occasionem datam iri, quâ Pontificii, in Fœderati Belgii Provinciis commorantes, specie aliquâ à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. petere poterunt, ne ea sibi negentur, quæ reliquis hujusce Reip. Subditis aliis in locis, respectu Romanæ Religionis, conceduntur, vel concedi possunt.

Id saltem est verissimum, hoc pacto fenestram magnam iri apertam, qua postmodum in hisce Provinciis de ejusmodi quoque moderamine Religionis Romanæ agi poterit, neque tantopere rejicietur, utpote iisdem fulcitum rationibus, quæ jam nunc pro eo afferuntur.

Atque isthoc quoque pacto efficietur, ut ad Pontificiorum audaciam atque arrogantiam, quam sibi Decreta Præpotentium D.D. Ordinum Gener. negligendo, & non observando, consciverunt, maximus indies cumulus accedat, Ipsi quoque ad majorem Religionis Suæ libertatem perveniant.

Verumenimvero quod si Præpotentes D. D. Ordines Generales Majoratum Sylvæ-Ducensem, Ejusdemque dominium in dubium vocare, idque Negotium Monasterii jam nunc transigere vellent, Deputantes Nostri arbitrantur atque existimant, summo dedecori summæque infamiæ ductum iri, si *temporale Spirituali*

„ præponeretur, quo à Partibus Nostris commonstraremus, Religionem Reformatam ne tam charam ac pretiosam nobis existere, quam quidem Hispanis Superstitio atque Idololatria Sua chara semper exstitit.

„ Qui profecto Hispani, in summum redacti discrimen, assimulare non verentur, ac si Pacis Tractationis conclusionem ac confirmationem (quam ipsimet majorem in modum expetunt, quamque conditionibus æquissimis, sponte Sua oblatis, à Nobis impetrare annituntur) propter Religionis Reformatæ in tam paucu- lis locis conservationem recusare vellent.

„ Quum ab altera Parte Præpotentes D. D. Ordines Gener. qui tantum ab hostibus Suis armis belli vicerunt, ac consequenter prorogato bello evincere possunt, ejusmodi petitionibus insistere dubitarent: Quapropter Deputantes Nostri commodius atque utilius esse arbitrantur, nullam omnino Tractationem cum hostibus inire, quam illa amittere Hostibusque concedere, quæ ipsamet hujusce Reip. fundamenta spectant, quæque Nobis tam chara ac grata, quinimo essentialia esse debent.

„ Præterea quoque Deputantes Nostri, rem serio perpendentes, perquam necessarium esse judicarunt, quemadmodum summum hujusce Reip. imperium summaque Auctoritas tanto conatu tantaque cura in universæ Europæ Theatro coram tot Regum Principumque Ministris stabilivimus ac confirmavimus, eum ad modum quoque coram universo terrarum Orbe non verbis duntaxat, sed re ipsa potius demonstrandum esse, Religionem Reformatam charissimum Nobis pignus existere, ad Dei gloriam, Nostræque professionis justificationem & Sociorum Nostrorum, queis Religionis vinculo conjuncti sumus, consolationem, quos, siquidem contrarium perpetraremus, summo dolore afficeremus; Unde evenire posset, quum bellum tam diuturnum tamque cruentum, Annos octoginta, aut plus eo continuatum, eximia Tractatione finire cuperemus, hujusce Tractationis finis omnisque spei atque imaginationis Nostræ effectum foret, ut Hostibus vere triumphandi ac gloriandi causa detur, Sese Præpotentes D. D. Ordines Gen. adversus bonum publicum, statuta legesque fundamentales agere coegisse, Seseque adversus Nos in Religionis Suæ exercitio summum honorem, Dominium & Superioritatem, cum summo Nostro dedecore atque infamia, obtinuisse.

„ Non equidem ignoramus, Præpotentes Domini, adversus hasce Nostras rationes alias adferri posse; sed verò, quod si pro æquanimitate vestra penitiori judicio subjiciantur, omnes & singulas nullius momenti fore certum est.

„ Nam quantum attinet, quod Retorsionis, ut vocant, tempore media quædam moderationis respectu Majoratus Sylvæ-Ducensis quoad Ecclesiastica fuerint adhibita, illud neutiquam prodesse potest, quandoquidem illa media tempore belli utrinque proposita fuere, *quo utrique jus erat in armis*, idque ad vastationem universi Majoratus præveniendam; quum contrà jam nunc de Pace absoluta agatur, in cujus Tractatione Reip. Nostræ omnia illa stipulanda ac conservanda veniunt, quæcunque Ipsi jure optimo competunt, quæ nisi hac Pacis Tractatione, quantum ad Majoratus Sylvæ-Ducensis jus summum tam in Ecclesiasticis quam Politicis, conficiantur atque obtineantur, in perpetuum illud abdicabitur.

Eapro-

Eapropter quoque nullius momenti est, quidquid præteritis Induciis, sola ,, promissione Regis Galliarum Ministris facta, ac confirmatione quadam, super ,, Baronatu Bredanensi & Marchionatu Bergozomiensi, literis conscripta, usitatum fuit. ,,

Neque etiam hoc quidquam ponderis habet, quod in omnibus illis locis vix " aliqui Reformati inveniantur, plerique vero Romanam Religionem profiteantur: quippe, si ejusmodi argumentum valeret, non sola quoque Religio Reformata, sed Romana similiter Idololatria ac Superstitio, in Oppidis Armis Nostris expugnatis admittenda foret. ,,

Proindeque Superstitionis atque Idololatriæ Romanæ exercitium in omnibus ,, locis liberum concedi deberet, in quibus Reformati à Pontificiis numero superantur. ,,

Eum ad modum quoque nullius momenti est, quod antehac Civitatibus quibusdam armis occupatis, compositione quadam, Religionis Romanæ exercitium permissum fuerit; præterquam enim quod de ea re controverti possit, an & quousque concedi oportuit; quandoquidem nefaria illa Trajectensis ad Mosam Conjuratio maximum Nobis exemplum præbuit, quantum ex ejusmodi licentia malum ad Nos redire possit; veruntamen inter Oppidum sive munimentum, quod armis superandum Nobis erat, quodque probari satis poterat, non alio quam isthoc pacto in nostram potestatem esse deventurum, atque inter agrum Suburbanum, absque ulla ejuscemodi compositione traditum, nulla intercedit æqualitas; multò autem minus illud in Baronatu Bredanensi, Majoratu Sylvæ-Ducensi, &c. quidquam obtinere potest; utpote quorum ager suburbanus non melioris existit conditionis, quam Oppida, à quibus dependet. ,,

Porrò autem, Regis Galliarum petitiones & hactenus ejusce rei causa propositæ, & in posterum adhuc proponendæ, nequidquam movere Nos debent: ,, quandoquidem ejusmodi petitiones (salvâ tamen Reverentiâ, quam Nostra Resp. Regibus Galliarum debet) admittere, nihil aliud sit quam Iisdem subjici; Quoniam Galli, neque propter Præpotentes D. D. Ordines Generales, neque propter ipsosmet Galliarum Incolas Subditosque Reformatos, hujusmodi quid concederent. ,,

Cum ab altera parte Regis Galliarum studium Religionis Romanæ conservandæ atque in iis locis ac regionibus propagandæ, quæ Ipsius imperio neutiquam subjiciuntur, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. maximum calcar addere oporteret, Religionis Reformatæ in iis saltem locis confirmandæ ac stabiliendæ, quæ Imperio Eorundem subesse comperiuntur. ,,

Ac quoniam, Præpotentes Domini, hæc difficultas in actione, ut ajunt, novaculæ; sic sita est, ut impræsentiarum eandem transmitti oporteat, ni Pacis Tractationem Monasterii institutam penitus dissolutam velimus, quem ad modum etiam Hispani Plenipotentiariis Nostris minitare non dubitàrunt: postremò itaque omnium dicimus, quod Deputantes Nostri credere nullo modo possint, Regis Hispaniarum Plenipotent. ejusmodi quidquam sibi in animum inducere; sed vero cum nostram socordiam, tum quod non ignorârint, quidnam Provinciarum quarundam Ordines de ea re decreverant, talia proponendi petendique ,,

,, dique causam dedisse maximam; adeò ut jam nunc Articulum hunc in dubium ,, vocare audeant, quem antehac libenter nobis concessissent, quemque haud inviti ,, dehinc concessuri sunt, quod si eundem absolutè Nos petere dicamus, ac si decretis & consiliis Vestris, antehac ea de causa initis confirmatisque, & Plenipotentiariis Vestris demandatis, constanter insistamus, sicuti Deputantes Nostri iisdem ,, per præsentes insistunt, neque ea, quæ Hispani vicesimo & septimo die Decembris, Anno 1646. proposuerunt, admittere ullo modo possunt; quandoquidem ,, isthoc pacto Moderamen quoddam statuitur, quod eò duntaxat differtur, quò ,, post Pacis Tractationis, Monasterii ineundæ, confirmationem de eodem inter ,, Partem utramque conveniatur. Actum, atque in Concilio Præpotent. D. D. ,, Ordinum Generalium, vicesimo & primo die Januarii, Anno 1647. traditum. ,, Subsignatum erat, *Adrianus Veth, Iacobus Veth, Mathenesius, Rollandus, G. vander Nisse,* ,, *L. VVestervicius, M. van Dryborg, Gulielmus Luca, L. Pool, Ger. Vosbergius, Corn. Stavenisse.*

Similem quoque Declarationem, vicesimo & nono die Januarii, in Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Concilio tradiderunt; Ejus exemplum tale est.

PRÆPOTENTES DOMINI,

,, Vicesimo & primo die, jam nunc vertentis Mensis, Vobis, Præpotentes Domini, rationes quasdam, literis conscriptas, tradidimus, ob quas Nobiles ac ,, Potentes Zelandiæ Ordines, Deputantes Nostri, postquam rem omnem serio ,, perpendissent, neutiquam concedere poterant, ut ejusmodi Moderamen, quod ,, respectu Religionis in Majoratu Sylvæ-Ducensi, Marchionatu Bergozomiensi, ,, Baronatu Bredanensi, & Ditione Cuyckiensi, à Regis Hispaniarum Legatis Extr. ,, & Plenipotentiariis Monasterii propositum, atque à Plenipotentiariis Vestris ,, judicio arbitrioque Vestro commissum fuit, à Vobis, tanquam Prudentissimis ,, Reipub. Moderatoribus, & Christianissimis Magistratibus, aliqua ex Parte admitteretur; quæ quidem rationes, quoniam memoriæ Vestræ adhuc inhærent, easdem ,, nullo modo repetere, sive latius extendere constituimus; sed verò, quo nostro ,, nosmet officio plenissimè fungamur, & Deputantium Nostrorum, qui Negotium ,, hoc permagni æstimant, jussa ac mandata exequamur, Vos, Præpotentes Domini, ,, generatim, Provinciarum autem singularum Nobiles ac Potentes Ordines specia- ,, tim, majorem in modum rogamus, ut supramemoratis Nostris rationibus non ,, modo cum Deputantibus Nostris talem in modum annuere velint, ne Decretum ,, super Negotio, summum atque absolutum imperium in Majoratum Sylvæ-Ducensem, &c. concernente, quidquam immutetur, sed vero ut eidem perpetuò in- ,, sistatur.

,, Sed vel imprimis quo perversis ac sinistris interpretationibus, quæ tam intra ,, totius Belgii Provincias, quam extra Easdem spargentur, ac si Præpotentes D. D. ,, Ordines Gener. de Moderamine ejusmodi concedendo consilium aliquod iniissent, quamprimum occurratur, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis ,, Extraordinariis & Plenipotentiariis per literas mandetur, *ut Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis disertis ac rotundis verbis indicent, nihil quidquam*

spei

spei reliquum esse, Præpotentes Dominos, D. Ordines Generales de summo imperio in Majoratum Sylvæ-Ducensem, &c. tam quoad Ecclesiastica, quam quoad Politica, quidquam Regi Hispaniarum concessuros, sive Pacis Tractationem qualemcunque ituros esse, donec istiusmodi Moderaminis petitione desistatur.

Secundò autem jussi sumus Vobis, Præpotentes Domini, iterum indicare, Nobiles & Potentes Zelandiæ Ordines, Deputantes Nostros, neutiquam percipere neve concedere posse, ut, quemadmodum Ipsis indicatum fuit à Vobis factum fuisse, quæpiam immutatio in Articulo sexto, *Eorum scil. qui provisionaliter cum Hispanis subsignati sunt*, respectu Indiæ Occidentalis agrique Brasiliensis admittatur; quandoquidem mutatio illa Instructioni Legatis Vestris Extraordinariis & Plenipotentiariis missæ ac demandatæ directè adversetur, ac maximum Societati incommodum inferat; Quocirca etiam atque etiam rogamus, ut curetis ac mandetis, quo verba, quæ in extensionem & restrictionem allata fuere, è dicto Articulo sexto deleantur, & quæcunque eidem Articulo Provinciarum omnium Ordinum consensu inserta fuere, eum ad modum etiam relinquantur: Hisque insuper adjungatur, *Hispanis ex omnibus & singulis locis Portugallorum, quæ sub India Occidentalis Socıetatis districtu pertinent, discedendum, omnique ad eadem Navigatione abstinendum fore.*

Tertio, non possumus non eadem, quæ multoties Vobis, Præpotentes Domini, proposuimus, iterum iterumque rogare, quò Legatis Vestris Extraordinariis & Plenipotentiariis mandare dignemini, ut super oneribus ac vectigalibus, Fluvio Scaldensi ostiisque Flandriæ maritimis imperandis, cum Regis Hispaniar. Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis ante præsentis Pacis Tractationis conclusionem ac confirmationem conveniant, neque infectum aut postmodum componendum relinquant ejusmodi sanè Negotium, quod tanti semper apud Nos fuit; uti certissimis semper rationibus Vobis demonstratum fuit, ne postea fine ejus exoptato destituamur.

Quandoquidem Deputantes Nostri certò constituerunt, ni tria illa Puncta eorumque singula obtineantur, Se Pacis Tractatum nullo modo cum Hispanis esse confirmaturos; Eapropter etiam Deputantes Nostri non alio sensu Tractationem cum Hispanis concesserunt, nisi ut secundum Instructionem, communi omnium consensu atque assensu confirmatam, cum Hispanis ageretur.

Nobis denique non abs re videbatur, quod si Vobis, Præpotentes Domini, in memoriam redigeremus, ut Fortalitiorum ac munitionum prope Sluysam dirutio, ante Tractatus Conclusionem, obtineatur, neque etiam Negotium illud in aliam Tractationem sive Compositionem differatur, neve mutua Fortalitiorum dirutio concedatur: quippe dubium nullum est, quin, si serio ac sedulo huic Negotio incumbatur, Hispani petitionem hanc, quæ ne quidquam Ipsis præjudicii afferre poterit, libenter sint concessuri.

Actum, atque in Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Concilio traditum, vicesimo & nono die Januarii, Anno 1647. Subsignatum erat, *Adrianus Veth, M. Rollandus, L. VVesterviciuss, M. van Vrybergen, L. Pool, G. Vosbergius, C. Stavenisse.*

At

At vero Civitatis Groningæ Omlandiæque Ordinum Deputati sequentia Actis Publicis diurnis inseri jusserunt.

„ 1. QUod Nobiles ac Potentes Groningæ Omlandiæque Ordines, Deputantes Sui, in Tractationem quandam *Garantiæ*, sive securitatis, consenserint, „ Deputatis plenissimam auctoritatem concesserint, ea lege tamen ac conditione, „ ut in dicta Tractatione eo modo procedatur, quo modo Deputatis Suis mandârint; hoc tamen salvo, ut nullo hostilitatis actu desistatur, donec Pacis Tractationis Confirmatio ac Ratihabitio utrinque tradita fuerit.

„ 2. Quandoquidem ex præscripto præcedentium Tractatuum, imprimis autem Anno 1644. cum Rege Galliarum initorum ac sancitorum, neque de Pace neque de Induciis nisi *conjunctim & communi consensu* cum Hispanis agere licitum sit, idcirco Articuli, cum Regis Hispaniarum Plenipotentiariis provisionaliter subsignati, Veri ac Realis Tractatus Nomine nullo modo venient, nisi Regi Galliarum similem quoque in modum satisfiat, prout hujusce Reipublicæ Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis demandatum, ac Comiti Servientio promissum fuit.

„ 3. Quoniam autem Regis Hispaniarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Moderamen quoddam, respectu Ecclesiasticorum in Majoratu Sylvæ-Ducensi, Baronatu Bredanensi, Marchionatu Bergozomiensi, atque in Ditione Cuyckiensi, sex mensibus post Tractatus confirmationem componendum proponant, Eapropter Nobiles ac Potentes Groningæ Omlandiæque Ordines, Deputantes Nostri, constituerunt ac decreverunt, ut Negotium illud universum hac quoque Tractatione à Legatis & Plenipotentiariis conficeretur, neque post primarii Tractatus confirmationem differretur, sic tamen, ut jus atque imperium in supramemorata loca universum, tam quoad Ecclesiastica quam quoad Politica, omnia & singula, nullis exceptis, Reipublicæ Nostræ sola atque integra conserventur, neque in iis omnibus aut singulis Moderamen aliquod Hispanis permittatur, licet Tractatio eapropter dissolvenda foret.

„ 4. Ad illa autem, quæ à Civitatis Groningæ Omlandiæque & Comitatus Zutphaniensis Deputatis, qui eapropter summopere dolebant, quod Præpotentes D. D. Ordines Gener. Tractum Gelriæ citeriorem hostibus concedere vellent, adeò ut perpetuò ab Ipsis Gelriæ Ordinibus segregatus foret, quandoquidem Unioni mutuæ directè adversatur, proposita fuere; Nobiles ac Potentes Civitatis Omlandiæque & Comitatus Zutphaniensis Ordines declarant, Idque majorem in modum urgent, ut Tractus Gelriæ citerioris, cæterorumque Tractuum Trans-Mosanorum *Consolidationi*, ut vocant, sive Confirmationi sedulò insistatur, Ipsique Tractus Reipublicæ Nostræ conserventur; ea lege tamen ac conditione, ut, ni hostes Eosdem integros concedere velint, summedicti Nobiles ac Potentes Ordines in Tractatum cum Hispanis ineundum neutiquam consentiant.

„ 5. Ad sextum vero Articulum, propioris Instructionis loco concessum, secundum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Decretum, quo de reciprocâ in Indiam Occidentalem agrumque Brasiliensem Navigatione mutuisque Com-

Commerciis agitur, Deputantes Nostri respondent ac declarant, supramemoratum Articulum sextum, quatenus de reciproca Navigatione mutuisque Commerciis agit, omitti, atque ejusmodi verborum loco, Navigationem, Commerciaque separata conservari oportere; nimirum, ut Indiæ Occidentalis Societati ad omnia & singula loca, Regiones atque Insulas, literis publicis expressas, tam in Africa quam America sitas, insuper etiam ad omnia ejusmodi loca Insulasque, in quibus Rex Hispaniarum neque Habitacula neque Fortalitia ulla tenet, libera Navigatio soli concedatur; contra vero Regis Hispaniarum Incolis Subditisque non tantum Navigatio ad ea loca Insulasque, à Præpotentibus D.D. Ordinibus Generalibus in agro Brasiliensi cæterisque in locis possessas, uti quoque ad ejusmodi loca atque Insulas, quas Portugalli Indiæ Occidentalis Societati ereptas tenent, interdicatur, sic ut neque armata manu, neque navibus mercandi ergò eodem Navigationes Suas instituere liceat, verum etiam ut Regis Hispaniarum Incolæ Subditique ejusmodi locis omnibus abstineant, quæ Portugalli ab Indiæ Occidentalis Societate sive vi, sive dolo occuparunt. Quibus equidem Deputantes Nostri tantopere insisti volunt, ut, ni ab Hostibus impetrentur, præsenti cum Hispanis Tractationi subsignare omninò recusent. „

6. Ac quoniam Legati Nostri Extraordinarii & Plenipotentiarii Præpotentes D. D. Ordines Gener. per literas certiores fecerunt, Succiæ Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios multoties indicasse, se auctoritate ac potestate plenissima munitos, simul etiam promptos paratosque esse, ad Principem Electorem Palatinum in omnia Sua Dominia, dignitates, nec non in utrumque Palatinatum restituendum; quod si effici posset, ut Galli similiter operam, auxilium & subsidium Suum ad id conferre cuperent, quandoquidem Negotium illud nimis grave ac difficile sibi solis efficiendum judicabant. Quod postquam Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Regis Galliarum Ministros sæpenumero rogassent, atque unicè petiissent, ut hanc sibi operam dicerent, Regis Galliarum Ministri responderunt; quod si Præpotentes D. D. Ordines Generales arma Sua Sociis ac Fœderatis adjungere, sive bellum in Belgii Provinciis adversus Hispanos continuare vellent, Regem Galliarum arma opesque Suas dictæ expeditioni cum reliquis Fœderatis Sociisque intensurum esse. Quibus omnibus & singulis, pro Principum Electorum Palatinorum meritis optimis, perpensis, Civitatis Groningæ Omlandiæque Dominis D. Ordinibus visum consultumque fuit, ut Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis Extr. & Plenipotentiariis auctoritate publica mandaretur ac præciperetur, non solum ut instarent ac summopere urgerent, quo summememorato Principi Electori Palatino omnia Dominia ac dignitates reddantur, verum etiam ut Religio Reformata per universam Germaniam in eum restituatur locum, in quo Anno 1618. ante turbas sita fuit: Idque Legati & Plenipotentiarii Nostri cùm Suecis tum Gallis indicarent, nisi id omne obtineatur, Præpotentes D. D. Ordines Gen. secundum Gallorum propositionem, bellum tamdiu continuaturos potius, donec ea, quæ proposita, quæque æqua simul & justa sunt, effecerint; licet cum Hispanis Tractatio eam ob causam dissolveretur.

7. Eum ad modum quoque æquum justumque esse arbitrantur, ut Legati „

„ Nostri Extraordinarii & Plenipotentiarii omni ope annitantur, quò Princeps
„ Elector Brandenburgensis Pomeraniam, quæ ipsi Jure hæreditario competit, pro-
„ priam sibi, ni ea res composita fuerit, conservare possit.
„ 8. Denique ut summedictus Princeps Elector Brandenburgensis, tanquam
„ Princeps ac Dominus Juliaci, Montium, Cliviæ, Marcæ, Ravensteynii; similiter
„ etiam Comes Oost-Frisiæ, Benthemi, Tecklenburgi, & Lupiæ, nec non Princi-
„ patus Leodiensis, Civitates Hanzeaticæ, atque inter has præcipuè Lubeca, Bremæ
„ & Hamburgum hac Pacis Tractatione comprehendantur; idque non solum quo
„ Societas illa atque affinitas antiqua colatur, verum etiam quo omnis injuria ac
„ molestia à Provinciarum Nostrarum terminis avertatur.
„ Nobiles autem & Potentes D. D. Ordines Gelriæ, super *Tractus Gelriæ Citerio-*
„ *ris, Moderaminis, & Garantiæ seu securitatis Negotio*, sequentia judicabant, omnem
„ videlicet operam, omneque studium adhibendum esse, quo Tractus Gelriæ
„ citerior Provinciæ Suæ conjungeretur, eoque in negotio ante præsentis cum Hi-
„ spanis Tractationis Conclusionem plenissimè satisfieret. Quem in finem quoque
„ nonnullos, secundum Tractuum Gelriæ Recessus, Hagam-Com. delegandos cen-
„ sebant, quo Celsissimo Arausionensium Principi, utpote Gelriæ Moderatori Su-
„ premo, qui in hisce omnibus fautorem Se ac Patronum summum præstiturum
„ esse dicebatur, per literas ingentes gratiæ agerentur, simul etiam majorem in mo-
„ dum rogaretur, quò Negotium illud in Provinciæ commodum porrò suscipere
„ dignaretur. Quod vero ad secundum attinebat; Nobiles ac Potentes Gelriæ Or-
„ dines existimabant, Præpotentes D. D. Ordines Gen. neque in Majoratu Sylvæ-
„ Ducensi, neque in aliis locis, Imperio Dominorum D. Ordinum Gener. subje-
„ ctis, quantum ad Religionem aut Res Ecclesiasticas attinet, ullumcunque mode-
„ ramen aut posse aut admittere oportere; sed verò Consiliis decretisque, antehac
„ super eodem Negotio communi consensu confirmatis, insistere debere. Cui qui-
„ dem sententiæ, ut Reliqui Provinciarum Ordines, secundum Unionis præscri-
„ ptum, annuere vellent, summedicti Gelriæ Ordines etiam atque etiam rogabant.
„ Necesse quinetiam judicabant, ut de utroque hocce Articulo Dominus Loe-
„ nius, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarius, per literas certior
„ redderetur, ut omnem operam, curam ac diligentiam Suam eò intenderet, quò
„ Negotium illud ex Nobilium & Potentium D. D. Ordinum Gelriæ sententia
„ conficeret; simul etiam Articulos cum Hispanis compositos subsignatosque li-
„ teris Suis inclusos quamprimum ad Deputantes Suos Gelriæ Ordines perferri cu-
„ raret.
„ Ad tertium vero Articulum, de Liga Garantiæ sive securitatis cum Rege Gal-
„ liarum inita, quod attinebat, Nobiles ac Potentes Gelriæ Ordines idem, quod
„ Reliqui Provinciarum Ordines, sentiebant, nimirum Christianissimo Regi, se-
„ cundum Tractatuum Fœderumque antehac confirmatorum præscriptum, omni
„ ex parte satisfaciendum, eaque de causa per Provinciarum Ordinum Deputatos,
„ Hagæ-Com. commorantes, cum Comite Servientio Instrumentum seu Scriptum
„ quoddam concipiendum, ac per Gelriæ Ordinum Deputatos in Præpoten-
„ tium D. D. Ordinum Generalium Concilio tradendum esse, quo ad Provincia-
„ rum omnium & singularum Ordines mitti, ac tandem per Præpotentes Domi-
nos,

nos, D. Ordines Gener. uti quoque per illos, qui à Gelriæ Ordinibus ad Tracta- „ tionis Inquisitionem delegati sunt, perpensum ac præparatum à dictis Ordinibus „ confirmari ac subsignari possit. „

Posthac autem evenit, dum Comes Servientius Monasterio Hagam-Com. tenderet, ut Brun, Regis Hispaniarum Legatus Ordinarius, Bruxellas peteret. Quo postquam pervenisset, imaginari cœpit, Comitem Servientium eo prætextu, ut de liga Garantiæ seu securitatis ageret, obnixè omnia facturum esse, quò Tractationem inter Præpotentes Dominos D. Ordines Gener. institutam, ac cujus Articuli jam jam provisionaliter compositi subsignatique erant, disturbaret penitusque dissolveret: Quocirca etiam per Dominum Gorinsium, Comitem Norvici (Marchione de Castel-Rodrigo etiam atque etiam rogante) Salvum-Conductum sibi à Celsissimo Arausionensium Principe petiit, cujus beneficio Hagam-Com. pervenire posset; quo licet in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. percepto, simul etiam denegato, nihilo minus tamen, vi Salvi-Conductus generalis, ad Monasteriensem Tractationem Delegatis utrinque concessi, per Hollandiam iter suum instituere decrevit. Ac postquam ad primum Fœderati Belgii Oppidum limitaneum pervenisset, Ejusdem Oppidi Moderator Salvum-Conductum illum Generalem ægre admisit; quoniam vero ex ipso Salvi-Conductus præscripto Partis utriusque Deputatis meare ac remeare per universi Belgii Provincias tuto licebat, libere dimissus fuit. Goudam vero quum appulisset, diesque pauculos ibidem commoratus fuisset, quò percipere posset, quid animi Præpotentes D. D. Ordines Gener. de adventu suo haberent, Comes Servientius omnes interea nervos intendit, quò supramemoratum Legatum Brun Haga-Com. arceret. Eum quoque in finem Dominus Brassetius, secundo die Februarii, Domino Mulartio, in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio tunc temporis Præsidenti, indicavit, quod si Regis Hispaniarum Legato Brun Hagam-Com. perveniendi copia daretur, Regis Galliarum Legatum, Comitem Servientium, continuò Haga-Com. discessurum esse. At Dominus de Roy per universum hoc tempus Hagæ-Com. permansit, Ipsique (abnuentibus tamen Zelandiæ Ultrajectensisque Ordinum Deputatis) Salvus-Conductus subinde prorogatus fuit; qui postquam Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ Ordinibus Legati Brun adventum indicasset, ex iisdem percepit dicti Legati Hagam-Com. adventum Pacis Tractationi obfuturum magis quam profuturum esse. Quem ad modum etiam Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines literas ad Magistratum Goudanensem miserunt, quibus rogarunt, ut summedicto Legato per Suos, quoad ejus fieri posset, humanissimè indicarent, Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ Ordinibus commodius videri, ne Hagam-Com. magis appropinquaret, sed vero prima occasione iter suum Monasterium, sive Bruxellas versum, quantum posset, conficeret. Quod cum æquo animo accepisset, quarto die Februarii, ante meridiem Damum Leydense, quod iter unius horæ Haga-Com. abest, recessit: quo quidem in loco Dominus De Roy, simul cum Nobili quodam, Cæsareæ Majestatis apud Regem Britanniæ Residente, Ipsum convenit; quos Hagam-Com. præmiserat, cumque iisdem Hagam-Com. pervenire, sive cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gen. per Deputatos ibidem loci agere constituerat.

Sed postquam rem omnem, eo modo, quo à Magistratu Goudanensi, ab iis edoctus esset, Lugduno-Batav. Amstelodamum, indeque Daventriam discessit. Hinc
" autem undecimo die Februarii Præpotentes D. D. Ordines Gener. de singulari
" animi sui fidelitate ac sinceritate certiores reddidit, simul etiam quo animo Ha-
" gam-Com. pervenire decreverat, *ut Vobis* (inquit) *Præpotentes Domini, ceu ipsimet*
" *Iustitiæ & libram & pondus tradidissem, quo confiteri potuissetis, quantum in hoc Christia-*
" *norum Principum reconciliationis Negotio ejusdem libræ jugum pondusque ad nostram Se in-*
" *clinet partem*; quod cum Regis Galliarum Ministri percepissent, adventum suum
" Hagam-Com. prohibuisse pluribus exposuit: hisque insuper addidit, quanto
" labore ac studio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii &
" Plenipotentiarii inter Partem utramque intercessissent; cui quidem intercessioni
" quamvis Regis Hispaniarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii tantum
" tribuissent, ut omnia & singula Regi Galliar. propria relinquerent, quæcunque in
" Belgii Provinciis & Comitatu Burgundiæ teneret, simul etiam Comitatum Rous-
" sillonienscm integrum traderent, atque ad Annos triginta Induciarum Tractatum
" in Catalonia inirent, ea lege tamen ac conditione, ut universa Pacis Tractatio inter
" Regem Galliarum atque inter Regem Hispaniarum confirmaretur: nihil tamen
" quidquam eorum effectum, sed vel novas semper difficultates ac petitiones, quæ
" neque Galliæ regnum neque Belgii Provincias concernunt, à Parte Gallorum
" oblatas fuisse; cujusmodi sunt, *de Sabaudia, Mantua, Grisonensibus & Valtelinensibus*;
" *de liberatione seu relaxatione Domini Duarti de Bragance, de Duce Atriensi, de Principe*
" *Bossoliensi, Episcopatu Leodiensi*; atque ejusmodi alia multa. Postremò autem in iis-
" dem literis de Articulorum cum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatis
" Extraord. & Plenipotentiariis subsignatione verba fecit, quam, inquit, Galli nova
" quadam petitione ac propositione, (de Hispanis scil. militibus ante Tractationis
" confirmationem dimittendis, de Induciis Catalonicnsibus cum Pace commutan-
" dis, de mediis ad Copiarum eductionem excogitandis) impedire penitusque suc-
" cidere studebant. Hoc si Præpotentes Domini D. Ordines Gen. cum Rege Gal-
" liarum (quemadmodum ajebat) facere decrevissent, minorem Ipsos culpandi,
" Regi autem Hispaniarum querendi causam datam iri, quod si animum ac senten-
" tiam Suam de ea re quamprimum atque ingenue confiterentur.

Quibus Comiti Servientio traditis, secundo die Martii ad supramemoratas literas longa quadam declaratione respondit; in cujus quidem principio Hispanorum machinationibus, adventui Domini Legati Brun, Philippi de Roy Hagam-Com. delegationi, calumniosis quinetiam Hispanorum Eorumque fautorum rumoribus variis in locis divulgatis, &c. occurrere videbatur; reipsa autem nonnullos Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraordinarios &
" Plenipotentiarios infamia aspergere conabatur; quod videlicet Hispanorum
" Consiliis cœptisque perpetuò favissent, cumque iisdem operam mutuam tradi-
" dissent; *postremò, quod Hispani quinquies centena coronatorum millia Tractationi Monaste-*
" *riensi destinassent, ipsique in rebus Suis necessariis commodius existimassent, ingentem hanc*
" *nummorum summam Consiliis cœptisque Suis potius quam rebus bellicis impendere.*

Declarationem hanc, quinquaginta supra octo Articulos continentem, supramemoratus Regis Hispaniarum Legatus Brun alia quadam Declaratione refutavit,

vit, Eamque Præpotentibus D. D. Ordinibus Gen. per Dominum de Roy tradi curavit. Quæ quidem utraque, sub titulo ac Nomine *Pierre de Touch*, in lucem edita fuit: quam brevitatis ergo silentio transmittens, ad difficilem tardamque cum Comite Servientio Tractationem revertar; qui manibus pedibusque obnixè omnia faciebat, quo Articulos cum Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis provisionaliter subsignatos, veluti Tractationem privatam, *ac sine mutuo consensu* cum Rege Hispaniarum initam, funditus subverteret. Quod tamen non adeò immeritò effectum reddere nitebatur: sed verò Præpotentes D. D. Ordines Gener. adhæc respondebant, Ipsum præter Tractatuum omnium & singulorum scopum, ejusmodi rebus causisque, sive *interesse*, hujusce Reip. Tractationem alligatam cupere, quibus nullo modo adstricta tenebatur.

Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines, se ad bellum sive ad Copiarum eductionem animum suum neutiquam adjicere posse, sexto die Februarii declaravisse, supra commemoravi; sed quo facilius ac commodius ex omnibus difficultatibus, in dies singulos oborientibus, emergi posset, duodecimo die Februarii proposuerunt de Provinciarum omnium & singularum Ordinum Comitiis habendis, quem ad modum Anno 1608. & 1609. factitatum fuerat. Quæ quidem sententia, quum plurimi in eam non transirent, repulsam tulit.

Eodem ferme tempore Ultrajectensium Deputati, jussu ac mandato Dominorum D. Deputantium Suorum, in Concilio declararunt, quandoquidem Dominus Nederhorstius (ut ante dictum fuit) Articulis, de quibus cum Hispanis provisionaliter conventum fuerat, subsignare recusaverat, Se ejusmodi recusationem æquam justamque declarasse; idque eò magis, quod Domini D. Deputantes Sui Dominum Nederhorstium secundum Instructionis Suæ præscriptum, atque in Patriæ commodum egisse dicerent, eaque propter Domino Nederhorstio maximas gratias agerent.

Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum Gelriæ Deputati jam duodecimo die Februarii, Nomine Deputantium Suorum, in Concilio proposuerant, Dominos D. Deputantes Suos, lectis perlectisque Plenipotentiariorum literis, vicesimo & octavo die Decembris, Anno 1646. exaratis, demiratos fuisse, propterea quod summedicti Plenipotentiarii citeriorem Gelriæ Tractum omittere decreverant; quæ quidem res in maximum ejusdem Provinciæ auctoritatis & dignitatis, summi quinctiam imperii absoluti damnum ac præjudicium cederet, utpote cui major præ cæteris Provinciarum Ordinibus injuria afferretur, qui antehac similem in modum inter se divisi ac segregati, postea vero hujusce Reipublicæ armis conjuncti atque in integrum restituti fuere. Pluribus subinde exposuerant, Dominos D. Deputantes Suos neutiquam sibi in animum inducere posse, Se tantum meruisse malum, eò quod jam à Principio tam cruenti funestique belli ad hunc usque diem, tanquam extremum Provinciarum reliquarum, sibi adsitarum, propugnaculum ac munimentum, hostium communium vastationibus, incendiis, deprædationibus, & cædibus innumeris perpetuò semetipsos obvios habuerint, neque in ullis periculis, quantumvis magnis, defecerint. Verum enim verò, quum jam nunc octoginta, aut plus eo, annorum belli eventum optimum, quem reliquæ Provinciæ Fœderatæ, Pacis Tractatione cum Hispanis ex sententia

 exce-

excedente, consequerentur, utpote quæ cum membris Suis segregatis rursus conjungerentur. Ipsi autem soli, pro tanta Suorum clade, miseria, vitæ fortunarumque amissione, acceptis, honoris ac mercedis loco, tam ingentem membrorum Suorum segregationem acciperent, & præcipuam Ducatus Gelriæ ac Comitatus Zutphaniensis partem in perpetuum amitterent. Quæ quidem Pars tanta est, ut Mosam Rhenumque Fluvium occludere Gelriæque, Frisiæ, Trans-Ysulaniæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Provincias protegere possit; quod ad Fœderati Belgii Provinciarum Commercia ac Navigationes plurimum pertinet; Idque eò magis, quod universum Negotium, ad Induciarum Tractationem occeptum, ad Pacem jam nunc perpetuam dirigatur: quæ omnia & singula propioris Unionis, Anno 1597. Ultrajecti inter omnium Provinciarum Ordines sancitæ, fundamenta subvertunt. Eapropter igitur, jussu ac mandato Dominorum D. Deputantium Suorum, Præpotentes Dominos D. Ordines Gen. majorem in modum rogaverant, ut Legatis Suis Extraordinariis & Plenipotentiariis, Monasterii agentibus, per literas quamprimum mandare ac præcipere dignarentur, quò Tractationem Suam cum Hispanis hactenus sisterent, neve Conclusionem quorumcunq; Articulorum admitterent, donec supramemoratum citeriorem Gelriæ Tractum stipulati forent; simul etiam ut Præpotent. Domini D. Ordines Generales omnibus Consiliis decretisque, Pacis Tractationis Conclusionem ac confirmationem spectantibus, abstinere non gravarentur, dum Nobiles ac Potentes Gelriæ Ordines tam justam tamque honestam petitionem ab Hispanorum Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis impetrassent; aut saltem donec Ejusdem Provinciæ Ordines singuli, quod paucorum dierum spatio fieri posse credebant, convocati essent; ne Provinciæ alicujus Fœderatæ Ordines nimia festinatione in ejusmodi Negotio perturbentur, *cujusmodi post annum 1567. quo primum Regi Hispaniarum bellum inferri cœptum est, neque oblatum fuit, neque dehinc offeretur*; quodque profecto tam matura deliberatione, cautione, & provida animi circumspectione indiget; in quibus nulli Fœderatorum Ordines, vel membrorum Suorum vel Privilegiorum jurumque respectu, præcipitari, aliorumve acceleratione disturbari, aut suffragiorum pluralitate superari debent; Idque secundum Unionis supramemoratæ exemplorumque in tanti vel etiam minoris ponderis Negotio usitatorum præscriptum: quod in hunc usque diem ab omnibus Provinciarum Ordinibus Religiosè conservatum atque observatum fuit.

Quæ, posteaquam illa decimo & quarto die Januarii, summo studio animique affectu proposuissent, duodecimo die Februarii repetierunt, simul etiam rogarunt, ut Præpotentes Domini D. Ordines Gener. eadem in Provinciis Suis tanto cum favore proponere non dedignarentur, ut Dominis Suis Deputantibus omni ex parte satisfieret; quò tandem indefessi Sui laboris, molestiæ & periculorum, quæ jam ab ipso belli initio, ceu propugnaculum ac munimentum reliquarum post se Provinciarum, eximia alacritate animique constantia singulari perpetuò subierant, neque in ullo vitæ fortunarum discrimine animum despondebant, eventum fructumque diu exspectatum consequantur.

His quoque addiderunt; sibi à Dominis D. Deputantibus Suis, ea quæ ad omnes & singulas attinebant Provincias, quæque duodecimo die Februarii in Præpo-

Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio proposuerant, mandata ac com- „ mendata fuisse, Dominos scil. Deputantes Suos, neque Religionis neque etiam „ rerum Ecclesiasticarum Moderamen qualecunque, in Majoratu Sylvæ-Ducensi, „ Baronatu Bredanensi, cæterisque in locis, admittere aut concedere velle, quæ Præ- „ potent. Dominorum D. Ordinum Gener. imperio quoad Politica subjiciuntur; „ sed vero Decretis ac Consiliis, super ea re initis, ac communi omnium consensu „ confirmatis, insistere. „

Ac quoniam Deputantes Sui ad Pacis cum Hispanis Provinciarum omnium „ consensu ineundæ Securitatem perquam necessarium esse duxerunt, ut liga quæ- „ dam Garantiæ seu Fœdus Securitatis cum Christianissimo Rege iniretur, idque „ quamprimum occiperetur, quò summedictus Rex Christianissimus ad maturam „ cum Hispanis Tractationis Conclusionem impelleretur, aut saltem pari passu „ cum Nostra Tractatione, secundum Fœdera antehac cum Majestate Sua inita ac „ confirmata, promoveretur, idcirco summedictis Deputantibus in rem esse visum „ fuit, quò Majestati Suæ Galliæ satisfieret, ut per Provinciarum Ordinum Depu- „ tatos super Fœdere Securitatis cum Comite Servientio, Regis Christianissimi Le- „ gato, ageretur. „

Eum ad modum quoque visum consultumque fuit, ut Præpotent. Domino- „ rum D. Ordinum Gener. Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii in commo- „ dum Indiæ Occidentalis Societatis stipularentur, Idque in Tractationis Articu- „ lis salvum atque atque integrum dictæ Societati reservarent, ut Navigationes „ Suas in omnia Occidentalis Indiæ loca, Regiones, atque Insulas, in quibus Rex „ Hispaniarum neque arces, neque munitiones aut habitacula ulla habet, institue- „ re, ibidemque commercia Sua exercere tuto liceret. „

Postremo autem majorem sibi in modum commendatum fuisse dixerunt, „ quoniam non hujusce duntaxat Reip. verum etiam Sociorum ac Fœderatorum „ Nostrorum Protestantium Germaniæ Principum, eandem Nobiscum Religio- „ nem profitentium, commodum sedulò procurandum veniret, ut Præpotentes „ D. D. Ordines Gener. etiam atque etiam rogarent, quo summedictis Sociis ac „ Religione Fœderatis Principibus hac Tractatione plenissime satisfieret, Ipsique „ in Dominia pristina, omnesque dignitates, ad modum Anni 1618. restituerentur, „ Eorumque res causæque, quo decet loco, componerentur penitusque conficeren- „ tur. Quem in finem quoque Deputantes Sui Præpotentes Dominos D. Ordi- „ nes Generales vehementer rogabant, ut hujusce Reipubl. Legatis Extraordina- „ riis & Plenipotentiariis præcipere ac mandare dignarentur, ut de illo Negotio „ cum Regis Galliarum Regnique Sueciæ Ministris convenirent, & quæcunque „ in Negotio hoc cum Hispanis egissent, ante præsentis Pacis conclusionem ac „ confirmationem Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus per literas indi- „ carent. „

Super quibus denique Articulis Punctisque, ut Præpot. D. D. Ordines Gener. „ quamprimum Consilium inire, atque in Reip. Suæ commodum certi quid decer- „ nere vellent, unicè rogarunt. „

Ut autem hæ difficultates cum Nobilibus ac Potentibus Gelriæ Ordinibus componi possent, D. Dominus Beveren, Bickerus, Vosbergius, D. Reynswoudæ, Roor-

Roorda, Beeckius & Eybenius à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. delegati fuerunt.

Nonnullis quoque Provinciarum Ordinibus visum consultumque videbatur, ut dies quidam supplicationis ac jejunii decerneretur; qualis Anno 1622. quum Bergozoma, atque Anno 1624. Breda, ab hostibus obsessæ tenerentur, cumque Anno 1629. Hostes tamdiu in agro Veluensi commorarentur, cumque Anno 1635. in Fœderatis Belgii Provinciis infanda Pestis grassaretur, publica autoritate decretus fuerat. Quocirca etiam communi consensu decretum fuit, ut locorum omnium Pastoribus per literas præciperetur, quò concionem aliquam certam, Pacis Tractationi accommodatam, singulis septimanis proclamarent.

Dominus Mathenesius & Dominus Ripperda, decimo & octavo die Februarii, in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio retulerunt, se ex Provinciarum quarundam Ordinum literis percepisse, hujusce Reip. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios in subsignandis cum Hispanis Articulis Instructionem Suam excessisse, ejusque rumorem Comitem Servientium autorem fuisse. Quapropter etiam atque etiam petebant, si quid Comes Servientius eum in finem proponeret, ne ad Provinciarum Ordines mitteretur, priusquam Ipsimet ad illud respondissent.

Decimo & nono die Februarii Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines sententiam Suam super septuaginta & tribus Articulis, prout cum Regis Hispaniarum Legatis Extraord. & Plenipotentiariis Monasterii provisionaliter compositi ac subsignati erant, in Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Concilio tradiderunt. Cujus exemplar Reliquarum Provinciarum Deputatis petentibus concessum fuit: at vero Nobilium ac Potentium D. D. Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniensis Deputati, auditis perceptisque iis, quæ Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines primo de approbatione eorum, quæ inter Præpotent. D. D. Ordinum Gener. & Regis Hispaniarum Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios acta & transacta fuerant, secundò de rationibus quæ Gelriæ Deputati in Declaratione à summedictis Gelriæ Deputatis, decimo & quarto die Januarii, & quæ eam sequuta est, Propositione, duodecimo die Februarii, etiam atque etiam petebant, ut Nobilium ac Potentium Hollandiæ Ordinum Deputati Ordinum Suorum Declarationem super approbatione eorum, quæ Monasterii cum Hispanis acta & transacta erant, tam diu differre dignarentur, Actisque diurnis Publicis eximerent, donec reliquarum Provinciarum Ordines in Concilio Suo perpendissent, atque ulteriori examini subjecissent Articulos, de quibus inter Præpot. D. D. Ordinum Gener. & Regis Hispaniarum Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios conventum fuerat, ac de quibus Præpotentium D. D. Ordinum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, Monasterio reversi, undecimo die Februarii in Concilio Ordinum Gener. proposuerant, quo Nobilium ac Potentium Gelriæ cæterarumque Provinciarum Ordines sententiam Suam de tanti ponderis Negotio, qualis Pacis Tractatio existit, in Concilio proponere, neque Provinciarum quarundam Ordines præjudicio aliquo capi, sive præcipitari, sed verò Semetipsos ad omnia præparare possent.

Quod autem ad Objectionem attinet, quam Nobilibus ac Potentibus Ordinibus

bus adversus Declarationem à Gelriæ Ordinum Deputatis omnibus & singulis Unionis membris in damnum eorum propositam, quæ ab ejusdem Provinciarum Ordinibus, secundum Unionis præscriptum, omni cum reverentiâ Provinciarum Ordinibus exhibita fuere, dicti Gelriæ Deputati rogabant atque obsecrabant, ut supramemoratam Objectionem altiori perpensioni subjicere, non tamen de eadem certi quid decernere vellent, donec Gelriæ Ordinibus exposita atque ab iisdem ad eam responsum foret; insuper etiam petebant, ut hæc Ordinum Suorum, uti etiam Hollandiæ Ordinum Declarationem ad Omnes Provinciarum Ordines mittere dignarentur, ne Gelriæ Ordines in petitione Sua tam honesta tamque justa, Unionis Ultrajectensis Articulis, insuper etiam rationibus certis innixa, inauditi quidquam præjudicii acciperent.

Exemplum sententiæ, à Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ Ordinibus decimo & nono die Februarii in Concilio propositæ, tale est.

Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines, publica auctoritate impræsentiarum „ congregati, cognitis, perpensisque iis omnibus, quæ Præpot. D. D. Ordinum Gen. „ Plenipotentiarii, Monasterio advenientes, retulerunt, simul etiam septuaginta & „ tribus Articulis, prout cum Hispaniar. Regis Plenipotentiariis Monasterii con- „ firmati, atque provisionaliter, ut vocant, subsignati sunt, examini subjectis, post- „ quam supradictos Articulos cum Instructione præmemoratis D. D. Plenipoten- „ tiariis concessa contulerunt, judicarunt, quemadmodum per præsentes judicant, „ summè dictos D. D. Plenipotentiarios de præmemoratis Articulis cum Regis „ Hispaniar. Plenipotentiariis conveniendo, eosdemque confirmando officio Suo, „ Instructione Ipsis demandato, plenissimè functos, quinimo plura eos variis re- „ spectibus, ad hujusce Reipub. commodum, quam Eorundem Instructio conti- „ nebat, stipulatos ac consecutos fuisse: Eapropter quoq; Nobiles ac Potentes Or- „ dines, ut supra memoratis D. D. Plenipotentiariis pro suscepto labore, Nomine „ locoque Generalitatis, *gratiæ agerentur*, decreverunt, quemadmodum iisdem per „ præsentes *gratias agunt*. Quandoquidem autem à nonnullarum Provinciarum „ Ordinibus Negotium hoc sic haberi videtur, perinde ac si absolutissimi atque su- „ premi juris, *tam in Ecclesiasticis quam Politicis*, in Majoratum Sylvæ-Ducensem, cæ- „ teraque ejusdem conditionis loca, Negotii Indiam Occidentalem concernentis, „ portuum Flandriæ maritimorum, nec non *citerioris Gelriæ Tractus confirmationis stipulationem* quod attinet, neutiquam satisfactum, quinimò mandatis præmemoratâ „ Instructione datis concessisque contraventum esset: Idcirco Nobilibus ac Poten- „ tibus Ordinibus, quo ejus contrarium edocerent, rationes ac sententiam Suam „ literis conscribere visum fuit, cujus exemplum tale est. „

Posteaquam Hollandiæ & West-Frisiæ Ordines rationes Suas, de *Moderamine* „ quopiam super Majoratu Sylvæ-Ducensi, Baronatu Bredanensi cæterisque ejus- „ dem conditionis locis instituendo, reliquarum Provinciarum Ordinibus exhi- „ buerant, atque exinde, quæcunque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipo- „ tentiarii cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis, Regiones illas concernentia, „ Monasterii provisionaliter confirmarunt, acceperant atque perlegerant, Nobiles „ ac Potentes Ordines ea omnia, quæ confirmata sunt, primò in Concilio Suo, „ deinceps verò per quosdam è Suis Deputatos juxta Instructionem, præmemoratis „

Vuu D. D.

„ D. D. Plenipotentiariis, Mense Novembr. proximè elapso, à Præpotent. D. D. „ Ordinibus super hoc Negotio datam concessamque examinârunt ac perpende- „ runt, atque examinarentur ac perpenderentur curârunt, neque sanè ex eodem „ examine quidquam perceperunt, præterquam quod Præpotent. D. D. Ordinum „ Gener. Plenipotentiarii, Punctum illud supramemoratis Articulis confirmatis „ contentum quod attinet, supradictæ Instructioni omnimodo Sese accommoda- „ runt, non tantum quoad Ejusdem *sensum seu substantiam*, verum etiam quoad „ Ejusdem *formalia*, utpote quo absolute ac sine ulla conditione impetratum atque „ ab hostibus datum concessumque fuit, ut dictus Majoratus Sylvæ-Ducensis cæ- „ teraque ejusdem conditionis supramemorata loca Præpotent. D. D. Ordinibus „ Gen. quod ad summum atque absolutissimum in ea jus attinet, relinquenda sint, „ prout reliquæ Fœderati Belgii Provinciæ Præpotent. D. D. Ordinum Gener im- „ perio subsunt: neque etiam Nobiles ac Potentes Ordines sibi persuadere possunt „ id, quod superioribus confirmatum fuit, in quantum præmemoratum Punctum „ concernit, aliquo modo immutatum fuisse, sive immutatum, dilatum aut com- „ positum iri cum iis, quæ Regis Hispaniar. Plenipotentiarii, vicesimo & septimo „ die Decemb. proximè elapsi, super hoc Negotio Monasterii proposuerunt, quæ- „ que Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii ad ea responderunt: præ- „ sertim quum præmemorata propositio nihil quidquam, præter *meram Hispanorum* „ *conjecturam*, contineat, quod de Romanæ scil. Religionis exercitio atque bono- „ rum Ecclesiasticorum in Majoratu Sylvæ-Ducensi cæterisque locis supradictis „ usu fructu, *non nisi sex Mensium spatio postquam Tractatus conclusus confirmatusque foret*, „ *ageretur*; insuper etiam quod Præpot. D. D. Ordinum Plenipotentiarii dubium „ eo super Negotio moverint, idque neutiquam concesserint ut de eo postmodum „ conveniretur, sed verò integrum atque *intactum* reservarint & ad Præpot. D. D. „ Ordines *relegarint*, quò de eodem *deinceps* decerneretur, de eo scil. quod proposi- „ tione illa comprehendebatur; nempe, utrum *de præmemorato Puncto postmodum ab* „ *utraque Parte agere ac convenire placeret*, ac proinde Præpotent. D. D. Ordinibus, „ de præmemorato Moderamine cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis agere, „ sive idem evitare, seu disertis verbis denegare, integrum fuisse, eaque propter No- „ biles ac Potentes D. D. Ordines, Dominos Plenipotentiarios de supradicto pun- „ cto satis *fideliter* ac *prudenter* egisse judicârunt, insuper etiam, ut mutuis Provin- „ ciarum disceptationibus Hosti præmemorato *Moderamini* pertinacius inhærendi „ occasio præberetur, Reipub. huic noxium ac calamitosum fore duxerunt.

„ Porrò, quantum ad res Indiæ Occidentalis attinet, Articulo sexto, de quo cum „ Hispanis conventum fuit, propositas; quo quidem Articulo de hisce verbis (*cæ-* „ *terorumque omnium*) uti quoque de iis (*quæ ab Anno* 1641.) summopere controver- „ titur; Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ Ordinibus visum consultumque fuit, „ ut in Concilio Supremo sententiæ Suæ loco declararetur, supramemorata sc. „ verba in dicto Articulo sexto admissa fuisse, propterea quod nullo modo cum „ Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Instructione, Plenipotentiariis Suis con- „ cessa, pugnent: quippe omnia illa verba hisce salvantur (*in quibus Rex Hispaniarum* „ *sive Fortalitia, sive Habitacula ulla habet*) atque hæc insuper Præpotent. Dominorum „ D. Ordinum Gener. intentio fuit, ut libertas illa Navigandi & Commercia exer-
cendi

cendi mutua, atque utrique Parti æque integra foret; sive ut utrinque Navigationes in omnia & singula loca, Fortalitiis vel Habitaculis alterutrius Partis munita, instituere, ibidemque Commercia tuto ac liberè exercere liceret. Quod si obtineri non posset, ut pars quæque loca Sua Fortalitiis munita, cum exclusione alterius, possideret, eaque sola frequentaret: sub quibus equidem Fortalitiis non tantum propugnacula sive arces, aut Habitacula, hoc est, Promptuaria, in quibus merces pleræque conduntur, verum etiam municipia, vicinitates, coloniæ, pistrina, in quibus saccharum contunditur, villæ sive ædes quæcunque comprehenduntur, quibus Pars quæque loca sua munita tenet, quod utrinque per illa verba (*cæterorumque omnium*) secundum Instructionis præscriptum utrique parti salvum atque integrum reservatur.

Eum quoque ad modum Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines in hujusce Reip. commodum esse arbitrantur, quod si Articulo sexto extensio atque illorum verborum (*quæ ab Anno* 1641.) insertio addatur, quibus loca omnia in agro Brasiliensi explicantur, quibus Regi Hispaniarum Ejusdemque Incolis Subditisque abstinendum erit; quandoquidem Plenipotentiarii Nostri hujusmodi verbis Indiæ Occid. Societati non tantum ejusmodi loca, quæ jam nunc occupata tenet, quæ, Portugalli Rebelles, ab Anno 1641. supramemoratæ Societati sive vi, sive dolo malo eripuerunt, quod solummodo Instructione continetur, stipulati fuerunt, verum etiam salvum sibi atque integrum reservarunt, ut Rex Hispaniarum Ejusdemque Incolæ ac Subditi & Navigationibus & Commerciis in iis locis abstinere tenerentur, quæ, præter supramemorata illa, jam nunc à Portugallis Rebellibus possidentur. Quæ profecto stipulatio, quam hujusce Reip. Plenipotentiarii præter Instructionem Suam obtinuerunt, in maximum Societatis commodum cedit. Quod vero ad onerum sive vectigalium, Fluvio Scaldensi, cæterisque ostiis maritimis imperandorum æqualitatem pertinet, Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines commodius esse arbitrantur, ut Negotium illud, prout Monasterii cum Hispanis conventum est, differatur, donec Pacis Tractatio penitus confecta ac composita fuerit, propterea quod necessarium esse existimant, ut supramemorata vectigalia imperentur, quò Fœderati Belgii Incolarum ac Subditorum (respectu aliorum Flandriæ Portuum ostiorumve maritimorum) in Brabandiam, Flandriam cæterasque Hostium Provincias sive regiones Neutrales finitimas, Navigationes integræ reserventur: quippe si minora ostiis Flandriæ maritimis quam Fluvio Scaldensi onera imposita forent, Hispani omnes ad Provincias Suas Navigationes, ac Commercia trans Scaldim reciperent, atque ex hisce Provinciis averterent; à quo haud melius caveri poterit (præsertim quum jam nunc ostia quædam Flandriæ præcipua Regi Hispaniarum erepta tenentur) quam ut pro temporis opportunitate, simul etiam pro finitimorum Nostrorum vectigalium onerumque magnitudine, onera ac vectigalia Fluvio Scaldensi imperanda adaugeantur vel remittantur, prout inter Plenipotentiarios Nostros atque inter Regis Hispaniarum Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios (ad exiguum plerumque temporis spatium) convenerit; quum ab altera Parte, ubi de oneribus ac vectigalibus ante Pacis Tractatus conclusionem conventum, idque Tractatus Articulis insertum foret, vectigalium onerumque magnitudo, quem ad modum reliqui Tractatus

 Arti-

„ Articuli, prorsus immutabilis maneret, quod ad maximum hujus Reip. Commerciorum damnum cederet.

„ Quod ad Gelriæ citerioris Partis, cæterorumque Tractuum Trans-Mosanorum *Consolidationem*, ut vocant, sive *Confirmationem* attinet, Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ Ordinibus neutiquam in mentem venire potest, eam *Confirmationem*, vel cum de Instructione instituenda, vel postmodum cum de eadem in ordinem redigenda ageretur, inter illas difficultates comprehensam fuisse, quibus tantopere insistendum foret, ut, nisi ab Hispanis impetrentur, universa Pacis Tractatio dissolvenda penitusque interrumpenda foret. Neque etiam tantum de ea re actum fuisse, ut, ubi cum Hispanis componeretur, ad Præpot. D. D. Ordines Gen. rescribendũ foret, sed de ejusmodi duntaxat rebus, quibus inhæreri deberet.

„ Nobiles quinetiam ac Potentes Hollandiæ Ordines ex Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Legatorum Extr. & Plenipotentiariorum relatione perceperunt, eam rem ab Hispanis serio petitam fuisse, sed verò eventu exoptato caruisse, eò quod Regis Hispaniarum Plenipotentiarii eidem annuere nolebant; sic enim existimabant, quandoquidem Intercessione Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gen. Plenipotentiariorum omnia & singula Regi Galliarum concedere debebant, quæcunque sibi erepta erant, eò quod Rex Galliarum nihil quidquam eorum, quæ à Rege Hispaniarum occupata tenebat, restituere cupiebat, nunc Semetipsos quoque nulla loca Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. reddere oportere, quæ hactenus imperio Suo subjecta fuerant. Quippe si hoc jam concessissent, *aliorum mandatorum occasionem datam, atque universam Tractationem propterea dilatam iri*, quam tamen Tractationem Præpotentes D. D. Ordines Gener. summopere promoveri cupiunt, quamprimum, post officii, omnium Provinciarum Deputatis commendati, functionem, Provincia quæcunque novam aliquam petitionem proposuerit, atque isthoc pacto Instructionem ab omnium Provinciarum Ordinibus simul approbatam ac confirmatam excesserit. Similiter quoque Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines Amicorum & Fœderatorum Suorum rationibus nequaquam abnuissent, quod si easdem in tempore proposuissent; quas nihilominus cum *Unioni Ultrajectensi*, tum etiam hujusce Reip. *ornamento* innixas viderunt. Quantum ad Unionem Ultrajectensem attinet, Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines omnes & singulas Fœderati Belgii Provincias & vitæ & fortunarum Suarum discrimine invicem defendere ac propugnare debere non ignorant, quo Hispani cæterique milites peregrini ex universo Belgio expellantur, Ipsæque sibi mutuo devinctæ maneant, neque dissidium quodcunque inter Se oboriri sinant; Sed vero hæc de iis Provinciis intelligenda esse arbitrantur, quæ Semetipsos Unioni hactenus devinctas, atque etiamnum devinciri cupiunt; non autem de iis, quæ novissima Religionis ac possessionis defensione & propugnatione à Magistratibus Suis instituta satis superque demonstrârunt, Se ejusmodi beneficium invitis sibi obtrudi nolle. Porro autem Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines ingenuè fatentur, tam Rhenum quam Mosam, uti quoque tributa accipienda, ac Provinciarum quarundam supplementum, imprimis autem Gelriæ confirmationem, Reip. Nostræ majorem in modum profuturam esse; interim tamen nullo modo percipere queunt, ejusmodi Rationes ad belli continuationem sufficere posse,

adver-

adverſus eos, qui Ordinum illorum membrum exiſtere recuſarent. Porrò etiam „ nullas petitiones ſeu propoſitiones novas objici, ſed verò ſedulo animadverti „ mallent, an hujuſce Reip. Plenipotentiarii Deputantium Suorum Inſtructionem „ omni ex parte executioni mandaſſent; quod Nobiles ac Potent. Holl. Ordines, „ poſtquam Inſtructionis præſcriptum, atque ea quæ Monaſterii hactenus tranſacta „ ſunt, perpendiſſent, haud aliter accipiendum eſſe arbitrantur; Eaque propter „ pleniſſimè, quantum in ſe eſt, cum illa, quæ ab hujuſce Reipub. Legatis Extraor- „ dinariis & Plenipotentiariis in dicto Tractationis Negotio acta & peracta ſunt, „ cum & ipſam quoque Articulorum ſubſignationem proviſionalem, in quantum „ ab hujuſce Reipub. Plenipotentiariis ſecundum Præpotentium D. D. Ordinum „ Generalium auctoritatem & poteſtatem, viceſimo & ſecundo die Novembris, „ proximè elapſi, datam conceſſamque fieri potuit, laudant eamque approbant. „

Primo autem die Martii, poſtquam Præpotentes D. D. Ordines Gener. perce- „ piſſent ea, quæ expoſita fuerant à Dominis, D. Beveren, Bickero, Voſbergio, Roorda & Mulertio, (quippe Dominus Reynſwoudæ & D. Eybenius Haga-Com. diſceſſerant) qui ſecundum auctoritatem & poteſtatem ſibi à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. decimo & quinto die Februarii, proximè elapſi, datam, cum Nobilium ac Potent. D. D. Gelriæ Ordinum Deputatis ſuper Negotio Citerioris Gelriæ Tractus, hoſtium imperio etiamnum ſubjecti, ſimul etiam reliquorum Tractuum Tranſ-Moſanorum trium, ad eandem Provinciam pertinentium, egerant. Quo in Negotio, poſtquam ejuſmodi rationes à Gelriæ Deputatis allegatæ forent, quæ Scriptis quibuſdam, eodem die in Concilio perlectis, continentur; poſt maturam deliberationem viſum conſultumque fuit, ut ſupramemoratis Præpotent. Dominor. D. Ordinum Gener. Deputatis pro ſuſcepto labore ac ſtudio gratiæ agerentur. Horum autem Scriptorum, ſequentibus inſertorum, quæ Gelriæ Deputatos in Concilio tradidiſſe dixi, cujuſque Provinciæ Deputatis petentibus exemplar conceſſum fuit.

Nobilium ac Potentium Gelriæ Ordinum Deputatis, poſtquam ſecundum Re- „ ceſſum noviſſimi Conventus, cum Provinciarum Deputatis inſtituti, paulò peni- „ tius inquirere cœperunt in Statum ac conditionem annuorum Ruremondæ pro- „ ventuum, hoc primum omnium occurrit, quod ingens Ejuſdem Provinciæ pars, „ Civitas videlicet Gelriæq; Præfectura, &c. hujuſce Reip. imperio neutiquam ſub- „ jectæ fuerint, quum Præpotentes D. D. Ordines Gen. Ruremundam, Venloam, „ Stralam, &c. milite præſidiario obſeſſas tenerent: adeò ut impoſſibile planè ſit, „ tam brevi temporis ſpatio ſingularem quandam annuorum proventuum compu- „ tationem inſtituere, eamque in Concilio tradere; ſed vero tributorum Receptores „ tali in Negotio examinandi forent, ſimul etiam inquirendum ſedulo, quantum „ Rex Hiſpaniarum ſingulis annis inde recipiat; ad quod tamen Negotium „ plus temporis requiritur, quam quidem præſens Tractatio permittere poteſt: „ Quocirca etiam ſupramemorati Deputati, ea quæ variis Conventibus majorem in „ modum rogârunt, repetere neceſſe habent, ut videlicet Domini D. Commiſſarii „ Declarationem decimo & quarto die Januarii, inſuper quoque duodecimo die „ Januarii propoſitam, & quæcunque eam ſequutæ ſunt Declarationes, iterum iterumque commendare, idque effectum reddere non graventur, quò Præpoten- „

„ tium D. D. Ordinum Gener. Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis aucto-
„ ritate publica mandaretur, ut ante Tractationis Conclusionem à Regis Hispania-
„ rum Plenipotentiariis supramemoratæ Gelriæ partis Citerioris Confirmatio-
„ nem consequantur: quandoquidem petitio hæc Unioni Ultrajecti Anno 1597.
„ sancitæ innitatur, quemadmodum ex ipso Unionis exordio liquet, in quo omnes
„ & singuli Ordines Fœderati Se & Gelriam & reliquas Provincias, quarum Rex
„ Hispaniensis partem aliquam occupatam tenet, in integrum restituturos esse lo-
„ cum promittunt spondentque.

„ Deinde etiam primo ac nono Unionis Articulo, quo omnes & singuli Ordines
„ Fœderati inter se, fide, quæ est optima, pollicentur, Se neque Induciarum, neque
„ Pacis Tractatum cum Hostibus, nisi communi omnium & singulorum Ordi-
„ num Fœderatorum consensu, inituros aut confirmaturos esse: quibus similiter
„ concedunt, nullam tali in Negotio, quamvis in rebus quæ sunt minoris ponderis,
„ suffragiorum pluralitatem acceptam iri.

„ Tertio: iis quoque, quæ omnes & singuli Ordines Fœderati Articulo dictæ
„ Unionis decimo inter se stipulati fuerunt; quo quidem Articulo nullis, cujus-
„ cunque tandem Provinciæ, Ordinibus sive Tractatum sive Fœderationem ali-
„ quam cum exteris Principibus, absque omnium & singulorum Ordinum consen-
„ su, contrahere licet. Ex quo necessario sequitur, multo minus Provinciæ alicujus
„ singularis Ordinibus, absque Fœderatorum omnium & singulorum consensu,
„ Pacis Tractationem cum Hostibus instituere eamque concludere ac confirmare,
„ integrum esse. Quorum Articulorum, & quæ eodem spectant, præscriptum,
„ simul etiam Fœderatorum omnium intentionem, quum Nobiles ac Potentes
„ Gelriæ Ordines omni ex parte observârint, ac Vitæ & fortunarum Suarum discri-
„ mine, in reliquarum Provinciarum commodum, Divino Auxiliante Numine, ef-
„ fectum reddere, juxta reliquos Ordines Fœderatos studuerint, Idcircò Nobiles ac
„ Potentes Gelriæ Ordines reliquos Provinciarum Ordines, vi hujusce Unionis,
„ rogant atque obsecrant, ut similem quoque fidelitatem polliceri, atque Unionis
„ præscriptum, quantum in se est, plenissime exequi velint.

„ Sed verò, quod si supramemorata, omni studio, labore ac diligentia, adhibitis,
„ ab Hostibus impetrari nequeant, quæ tamen Nobiles ac Potentes Gelriæ Ordi-
„ nes impetrata iri confidunt, ubi reliquarum Provinciarum Ordines eo studio,
„ quo vi Unionis tenentur devincti, Negotium illud promovêre, ac summedicto-
„ rum Nobilium & Potent. D. D. Gelriæ Ordinum, utpote Sociorum Suorum fi-
„ dissimorum, æquam justamque petitionem benignè suscipère eamque effectam
„ reddere volent, Gelriæ Ordinum Deputati, tali casu, sic tamen ut ejusmodi pro-
„ positioni neutiquam se adstrictos velint, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener.
„ proponunt, ut hujusce Reip. Legati Extr. & Plenipotentiarii, Regis Hispaniarum
„ Plenipotentiariis partem aliquam Majoratus Sylvæ-Ducensis extremam, sive agri
„ Trans-Mosam, æquivalentem, prout reliqui Ordines Fœderati de ea re convene-
„ rint, ad modum permutationis cum Citeriore Gelriæ Tractu, offerre jubeantur.
„ Ea lege tamen ac conditione, ut ante Pacis Tractationis confirmationem omnia
„ & singula conficiantur. Quod si autem reliquarum Provinciarum Ordines ad su-
„ pramemoratum Gelriæ Tractum Citeriorem Nobilibus ac Potent. Gelriæ Ordi-
nibus

nibus restituendam, aliter adduci non possent, præterquam per modum commutationis, quod profecto denegari haud debet, eò quod Reip. Nostræ commodius atque utilius multò sit, tanti tamque eximii Fluvii, cujusmodi Mosa est, imperium obtinere, quam Parte quadam agri, longe dissiti, carere. Hoc namque pacto Oppida & Fortalitia Rheno, Vahali, Isalæque Fluvio adsita, atque in interiore agri parte exstructa, Munimenta, intimam ac præcipuam hujusce Reipub. partem cingentia, quibus universum Provinciarum corpus veluti propugnaculo quodam munitum, nullis hostium Copiis, utpote quæ intra utrumque Fluvium Mosam Rhenumque tam eximium tamque prope sibi invicem adsitum Sese nequaquam diu continere possent, omnem aditum prorsus surriperet, confirmarentur ac protegerentur, insuper etiam quam maximus ad Commercia cumulus in dies singulos accederet: adeò ut tributa, quæ commeatus ergò solvuntur, Licentæ, & vectigalia, insuper quoque ingentes Muneratorum exactiones, quæ ad quater centena librarum millia Regi Hispaniarum quotannis exsolvuntur, in Fœderati Belgii Incolarum Subditorumque commodum cedent; quod tantò utilius Reipub. Nostræ futurum est, si Nobiles ac Potentes Provinciarum omnium Ordines, tali commutationis casu, insistere ac majorem in modum urgere vellent, ut Fortalitia, cujusmodi sunt, *Argenteum* & *Navagium* à parte Trajecti ad Mosam citeriore, & *Leuthum* cum *Stephano-VVarda* à parte inferiore mœnibus Suis exuantur, Masycum vero Ormontiumque cum reliquis Oppidulis Neutralitati utrinque reddantur: quo certo futurum est, ut Commercia Trans-Mosam, Namurco usque ad Episcopatum Leodiensem, indeque per Fœderati Belgii Provincias non in Baltico duntaxat Mari, verum in Australi quoque freto, ac per consequens in omnibus & singulis Fœderati Belgii Provinciarum Civitatibus Oppidisque, liberè ac tuto exerceri queant.

Antequam vero de omnibus & singulis Articulis Punctisque conveniri poterat; inter Nobiles ac Potentes Provinciarum Ordines, super *Liga Garantiæ*, seu Fœdere securitatis cum Christianissimo Rege Galliarum contrahendo, plurimum disceptatum fuit.

Nobilium ac Potent. Hollandiæ Ordinum Deputati in Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Concilio vicesimo & primo die Martii proposuerunt, Dominos D. Deputantes Suos post longam Tractatuum omnium & singulorum, antehac cum Christianissimo Rege Galliarum contractorum, perpensionem comperisse Tractatum Anno 1635. initum, Ejusdemque Articulum sextum ad Fœdus securitatis cum Rege Christianissimo necessario ineundum confirmandumque pertinere.

Eum quoque ad modum Præpotentes Dominos D. Ordines Generales, vi supramemorati Articuli sexti, obstrictos obligatosque teneri ad Fœdus aliquod Securitatis ineundum *super omnibus, quæ Rex Christianissimus Anno 1635. possidebat, absque ullo locorum, Ditionum, Regionum, Provinciarum atque Oppidorum discrimine,* præterea quoque *super omnibus, quæ summedicta Majestas Regia, Anno 1635. ad hunc usque diem ab Hispanis in Belgii Provinciis vi armorum consequuta fuit.* Ea lege tamen ac conditione, ut similem quoque in modum Rex Christianissimus cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. vi ejusdem Tractatus, Fœdus securitatis inire teneatur.

Quo-

Quoniam autem inter Nobilium ac Potent. Provinciarum Ordinum Deputatos acerrima super hoc Negotio altercatio oboriebatur, Idcircò Domini D. Gentius, Comes Flodrophensis, Raasveldius, Mathenesius, Ruylius, Borcelius, Cæsareus, Catsius, Knuytius, Adrianus Veth, Stavenisse, Dominus Reynswoudæ, Nederhorstius, Hoolckius, Roorda, Ripperda, Ysselmuyden, Niukerkæ, Dominus Eybenius, & Clanthius, eo fine è Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium delegati fuere, quo super Fœdere securitatis cum Christianissimo Rege Galliarum contrahendo inter se agerent ac convenirent, insuper etiam rationes oppositas exaudirent, examinarent ac sedulò perpenderent, ut tandem à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gen. in Reip. commodum de iis agi, ac certi quid decerni posset.

Deinde etiam, postquam Negotium de citeriore Gelriæ Tractu cæterisque Tractibus tribus eidem Provinciæ adjungendis perpensioni atque examini altiori subjectum fuisset, reliquarum sex Provinciarum Deputati promiserunt fidemque dederunt, hujus Reip. Legatis Extraord. & Plenipotentiariis per literas mandatum, ac majorem in modum commendatum iri, ut omnem operam, curam ac diligentiam adhiberent, quò ab Hispaniarum Regis Legatis Extraord. & Plenipotentiariis sæpius memoratam Gelriæ confirmationem impetrare possent; quibus ut Nobilium ac Potentium Hollandiæ Ordinum Deputati Semetipsos accommodare vellent, etiam atque etiam rogârunt.

Quum vero à Nobilibus ac Potentibus Provinciarum Ordinibus super Fœdere securitatis cum Rege Galliarum confirmando sententiæ latæ essent, post maturam deliberationem visum consultumque fuit, ut Dominus Gentius, cæterique Præpotentium D.D. Ordinum Gener. Deputati, cum Comite Servientio, Regis Christianissimi Legato Ordinario, conventum quendam instituerent, Ipsique indicarent, Præpotentes Dominos D. Ordines Generales existimare in Negotio illo securitatis, ex præscripto Tractatus, octavo die Februarii, Anno 1635. Parisus initi, similiter quoque vi Tractatus præliminaris, primo die Martii, Anno 1644. Hagæ-Com. confirmati, cautum satisque prospectum esse; adeò ut utrique parti nihil quidquam metuendum esset; quandoquidem Præpotentes D. D. Ordines Gener. supramemoratos Tractatus omni ex parte observare eosque executioni mandare certo constituerint. At si Regis Galliarum Legatus Ordinarius hujusmodi promissis generalioribus acquiescere nollet, sed vero majorem in modum urgeret, ut super fœdere Securitatis, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Nomine, propiore paulo explicatione ageretur, supramemoratis Deputatis plenissima auctoritas concederetur summedicto Domino Servientio declarandi atque verbis propioribus explanandi, Præpot. D. D. Ordines Generales, postquam omnes & singulos cum Christianissimo Rege Galliarum Tractatus, ante hunc diem initos confirmatosque, sedulo perspexissent, simul etiam perpendissent, comperisse Regnum Galliæ & Fœderatas Belgii Provincias mutuò obstrictas obligatasque teneri ad Fœdus aliquod securitatis inter se contrahendum, insuper etiam de omnibus cavendum, quæ ab Anno 1635. quo Tractatus ille sancitus fuit, utrinque milite præsidiario tenebantur, absque ullo tamen locorum, Ditionum, Regionum, Provinciarum atque Oppidorum discrimine; similiter etiam quæcun-

quæcunque loca ſive Oppida intra memoratum temporis ſpatium armis utriuſque Partis expugnata fuere, ſive ante Pacis confirmationem expugnabuntur, vel etiam dicta Pacis Tractatione ab Hoſtibus ſtipulanda venient. Quod equidem delegationis munus Præpotentes Domini D. Ordines Gen. Dominis D. Boreelio & Matheneſio, loco Dominor. D. Wimmenomii, D. Beveren, & D. Yſſelmuyden, loco Domini Mulertii, propter eorundem diſceſſum commendant, idque ut ſuſcipere velint rogant.

Antequam Nobilium ac Potent. Zelandiæ Ordinum Deputati tum Ordinarii, tum Extraordinarii, Deputantium Suorum ſententiam ſuper ſequentibus Articulis Punctiſque, è Tractatione Monaſterienſi reſultantibus, in Præpotentium D. D. Ordinum Concilio traderent, declararunt Dominos D. Deputantes Suos propter difficultates adverſus Articulos cum Hiſpanis proviſionaliter ſubſignatos allegatas, ſive propter novas propoſitiones, Monaſterienſem Pacis Tractationem nequidquam remorari, multò autem minus ejuſdem Tractationis finem exoptatum fruſtrari, neve hujuſce Reip. Legatorum Extraord. & Plenipotentiariorum operam ludere conſtituiſſe, ſed vero Dominos D. Deputantes Suos cum ſumma animi circumſpectione, cura ac diligentia evigilare decreviſſe, quo diſertis atque apertis verbis, antequam Pacis perpetuæ Tractatio concludatur, ac confirmetur, hujuſce Reip. Legati Extraord. & Plenipotentiarii quæcunque ad ſalutem atque incolumitatem Reip. & Provinciarum ac Civitatum commodum, imprimis autem quæ ad veram Religionem Reformatam confirmandam ac ſtabiliendam pertinent, ſtipularentur: Eaque propter Dominos, D. Deputantes Suos, ſub Articulorum ſeptuaginta, Inſtructionis loco hujuſce Reip. Plenipotentiariis commendatorum, finem, ſalvum ſibi atque integrum voluiſſe, ut, quæcunque ante finalem atque abſolutam Tractationis Concluſionem ac ſubſignationem ad bonum publicum pertinere, ſive eidem obeſſe viderentur, Tractationis Articulis vel addere vel demere liceret. Quocirca etiam Dominos D. Deputantes Suos, dictum Articulum compoſitis ſubſignatiſque cum Hiſpanis Articulis inſerendum eſſe, neceſſarium judicaſſe.

Porrò autem ſupramemorati Deputati ad ipſoſmet Articulos, atque adverſus eoſdem allegatas difficultates tranſeuntes, declarant, Se illas rationes neutiquam repetituros eſſe, ob quas Domini D. Deputantes Sui commodius atque utilius eſſe exiſtimant, ut aliquod ſaltem hac Tractatione quoad res Eccleſiaſticas in Majoratu Sylvæ-Ducenſi, Baronatu Bredanenſi, Marchionatu Bergozomienſi, Ditione Cuyckienſi, Præfectura Axelienſi, atque in aliis denique Provinciarum partibus admittatur, quæ ex ipſamet Pacis Tractatione, agrorumque diviſione, quæ ſummi abſolutique hujuſce Reipublicæ imperii ergo addenda veniet, promanantes, in dubium vocari, ſimul etiam ad Reipub. damnum atque Religionis Reformatæ detrimentum cedere poterunt; quapropter Semetipſos ad ea relegant, quæ viceſimo & primo die Januarii, Nomine locoque Dominorum D. Deputantium Suorum, eundem in finem cum verbis tum literis declaraverant. Quibus quod Nobiles ac Potentes reliquarum Provinciarum Ordines annuerint, Dominis Suis Deputantibus perquam gratum acceptumque fuiſſe.

Quoniam vero ea, quæ ab hujuſce Reip. Legatis Extraord. & Plenipotentiariis

„ cum Hispanis super Majoratus Sylvæ-Ducensis reliquarumque Provinciarum „ quarundam partium, Articulo tertio expressarum, imperio summo atque absoluto acta & transacta fuere, à nonnullis sic accipiuntur, ac si Plenipotentiarii Nostri „ summum atque absolutum in dictas Provinciarum partes, Majoratum Sylvæ-Du- „ censem, &c. absque ulla conditione ac reservatione stipulati fuissent, adeò ut illa, „ quæ super eo Negotio confecta sunt, nulla ex parte commutari, differri, seu iis „ omnibus, quæ Regis Hispaniarum Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii vi- „ cesimo & septimo die Decembris super eadem re proposuerunt, & ad quæ hujusce „ Reip. Legati Extrord. & Plenipotentiarii responderunt, Moderamen nullum ad- „ hiberi posset, indeque sequi deberet, summedictos Nobiles ac Potentes Ordines, „ simul cum pluribus alius præter necessitatem postmodum tanto studio elaborasse, „ quo Se proposito Moderamini in rebus Ecclesiasticis adhibendo opponerent, „ summumque & absolutum Sibi imperium stipularentur; Eapropter Nobiles ac „ Potentes Zelandiæ Ordines, Deputantes Suos non potuisse quin declararent, Se, „ perspectis perpensisque iis omnibus, quæ inter Regis Hispaniarum & Præpotent. „ D. D. Ordinum Gener. Legatos Extraord. & Plenipotentiarios Monasterii com- „ posita ac confecta fuerant, insuper etiam iis omnibus, quæ summedicti Regis „ Hispaniar. Plenipotentiarii vicesimo & septimo die Decembris proposuerant, „ quæque hujusce Reip. Plenipotentiarii ad ea responderant, nec non literis, quas „ Præpotent. D. D. Ordines Gen. ad Plenipotentiarios Suos vicesimo & octavo die „ Decembris exaraverant, imprimis autem Memorialibus eorum, quæ inter Regis „ Hispaniar. atque inter hujusce Reip. Legatos Extraord. & Plenipotentiarios, su- „ per moderamine in rebus Ecclesiasticis Majoratus Sylvæ-Ducensis, &c. variis „ conventibus peracta fuerant, lectis perlectisque neutiquam percipere potuisse, „ quo pacto supramemoratos cum Hispaniarum Rege compositos subsignatosque „ Articulos hunc ad modum interpretari quis posset? quandoquidem hujusce Reip. „ Plenipotent. supradictum Articulum tertium, de ea re agentem, non tam absolute „ stipulati fuerint, sed vero Regis Hispaniarum Plenipotentiarii eundem per An- „ notationem quandam marginalem restrinxerint; cujus tenor, licet in margine „ non expressus, sed relativè duntaxat conscriptus sit, nihilominus tamen supradi- „ ctus Articulus subsignatus haud aliter accipi poterit, quam respectu eorum, quæ „ Hispani decimo & quinto die Decembris, quo similiter die eundem Articulum „ juxta Annotationem marginalem concedebant, literis conscripta tradiderunt, „ nimirum, *nihil quidquam eorum immutari licere, quæ Articulo tertio sub finem de rebus Ecclesiasticis in Majoratu Sylvæ-Ducensi, &c. inserta fuere*, cujus autem Annotationis „ marginalis sensus est, Moderamen scil. aliquod respectu rerum Ecclesiasticarum „ agrique suburbani in Majoratu Sylvæ-Ducensi, in Partis utriusque Satisfactionem, „ excogitatum atque inventum iri: sub qua conditione ac cautione, supradictus „ Articulus tertius, nec quisquam alius, ab Hispanis concessus fuit: quod quidem „ Hispani salvum sibi atque integrum esse voluerunt, nisi Præpotentes Domini D. „ Ordines Gen. super Religionis exercitio, & bonorum Ecclesiasticorum usu sex „ mensibus post præsentis Tractationis conclusionem ac Ratihabitionem, compo- „ sitionem aliquam admitterent.

„ Secundò etiam summum atque absolutum in Majoratum Sylvæ-Ducensem cæterosque

terosque Tractus imperium nunquam Hispanos concessisse, neque eosdem Moderamen antehac propositum transmisisse, cum ex ipsa Plenipotentiariorum relatione, tertio die Februarii conscripta, tradita, tum vel maxime ex literis vicesimo & octavo die Decembris exaratis, satis superque liquet, quibus Plenipotentiarii disertis verbis indicabant, *Se cum Regis Hispaniarum Legatis Extraord. & Plenipotentiariis tandem super omnibus & singulis Articulis convenisse, sola citerioris Gelriæ partis restitutione, ac moderamine in rebus Ecclesiasticis Majoratus Sylvæ-Ducensis, cæterorumque Tractuum, tertio, & decimo octavo Articulo ab Ipsis proposito, exceptis.* Cui equidem petitioni, non obstantibus tamen rationibus ac persuasionibus eum in finem propositis, perpetuo inhæserunt, declarantes, Se ea lege ac conditione omnia jura ac Privilegia Regis Sui tradidisse, neque alia porro lege ac conditione, præterquam æquum justumque foret, tradere atque in Pacis Tractatu admittere posse. „

Sic ut nullacunque ratione honesta, æqua aut justa his objici queat, Regis Hispaniarum Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios, propositione Sua vicesimo & septimo die Decembris Anno 1646. tradita, id sibi duntaxat salvum atque integrum voluisse, *ut Negotium, super Moderamine in rebus Ecclesiasticis adhibendo, ad Præpotentes Dominos D. Ordines Gen. deferre, Eorumque judicio submittere liceret*; *ac Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. arbitrio relictum fuisse, an postmodum super memorato rerum Ecclesiasticarum Moderamine agere ac convenire, an verò illud totum declinare ac recusare vellent*, propterea quod Annotationibus marginalibus, simul etiam literis vicesimo & octavo die Decembris Anno 1646. exaratis, imprimis vero illis verbis directè contrarietur, quæ de *rebus decidendis* agunt, quæque inter utramque Partem in Responsione, ad ea quæ Hispani vicesimo & septimo die Decembris Anno 1646. proposuerunt, usurpata fuere. „

E quibus omnibus facile innotescit, hujusce Reip. Plenipotentiarios summum atque absolutum in dicta loca imperium ab Hispanis non absolutè impetrasse, verum eosdem Negotium illud sibi integrum reservasse; nisi fortassis Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. super Religionis exercitio & bonorum Ecclesiasticorum usu in supramemoratis locis, cum Hispanis sex mensibus post conclusam ac subsignatam Pacis Tractationem, convenire placeret. Cujus quidem Negotii causa quum universa Pacis Tractatio in dubium venerit, utrum penitus dissolvenda, an vero porrò promovenda sit, ac Reip. hujus Plenipotentiarii Præpotent. D. D. Ordinum Gener. super eodem sententiam rogent, Nobilium ac Potentium, D. D. Zelandiæ Ordinum Deputati declarant, Dominis D. Deputantibus Suis visum consultumque fuisse, quò Hispanis dehinc omnis spes, Ejusmodi in rebus Ecclesiasticis Moderamen obtinendi, prorsus adimatur, ut hujusce Reip. Plenipotentiariis publica autoritate per literas indicetur, Præpotentes Dominos D. Ordines Gener. pristinis super hocce Negotio Consiliis Decretisque etiamnum insistere, proindeque summum atque absolutum imperium, & quoad Spirituale & quoad Temporale, non tantum in Majoratum Sylvæ-Ducensem cæteraque loca supramemorata, verum etiam in illa omnia, quæcunque vi præsentis Tractatus, cum terminis Suis, Tractatui inserendis, hujusce Reip. imperio adjungentur, absolutè ac sine ulla conditione stipulandum, idque verbis disertis ac perspicuis Articulo tertio, omnibus Annotationibus marginalibus posthabitis, inserendum,

„ simul etiam Instrumentum seu Scriptum illud, vicesimo & septimo die Decem-
„ bris, Anno 1646. ab Hispaniarum Regis Legatis Extr. & Plenipotentiariis repe-
„ tendum prorsusque abolendum esse.
„ Porrò autem ad quinti sextique Articuli extensionem, de Utriusque Indiæ So-
„ cietate, transeuntes, Nobilium ac Potentium Zelandiæ Ordinum Deputati de-
„ clarant, quamprimum Deputantes Sui supramemoratos Articulos binos non
„ secundum Instructionis præscriptum impetratos esse percepissent, sed verò ad
„ eorundem extensionem atque amplificationem alicujus ponderis verba quædam
„ superaddita cognovissent, illicò in rem fore existimasse, ut ejusmodi verba opti-
„ mè disponerentur: Ac quoniam Deputantes Sui arbitrati fuerant, hujusce Reip.
„ Plenipotentiarios, secundum Instructionem Suam, Indiæ Occidentalis Societati
„ non satis consuluisse, Idcircò voluisse, ut Articulo sexto sequentia verba insere-
„ rentur, Hispanis sc. omnibus locis, quæ Portugalli, Indiæ Occidentalis Societati
„ per literas publicas concessa, munita tenent, prorsus abstinendum esse. Eum
„ quoque ad modum postquam ipsosmet Articulos, Eorumque extensionem con-
„ sequuti sedulo perpendissent, visum ipsis consultumque fuisse, ut verba illa (alio-
„ rumque omnium) Articulo sexto inserta omnino delerentur, neque admitteren-
„ tur; quandoquidem inde sequeretur Regem Hispaniensem in utraque India, tum
„ Orientali, tum Occidentali, loca aliqua possidere, in quibus tamen neque Fortali-
„ tia neque Habitacula ulla tenet; quo similiter dicti Regis Hispaniensis opiniones
„ confirmarentur, utpote Qui, vi muneris ac tituli à Papa Romano concessi, In-
„ diam utramque Suam credit, eaque propter nemini ad alterutram absque venia
„ Sua Navigationes instituere ibidemque Commercia exercere integrum esse.
„ Secundò etiam summedictos Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines in supra-
„ memoratæ Societatis commodum fore arbitratos fuisse, ut Annus 1641. Articulo
„ sexto, præter Instructionis præscriptum superadditus, utpote quo limitatio ac
„ restrictio quædam infertur, ipsa quinetiam statio navium, seu sinus excluditur,
„ omitteretur, similiter quoque verba sequentia *(quamdiu à Portugallis occupata tene-
„ buntur)* quoniam verba illa non tantum ad omnia ejusmodi loca, quæ Portugalli
„ jam nunc possident, verum etiam ad omnia illa, quæ Præpotentibus D. D. Ordi-
„ nibus Gener. à Portugallis sive dolo, sive vi surrepta sunt, referri possunt, quo di-
„ ctus Articulus sextus fine suo destitueretur. Præsertim quum existimaretur, ubi
„ Rex Hispaniarum supramemorata Indiæ utriusque loca armata manu frequenta-
„ ret, tum Ejusdem Incolis Subditisque, vi præsentis Tractatus, & Navigationibus
„ & Commerciis abstinendum esse. Et quantum ad clausulam, eidem Articulo in-
„ sertam, attinet, nimirum *(sic tamen ut prior Articulus præsenti Articulo nequidquam de-
„ rogare possit)* Nobilium ac Potentium Zelandiæ Ordinum Deputati declarant, Do-
„ minos D. Deputantes Suos censuisse, ut illa quoque omitteretur; Idque eò magis,
„ quod Articulus quintus, in commodum hujusce Reip. institutus, multò latius
„ quam supramemoratus Articulus sextus, imprimis autem de ejusmodi locis
„ agens, quæ absque Tractatus violatione seu dissolutione occupari possent, simul
„ cum clausula sua nimis anguste restringeretur. Neque Deputantes Suos aliter
„ percipere potuisse, quam ut Hispani postmodum ex hujusmodi Articulorum am-
„ plificatione seu extensione prætendere possent, quemadmodum sibi in India
Orien-

Orientali Navigationes ad ea duntaxat loca, quæ ibidem possident, instituere Commerciaque exercere liceret, cum ad modum quoque Præpot. D. D. Ordinibus Gener. in India Occidentali ad ea duntaxat loca, quæ ibidem tenent, Navigationes Suas instituere Commerciaque exercere integrum foret.

Ac quoniam dicatur Regis Hispaniarum Legatos Extr. & Plenipotentiarios postulasse, ut clausula illa posterior sub finem Articuli sexti insereretur, ne Indiæ utriusque Societates jus ac Privilegium literis publicis concessum, vi Articuli quinti, salvum sibi atque integrum remansisse dicerent, Idcirco Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines judicasse, Articulum illum sequentibus extendi posse *(ea lege tamen ac conditione, ne supramemorata litera publica, Indiæ utriusque Societatibus concessa, præsenti Pacis Tractationi quidquam derogent, neque se ad ejusmodi loca porrigant, quæ Rex Hispaniarum sive Fortalitiis, sive Habitaculis queiscunque munita tenet, sive quæ Ipsius imperio subjiciuntur.)*

Utque difficultatibus omnibusque interpretationibus sinistris, ex iis, quæ super Indiæ utriusque Negotio concessa ac confirmata sunt, orituris occurratur, Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines commodius fore existimasse, ut quintus sextusque Articulus dilucidè expediretur, Tractatuique insereretur; Eumque in finem sequentem *Conceptum* composuisse, cum præscripto, & quoad ejus fieri potuit, Instructionis verbis convenientem, præterquam quod eidem adjunctum sit, quod summedicti Nobiles ac Potent. Zelandiæ Ord. adjungendum esse semper duxerunt, nimirum, *Regis Hispaniarum Incolis Subditisque omnibus & singulis Indiæ Occidentalis locis, quæ Portugalli, sub Ejusdem Societatis districtu ac privilegio pertinentia, capta tenent, prorsus abstinendum, neque armata manu eodem, ad Commercia exercenda, navigandum esse*: quem Conceptum ut Præpotentes Domini D. Ordines Gener. æquo animo accipere Suisque Plenipotentiariis præcipere velint, quo dictos Articulos hoc modo institutos ab Hispanis impetrent, etiam atque etiam rogantur.

Qui quidem Articuli bini, nisi hoc modo obtineantur, Nobilium ac Potent. Ordinum Zelandiæ Deputati declarant atque affirmant, Dominos D. Deputantes Suos nullam Tractationis cum Hispanis Conclusionem aut confirmationem admissuros esse.

Quantum vero ad onera & vectigalia ostiis Flandriæ maritimis, propter Scaldensem Fluvium cæteraque ostia, imperanda attinet, quorum Articulo decimo & quinto mentio facta fuit, Nobilium ac Potent. Zelandiæ Ord. Deputati declarant, Dominos Suos Deputantes percepisse, hujusce Reip. Plenipotentiarios supradictum Articulum eo modo obtinuisse, quo modo Præpotentes Domini D. Ord. Gen. ut obtinerent, præceperant: illud tamen neutiquam voluisse, uti neque reliquarum Provinciarum Ordines, ut de ordine super vectigalium onerumque æqualitate instituendo, post Tractationis præsentis Conclusionem ac confirmationem, cum Hispanis ageretur. Sed vero utilius fore judicasse, ut ante Tractationis Conclusionem quidquam in illo Negotio certi, aut saltem provisionaliter, pro re nata, statueretur, quo Pace confirmata, vectigalium onerumque imperandorum æqualitas utrinque obtineri possit: similiter quoque ut de ordine aliquo certo ageretur, secundum quem Pars utraque, ubi pro temporis rerumque con-

„ constitutione vectigalium onerumque mutatio aliqua oboritura est, ejusmodi „ onera ac vectigalia imperare poterit; quippe Dominos Suos Deputantes simul „ cum Hollandiæ West-Frisiæque Ordinibus existimasse, licet Pacis Tractatio perpetua foret, nihil tamen in hac re certi quid constitui posse.

„ Quoniam vero Præpotentes D. D. Ordines Gener. per ejusmodi vectigalium „ onerumque æqualitatem id solum intenderint, nimirum, ut Commercia tantò „ magis promoverentur; atque hoc tempore, minora vectigalia Scaldensi Fluvio, „ propter reliqua ostia Flandriæ maritima, imperanda, multo commodiora fore, „ judicarint; simul etiam crediderint, Regem Hispaniensem nullum super hac re „ commutaturum esse verbum; præsertim quum Galli Duinkercam sub potestatem „ Suam redegerint, summamque eapropter rerum commutationem concitârint; „ Idcirco Nobilium ac Potent. Zel. Ordinum Deputati, Dominorum D. Suorum „ Deputantium Nomine locoque, rogant atque obsecrant, ut Præpotentes Domini „ D. Ordines Gener. Legatis Suis Extraord. & Plenipotentiariis, Monasterii agen„ tibus, præcipere dignentur, quò super hoc Negotio cum Hispanorum Plenipo„ tentiariis agant, omnemque operam adhibeant, ut illud ab Hispanis obtineant; „ ac denique super vectigalium onerumque æqualitate ordinem aliquem cum Hi„ spanis provisionaliter instituant.

„ Quartò, Nobilium ac Potent. Zelandiæ Ordinum Deputati declarant, Depu„ tantes Suos percepisse quidem sexagesimo & quinto Articulo concessum ac con„ stitutum esse, ut Fortalitia parva propè Sluysam exstructa diruerentur, sed vero „ propterea quod eodem Articulo non exprimatur, quænam Fortilitia seu Muni„ menta solo æquanda sint, ipseque Articulus ad mutuam Fortalitiorum demoli„ tionem restringatur, de qua postmodum inter Partem utramque agendum foret, „ Ideò Deputantes Suos commodius duxisse, ut hujusce Reip. Plenipotentiarii me„ moratam Fortalitiorum dirutionem absolutè ac sine conditione aliqua stipula„ rentur; Eamque ante Tractationis Conclusionem conficerent; quandoquidem „ dirutionis dilatio universæ huic Reip. atque imprimis Zelandiæ Provinciæ noxia „ admodum variis de causis existit.

„ Quod si autem Hispaniarum Plenipotentiarii mutuæ Fortalitiorum demoli„ tioni inhærerent, Deputantes Suos existimasse, ex Ipsis sciscitandum esse, quæ„ nam Fortalitia, quæve Munimenta mœnibus suis exuenda forent, idque eo fine, „ quò Negotium illud perpendi, atque ante Tractationis præsentis Conclusionem „ expediri possit.

„ Quinto, quandoquidem de Pace perpetua jam nunc agitur, & quæcunque „ Pars alterutra ante Pacis confirmationem non stipulata fuerit, in perpetuum ab„ dicata habebuntur, idcirco Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines voluisse ut „ limites ac districtus hujusce Reipub. latius multò, quam Induciarum Tracta„ tione factitatum fuit, extenderentur: imprimis autem ut ad partem Vryæ, quam „ vocant, prope Sluysam universa Pars, quæ Orientem spectat, eo modo adjunge„ retur, quo modo jam à multis retro Annis sub Brugensi Vrya fuit: speciatim vero „ ejusmodi Municipia, Vicinitates, aut ager suburbanus, quæ superioribus Indu„ ciis Præpotentes Domini D. Ordines Generales varias ob causas sub hostium im„ perio reliquerunt.

Eum

Eum ad modum quoque ut Urbi Sluysæ, jus vectigalium mercibus, navibus „ advectis, imperandorum, quod eidem competit, & quem ad modum ante belli „ tempora obtinuit, universum redderetur; quapropter etiam cataractæ claustrum, „ quod ante Annorum aliquot spatium per Fluvium, qui dicitur, de Sante, prope „ Sancti Donatii Fanum exstructum fuit, prorsus amovendum foret; denique ut „ ipsa Tractatione exprimeretur, quousque Partis utriusque termini sub Fortalitiis, „ ab utraque Parte possessis, sese porrigerent. „

Postremò Nobilium ac Potent. Ordinum Zelandiæ Deputati declarant, De- „ putantes Suos, auditis perceptisque omnibus & singulis, quæ à Gelriæ & Comi- „ tatus Zutphaniensis Deputatis decimo & quarto die Febr. ac primo hujusce „ Mensis die in Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. Concilio super Gel- „ riæ citerioris partis Confirmatione literis conscripta tradiderunt, majorem in „ modum exoptasse, ut, quamprimum Monasterii cum Hispanis de Induciis agere- „ tur, Imprimis etiam quum Induciarum in Pacis Tractationem commutaretur, de „ eodem Negotio cum Regis Hispaniarum Legatis Extraordinariis & Plenipoten- „ tiariis actum fuisset; Illud vero quum hujusce Reip. Plenipotentiarii omisissent, „ ubique Se fidos Amicos Sociosque præstare cupientes, neque intermittere, quod „ tamen & temporis & rerum statui inservire plurimum poterit, quo supramemo- „ rata Gelriæ Partis citerioris Confirmatio obtineri queat, perquam necessarium „ fore judicasse, ut hujusce Reip. Plenipotentiariis mandetur, ac majorem in mo- „ dum commendetur, quo omnem operam, curam ac diligentiam eo conferant, „ eique insistant, ut Gelriæ Partis citerioris Confirmationem obtineant, ne Pro- „ vincia illa incompleta relinquatur, sed vero hac Pacis Tractatione in integrum „ restituatur. „

Quæ omnia & singula in Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Concilio, vice- „ simo & tertio die Martiii, Anno 1647. oretenus proposita, vicesimo & quinto „ die Ejusdem Mensis, literis conscripta, à Nobilium ac Potent. D. D. Ordinum „ Zelandiæ Deputatis tradita fuere.

Exemplum autem Conceptus sive Clausulæ, cujus mentio paulo supra facta fuit, hujusmodi erat.

Commercia ac Navigationes ad Indiam utramque Fœderatarum Belgii Pro- „ vinciarum Incolis Subditisque liberæ atque integræ conservabuntur, idque se- „ cundum modum Literis Publicis utriq; Societati concessis sive dehinc conceden- „ dis insertum: Ea lege tamen ac conditione, ne ejusmodi literæ publicæ præsenti „ Pacis Tractatui contrarientur; proindeque Se non ad ea loca porrigant, quæ „ Rex Hispaniarum sive Fortalitiis, sive Habitaculis munita tenet; sub quibus „ præsertim omnia & singula loca comprehendentur, quæ Portugalli Præpoten- „ tibus D. D. Ordinibus Generalibus antehac vi aut dolo surripuerunt; quæ- „ que Præpotentes Domini D. Ordines Generales dehinc, sine Præsentis Tractatus „ violatione, expugnaturi sunt. Insuper etiam conventum est, ut Incolæ Subditi- „ que Regis Hispaniarum, ibidem commorantes, propriis suis Navigationibus „ Commerciisque, prout hactenus consueverunt, gauderent. Neque Commercia „ sua „

„ Sua in aliis Indiæ partibus, Præpotentium D. D. Ordinum Gen. imperio subjectis, exercerent, aut Navigationes Suas ad easdem instituerent; Eum quoque ad modum hujusce Reipub. Incolæ Subditique omnibus & singulis locis in India Orientali Castiliensibus, quæ Regis Hispaniarum imperio obtemperant, prorsus abstinerent.

„ Quantum etiam ad Indiam Occidentalem attinet, cum Regis Hispaniarum, tum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Incolæ Subditique omnibus & singulis locis, Regionibus Insulisque abstinebunt, in quibus Pars alterutra Fortalitia, Munimenta sive Habitacula quæcunque sive imperium aliquod habet; adeò ut Regis Hispaniarum Incolis Subditisque ad ejusmodi loca Navigationes suas instituere, ibidem Commercia sua exercere minime liceat, quæ Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentes D. D. Ordines Gen. sub Ejusdem Indiæ Occident. Societatis districtu, munita tenent, sive in quæ imperium quodcunque habent; sub quibus præsertim locis omnia & singula continentur, quæcunque Portugalli à Præpotentibus D. D. Ordinibus General. occupata tenent, ac quibus Ipsimet Præpotentes Domini D. Ordines General. absque præsentis Tractatus transgressione, dehinc potituri sunt; omnia denique ejusmodi loca, quæ Rex Lusitaniæ, Ejusdemque Incolæ Subditique, in India Occidentali commorantes, sub Indiæ Societatis districtu tenent; Sic tamen, ut neque armata manu, neque navibus, quibus Commercia sua exercere possent, dictas Indiæ Occidentalis Insulas sive Regiones frequentare Hispanis integrum sit.

In gravissimarum difficultatum ac deliberationum medio tandem Celsissimus Arausion. Princeps, decimo & quarto die Martii, ante quintam matutinam, mortem cum vita commutavit. Qui licet fortitudine nulli Principum suo tempore cederet, nihilominus tamen à Pacis Tractatione Anno 1629. Anno 1632. & 1635. & quæ hoc tempore Monasterii fuerat instituta, animum suum ne tam alienum habebat; quum videlicet pax firma ac perpetua æquis honestisque conditionibus obtineri posset: quem ad modum etiam intra Anni spatium sæpiuscule dixerat, *Pacem scilicet cum Hispanis ineundam esse*, item, *Hollandiam & debere & cupere Pacem.*

Plurimum autem in hisce difficultatibus cum Comite Servientio, Regis Christianissimi Legato Ordinario, super Fœdere securitatis laboratum fuit. Super quo Negotio Nobilium ac Potentium Hollandiæ ac Zelandiæ Deputati sequentes sententias, literis conscriptas, in Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Concilio sub finem Martii tradiderunt.

Exemplum Nobilium ac Potentium Hollandiæ Ordinum Sententiæ.

„ NObilium ac Potentium Ordinum Hollandiæ West-Frisiæque Deputati Ordinarii & Extraordinarii in Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Concilio, super Fœdere securitatis cum Christianissimo Rege ineundo, declararunt ac per præsentes Nobilium & Potent. D. D. Ordinum Suorum Sententiam hujusmodi esse declarant; videlicet, Rempublicam hanc non ulteriori cum Rege Christianissimo

nissimo Fœderi ineundo devinctam teneri, quam respectu eorum omnium, *quæ summedictus Rex Anno 1635. capta atque expugnata tenuit*, absque ullo locorum Oppidorumve discrimine; similiter etiam quæcunque ab Eodem *interea temporis Regi Hispaniarum in Belgii Provinciis erepta fuere.* Quibus non obstantibus tamen summedictis Nobilibus ac Potentibus Ordinibus visum consultumque fuit, ut Conventus cum Comite Servientio eâ de causâ institutus continuetur, Ipsique suprememoratum una cum ejusmodi rationibus, quæ dicto Negotio plurimum inservire poterunt, indicetur, ac demonstretur quænam incommoda Præpotentes Domini D. Ordines Generales ex indeterminato sive Generali aliquo Securitatis Fœdere, cujusmodi à Comite Servientio propositum fuit, obvia sibi ac Reipubl. Suæ concernant. Quo hoc pacto rationes, cautiones & restrictiones percipi possint, quæ à Comite Servientio eum in finem allegabuntur, & quibus incommoda quæcunque tolli prorsusque amoveri poterunt, ; ut, auditis perceptisque Comitis Servientii rationibus, Præpotent. Domini D. Ordines Generales super Negotio isthoc Consilium inire, ac certi quid decernere possint. „

Exemplum Nobilium ac Potentium Zelandiæ Ordinum Sententiæ.

Nobilium ac Potentium Ordinum Zelandiæ Deputati Ordinarii & Extraordinarii, in Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Concilio, super Fœdere Securitatis, Nomine locoque Dominorum D. Deputantium Suorum, agentes, declarârunt, ac per præsentes declarant, Dominis D. Deputantibus Suis, posteaquam super Fœdere securitatis, cum Christianissimo Rege contrahendo, serio deliberassent, visum consultumque fuisse, quoniam in ipso Tractatu, Anno millesimo centesimo trigesimo & quinto inito, de suprememorato Securitatis Fœdere, insuper etiam renovatione ac confirmatione Articulorum Tractatus Præliminaris, Anno 1644. eapropter initorum, satis superque actum fuit, ne de isthoc Negotio amplius ageretur, verum ut Rex Christianissimus certus duntaxat redderetur, *Præpotentes Dominos D. Ordines Generales, omnes & singulos Tractatus, quoscunque tandem cum Rege Christianissimo antehac inierunt, constanter fideliterque observaturos, Eosque ut sinceros atque optimos Socios executioni mandaturos esse*, sive ejusmodi quid promitteretur; in quo, si Comes Servientius nullo modo acquiesceret, sed vero propiorem ac clariorem super hac re explicationem postularet, ut Comiti Servientio, tali casu, ingenuè ac confidenter ejusmodi rationes verbis humanissimis proponerentur, ob quas Præpotentes Domini D. Ordines Gener. existimarent, Remp. Suam *Fœderi Securitatis tam generali tamque indefinito* minime obstrictam atque obligatam teneri, cujusmodi summedictus Comes, Scripto quodam, decimo & octavo die Januarii, Anno 1647. in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio tradito, Rempub. hanc devinctam credit: Contra vero sensu Tractatus, Anno 1635. & Præliminaris Tractatus, Anno 1644. imprimis autem eorum, quæ inter Regis Christianissimi, atque inter Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. Legatos Extr. & Plenip.

„ Hagæ-Com acta & transacta fuere, diligenter cognito perpensoque, reipsa comperiretur, supramemoratum Securitatis Fœdus non latius extendi posse, præterquam ad ea, *quæ à Parte utraque eo tempore, quo Tractatus ille, Anno scil.* 1635. *confirmatus fuit, munita tenebantur*, absque ullo locorum Oppidorumve discrimine; sub quibus similiter locis Oppida omnia ac Fortalitia continentur, quæcunque interea temporis ab utraque Parte in Belgii Provinciis armis capta atque expugnata fuere; nec non ad ea quoque, quæ Pars utraque hac Pacis seu Induciarum Tractatione in Belgii Provinciis ab Hispanis stipularetur. Quam quidem Declarationem Dominorum D Deputantium Suorum ut Rex Christianissimus æquo animo admittere velit, Nobilium ac Potent. Zelandiæ Ordinum Deputati etiam atque etiam rogant. Actum, atque in Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Concilio, vicesimo & tertio die Martii, Anno 1647. traditum fuit.

Exemplum Articulorum à Nobilium ac Potent. Trajecti ad Rhenum Ordinum Deputatis in Præpotentium D. D Ordinum Gener. Concilio, vicesimo & septimo die Martii, eo fine traditorum, quò Tractatui Monasterii ineundo insererentur, atque ab Hispanis impetrarentur.

„ PRimo autem omnium Nobilibus ac Potent. Trajecti ad Rhenum Ordinibus consultius fore visum fuit, ut Articulo Instructionis, hujusce Reip. Plenipotentiariis concessæ, tertio, quo de absoluto summoque jure atque imperio in Majoratum Sylvæ-Ducensem, cæteraque loca eodem expressa, fit mentio, sequentia verba insererentur, *(tam respectu Ecclesiasticorum quam respectu Politicorum)* absque ulla moderaminis, limitationis aut restrictionis admissione, vel ab ipso Articuli tenore, quantum ad Provinciam Ultrajectensem attinet, recessione.

„ Ut similem quoque in modum omnes nervi huic soli intenderentur, quo hujusce Reip. Plenipotentiarii Trans-Mosanos Tractus tres, nimirum, Falcoburgum, Dalemum, & Hartogen-Rade, ab Hispanis jam nunc stipularentur, at vero si obtinere non possent, ut Negotium illud Cameræ Bipartitæ integrum reservaretur, atque ab Eadem conficeretur; habito respectu status ac conditionis, in qua supramemorati Tractus Trans-Mosani Tractationis Confirmationis ac Ratihabitionis tempore siti erunt.

„ Quantum ad Indiæ Occidentalis Societatem attinet, iis Decretis ac Consiliis insisti oporteret, quæ omnium & singularum Provinciarum Ordinum consensu decimo & septimo, 19. & vicesimo die Novembris, Anno 1646. stylo novo, super eadem re inita ac confirmata, quæque hujusce Reip. Plenipotentiariis Instructionis loco mandata & majorem in modum commendata fuere. Vel denique ut Plenipotentiarii ejusmodi conditiones Indiæ Occid. Societati stipularentur, quæ in Ejusdem commodum maximum cedere videbuntur.

„ Ut in Citeriore Gelriæ Parte ab Hispanis stipulanda atque impetranda, omnis opera, cura ac diligentia, studium denique omne adhiberetur.

„ Fortalitia & Munimenta, quæcunque mœnibus Suis ab utraque Parte exuen-

exuenda erunt, ante Pacis Confirmationem ac Ratihabitionem Tractatui inſererentur.

Ut Sereniſſimus Princeps Elector Brandenburgenſis, ut Juliaci, Cliviæ, Montium, Marcæ & Ravenſteynii Dominus, Sereniſſima Haſſiæ Land-Gravii Vidua, Comites quinetiam Ooſt-Friſiæ, Benthemi, Tecklenburgi, & Lippæ, Epiſcopatus Leodienſis, Civitates quoque Hanzeaticæ, quales ſunt, Lubeca, Bremæ & Hamburgum, præſentis Pacis Tractatus beneficio gauderent; Idque non tantum ad fidam ac ſinceram amicitiam & Societatem conſervandam, verum etiam ad omnem belli impetum à Fœderatarum Provinciarum terminis prorſus amoliendum.

Eum ad modum quoque Illuſtriſſ. Comes Solmienſis quinquageſimo & quinto Articulo, quem ad modum Illuſtriſſ. Comites Naſſavici, eodem Tractatus beneficio gauderet.

Ut Articulis, de quibus inter Partis utriuſque Plenipotent. conventum fuit, & de quibus porro conveniretur, Articulus Inſtructionis ſeptuageſimus adjungeretur, neque ex Parte al qua ſilentio tranſmitteretur; donec, ſecundum Provinciarum ordinem conſuetum, Pacis Tractatus confectus & pleniſſimè confirmatus fuerit. Omnes denique nervi intenderentur, quò Sereniſſimus Princeps Elector Palatinus in omnia Sua Dominia ac dignitates reſtitueretur; ſimiliter quoque Religio Reformata in omnibus Germaniæ templis eum ad modum reſtauraretur, quem ad modum Annò 1618. exerceri conſueverat.

Ac quoniam vi Tractatuûm, imprimis vero Anno 1635. & 1644. cum Rege Chriſtianiſſimo initorum, Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus cum Rege Hiſpaniarum neque Induciarum, neque Pacis Tractatum quemcunque, ſine Regis Chriſtianiſſimi conſenſu, aut ſine Eodem confirmare liceat, idcirco omnes & ſinguli Articuli, cum Regis Hiſpaniarum Plenipotentiariis hactenus compoſiti ſive dehinc componendi, nullum omnino veri ac realis Tractatus effectum conſequentur, donec Regi Chriſtianiſſimo omni ex Parte ſatisfactum fuerit.

Exemplum Nobilium ac Potentium Friſiæ Ordinum Sententiæ.

NObiles ac Potentes Friſiæ Ordines, viſis perſpectiſque omnibus & ſingulis, quæ à Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis, ad Monaſterienſem Tractationem Delegatis, relata, quæque per literas ad ſummedictorum Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Concilium miſſa fuere, ſeptuaginta & tres Articulos, proviſionaliter cum Hiſpanis ſubſignatos, alio ordine diſpoſuerunt, eoſque juxta Inſtructionis præſcriptum examinârunt.

Simul etiam in hujuſce Reip. commodum fore exiſtimarunt, ut Inſtrumenta illa, ſive Scripta, poſt Articulorum compoſitorum ſubſignationem à Regis Hiſpaniarum Plenipotentiariis tradita, atque à Præpotentium D. D Ordinum Gen. Plenipotentiariis, viceſimo & ſeptimo die Decembris, Anno 1646. in aliam formam digeſta, quæ quidem Negotium Religionis, & bonorum Eccleſiaſticorum

in Majoratu Sylvæ-Ducensi, possessionem spectant, de quo Negotio sex Mensibus post Pacis Confirmationem & Ratihabitionem agendum foret, abolerentur, eo quod Negotium illud Ipsiusmet Tractatus Partem aliquam constituat, & ex quo infecto universi Tractatus dissolutio ejusmodi casu oboriri possit, quo Hispani rei bene ac feliciter armis belli gerendæ occasionem commodam consequutos se arbitrarentur; cui profecto malo, quantum maximè potest, occurrendum est.

Quamvis enim Articulo primo eorum, qui provisionaliter cum Hispanis compositi ac subsignati sunt, summum atque absolutum in Fœderatas Belgii Provincias jus atque imperium, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. omni ex parte oblatum concessumque sit, supramemorata tamen Instrumenta sive Scripta limitationi ac restrictioni, simul etiam ad compositum illum subsignatumque Articulum primum remissioni seu relegationi obnoxia sunt, donec Partes utræque super eodem Negotio convenerint, quo quidem casu utrisque utrinque satisfaciendum; aut si conveniri nequit, commutationem aliquam apportabit; utpote conditio à Tractatu dependens; atque ejusmodi ab utraque Parte habito, simul cum Romanæ Religionis exercitii & bonorum Ecclesiasticorum possessionis Articulo, Quod ubi neque expediri, neque cum bona potius quam cum mala gratia componi poterit, res denique armis belli conficietur, si non ipso temporis momento, saltem illo, quo Hispanis Negotii ex sententia expediendi spes maxima affulserit, ac tali in Negotio fortioribus omnia cedent.

Quocirca etiam Nobiles ac Potentes Frisiæ Ordines perquam necessarium esse judicarunt, ut supramemoratum Negotium ante Pacis conclusionem ac confirmationem penitus absolvatur; Idque eò magis, quod Articulo tertio eorum, qui ab utraque Parte jam nunc provisionaliter compositi ac confirmati sunt, quique superioribus Instructionis Articulis inserti erant, disertis verbis expressum fuerit, Tractus Trans-Mosanos Tres, Falcò-Burgum scilicet, Dalemum & 'sHertogen-Rade, stipulandos fore: qui quidem Tractus in ejusdem Articuli fine infecti omittuntur, atque in eo, quo jam siti sunt, loco relinquuntur. Quod si vero de iisdem controversum fuerit, ad Cameram Bi-Partitam, referendi erunt; quos tamen huic Reipub. adjungi, neque de iisdem controverti in posterum debere, decretum fuit. Quod nihilo minus, ubi ulteriori Partis utriusque examini subjicitur, materiam quamcunque dissolutionis præbere poterit.

Ac quoniam Reip. nostræ non parvi interest, ut Tractus Gelriæ Citerior eidem Provinciæ restituatur, quem ad modum Nobiles ac Potentes Gelriæ Zutphaniæque Ordines rationibus firmissimis demonstrârunt, quemque Tractum omnes & singuli Provinciarum Ordines Gelriæ effectum reddere, neq; tam facile eundem negligere tam Unionis Ultrajectensis, quam boni Publici causa tenentur; Eapropter Nobiles ac Potentes Frisiæ Ordines voluerunt, ut dicto Negotio multò serius insisteretur, quò tandem supramemoratus Gelriæ Tractus ab Hispanis impetretur: simul etiam ut hujusce Reip. Legatis Extr. & Plenipotentiariis publica auctoritate majorem in modum commendetur, ne Articulum illum omittant neve negligant: Idque propter Tractuum illorum situm naturalem, hujusce Reip. incolumitatem & securitatem, propter Commercia, quæ summopere

pere

pere promovebuntur, ob licentarum ac vectigalium remissionem, quorum summa quater centena Florenorum millia quotannis conficit, denique propter Unionis satisfactionem ac conservationem.

Porrò autem quum Articulo quinquagesimo, jam nunc ab utriusque Partis Plenipotentiariis provisionaliter composito ac subsignato, exprimatur, *Regem Hispaniensem Neutralitatis observationem ac continuationem inter CæsareamMajestatem & S. Rom. Imperium, atque inter hujusce Reip. Præpotentes D. D. Ordines Gener. reipsa effecturum esse; quapropter etiam dictæ Neutralitatis Confirmatio ac Ratihabitio à Cæsarea Majestate intra duorum Mensium, à Sacro Rom. Imperio unius Anni spatium post præsentis Tractatus Conclusionem & Confirmationem tradenda foret*, Idcirco Nobilibus ac Potentibus Frisiæ Ordinibus commodius fore visum fuit, ut, si non à Sacro Rom. Imperio, saltem à Cæsareâ Majestate Confirmatio ac Ratihabitio traderetur, quod si Cæsareæ Majestatis Legati sive Monasterii, sive Osnabrugis etiamnum commorentur, & Confirmationem illam ac Ratihabitionem simul cum Regis Hispaniensis Confirmatione ac Ratihabitione tradere possint; absque ullo dicti temporis respectu.

Quantum vero ad Fœdus Securitatis, seu satisfactionem Regi Christianissimo præstandam attinet, summedicti Nobiles ac Potentes Frisiæ Ordines Tractatui Anno 1635. & 1644. eapropter confirmato, inhærere voluerunt: Sic tamen, quod si Rex Hispaniensis Pacis Tractatum primus violaverit, ut Rex Christianissimus simul ac Præpotentes Domini D. Ordines Gener. tamdiu bellum continuarent, donec Rex Hispaniarum illatum damnum ac detrimentum resarciverit: neque etiam dictum Securitatis Fœdus latius Sese porrigere, præterquam ad ejusmodi loca, quæ Gallorum Imperio subjiciuntur, quæque eo ipso tempore, quo uterque ille Tractatus confirmabatur, ad Eorundum Imperium pertinuerunt, aut quæ postmodum in Burgundiâ, & septemdecim Belgii Provinciis in potestatem illorum redacta fuere; nullo omnino respectu ejusmodi locorum habito, quæ Galli subinde in longe dissitis terrarum partibus, sive in Italia, sive in Catalonia, armis belli occupârunt. Eâ lege tamen ac conditione, ut hujusce Reip. Præpotentes Domini D. Ordines Gener. Tractatu hocce in supramemoratis terrarum partibus à Rege Hispaniarum violato ac dissoluto, Semetipsos obstringerent atque obligarent, ad subsidium quoddam, sive nummis, sive copiis, Regi Christianissimo ferendum, ubi scilicet Rex Christianissimus præsentem Pacis Tractatum nullâ ex parte violaverit: At vero si primus dissolverit, bellique gerendi causam dederit, summedicti Præpotentes D. D. Ordines Gener. ad ejusmodi subsidium ferendum neutiquam obstricti forent.

Actum atque in ædibus publicis transactum, quarto die Martii, Anno 1647. Subsignatum erat, nomine locoque Dominor. D. Ordinum Oostergoensium, J. à Roorda, J. à Rosema: nomine locoque Dominor. D. Ordinum Westergoensium, A. à Waltinga, Bruynsma: nomine locoque Dominor. D. Septemwoldensium, Fredericus à Roorda, Hesselius à Sminia: nomine locoque Dominor. D. Ordinum Civitatum, H. Meynsma, F. Gauma.

Quorum omnium tenorem Originali suô respondere attestor, D. L. Scheltinga.

Quæ Provinciarum omnium, Gelriæ scil. Hollandiæ, Zelandiæ, Trajecti ad Rhenum, Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Sententiæ, in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio traditæ perlectæque in multis ac variis Articulis Punctisque plurimum discrepare comperiebantur: Quapropter etiam duodecimo die Aprilis summopere laboratum fuit, ut omnibus & singulis omni ex parte satisfieret: quod tamen effectum reddi non potuit. Idem quoque postero die occeptum fuit, quum Nobiles ac Potentes Hollandiæ West-Frisiæque Ordines, in Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Concilio præsentes, per Domin. Catzium, Syndicum suum Supremum, summedictis Præpotentibus D.D. Ordinibus Gener. oretenus exponerent ac declararent nullam prorsus spem affulgere Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines copiarum eductionem concessuros aut quidquam sumptibus faciendis impensuros esse; contrà verò Se reliquarum Provinciarum Ordines iterum atq; iterum rogare, ut Semetipsos Sententiæ ab Hollandiæ West-Frisiæque Ordinibus super Pacis difficultatibus latæ quamprimum accommodare vellent. Adeò ut, postquam Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines hæc omnia, decimo & nono die Februarii, proximè elapsi, & oretenus proposuissent, & literis conscripta tradidissent, idque in meliorem Ordinum sententiarum compositionem, Pacisque tamdiu exspectatæ promotionem, summedicti Nobiles ac Potentes Hollandiæ West-Frisiæq; Ordines declaraverint, quod si reliquarum Provinciarum Ordines unanimi consensu simul cum Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ Ordinibus de supradictis difficultatibus, Pacis Tractatum concernentibus, convenire, deindeque Pacis confirmationi annuere dignarentur, omnem Sese operam, curam ac diligentiam apud Dominos Deputantes suos adhibituros esse, quo, simul cum reliquis Provinciarum Ordinibus, hujusce Reip. Legatis Extr. & Plenipotent. publicâ auctoritate mandarent ac majorem in modum commendarent, ut summum jus summumque Imperium non tantum in Majoratum Sylvæ-Ducensem, verum etiam in omnia ejusmodi loca huic Reip. stipulentur, quæ vi præsentis Tractatus Eidem adjungentur: Sic tamen, ut Præpotentes D. D. Ordines Gener. pro consueta sua clementia ac benignitate concessuri sint, ut Ecclesiastici Romani, qui munere Ecclesiastico in Majoratu Sylvæ-Ducensi hactenus funguntur, debito ac sufficiente stipendio, dum in vita hac commorantur, gaudeant; Eum ad modum etiam, ut Corpora & Collegia, quæcunque in Oppido Sylvæ-Ducensi Ejusdemque Majoratu habentur, omnibus suis bonis, extra Majoratum in aliqua terrarum parte sitis, cum omnibus & singulis privilegiis atque immunitatibus fruantur; quemadmodum illa Corpora & Collegia fruentur, quæ vi præsentis Tractatus Hostibus relinquenda erunt; adhæc, ut hujusce Reipub. Plenipotentiariis præciperent. quò summa ope annitantur, ut Citeriorem Gelriæ Tractum, cum reliquis Tractibus Trans-Mosanis tribus, ab Hostibus consequantur: verum enimvero, quod si Hispani (omni operâ adhibitâ) petitioni huic tam absolutè annuere nollent, ut publica Auctoritate de Conventu quodam, super hac re cum Hispanis sex Mensibus post Pacis confirmationem habendo, agant, ac partem alicujus ditiunculæ, ad formam permutationis, pro supradicto Gelriæ Tractu offerant. Quod si autem Pars utraque, sive alterutra ditiunculam suam, sive Ejusdem partem aliquam nimis magni æstimaret, ut ejusmodi æstimatio *Camera*

Bipar-

Bipartita, certo temporis spatio dicenda atque expedienda relinquatur. Quibus auditis ac perpensis, Gelriæ, Zutphaniæ, Zelandiæ, Trajecti ad Rhenum, Frisiæ, Civitatis Groningæ Omlandiæque Ordinum Deputati declarârunt, Se etiamnum Deputantium suorum Consiliis decretisque pristinis insistere, simul etiam rogârunt, ut Nobiles ac Potent. D.D. Ordines Hollandiæ & West-Frisiæ ea, quæ proposuerant, literis conscripta tradere vellent, quò Eorum omnium exemplaria reliquis Provinciarum Ordin. Deputatis acciperent, eaque Deputantibus suis communicarent: Quod facturos Se esse promiserunt. Interim tamen Trans-Ysulaniæ Deputati declararunt, Actisque diurnis Publicis inseri jusserunt, ut summedicti Hollandiæ West-Frisiæque Ordines eo beneficio Ordinum suorum omnium & singulorum super Majoratus Sylvæ-Ducensis, cæterorumque Gelriæ Tractuum Negotio Sententiam, ad modum supradictum conscriptam, traderent: Se nimirum in Nobilium ac Potent. Hollandiæ West-Frisiæque Sententiam, de reliquis difficultatibus Pacis Tractationem concernentibus componendis, deindeque Pacis Articulis communi consensu subsignandis confirmandisque, ituros. Sic tamen, ut summedicti Trans-Ysulaniæ Deputati neutiquam accipiant sive admittant ea, quæ Nobiles ac Potentes Hollandiæ West-Frisiæque Ordines de Copiarum eductione, aut sumptibus faciendis subsidio proposuerunt.

Illustriss. Comes Servientius, quanquam Nobiles ac Potentes Hollandiæ West-Frisiæque Ordines Pacis conclusionem ac subsignationem etiam atque etiam expetere, simul etiam nequidquam spei Copias educendi superesse non ignoraret; nihilo minus tamen ante Fœdus securitatis initum confirmatumque in Galliam, ad Regem Christianissimum, Dominum suum, reverti nolebat. Quocircà decimo & quarto die Aprilis sequentia proponebat.

Inter Regem Christianissimum atque inter Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. Dominos D. Ordines Gener. antehac Fœdus aliquod securitatis initum confirmatumque absolutum ac sine ullâ conditione fuit, concernens omnia loca, regiones, atque oppida, tam olim quam nunc ab utraque Parte armis expugnata, in quacunque tandem Orbis parte sita, quaque Regis Christianissimi & Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. Imperio ejusmodi Tractatu subjecta sunt, sive dehinc subjicientur, qui vel vi Induciarum, vel Pacis cum Hostibus confirmabitur. Quod pluribus ipso securitatis Fœdere, jam nunc ineundo, exprimetur.

Hoc autem sic habetur, quod si Præpot. D. D. Ordines Gener. credant, eam obligationem ac devinctionem, quæ Art. nono Tractatus, Anno 1635. initi, continetur, de communi cum Hostibus dissolutione, quod si fortassis quæpiam conditionum, in quas sive Induciarum sive Pacis Tractatu dehinc ineundo convenietur, per Regem Hispaniensem Ejusdemve Socios aut Fœderatos violata aut neglecta fuerit, nimis absolutam, ac pluribus, quam quidem par est, difficultatibus vel incommodis obnoxiam esse, Regia Majestates haud ægrè adduci poterunt, ut super omnibus & singulis Tractatus violationibus; quæ non consistent in oppugnatione, aggressione sive in agrum patentem Oppidave invasione, Rex Christianissimus ac Præpotentes Domini D. Ordines Gener. consilium ineant atque inter se conveniant prius quam ad arma venire atque bellum adversus Hispanos mutuo auxilio ac subsidio gerere necesse sit.

Insuper etiam Regia Majestates haud invita Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. plenissimè satisfactura sunt pro navium quinquaginta bellicarum subsidio, quæ debito modo apara-

parabuntur, atque à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. exsolventur: quibus præter Navarchos Sociosque navales, quatuor militum millia, auguste, imponendi erunt, qui, necessitate cogente, in terram aliquam exponi poterunt; Idque loco obligationis, qua Præpotentes Domini D. Ordines Gener. devincti tenerentur ad Pacis Tractatum cum Hispanis dissolvendum prorsusque abrumpendum, quod si Hispani Inducias Catalonienses, post earundem exspirationem, ad idem temporis spatium continuare recusarent, ad quod jam nunc contrahentur: eâ lege tamen ac conditione, quod si Induciarum Tractatus per Hispanos primum violatus ac dissolutus fuerit, ut Præpotentes Domini D. Ordines Gener. Regi Hispaniarum bellum indicere tenerentur, idque secundum Tractatus Anno 1635. initi confirmatique Articulos, disertaque verba.

Quibus non obstantibus, tamen Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines decimo & quarto die Aprilis rursus in Præpotentium D. D. Ordin. Gener. Concilio declarârunt, Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines Copiarum eductionem neutiquam concessuros, neque sumptibus bellicis quidquam impensuros esse; sed vero quemadmodum antehac, ita quoque jam nunc omnium & singularum Provinciarum Ordines iterum iterumque rogare, ut Semetipsos Nobilium ac Potentium Hollandiæ Ordinum Sententiæ super difficultatibus nonnullis, Pacis Tractatum concernentibus, latæ quamprimum accommodare vellent; quemadmodum illud antehac Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. Concilio & oretenus proposuerant, & literis conscriptum tradiderant, atque etiamnum Provinciarum omnium Deputatis communicabant. Idque in commodiorem Provinciarum omnium sententiarum compositionem, Pacisque tamdiu exspectatæ promotionem. Adeò ut, postquam hæc omnia in Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Concilio repetiissent, declaraverint, quod si reliquarum Provinciarum Ordines unanimi consensu simul cum Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ West-Frisiæque Ordinibus de supradictis difficultatibus, Pacis Tractatum concernentibus, convenire, deindeque Pacis confirmationi ac ratihabitioni annuere dignarentur, omnem Sese operam, curam ac diligentiam apud Dominos D. Deputantes suos adhibituros esse, quò simul cum reliquis Provinciarum Ordinibus hujusce Reip. Legatis Extr. & Plenipotentiariis mandarent ac majorem in modum commendarent, ut summum jus summumque Imperium, non tantum in Majoratum Sylvæ-Ducensem, verum etiam in omnia ejusmodi loca, huic Reip. stipulentur, quæ vi præsentis Tractatus eidem adjungentur: sic tamen ut Præpotentes Domini D. Ordines Gener. pro consueta sua clementia ac benignitate concessuri sint, ut Ecclesiastici Romani, qui munere Ecclesiastico in Majoratu Sylvæ-Ducensi jam nunc funguntur, debito ac sufficiente stipendio, dum in hac vitâ commorantur, gaudeant: Eum ad modum etiam, ut Corpora & Collegia, quæcunque in Oppido Sylvæ-Ducensi Ejusdemque Majoratu habentur, omnibus suis bonis, extra Majoratum in aliqua terrarum parte sitis, cum omnibus & singulis privilegiis atque immunitatibus fruantur; quemadmodum illa Corpora & Collegia fruentur, quæ vi præsentis Tractatus Hostibus relinquenda erunt; adhæc, ut Iisdem Plenipotentiariis præciperent, quò summâ ope annitantur, ut Citeriorem Gelriæ Tractum, cum reliquis Tractibus Trans-Mosanis tribus, ab Hostibus consequantur: ut verò, quod si Hispani (omni operâ adhibitâ) petitioni huic

huic tam absolutè annuere nollent, ut publicâ Auctoritate de Conventu quodam super hac re cum Hispanis, sex Mensibus post Pacis confirmationem habendo, agant, ac partem alicujus ditiunculæ, ad formam permutationis, pro supradicto Gelriæ Tractu offerant. Quod si autem Pars utraque, sive alterutra ditiunculam suam, sive Ejusdem partem aliquam nimis magni æstimaret, ut ejusmodi æstimatio *Camera Bipartita*, certo temporis spatio decidenda, atque expedienda, relinquatur.

Summemoratus Comes Servientius, postquam Nobiles ac Potentes Hollandiæ West-Frisiæque Ordines nequidquam oblatione sua proficere percepisset, idque propter nimiam Ordinum omnium Sententiarum discrepantiam, inter quos nonnullos habebat, cum quibus clam agere poterat, Idcirco decimo & septimo die Aprilis sequentia, literis exarata, tradidit: quibus, uti etiam reliquis, haud aliter, propter sententiarum varietatem, responderi poterat, præterquam quod Provinciarum Deputati Eorum omnium exemplaria postularent.

Regis Christianissimi Legatus Ordinarius diutius in hisce Provinciis absque fama suæ præjudicio commorari nequit, quandoquidem alibi Majestati Suæ inservire jussus est, Idcirco obstrictum Se atque obligatum videt ad Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentes Dominos D. Ordines Gener. majorem in modum rogandum atque obsecrandum, ut sedulo perpendere velint, quantopere necesse sit, hoc præsertim tempore, consilium super sequentibus Articulis quamprimum inire, idque Regis Christianissimi Legato Indicare, quo Majestati Suæ referre queat, Eaque, prout necessitas ac rerum suarum status postulaverit, agere ac decernere possit.

Primò: quò Pacis Tractatio Monasterii certo ac firmo aliquo fundamento promoveatur, ut Præpotentibus Dominis D. Ordinibus Gener. sententiam suam explicare placeat super executione atque observatione Articuli octavi Tractatus Anno 1644. initi, concernentis Securitatem ejusmodi Tractatus, qui cum Hostibus confirmabitur; simul etiam obligationem mutuam ad Hostibus simul bellum inferendum, quod si fortassis Tractatus Articulos violaverint. Idque eò magis, quod Christianissimi Legatus clarissimè demonstraverit, Præpotentes Dominos D. Ordines Generales nullam omninò restrictionem in supramemoratâ obligatione atque obstrictione allegare posse, nisi adversus Tractatus, ea de causa initos, impingere velint: insuper etiam quod omnia media proposuerit, quibus Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. plenissimè satisfieri poterit. Super quibus autem, ut Præpotentes Domini D. Ordines Gener. consilium ineant, necesse non est, quandoquidem jam ante tempus aliquod Articuli illi Propositi fuerint, super queis Regis Christianissimi Legatus ut Præpotentes Domini D. Ordines Gener. sententiam suam jam nunc dicere velint, rogat atque obsecrat.

Secundò: dum Pacis Tractatus, qui communi consensu cum Hostibus iniri debebit, conclusio ac confirmatio effecta reddatur, ut quamprimum de iis mediis conveniatur, quibus omnis actus hostilitatis ab utraque Parte continuari possit, juxta Tractatus Anno 1635. initi confirmatique præscriptum; Idque eum in finem, quò Hostes Pacis Articulos, jam nunc præscriptos, tantò ocyus amplecti cogantur.

Tertio: ut, quantum ad supramemorati Articuli executionem attinet, Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. ordinem seu modum quempiam in necessario rerum bellicarum apparatu Copiarumque tum pedestrium tum equestrium eductione quamprimum instituere placeat; quandoquidem tempus, ut apparet, eousque jam profluxerit; insuper etiam ut quamprimum de ejusmodi mediis convenire dignentur, quæ utrique in Hostibus oppugnandis plurimum inservire poterunt, ne de improviso ab iisdem opprimamur. Quæ ut tantò melius ac com-

commodius efficiantur, Majestates Suæ, hujusce Reip. Copiis Oppidum aliquod, Regno Galliæ in divisione attributum, oppugnare atque expugnare permittent, idque huic Reipubl. si ceperit, proprium relinquent: eâ lege tamen ac conditione, ut similem quoque in modum Majestatibus Suis oppidum quoddam, Reip. huic in divisione attributum, armis oppugnare atque expugnare, sibique proprium reservare liceat: Sic tamen ut post Tractatus executionem utrinque secundum æquum justumque conveniatur.

Quartò: ut propter rumores de ingenti Hostium apparatu classium, Præpotentes Domini D. Ordines Gener. tantum navium numerum in mare educere dignentur, quantum juxta octavum & duodecimum Tractatus Anni 1635. Articulum in Stationibus maritimis perpetuò habere tenentur. Idque tantò vehementius rogantur, quod Rex Christianissimus à Suâ parte Tractatui non tantum satisfecerit, sed præterea quoque haud exiguam navium classem perpetuò in mari habuerit, quæ omnes Hostium vires sollicitas atque occupatas habuit, ipsos denique Hostes in Portubus Eorundem oppugnavit; adeò ut Hostes optimas naves bellicas, quas in Flandriæ Portubus habebant, ac quibus tantas adversus hujusce Reip. Incolas Subditosque deprædationes plerumque agebant, contrà Regis Christianissimi classes intentas semper habere coacti fuerint; quo quidem huic Reipublicæ plurimum subventum fuit. Præterea quoque Rex Christianissimus, ad majorem nummorum, à Præpotentibus D.D. Ordinibus Gen. annumerandorum, sublevationem, benignè offert ac pollicetur, Se partem aliquam sumptuum, quindecim navibus apparandis, & secundum duodecimum Tractatus Articulum Majestatis Suæ classi adjungendis, ac proprio ære satisfaciendis, exsoluturum esse, idque sub formâ donationis, quamdiu in mari futuræ sunt.

Quintò: denique Regis Christianissimi Legatus Præpotent. Dominos D. Ordines General. etiam atque etiam rogat, ut sententiam suam super auxilio subsidioque quamprimum dicere non graventur, quò Majestates Suæ scire possint, num Præpotentibus D. D. Ordinibus Gen. illo amplius frui non placeat, an verò hoc quoque Anno idem Regis Christianissimi liberalitati adversus Remp. hanc relinquere velint. Actum Hagæ-Com. decimo & septimo die Aprilis, Anno 1647. *Notatum erat*, Comes Servientius.

Interea dum hæc geruntur, Dominus Heemstedius Monasterio Hagam-Com. reversus, atque à Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ West-Frisiæque Ordinibus in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilium introductus, retulit, post Collegarum suorum Hagam-Com. discessum, sibi simul cum Domino Donia, & post illius in Frisiam discessum, sibi soli, Secretario vander Burgh, in consilium ascito, multa ac varia, tam respectu Intercessionis inter Regem Galliarum atque inter Regem Hispaniarum, quam respectu Tractationis inter Præpotentium D D. Ordinum Gener. & Regis Hispaniarum Legatos Extr. & Plenipotentiarios, uti quoque rerum & causarum, Exteros Principes Regesque concernentium, respectu, quæ Osnabrugis plurimâ ex parte fuerant transactæ, obtigisse, quorum communicationem Præpotentibus D.D. Ordinibus Gener. perquam necessariam fore existimabat.

Ac primo quidem, Intercessione inter Regis Galliarum Regisque Hispaniarum Plenipotentiarios à Se ac Domino Donia continuatâ, varias difficultates Sese indies ab utraque Parte obtulisse, quæ apparentem Tractatus dissolutionem apportare videbantur: quocirca etiam Se una cum Domino Donia, & post Ejusdem discessum, solum Se, præsente supradicto Secretario, omnia officia contulisse, quò

quò Summæ Partes inter se componi, ac præsertim finalis inter Eas dissolutio „ præcaveri posset, quam totalis quoque Tractationis inter Hispanos & Præpotentes D. D. Ordines Generales institutæ succisio facillimè subsequeretur. „

Quum verò, traditione ac commutatione Speciminum Propositorum ad Pacem institutorum finitâ, iisque omnibus, quæ eandem consecuta fuerunt, (quæ non sine magnâ molestiâ accepta fuere) transactis, Regis Galliar. Plenipotentiarii hoc præcipuè peterent, ut in quinque magni momenti ac primariis Punctis satisfieret, Nempe, „

In traditione ac *terminis* locorum in Belgio & Burgundiâ occupatorum. „

Quinetiam in *Induciis in Cataloniâ* una cum Rosarum & Cadaquensium terminorum extensione ad Pyrenæos montes usque, ut & in communicatione inter Catalonienses & Regis Hispaniarum subditos continuandâ. „

Nec non in conservatione ac propugnatione Casaliensi. „

Adhæc in traditione Piombini & Portolongonæ. „

Quibus insuper addiderunt, universalem Ligam Garantiæ, ut vocant, in Italiâ, ad conservationem ac securitatem totius instituendi Tractatus, componi debere. „

Regis Hispaniarum Plenipotentiarios, variis conventibus ultro citroque habitis, tandem declarasse, velle Sese, ad difficultates universas prorsus amovendas, supramemorata Puncta Præpotent. D.D. Ordinum Gener. arbitrio, Articulo de Ligâ Garantiæ in Italiâ, ejusdemque determinatione, Principibus, quorum ibidem interest, salvo, permittere. „

Iteratâ deinde à Gallis Instantiâ, ac plenâ Declaratione subsidii, ab eodem Rege Portugalliæ præstandi, factâ, ineundo tamen Tractatu salvo, utque insuper cum Rege Portugalliæ Induciæ ad unius Anni spatium componerentur, atque idem Negotium in Tractatus Articulis exprimeretur, Hispanos id facere gravatos fuisse, cum à Mediatoribus tum ab Intercessoribus, ut Portugalliæ Regnum Tractatu excluderetur, stipulatos Sese existimantes, neque se quidquam de eo conficere posse: nihilominus tamen commoda nonnulla remedia proposita, eademque à D.D. Mediatoribus (qui negotiis facilitandis ac promovendis jam aliquamdiu Se impenderant) aliis quibusdam adaucta fuisse, eoque majorem spem compositionis inter utrumque Regem affulsisse, Sese verò iis, quæ Longevillæ Duci inopinanti evenerant, quorum vicesimo & nono die Martii certior redditus fuerat, nimirum Celsitudini Suæ ulteriorem cum ipso, Heemstedæ Domino, collationem interdictam fuisse, in continuandis atque expediendis propositis remediis impeditum fuisse. „

Hisce non obstantibus sedulò ad id operam dedisse, ne Tractationes ea de causa differrentur, multò minus succiderentur, verùm à D.D. Mediatoribus, usquedum Præpotentes D. D. Ordines Gener. sententiam suam super hoc negotio exposuissent, continuarentur, Tractationes autem illas supramemoratos Mediatores interea occepisse, parum verò ad discessum usque suum in iisdem profecisse, quum de prioribus viginti Articulis tantummodo egissent, in quibus non leves difficultates obortæ fuerant, quinetiam super Negotio literarum Auctoritatis: Adhæc Longevillæ Ducem Præpotent. D. D. Ordinum General. judicium arbitriumque „

„ triumque ab Hispanis oblatum *evitasse atque repudiasse*: quantum verò ad Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiariorum ulteriorem intercessionem attinet, in ejusmodi sermones Se incidisse, ut non immerito dubitaret, utrum posthac à Gallis idem acceptaretur: nihilominus tamen Sese, quum discessum pararet, obtulisse ut summe memorato Duci valediceret, atque deinde valedixisse, ac vicissim ab omnibus reliquis Legatis visitatum fuisse, Celsitudinem verò Suam more aulico rursus visitationem recusasse: Tractatus autem inter utrumque Regem dubio atque incerto admodum statu à se relictos fuisse.

„ At verò quantum ad Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Tractationes attinet, Hispanorum Plenipotentiarios jam ante tempus aliquod Sibi ac D. Doniæ persuadere tentasse, Sese confirmationem eorum, quæ inter ipsos & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarios de Pace conventa fuerant, ex Hispaniâ accepisse, ac deinde quum Se ulterius de eâ re cum Ipsis acturum negaret, Scriptum quoddam ab Ipsis ordine subsignatum, quod Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. miserat, Sibi exhibuisse ac tradidisse: Illos insuper, num quid ad id responsi accepisset, sæpius rogasse: sub discessum autem Suum solenniter visitasse: quinetiam promotionem finalis Responsionis Præpot. D. D. Ordinum Gen. sibi majorem in modum commendatam exposuisse, eam ob causam expediti itineris nuncium, quo Regem Suum novissimorum Decretorum certiorem reddere possent, à Se detineri asserentes: atque etiamnum prædmemoratam Confirmationem, quam solennibus formulis conscriptam habere Sese affirmabant, cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. commutare, & Tractatui finem imponere volentes: id autem si denegaretur aut differretur, à Negotio discessuros Suisque rebus, prout Status ac conditio earundem postularet, prospecturos Se esse, in incerto Sese diutius versari ac detineri posse disertis verbis negantes; Se quoque causam, ob quam Præpotent. D. D. Ordines Gen. bellum continuarent, fugere, quum illa omnia, quæ eorum Prædecessores unquam desiderârant atque petierant, data concessaque Ipsis essent: Adhæc Regis Hispaniar. portus Fœderati Belgii Incolis Subditisque jam patere, liberamque Ipsis Navigationem, Tractatu licet infecto, permissam esse: quod si vero hisce omnibus posthabitis Præpotent. D. D. Ordines Gener. bellum continuandum censerent, aut de Negotio nihil hactenus certi constituere vellent, ulteriorum calamitatum atque eventuum, quinetiam quæ futurum bellum apportaret, neutiquam reos fore, quibus insuper addiderant, nunquam Hispaniar. Regem ita planè omnibus mediis destitutum iri, ut bellum, si ita visum foret, aut necessitas sic exigeret, alio modo, sive per Matrimonialem Tractatum Fœderati Belgii ac juris, quod in Provincias Unitas sibi vendicat, traditione, Galliæ terminare, aliaque commoda ac securitates loco eorum Regno Suo comparare non posset: Idque à Rege Suo sæpius postulatum, Eumque tandem, si aliquâ necessitate premeretur, facillime in id consentire posse ajebant: neque de veritate eorum, quæ supradicta sunt, ullo modo dubitandum esse, quandoquidem variis temporibus apud Præpotent. D. D. Ordinum Plenipotentiarios, vel omnes, vel qui aderant, mentionem eorum fecerant, ac proinde alterutrum eligendum esse, ne suis quoque rebus pro modulo suo prospicere impedirentur.

Adhæc

Adhæc verò unicè rogasse, ut ipse, Heemstedæ Dominus, Suorum explanationem ac communicationem variis circumstantiis sibi factam referre atq; enarrare vellet, Eorumque Nomine diceret, non jam diutius loquendi aut Tractandi, verum peragendi, aut penitus omittendi tempus præsto esse: insuper etiam, ut Tractatus inter Galliar. & Hispaniar. Reges, inter Præpotent. D. D. Ordines Gener. conficerentur ac concluderentur, exoptasse; proindeque obtulisse Se, ut præcipuæ difficultates Præpotent. D. D. Ordinum General. arbitrio permitterentur, quò, nullam Sese Tractationem separatim instituendam affectare, demonstratum darent; quod si verò Galli id facere gravarentur, ac, non obstante conditionis cujuscumque honestæ justæque oblatione (quo Nomine appellabant) bellum continuare in animo haberent, cum solis Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. Tractationis peroptatum finem concludendo facere Sese velle. Nihilominus tamen, ubi Galli propensum in Pacem animum ostenderent, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. intercessionem Sese accepturos, tantumque Eorum arbitrio permissuros esse, ut sincerus ac firmus inde Tractatus perpetuo sperari atque expectari possit: tandem verò supradictos Regis Hispaniar. Plenipotentiarios, ut hæc omnia Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. dilucidè proponerentur, atque ad hæc absolutè ab iisdem responderetur, deque Tractatu vel conficiendo, vel succidendo, quantum pote celerrimè, decerneretur, etiam atque etiam rogasse: in quo Negotio ordine ac fide, quæ est optima, processisse, literas auctoritatis utrique Parti comprobatas, Articulis, in quos conventum fuit, ab utraque Parte subscriptum omniaque ad conclusionem præparata esse arbitrabantur, quam etiam occipere non denegabant: Sese insuper Partibus Suis neutiquam defuisse, atque etiamnum Sese ad Gallis secundum omnem æquitatem pristinaque exempla satisfaciendum promptos ac paratos existere.

Supradictos autem Hispanorum Plenipotentiarios inter præmemoratos sermones mentionem quoque fecisse, neutiquam Se in animo habere, quæcumque in Palatinatu loca Hispaniarum Rex *justo ac legitimo titulo* (quemadmodum inferebant) tenebat, ulli tradere, eadem verò adversus quemcumque defendere ac propugnare decrevisse: at vero quoniam Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii institerant atque intercesserant, quo Urbes ac Regiones, quascumque occupârant, in gratiam & commodum Principis Electoris traderent ac Præsidiario milite liberarent, Sese, nisi Tractatus cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus institutus succideretur, Eorum gratiâ omnia tradituros declarasse.

Postremò autem Præpotentibus D. D. Ordinibus Gen. retulit, non obstante omni reverentiâ ac honore, quo D. D. Plenipotentiarii, Collegæ Sui ac Ipse summos Galliæ Ministros prosecuti fuerant, omnibusque officiis, quæ ad Regni illius commodum ratione quacumque honestâ & possibili promovendum præstiterant, nihilominus tamen Se non sine admiratione summoque animi dolore percepisse, Comitem Servientium, Regis Christianissimi Extraordinarium Legatum, Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarios omnes conjunctim, ac nonnullos eorum separatim, inter illos quoque Semetipsum atque ea, quæ tanquam Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatus egerat, eo modo *ponderare atque æsti-*

" *mare* ausum fuisse, *ut non exiguâ hoc pacto injuriâ affectus videretur*, cum respectu mu-
" neris Sui, quo ad bonum hujusce Reipub. procurandum functus fuit, omnique
" fidelitate ac diligentiâ exequi studuit, tum respectu *honoris ac famæ Suæ*, quam
" variis ac diuturnis huic Reipub. præstitis officiis consecutum Se sperabat, proin-
" deque cum D. D. Collegis Suis plenius de eâ re agendum esse, suspicionem ejus
" publicè prorsus amovere, omniumque actionum Suarum rationem Præpotent.
" D. D. Ordinibus General. reddere nequaquam Se neglecturum: quibus abun-
" dè demonstrari poterit, *nusquam Se officium Suum prætergressum*, omnia verò, ut
" fidelem Ministrum decet, egisse, atque huic Reipub. in omnibus, prout æqui-
" tas postulat, inservivisse, ac proinde ejus contrarium summâ injuriâ sibi im-
" putari.
" Actum Hagæ-Com. vicesimo die Aprilis, Anno 1647. atque traditum à Præ-
" potentium D. D. Ordinum Gener.

Officiosissimo Fidelissimoque

Adriano Pauw.

DIe autem vicesimo & nono Aprilis Hollandiæ Deputati, cum nullum aliud remedium rerumque exitus affulgeret, in Concilio Præpot. D. D. Ordinum Gener. declarârunt, Sese *Gallis secundum Tractatus abunde satisfactum fuisse credere*, neque amplius respiciendum, sed Tractationem cum Hispanis confirmandam esse: ut verò hæc reliquarum Provinciarum Ordinibus persuaderent, ad Gelriam ac Transl-Ysulaniam deputârunt, Dominum D. in Opdam & D. Syndicum Ruyschium, ad Frisiam, Civitatem Groningæ, &c. D. D. Cæsareum & Stellingwerf, Hornæ & Medenblici Syndicos, ad Zelandiam D. D. Bickerum, Civitatis Amstelodamensium Consulem, & Neoportium Civitatis Schiedamensium Syndicum ac Noort-Hollandiæ Quæstorem, Trajectum ad Rhenum, D. D. Kinschotium & Boreelium Delphensium atque Amstelodamensium Syndicos.

Legatus Dominus Servientius, quò Ordinum Hollandiæ propositum ac delegationem hanc inanem redderet, ad omnium Provinciarum D. D. Ordines, *Hollandiæ Ordinibus exceptis*, hujusmodi procaces omnisque offensionis plenas literas exaravit.

PRÆPOTENTES DOMINI,

NOn dubium est, quin, quæcumque vel Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. vel Eorundem D. D. Commissariis, qui mecum egerunt, ad honestæ firmæque Pacis Conclusionem, tam Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. quam Regi Galliarum promovendam proposui, Deputati Vestri assiduò Vobis, Præpotentes Domini, fideliter retulerint. Persuasio autem hæc obstabit, quò minus eorum omnium narrationem, quæ molesta atque ingrata procul dubio futura esset, contexam: Mihi vero, Præpotentes Domini, sufficiet, si exhibuero Vobis, Me, quantum commodè potui, pro constitutione ac consuetudine hujusce Reipub. quæ non nisi *tardius* rebus finem imponit, jam abhinc *quatuor Menses*, quibus hic com-

commoratus fui, laborasse, tantaque Me patientia, quantam quis capere posset, usum comprobasse, ad decretum ejusmodi consequendum, cujusmodi sperare Me oportebat. Nunquam autem in dubium vocare potui, quin Tractatio hæc in maximum commodum cederet, quandoquidem nihil unquam proposui, præterquam *quod Confœderationem communiaque commoda*, quæ Galliam simul & hancce Rempub. obstrictam obligatamque tenent, spectat, nempe, simul belli finem faciendum esse, quod tam prosperis auspiciis adversus unum eundemque Hostem gesserunt, quo ipsum universa commodorum spe deturbarent, quæ ex divisione atque æmulatione, quas inter Nos procudere atque alere intendit, Sibi comparare studet. Verum, Præpotentes Domini, obstupesco, postquam Rex Christianissi. coram Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. multoties per Legatum Suum conquestus, atque obtestatus fuisset, post plurimas atque iteratas protestationes, quibus Ipsius Nomine locoque apud illos protestatus fui, de sincerâ ac numeris omnibus absolutâ amicitiâ, post tam innumera consensus mutui, tam fideliter sanctèque observati, specimina, quæ universa cum Tractatuum argumentis omni ex parte conveniunt, hactenus neglectam videre atque conspicere *responsionem ad varia Memorialia* à Me tradita, referta licet plurimis maximique momenti propositionibus, ad hujus Reipub. securitatem accommodatis: ejus autem loco non modo Majestatis Suæ intentionem sinceram parvi pendi, verum etiam perversè accipi, atque in pejorem partem ab iis rapi, *quorum animus Partium studio turbatus est*, qui Tractatione, à qua *Prædecessorum Vestrorum animus abhorruisset*, sinceram hostium Vestrorum voluntatem palam inter Vos prædicant, quique *ad id operam dant nervosque omnes huic intendunt, ut fidelissimorum Vestrorum Sociorum atque Amicorum fidelitatem inviolabilem in dubium vocent, quo violentis improvidisque Consiliis disturbent penitusque succidant* Confœderationem à Gallis tam fideliter observatam, quæque maximarum Fœlicitatum, Nostrum pariter ac Vestrum Statum concomitantium, hodierno die prima causa existit. Mihi ipsi, Præpotentes Domini, spondeo firmiterque persuadeo, Vos, si diligenter perpendatis animoque Vestro revolvatis periculis plenos progressus ac commoda, quæ hostes hoc dolo consecuti sunt, quò Vos à Gallis sejungant atque dissensiones inter Vos serant, insuper etiam si apud animum Vestrum reponatis multitudinem *Sociorum, quos ante belli finem in sinu Vestro pepererunt*, hanc Majorum Vestrorum prudentiam resuscitaturos, qui maximam semper hujusce Reipub. securitatem in justo sensu ac vindictâ injuriarum, quas ab Hispanis acceperunt, nec non in providâ quorumcumque tandem Negotiorum cœptorumque diffidentiâ sitam esse experti fuerunt. Non sine summâ admiratione percipi à quopiam potest, eos, qui, *ut tantò magis hostium conatibus faveant*, firmissimam Unionem ac concordiam, quæ Gallis hactenus Vobiscum intercessit, disrumpere conantur, oblivioni jam tradidisse, nullum fermè in omnibus Fœderati Belgii Provinciis locum superesse, qui aut *Hispanorum tyrannidem non fuit expertus*, aut qui *Gallorum sanguine*, in commodum Vestrum effuso, *tinctus non fuit*. Quod si antè actorum memoriam in animis Vestris superesse credant, percipere neutiquam queo, qui *Sese* tam omni periculo plenæ novitatis *Auctores sistere audeant*, & quo pacto metus ipsorum animum non subeat, ne incommoda, quæ ex tam insigni mutatione, quam proponunt, ortum ducere queunt, *posteros* aliquan-

aliquando obstringant ac devinciant *ad exigendum rationes* auspiciorum omni fundamento destitutorum, quæ *hæreditarii* in Hispanos *odii* finem afferrent, quod Majores Vestri posteris Suis hæreditatis loco reliquerunt, quæque Fœderationem, quam præcipuum hujus Reipubl. columen habuerunt, suspicionis maculâ conspurcabunt. Id quoque magis extra ordinem in Negotio *Hostium Nostrorum* liquet; quod, quò magis fraudes ac technas, quas unà cum Hispaniar. Regis Ministris composuerunt, utque ipsis medium firmiter id aliis persuadendi suppeditarent, jure jurando ad silentium eos obstrinxerant, ne ejus falsitas demonstrari posset, utque malum, antequam mederi posset, vires Suas exereret, perinde ac si hostis indicium à Socio ejusdem institutum veteri Fœderato damnando vel in suspicionem adigendo sufficeret, ac quasi justitia non æque ac prudentia ad sedulam inquisitionem in tanti momenti Negotia devinciret obligaretque, simul etiam ad perceptionem rationum eorum Sociorum, quorum interest, aut quorum fides ipsis habeatur, ne in mala incidatur, quæ ex consilio præcipiti ac falsis hypothesibus nitenti oriri consueverunt. Eapropter Vos, Præpotentes Domini, admonere officii mei esse arbitror, ut hoc rerum casu, cujus plurimæ omnis generis periculi sequelæ esse possunt, omnia circumspectè agatis; Vosque etiam atque etiam rogare, ne quidquam de iis decernatis, quæ proponi vobis possent dum Regni conditio ac Status cognitus Mihi perspectusque sit, idque secundum rationem & consuetum agendi ordinem eorum, quæ proposita sunt, in quibus Majestati Suæ quidquam præjudicii afferri queat, & animadversionum, quæ exhibitæ sunt. Affirmare ausim, Me, quæcumque dubia forte mota sint, explanaturum, palamque calumniarum falsitatem demonstraturum, quas hostes Nostri Vobis ob oculos ponere non dubitarunt.

Cum ad id omnes nervos intendi videam, ut persuadeatur *Regis Ministros hujusce Reipub. commodis adversari, in Germania protestando atque obtestando Majestatem Suam Paci moram injicere, nihilque potius esse, quam belli hujus armorumque continuationem, Regem cum Hispanu Tractatum aliquem insciis Socius ac Fœderatis Suis instituere, &, quò magis hujus Reipub. Incolæ Subditique exacerbentur, præsupponi ac tanquam rationem allegari Religioni Suæ deditos in Galliâ aliisque orbis Partibus à Majestate Suâ indignis modis excipi*, neutiquam miror, qui lucem veritatis evitant, tantam eos cæcitatem sibi contrahere. Galli profectò, cum periculosum in Germania bellum, Protestantes Principes, veteres Regni Socios ac Fœderatos, restaurandi gratiâ, rebus Eorum ad summas angustias redactis, aggressi sint, cumque in eo tam constanter incredibilibus militum sumptuumque impensis perseverârint, *non aliam sane mercedem, quam exprobrationem meriti, reportasse* Mihi videntur. Quod si una cum Suecorum Rege, omnium oppressorum restauratione, armis partâ, Protestantibus Autor est, quo facilius Pacem consequerentur, ne ad extremum deducant Negotium, sed hostium sumptibus ac periculo sapiant, qui rebus Suis antehac parum consuluerunt, eò quod victoriâ immodicè atque insolenter utebantur; quod si palam obtestatur nunquam in id conventum fuisse, ut pro Religione in Germaniâ bellum gereretur, utque armis belli expugnatis pro defensione omnium S. Imperii Principum, contra finem propositum atque intensum quidquam occiperetur, quod si ii, qui opibus ac dignitatibus Suis restituti sunt, hisce non contenti alios opprimere,
belli

belli finem nullum facere, sed verò in infinitum protrahere conarentur; omnes facile confitebuntur consilium hoc laude magis quam vituperio dignum esse, aut saltem reprehendi non oportere ab iis, qui Paci tantoperè studentes animum ad contradictiones non advertunt, quibus Sesse implicant, quandoquidem, si Fœderati alicujus commodo insistatur, Pacem respui ex eo colligunt; si verò moderamen aliquod in Pacis Tractatione adhibere eos quis moneat, Socios ac Fœderatos deseri sine ratione conqueruntur. Idem propemodum in Tractatione cum Hispanis accidere apparet, *Gallos armorum continuationem expetere* creditur & cæco impetu defenditur: quinetiam *clanculum Eos cum Hoste Pacem inire* affirmatur. Jam abhinc Mensibus quatuor obtuli cuicumque Mecum eâ de re agere volenti exhibere atque demonstrare, Nos, in omnibus totius Tractationis Articulis, tantam animi æquitatem adhibuisse, quanta à Nobis ullâ ratione postulari potuit. Quod si hostes quatuor aut quinque Articulos præcipuos constanter fideliterque observarent, nempe, *de non tradendo* utrimque inter Galliar. & Hispaniar. Reges, *Vnumquemque verò retenturum quæ possidet*, quæque ab iis dependent, nisi cum ad recentiorum tum antiquiorum locor. captor. traditionem deveniatur: de eo quod ad *Securitatem Casalensem* attinet, ne Hostes eâ rursum potiantur, ubi Duci Mantuano, quum vel minima istæc remuneratio sit, quæ pro tribus præliis ac decies centenis librarum millibus repeti potest, quæ maximi momenti loco Ipsi asservando impensa fuere: de *Cataloniâ*, ad cavendas machinationes, quæ utrimque institui possent, ac dissolvendæ Paci inservirent, de quo Negotio per intercessionem Plenipotentiariorum Vestrorum Hispani acturos Sese promiserunt, idque de *Tractatus Securitate*, intervenientibus Ligis Garantiæ seu Fœderibus quibusdam Securitatis, de quibus conveniri oportet: Quod si, inquam, ea, quæ de supradictis Articulis conventa sunt, hostes fideliter exequantur, tantopere sibi Rex Præpotent. D. D. Ordinum Gener. benevolentiam æquitatemque persuasam habet, ut Majestas Sua, quantum ad reliquas difficultates necdum decisas attinet, in iis æquo Ipsorum arbitrio lubens auscultatura sit. Huic autem propositioni tam justæ, quæ Pacem jam ante Menses duos efficere potuisset, non modo nemo incubuit, verum ii, qui propriis moti commodis, quæ unusquisque facile novit, quæque dies clarius docebit, dissidium inter Regnum Galliæ & hancce Rempub. parant, in falsâ opinione quâdam persistere ac perseverare malunt, quam ut in veritatem rei tanti ponderis inquirant ac tandem deveniant. Interea, perinde ac si introire cupientes viæ aditus sibi præcluderent, Declarationes varias proponunt, alteram, *quâ Se exercitum educere posse negant*, alteram, *quâ Se jure meritoque seorsim agere contendunt*, nequaquam perpendentes, hæc totidem hostibus obstacula esse, quo minus æquis conditionibus faciles aures præbeant, quod pernosci posset, num perpensiones in consulendo ac minitando adhibendæ effectum sint consecuturæ.

Quantum autem ad Tractatus matrimoniales seu commutationis attinet, tam manifesta est fallacia, ut nemo mediocri rerum usu pollens sit, qui, ejusmodi propositiones impræsentiarum si accipiantur, minorem imprudentiam quam perfidiam existimet. Hujus quoque commenti præter literas, quæ à *Rege Hispaniar.* Ejusdemque Ministris exaratæ dicuntur, fundamentum ratioque affertur; is autem,

tem, qui eas tradidit, nihil Se ejusmodi à Gallorum Parte vidisse, confiteri palam coactus fuit. Quanquam autem id de asseverationibus, à Rege per Ministros antehac factis, dubitandi causa esse nulla possit, nihilominus tamen Vobis, Præpotentes Domini, de novo testor & obtestor, *famâ vitâque interpositis*, mera esse mendacia fraudulenter ab hostibus excogitata. Meque Memetipsum bonaque omnia Vestro judicio subjicere, si Galli ea unquam auscultârint, aut minima super ea re Tractatio instituta fuerit: At verò æquitas postulare videtur, ut, dòlo detecto, in ejusdem fraudis Autores, qui tantum Regem, fautorem hujus Reip. infamia aspergere non dubitârunt, exemplum statueretur. Non jam respondebo ad *indignam exceptionem*, quâ, ut ajunt, Religionis Vestræ confessores in Regionibus, Majestatis Suæ imperio obtemperantibus, excipiuntur: multi enim sunt, qui etiam in conspectu Vestro tam insigni munere in exercitu funguntur; at omnes Regni Incolæ Subditique libero Religionis exercitio tantâ tranquillitate fruuntur, ut fermè ignorem, qui tam manifestam veritatem simulando atque obtegendo contrarium ejus asserere quis audeat. Satis superque liquet harum novitatum Autores Regni Galliæ regimen Incolis Subditisque Vestris odiosum reddere constituisse, quò tantò facilius Hispanis amorem eorum conciliarent, quanquam Religionis Vestræ confessores acerrimâ Inquisitione premunt, nec non actionibus violentis, quarum perpaucæ familiæ, antequam arma Sociique Vestri Tyrannide Vos exemerant ac liberârant, inter Eos immunes reperiebantur; Hæc omnia multaque alia, quæ cæteris adjungere non esset difficile, conventibus mutuis, quam literis, commodiùs explanarentur, *si veritatem non minus è Sociis pernoscere, quam mendacium ex hostibus percipere*, omnes æque parati existerent. Interim, ut Vos, Præpotentes Domini, de hac re ea decernere dignemini, quæ iis, quæ à summâ Vestrâ prudentiâ expectantur, respondeant, utque sedulò, quæ temporis angustia paucis Me exhibere sinit, perpendatis, etiam atque etiam rogo; quæ omnia huic uni inserviunt, quò nefariis administrationibus officiisque eorum obviam eatur, *qui Patriæ malum Nostro incommodo inferre non verentur*, simul etiam, quò molesta Consilia, quæ falsis hypothesibus moti nixique ceperetis, propulsentur. Longè alienus est animus Meus *à dissidio cujuscumque tandem generis in hac Repub. producendo fovendove*: Ejus namque amplitudinem ac fœlicitatem Christianiss. Rex nunquam non exoptavit, quam Majestas Sua ab Unione harum Provinciarum, atque à mutuo consensu fidâque amicitiâ, quam cum Sociis Suis colent, præcipuè dependere lubens fatetur: ei verò, quæ inter Galliar. Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. intercedere debet, sincere conservandæ ac confirmandæ, juxta Regis mandatum omnem meam operam, curam & industriam dicabo, quò re magis, quam verbis, Me esse comprobem, &c. Signatum erat, *A. Servientius*.

SEntentiæ D. D. Hollandiæ Deputatorum in Concilio Provinciali summa hæc erat, quod plurimis sc. Tractationem Monasteriensem inter Gallos & Hispanos, nec non inter Hispanos & Præpot. D. D. Ordines Gen. simul etiam quo in loco eadem sita erat, referebant, à Gallis quoque prætensum *Securitatis Fœdus*, & quæ ab eo dependebant, ordine enarrabant. Quandoquidem autem satis lautas con-

conditiones, quibus propemodum acquiesci posset, Unitar. Belgii Provinciar. Ordines Gen. stipulati erant, quibus commemorârunt rationes, quibus Nobiles ac Potent. Hollandiæ West-Frisiæque Ordines moti, in maximum hujusce Reip. commodum esse censerent, ut ab armis discederetur, utque Galli rogarentur, & mediis quibuscumque officiosissimis eò inducerentur, quò in Pacem ineundam ac confirmandam consentirent, siquidem Præpot. D. D. Ordines Gen. Gallorum rebus causisque (vulgò *interesse*) vi Tractatuum Annorum 1634. & 1644. non ulterius *quam in Belgii Provinciis* adstricti obligatique erant; in quibus Gallis satisfactum fuisse credendum erat; quem ad modum quoque Galliar. Regem satisfactionem in *externis rebus causisque*, quinetiam in limitum finiumque locorum occupatorum discretione, quæ ab Hispanis Præpot. D. D. Ordinum Gen. arbitrio commissa fuerat, accipere oportebat; similiter etiam, quum Galli, Fœdus Securitatis quod spectat, majora, quam vi Tractatus licet, postulant, oblata sint; quod si autem Galli id recusarent, hanc fore sententiam Nobilium ac Potentium Hollandiæ Ordinum, nimirum Declarationem à Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus institui oportere, *sic hoc haberi seorsim à Gallis cum Hispanis Tractatum inire salvum Nobis atque integrum esse*, atque id ipsum propter varias ac graves rationes, hujusce Reip. constitutionem aliaque concernentes, effectum reddere decrevisse. Quocirca supradicti D. D. Deputati etiam atque etiam rogabant, ut Nobiles ac Potentes reliquarum Provinciarum Ordines bonis ac sinceris Ordinum Hollandiæ West-Frisiæque intentionibus Sese accommodare dignarentur, quo hoc pacto brevi temporis spatio Pacis Tractationi, quam rerum Status ac conditio, publici Hollandiæ Ærarii tenuitas aliæque non minoris ponderis rationes postulabant, finis imponeretur.

Postquam summedicti Hollandiæ Deputati è Provinciis reversi erant, quotidie de componendis Provinciarum sententiis laboratum fuit, maximè verò decimo & octavo die Maji (eo die fortè vices in Concilio præsidendi ad Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines devenerant, quæ Ipsis hoc tempore, uti etiam deinceps, in hoc Negotio plurimum inserviebant) serio perpenderunt, animoque revolverunt quædam maximi momenti Puncta, super Negotio Pacis Tractationis inter Præpotent. D. D. Ordines & Hispaniar. Regem necdum conclusæ proposita, quorum primum continebat Negotium *summi ac supremi juris, tam Spiritualis, quam Temporalis in Majoratum Sylva-Ducensem aliasque Regiones* ejusdem conditionis, cujus tertius Articulus eorum, quæ Monasterii confirmata sunt, meminit.

Secundum Punctum postulatam citerioris Gelriæ Tractus *Consolidationem* sive *Confirmationem* una cum reliquis ejusdem Provinciæ partibus sub Fœderato Belgio concernebat.

Tertium verò res Occidentales respiciebat, quarum tertio Articulo eorum, quæ Monasterii confirmata fuerant, mentio facta fuit, in quo præcipuè considerantur hæc verba, nempe, *aliorumque omnium*, quinetiam hæc verba, scil. *ab Anno 1641. item, quamdiu Rex Portugalliæ illa occupata tenebit.*

Quartum onerum ac vectigalium, Scaldensi Fluvio imperandorum, cum reliquis Flandriæ Portubus maritimis, æqualitatem continebat.

Quintum de tribus Tractibus Trans-Mosanis, nempe, Valckoburgo, Dalemo & 's Hertogenrade agebat.

Sextum munimentorum prope Sluysam Flandriæ dirutionem concernebat, cujus sexagesimo & sexto confirmatorum Articulo mentio facta fuit.

Septimum finium in Flandria extensionem continebat.

Quibus cognitis ac perpensis visum decretumque fuit, ut Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiariis atque Legatis Extraordinariis, Eorum Nomine Monasterii commorantibus, supradictum *primum* Punctum quod attinet, Instructione expresse in mandatis daretur, ut in Tractatu cum Hostibus ineundo supremum atque absolutum jus, tam Ecclesiasticum quam Politicum, in supradictum *Majoratum Sylva-Ducensem*, cæteraque ejusdem conditionis loca, stipularentur, ac proinde ab Hispanis repeterent Scripta illa, quæ vicesimo & septimo die Decembr. 1646. exhibita fuerant, neque absque eo ullum Pacis Tractatum cum Hostibus initum confirmarent, subsidio tamen Ecclesiasticis Romanis salvo, quod nihilominus pro libitu ac beneplacito Præpotent. D. D. Ordinum Gener. erogandum erit, qua de re Acta quædam privata conscribentur: porro etiam decretum fuit, ut *Corporibus Collegiisque* in ipsa Civitate Sylvæ-Ducensium, ejusdem Majoratu aliisque ejusdem conditionis sitis bona, quæ eodem Majoratu aliisque locis non continentur, competerent, *& vice versâ*: Adhæc D. D. Deputati Trajecti ad Rhenum, Frisiæ & Groningensium Civitatis Omlandiæque, Actis Publicis diurnis inseri curarunt, Se in ea, nisi Dominorum suorum *consensu salvo*, neutiquam consentire.

De supramemorato autem *secundo* Puncto visum decretumque fuit, ut Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii & Extraordinarii Legati Monasterii commorantes mediis quibuscumque optimis apud Plenipotentiarios Regis Hispaniarum instare juberentur, quò Majestas Sua *Citeriorem Gelriæ Tractum* tradat, ut reliquis tribus Partibus adjungatur; quod si verò, adhibitis omnibus officiis, absolute tamen obtineri nequeat, tum per *Cameram Bipartitam* sex Mensibus, aut breviori temporis spatio, post commutationem ac traditionem utriusque Confirmationis Tractatus instituendi, quæstio decidetur: Ad hæc D. D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis Actis Publicis diurnis inseri curârunt, Sese in æquivalentem permutationem cum supramemorato Citeriore Gelriæ Tractu, utpote talia in mandatis non habentes, neutiquam posse consentire, verum in supradicto Citeriore Tractu stipulando Nobilibus ac Potentibus Gelriæ Ordinibus operam navandam esse: Ad hæc D. D. Deputati Frisiæ, Groningensium Civitatis Omlandiæque, Regestis inseri curârunt, Se in ea, nisi D. D. Deputantium suorum consensu salvo, ulterius neutiquam consentire.

Ad *tertium* Punctum, Societatem Indiæ Occidentalis concernens, Præpotentes Domini D. Ordines Gener. declarârunt, Sese in iis, quæ à Dominis D. Plenipotentiariis Monasterii super hoc Negotio acta fuerunt, acquiescere, hac certissimâ lege ac conditione, ut Nobiles ac Potentes Provinciarum Ordines, ad Societatem Indiæ Occidentalis in agro Brasiliensi promovendam Eidemque opitulandum, *luculentum ac sufficiens subsidium* concessuri atque exhibituri sint: Adhæc D. D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis Actis Publicis diurnis inseri jusserunt,

ut

ut Præpotent. D. D. Ordinum General. Plenipotentiarii, supradictum Punctum quod attinet, decretis decimi septimi, 18. 19. 20. 21. & 22. diei Novembr. 1616. Sese accommodarent, quandoquidem cuncta illa ab omnibus Provinciarum Ordinibus simul constituta decretaque fuerant, neque Eorundem pluralitate infecta reddi poterant.

Ad hæc autem Frisiæ Deputati declarârunt, Se superiori Suæ protestationi, *Societatis utriusque* respectu institutæ, quam Actis Publicis diurnis inseruerunt, etiamnum inhærere: Ad hæc D. D. Deputati Groningensium Civitatis Omlandiæque Regestis inseri curârunt, Sese in ea, nisi D. D. Deputantium Suorum consensu salvo, ulterius neutiquam consentire; utque dehinc supra ordinarium subsidium supramemoratæ Societati Indiæ Occidentalis definiatur certòque designetur promptum ac sufficiens militum auxilium, qui stipendium publicum mereantur, dictæque Societati opitulentur atque succurrant.

Ad *quartum* Punctum Præpotentes Domini D. Ordines Generales declarârunt, Sese in iis, quæ juxta Instructionem acta sunt, acquiescere, utque Nobiles ac Potentes Provinciarum Ordines commoda quæcunque media, supradicto fini inservientia, inter Se mutuo excogitarent.

Ad supradictum *quintum* Punctum Præpotent. D. D. Ordines Gener. declarârunt, Sese in iis, quæ à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis atque Extraord. Legatis Monasterii super hoc Negotio acta & confirmata sunt, acquiescere; ejus verò Inquisitio à *Camerâ Bipartitâ* instituetur, prout reliquæ tres partes tempore Confirmationis Pacis Tractatus, cum Hostibus ineundi, comperientur: Ad hæc Frisiæ Deputati Actis Publicis diurnis inseri jusserunt, Sese à sententia sua, super hac re Scripto quodam antehac tradita, minimè decedere.

Quantum autem ad *sextum* Punctum attinet, Præpotentes Domini D. Ordines Generales constituerunt ac decreverunt, ut hujus Reipublicæ Plenipotentiarii atque Extraord. Legati Monasterii ad id omnem operam apud D. D. Legatos Regis Hispaniarum darent, quò Fortalitia prope Sluysam Swyndamque sita diruerentur: simul etiam ex Hispaniarum Legatis perciperent, quænam Fortalitia exprimere vellent, quorum dirutionem eorum loco postularent.

Ad supradictum *septimum* Punctum Præpotent. D. D. Ordines Gener. declararunt, id sexagesimo & quarto & septuagesimo & tertio Articulis, novissimè confirmatis, peractum haberi: porrò autem ad *jus aquaticum*, (Belgis, *VVater-Recht*) *Sluysanorum Civitati competens*, speciatim, nec non ad Damum prope Sancti Donatii Fanum quantum attinet, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii atque Extraord. Legati, Monasterii commorantes, apud Regis Hispaniarum Legatos de eo impetrando summopere laborarent.

Ad hæc omnia, quæ Actis Publicis diurnis inserta fuere, D. D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis Iisdem inseri curarunt, quandoquidem vi superiorum Tractatuum, præsertim Anni 1635. & 1644. Pacis vel Induciarum Tractatum cum Hispanis non nisi *conjunctim, communique Regis Galliar. consensu*, institui licebat, omnes subsignandos Articulos, nisi Gallis in antecessum satisfiat, nullum realis Tractatus effectum habituros esse.

Zelandiæ quoque Deputati Regestis inseri curarunt, Sese, quum animadverterent Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ West-Frisiæque Ordinibus, impræsentiarum in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. præsidentibus, visum fuisse, tempore illo matutino, *suffragiorum pluralitate* de Articulis quibusdam, necdum confirmatis conclusisque, Pacis Tractationem Monasterii institutam concernentibus, decernere, eosdemq; concludere non modo contra Instructionem, communi omnium Provinciarum Dominorum D. Ordinum consensu hujusce Reipub. Plenipotentiariis concessam, verum etiam contra Unionem, qua ejusmodi Puncta non *communicantur*, ast singularum Provinciarum Ordinibus speciatim *reservantur*, declarare neutiquam dubitasse, verum ad Reip. Ordinem, quin etiam jus ac dignitatem Dominorum D. Deputantium suorum conservandam, devinctos Sese obligatosque judicasse, qui summè dictos Hollandiæ Ordines, utpote præsidentes, ut & reliquarum Provinciarum Ordines tum omnes simul, tum Earum singulos etiam atque rogarent, ne supradicti Articuli confirmentur, antequam tantillum temporis spatium supersit, quo ex ordine Regiminis de iis decerni posset; quod si verò ejus contrarium fiat, Sese adversus tam *inordinatam confirmationem* disertis verbis protestari, atque de iis, quæ gesta sunt, Dominos D. Deputantes suos quamprimum certiores reddituros esse, qui procul dubio eâdem de causâ, sive per Delegationes ad Provinciarum Ordines instituendas, aut alio quovis modo indignationem suam ostenderent, præterea, eo quo oportet loco ac modo, antè acta ut exhiberentur efficerent, nec non plura Puncta & Negotia, quæ Nobiles & Potentes D. D. Ordines necessariò perpendenda ac confirmanda censerent, priusquam diuturnorum Pacis Tractatuum honestus atque securus finis obtineri posset, cui Negotio Domini D. Deputantes Sui sincere omnia conferre constituerant; reliquarum verò Provinciarum Ordines D. D. Zelandiæ Deputatos, ut à suprememoratâ protestatione desisterent, unicè rogarunt, sin minus, ut ejusdem Exemplar Sibi concederetur, reliquar. Provinciarum Ordines petierunt; quod Iisdem neutiquam denegatum fuit.

Vicesimo autem die Maji Dominus Legatus Servientius rursum brevi quodam Memoriali, ut Præpotentes D. D. Ordines Gener. omnes Suas Copias educerent, petiit, quò in Gallorum commodum Copiarum Hostium distractio saltem efficeretur; huic verò petitioni D. D. Hollandiæ Deputati disertis verbis renuerunt.

Nihilominus tamen sub idem ferme tempus Celsissimus Arausionens. Princeps nonnullas peditum equitumque cohortes Hulstam atque in Wasiensem ditionem misit: de quo Negotio Hispanorum Plenipotentiariis Monasterii conquerentibus, quum Nobiles ac Potentes Hollandiæ Ordines Celsitudinem suam, ut eas reduceret, rogarent, idem impetrârunt. Summè dicto autem Legato in colloquio exciderat, reliquas difficultates Serenissimæ Arausionensium Principissæ Viduæ arbitrio permittere etiam atque etiam cupere: quum verò deinceps Celsitudinem Suam amore, quo in Pacem ferebatur, oblationem hanc non usque adeo renuere animadverteret, ajebat, Sese equidem difficultates submittere velle, sed eâ lege, ut Celsitudo sua *juxta Instructionem Domini Servientii* easdem decideret. Quo effugio submissio illa evanuit.

Do-

Dominus Meynerſvicius hoc tempore ſolus Monaſterii commorabatur: utraque Pars, cum Galli, tum Hiſpani, quo in loco res ſuæ eſſent, indies ipſi explanabant: ſinguli conquerebantur: alii alios *remorationis ac tarditatis in Tractatione perſicienda inſimulabant*: Domini quoque Mediatores quod ſui erat muneris atque officii diligenter agebant. Eorum autem omnium Dominus Meynerſvicius D. D. Deputantes ſuos per literas certiores reddebat, idque ex ordine Muneris atque Inſtructionis ſuæ, quæ ſc. Propoſitiones, Petitiones, Reſponſa atque Interceſſiones tam ore, quam Scripto inſtitutæ fuerant. Quum verò difficultatum quarundam inter Gallos & Hiſpanos needum deciſarum, ac ſpeciatim Portugallorum Negotium concernentium, mentionem aliquam feciſſet, Dominus Servientius ea edoctus, Memoriale quoddam, exaratum decimo & quinto die Maji, Præpotentibus D. D. Ordin. tradidit, cujus exemplum tale fuit.

Supradictus Legatus, quum percepiſſet D. Meynerſvicium Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. nonnulla retuliſſe, veritati, atque iis, quæ Regis Galliarum Plenipotentiarii ſuprâmemorato Legato per literas indicârunt, directè adverſantia, *Præpotentes D. D. Ordines rogat atque obſecrat, ut ſibi cum ſupradictis Dominis Commiſſariis hodierno die convenire liceat, quo Præpotent. D. D. Ordines eorum, quæ Monaſterii acta fuerunt, certiores reddant, atque Originalibus, ut vocant, ſcriptis comprobent, diſcrepantia indicia non niſi à technis ac fraude Hiſpanorum aliorumque Galliæ inimicorum initium capere.*

Quo cognito perceptoque Dominus Meynerſvicius Monaſterio per literas, viceſimo & ſecundo die Maji exaratas, Seſe defendit: quibus inter reliqua hæc continebantur, nimirum, ſupramemorata D. Servientii *meram eſſe calumniam: Eum quoque Se cæteroſque Plenipotentiarios Propoſitione quarti diei Martii indignis convitiis excepiſſe, ac proinde Seſe unicè petere ut nomini ac famæ ſuæ hac pluribuſque ejuſdem generis calumniis illatum damnum reſarciret, è quibus alioquin cum Reip. tum fidelium Ejuſdem Miniſtrorum incommodum pullulare atque oriri poſſet, &c.*

Viceſimo & quarto die Maji D. Legatus Servientius ſuper Negotio Garantiæ ſeu Securitatis ſequentia tradidit.

Super Negotio Garantiæ ſeu Securitatis proponitur, Tractatus Anni 1635. *&* 1644. *vim ac vigorem ſuum retenturos eſſe, quò conſtanter fideliterquè ſecundum omnes ac ſingulos ſuos Articulos executioni mandentur, iis ſolum exceptis, de quibus per præſentem Tractatum aliter convenietur, quod poſt ejuſdem confirmationem latius extendetur ac ſpecialius explicabitur.*

Rex Galliarum fidem dabit, Se Pacem adverſus Hiſpanos Eorumque Socios diſſoluturum eſſe, ſi ea loca aut Regiones aggrediantur atque invadant, quæ Pacis Tractatu Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. relinquentur: nec non, ſi adverſus Tractatus conditiones quidquam committant: adeo ut exinde univerſalis ruptura adverſus Hiſpanos & Præpotent. D. D. Ordines Gener. ſequutura ſit.

Præpotentes D. D. Ordines Generales itidem Seſe ad diſſolvendum obſtringent atque obligabunt, ſi Majeſtatem Suam Hiſpani Eorumvè Socii in Galliâ invadant, quibus etiam Pignerolla, *& quæ eodem ſpectant, comprehendantur, vel ſi alia quævis loca, Status ſeu Regiones, quæ Majeſtati Suæ Pacis Tractatu, Ejuſdemvè vi ac vigore relinquentur, in Lotharingiâ, Burgundiâ, Belgii Provinciis, Ruſcienſi Civitate (vulgo,* Rouſilion) *& Ca-*

& Cataloniâ Hispani Eorumve Socii, quocumque tandem nomine veniant, aggrediantur atque invadant.

In omnibus quoque aliis Regionibus præter eas, quarum mentio paulò antè facta fuit, nimirum, in Germaniâ & Alsatiâ, Philippo-Burgo iisdem incluso, nec non in Italiâ & Cataloniâ, Præpotent. D. D. Ordines Gener. post Induciarum exspirationem, si easdem continuare iisdem conditionibus, de quibus impræsentiarum convenietur, denegent, subsidia illa ferent, quæ antehac postulata sunt, aut alia ejusdem generis, aut eorum similia, de quibus deinceps convenietur.

Vicesimo & nono die Maji Frisiæ Deputati in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. declarârunt, Sese decimo & octavo die hujus Mensis præter alia Negotii Monasteriensis Puncta, salvo tamen D. D. Deputantium suorum consensu, confirmationem quoque Consolidationis seu Confirmationis *Citerioris Gelriæ Tractus* concessisse quidem, at verò, quum à D. D. Deputantibus suis per literas mandata acceperint, ut Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum suorum decreto superiori inhærerent, neque de obtinendo Citeriore Gelriæ Tractu decederent, iisdem mandatis, quibus antè, instructi, ut ulteriore deliberatione Provinciæ hujus Ordinibus in eâ re satisfieret, hæcque declaratio Actis Publicis diurnis insereretur, rogârunt, quæ iisdem continuò inserta fuit.

Biduo autem post, quum Hollandiæ Deputati paulò antè declarassent, ut cohortes necdum distributæ, quarum stipendium *ad sextum diem Maji* è Gallicis subsidiis exsolutum fuerat, per duos Menses Fœderatarum Belgii Provinciarum sumptibus sub signis retinerentur, eâ lege, ut interea temporis, cui Negotio impendendæ forent, decerneretur.

Quum præterea Frisiæ Deputati in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Actis publicis diurnis inseri pridiè jussissent, in mandatis Sese accepisse, ne de Citeriore Gelriæ Tractu decederent, at superiori decreto inhærerent, quibus Pacis Tractationi mora injici posset.

Domini D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis, tunc fortè in Concilio præsidentes, Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. ob oculos posuerunt, num huic Reipub. conducibile imò necessarium foret, quò supramemoratæ sententiæ, nec non bona ac sincera reliquarum Provinciarum Ordinum intentio effectum sortiretur, ut necdum dispertitæ Copiæ una cum sufficienti aliarum cohortium numero Fœderatarum Belgii Provinciarum stipendium merentes, vel, diffidentibus super iisdem Copiis Provinciarum Ordinum sententiis, sufficiens solum aliarum cohortium numerus quam citissimè convocaretur, atque ad Citeriorem Gelriæ Tractum recuperandum mitteretur.

Idque eò magis, quod Præpotentes D. D. Ordines Generales undique ab ipsis etiam Hispanis certiores fiebant, Oppida in Citeriore Gelriæ Tractu sita *sufficienti præsidio destituta esse*, ac Præpotentes D. D. Ordines Gener. nullo jam labore nullisque sumptibus, ad Summum hujus Reipub. commodum, securitatem atq; concordiam, supramemoratis Regionibus, quæ ab Hispanis Pacis Tractatione denegantur, potiri posse.

Id verò si eveniret, æqualioribus studiis Pacem promotam iri, quod etiam cum sexagesimo & septimo Articulo Instructionis, D. D. Plenipotentiariis, Monasterii

nasterii commorantibus, datæ concessæque convenit optimèque consentit, utpote qui contineat, *ne quidem confirmato ac subsignato ineundo Pacis Tractatu, Hostilitatis actuum inter Hispanos & Præpotentes D. D. Ordines Gener. finem fore*, priusquam Regis Hispaniarum Ratihabitio debitis solennibusque formulis exhibita, & cum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Ratihabitione commutata foret.

Omnia hæc D. D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis, durante præsidio Suo, necessaria esse duxerunt, quæ Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. exponerentur, cum propter rationes supramemoratas, tum ut unicuique, *maximè autem posteritati comprobarent* tam faventis, & quasi à Deo huic Reipub. oblatæ fortunæ, *at ingrate neglectæ*, ac proindè dignitatis hujusce Reip. non satis pro merito promotæ, reos Se neutiquam existere: de quibus quum consilium iniretur, & Provinciarum nonnullarum D. D. Deputati, qui aderant, adhæc Sententiam suam declarare posse negarent, Negotium in aliud tempus dilatum fuit.

Zelandiæ Deputati, ad supradicta à D. D. Deputatis Provinciæ Ultrajectensis proposita, Actis Publicis diurnis inseri curârunt, Sese in eâ esse Sententiâ, juxta superius Decretum atque Instructionem Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis traditam concessamque, modum Militiæ Copiarumque eductionis nequaquam immutatum esse; proindeque assiduò obtulerunt atque etiamnum offerunt, tam de subsidiis, ad Copias necdum distributas sub signis retinendum, quam Copiarum eductionem spectantibus, prout superioribus Annis fieri consuevit, cum D. Extraordinario Galliæ Legato Sese acturos esse: quandoquidem autem Præpotent. D. D. Ordines Generales conditiones oblatas necdum acceperant, Zelandiæ Deputati, Se quoque mali, quod ex eo ad Fœderatas Belgii Provincias redire posset, autores nullo modo fore prædicabant.

Hollandiæ vero Deputati nihil aliud intendi animadvertentes, quam ut Provinciarum Ordines, præter D. D. Ordinum Suorum decretum, ad Copiarum eductionem tacite inducerentur, Negotium illud aggredi recusarunt.

Dominus Meynersvvicius hoc tempore solus, quemadmodum antehac sæpius, cum D. D. Collegis suis pro rebus causisq; hujusce Reip. maximè laboravit adversus prætensum *Vesariense vectigal*, quod Comes Oldenborgensis inde ab Anno 1612. à S. Cæsarea Majestate Principibusque Electoribus petere atque exorare cœpit rationibus, partim *falsis (inopem se, miserum atque in summâ necessitate, aggerum exstructione, versari: in Vesarim jus sibi competere: S. Romani Imperii extremos fines contra dubios finitimos tueri ac defendere, &c.)* partim *odiosis (Avum suum quibusdam è Fœderatis Provinciis, quò Principibus Austriacis obsequeretur, bellum intulisse, Sese vestigia Majorum suorum premere eademque pressurum: vectigal hoc Belgis, ut qui maximè per Vesarim merces avehunt atque advehunt, molestissimum fore: ac Retorsionis, quam vocant, rationem habiturum, eò quod S. Imperii subditi omnis generis vectigalibus, tributis, oneribus queiscumque,* (quum tamen falsum sit, ullo S. Imperii subdito majora quam indigenis onera imperari) *aliisque modis vexentur.)* Comes Anno 1623. quasi concessionem vectigalis impetraverat: at *salvo jure tertii*, sub conditionibus ac limitationibus, quæ concessionem, speciatim verò quæ in Vesarim jus spectant, relegant, cui fundamento petitionem atque exorationem suam superstruxerat: in specie autem atque expresse S. Cæsarea Majestas Sua Anno 1640. Comiti demandârat, *ut*

Summum sibi in Vesarim jus competere ante omnia demonstraret. Id verò Comes cum neglexisset, neque in æternum probare posset, (quum Jurisdictio illa Bremensium Civitati competat, juxta Quingentorum Annorum privilegia ac possessionem) neque viâ juris Negotium Se conficere posse confideret, Osnabrugis, durantibus hisce Comitiis, *fraude* ad id operam dedit, ut eadem hæc Instrumento Pacis insererentur, quò in Pace confirmandâ munera ac gratiæ referantur illi, *qui ne minimum quidem belli sumptum fecerat*, verum loca sua libera pro libitu vectigalibus oneraverat, eoque medio opes divitiasque comparaverat; idque ut *præter omne jus* hancce Rempub. Ejusdemque Socios odio prosequeretur atque opprimeret, annonæ quinetiam caritatem ac novos tumultus concitaret, vectigal hoc exigeret, neque tempore belli omnia vectigalia atque onera imperata Pace cessarent: verum ut præsens hoc è contrario, omnium maximum minimèque ferendum onus, de quo etiamnum controvertitur, Pacis occasione introduceretur.

Dominus Meynersvicius vicesimo & septimo die Maji per literas indicabat, Se, juxta Præpotent. D. D. Ordinum Gener. mandatum decretumque literis Eorum decimo & sexto die hujus Mensis expressum, vicesimo & quinto die hujus Mensis apud D. Trautmansdorpium omnem operam impendisse, ne Comiti Oldenburgensi, respectu prætensi Vesariensis vectigalis, adversus Bremensium Civitatem ulterius quisquam faveret, verum id Negotium in iis terminis relinqueret, in quibus juxta S. Cæsareæ Majestatis decretum quarto die Aprilis 1640. commissionemque de eo datam positum ac constitutum fuerat.

Summè dictus Legatus Præpot. D. D. Ordinum Gener. Intercessionem summâ verborum magnificentiâ cum accepisset, respondit, summo Se studio medium inter utramque Partem excogitasse, quibus addidit, si Præpotent. D. D. Ordinum Gener. tanti interesset, ut merces Incolarum Subditorumque suorum per Vesarim deveherentur, Bremensium Civitati Autores essent, ut bis centena supra quinquaginta Imperialium millia à Se proposita, æquis terminis exsolvenda, offerrent, supradictaque Civitas Præpotent. D. D. Ordinum Gener. arbitrio Judicioque Negotium hoc deferret; quinetiam supramemoratus Comes Oldenburgensis, qui hactenus non infra quinquies centena Imperialium millia petiit, eo induceretur, eoque modo discrimen tolleretur, è cujus dissensionis continuatione *novas molestias ac difficultates* S. Romano Imperio orituras prævidebat, quum supradictum Comitem Oldenburgensem in Germaniâ Fautores ac Patronos suos habere (quibus autem technis rationibusque falsis, supra commemoravi) & plerorumque Principum favore sustentari animadverteret, quibus Suecorum Regina, plurima à Bremensium Civitate petens, Sese facillimè adjungeret.

Bremensium quoq; Civitatem Hassiæ Land-Gravii cæterorumque Principum Electorum ac Principum, omnium quinetiam Civitatum Imperialium & Hanseaticarum, aliorumque favore ali: quod si vero res, eo quo dictum est modo, componi nequeat, Se id effecturum, *quò Negotium in judicio ac mandato S. Cæsareæ Majestatis terminaretur.*

Hollandiæ autem Deputati Gallorum animos bello plane deditos credentes, propter iniquum planè atque absurdum Gallorum agendi modum, qui propter veterem Societatem intosque Tractatus nimiâ, (uti existimabant) familiaritate ute-

utebantur, indies magis magisque Paci Sese dedere, & à Gallis abhorrere cœperunt; id cum Hispani persentiscerent, utrumque clanculum fovebant.

In hunc finem, nomine locoq; Hispaniarum Regis, Hagæ perpetuò manserat, cujus supra quoque mentio facta fuit, *Philippus le Roy*, quanquam Dominus *Servientius*, ut eum hinc abigeret, quemadmodum Dominum *de Brun* averterat, nervos suos sæpius intendit.

Idem Dominus *le Roy* Mense Majo iter instituit, Archiduci expositurus; *quandoquidem Præpotent. D. D. Ordin. Generales, ac præsertim Hollandiæ Ordines (non obstantibus crebris Gallorum adhortationibus) Copias nequaquam educere, ac proinde tacite saltem Copiarum eductionem denegare sive Inducias terrâ concedere decreverant:* ut simile quid, respectu Navigationis ac Commerciorum, ab Hispanis præstaretur, æquum justumque esse: præsertim *in Oris Flandriæ Maritimis, siquidem ab Ostendæ aliorumque Flandriæ Portuum maritimorum Incolis maximum Belgis damnum inferebatur.* Quum autem Hispaniarum Rex in Oris Hispanicis ejusmodi quid præstandum esse diplomate divulgasset; tanto minus omnis hostilitatis actuum cessationem in hisce Oris concedere gravabantur.

Summè dictæ Regiæ Majestatis Legatus D. *Servientius*, simulac ei Negotium hoc subolouisset, sequens Memoriale tradidit.

Regis Christianiss. Legatus, cognito perceptoque Neutralitatem, quam vocant, sive Inducias Mari à communibus hostibus proponi ac serio peti, Præpotent. D. D. Ordines Generales ejusmodi propositionem acceptasse, persuadere Sibi neutiquam potuit, utpote quæ Tractatibus Fœderationum directè contrariatur, qui Tractationes ejusmodi absque communi consensu inire vetant, quæque insuper adversus ea omnia, quæ non modo in Præpotent. D. D. Ordinum Concilio generali, verum etiam in Concilio Nobilium ac Potentium Ordinum omnium reliquarum Provinciarum sæpius decreta fuerunt, impingit: quorum virtute Regiæ Majestatis Ministris ac speciatim supradicto Domino Legato indicarunt, Inducias cum Hostibus communibus non nisi eodem tempore à Galliar. Rege & Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. idque post Ratihabitionem utrinque traditam componi debere: Nihilominus tamen præmemoratus Legatus, ne officio Suo deesse videatur, simul etiam quò Majestati Suæ eorum, quæ in re tam difficili eveniunt, rationem reddere possit, Præpotent. D. D. Ordines Gener. quæcunque super hoc Negotio proposita & transacta sunt, Ipsi exhibere non dedignaturos sperat atque confidit. Interea fretus Fœderationis vinculo etiam atque etiam rogat, ut Præpotent. D. D. Ordines Gener. Tractationem, occœptam fortè, differre dignentur, usque dum incommoda, quæ ex hoc Negotio ad Majestatem Suam redire possent, indicârit, sicque tandem conjunctim de ea re decernatur.

Id quum Præpotent. D. D. Ordines Gener. perlegissent, sequentia responderunt.

Foederati Belgii Præpotent. D. D. Ordines Generales, viso perpensoque Memoriali, à D. Comite Servientio, Christianiss. Regis Extraordinario Legato, Scriptis tradito, de propositione ac petitione, quam à Communibus Hostibus factam atque institutam præsupponit, Neutralitatis, quam vocant, sive Induciarum Mari, Sese hactenus materiæ supradicto Memoriali contentæ ignaros declarant. Datum in Præpot. D. D. Ordinum Gen. Haga-Comitis, decimo & quinto die Iunii, Anno 1647.

Inter-

Interea tamen, quum præmemoratus Dominus le Roy secretam armorum suspensionem promovere non destitisset, Declaratio Archi-Ducis Leopoldi, ipsius Autoritati, à Rege in hunc finem per D. D. Ordinum Consiliarios ipsi datæ concessæque Bruxellis superstructa, à summememorato Archi-Duce subsignata tandem in lucem prodiit; cujus utriusque exemplum tale est.

Leopoldus Guilielmus, Dei gratiâ, Archi-Dux Austriæ, Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenburgi Dux, Militiæ Hierosolymitanæ Moderator Supremus, ex ordine B. M. Teutonico in Borussia, ejusdem in Germania, Italia, locisque trans Mare sitis Curator Supremus, Argentorati, Halberstadii, Patavii, Olmitiique Archi-Episcopus, Ducatuum Herschveldii & Ludæ Monasterialium Præfectus, Tiroliæ & Goritiæ Comes, &c. Belgii Provinciarum Burgundiæque, &c. Gubernator.

Quandoquidem summâ Dei benignitate Pacis Tractatus eo usque promotus sit, ut, quantum ex indiciis omnibus & singulis colligi potest, prope adsit tempus, quo Christianus orbis tam cruento hoc ac diuturno bello liberetur, atque de ejusdem cessatione Majestas Sua tantoperè semper laborârit, ut etiamnum omnia, quæcunque in ipsa sita sunt, conferre non recuset, Idcircò Nos, Regis Nostroque Nomine, magis magisque in hoc Negotio cooperari volentes, & quò tantò magis bona hæc intentio promoveatur, statuimus ac decrevimus, idque propter certas rationes, declarare, nolle Nos instituere, neque ut instituantur atque perpetrentur velle, primò Mari, ulli hostilitatis actus adversus Fœderati Belgii incolas: ac proinde interdiximus ac prohibuimus, quemadmodum per præsentes interdicimus ac prohibemus, omnibus Admirallis, Vice-Admirallis, Ducibus aliisque Præfectis ac Sociis navalibus, cujuscunque tandem sint conditionis, ne ullum hostilitatis actum, ullumve incommodum aut moram præmemoratis Unitarum Belgii Provinciarum subditis inferant atque injiciant. Datum in Castris ad Armenteriam, decimo & quinto die Iunii 1647. Subsignatum erat, Leopoldus Guilielmus, pauloque infra, jussu ac mandato Celsitudinis Suæ, Notatum erat, Vereycken, obsignatum sigillo Regio.

Exemplum literarum Auctoritatis D. Philippo de Roy datæ concessæque.

Leopoldus Guilielmus, Dei gratia, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c.

Qvum Pacis Tractatio inter Regem, Dominum Nostrum, ab una, & Fœderati Belgii Præpotent. D. D. Ordines Generales, ab alterâ Parte, Monasterii eousque promota deprehendatur, quemadmodum ex Tractatu ea de re instituto atque à Plenipotentiariis eorundem subsignato liquet, atque ad salutem Securitatemque non tantum Belgii Provinciarum aliorumque finitimorum, verum etiam totius orbis Christiani faciat, tam bonum sanctumque opus sub finem impletionis neutiquam impediri aut quacunque tandem de causâ produci, aut prætextu, maximè autem hostilitatis, quæ interea utrinque exerceri posset; Nos itaque, omnia con-

conferre volentes quæ à Majestate Sua Nobisve exspectari aut desiderari possent, freti personâ, fidelitate, providâ animi circumspectione & in rebus gerendis experientiâ D. Philippi de Roy, Domini in Ravels, Consiliarii & Graphiarii bonorum atque Ærarii Majestatis Suæ, tributorum à Gallis exsolvendorum Curatoris Supremi, &c. Ipsum deputavimus ac per præsentes deputamus, omnimodam ac plenariam potestatem dando ac concedendo cum supradictis D. D. Ordinibus Generalibus inter Majestatem Suam Tractatum Induciarum terrâ Marique contrahendi, concludendi ac confirmandi ad id tempus, eâque formâ, quæ ipsi commodissima videbitur, Nosque, si præsentes adessemus, contrahere, concludere ac confirmare Ipsi possemus; omnia denique transigendi, quæ Conclusioni ac Confirmationi Induciarum ullo modo inservire poterunt, licet hisce tam dilucidè expressa non essent. Bona fide atque verbo Principe digno spondentes ac promittentes, quæcumque à supradicto Domino de Roy in hoc Negotio acta, transacta & confirmata fuerint, ea Nos grata, rata firmaque habituros, atque inviolabiliter observaturos, neque ullâ ratione, sive directâ, sive indirectâ, contraventuros, quinetiam si opus sit, eadem hæc ut à Rege confirmentur ac ratihabeantur, curaturos esse. Dabantur Bruxellis, jussu ac Nomine Nostroque sigillo secreto, quarto die Maji 1647. Notatum erat, Ro. Vt. subsignatum Leopoldus Guilielmus, obsignatum sigillo Celsitudinis Suæ: paulo infra scriptum erat, jussu ac mandato Celsitud. Suæ; *Notatum, Vereycken.*

Quò autem hæc armorum Mari suspensio Provinciarum Deputatis indicaretur, ad D. Præsidentem istius hebdomadis Dominus de Roy se contulit; quem, ut eam comportaret atque in Concilio exhiberet, unicè rogavit: sed de eo Negotio multi sermones ultro citroque habebantur, è quibus facile perspici poterat, eum privatæ hujusce Tractationis ignarum fuisse. Tandem verò exorari Sese passus fuit, eamque in Concilium Præpot. D.D. Ordinum Gen. pertulit, cujus membra nonnulla aut reipsâ Negotium hoc latebat, aut quæ in Negotio hoc latere volebant. Quocirca de suspensione illâ, vicesimo & nono die Junii, nihil aliud Decretum fuit, quam quod ejus exemplar Provinciarum Deputati petierint, fusius de eâ re acturi sententiamque dicturi.

Resque eo in loco relicta fuit: namque hæc Declaratio plurimis gravissima accidebat, quanquam, ne cum Gallis hactenus cultæ Societati stupor injiceretur, aliter placere non poterat, multò minus, sive Scripto, sive Decreto, lætitiæ ullam demonstrationem instituere licebat.

Quapropter istius rei neque Scripta, neque Decreta ulla exstare comperiuntur.

Nihilominus tamen credendum venit, quidquam super eodem Negotio alicubi Actis publicis diurnis insertum fuisse, quo tantum Negotium utrinque compositum ac confectum fuit. Haud longè enim post omnes hostilitatis actus utrinque mari cessabant, hujusce Reipub. naves bellicæ in patriam revertebantur; quæ in portubus erant, in mare non amplius evehebantur, naves tam in Hispaniâ quam in Flandriâ direptæ (quarum haud exiguus erat numerus) liberæ dimittebantur; captivi utrinque libertati restituebantur; Portus Flandriæ maritimi navibus Præsidiariis non amplius asservabantur; naves halecariæ, seu quibus haleces capiuntur, reliquaque Navigia piscatoria liberè secureque in Mare immittebantur. Quod autem in hoc Negotio præcipuum & maximum fuerat, Zelandi, quanquam nonnulli eorum, quæ supradicta sunt, fraudis ac perfidiæ loco habe-

 bant,

bant, primi Commerciorum Suorum commodum hac armorum suspensione maximoperè promovebant, quæ intra Regis Hispaniarum Portus Flandricos alii in ipsam Hispaniam asportabant. Quamvis autem beneficium hoc Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus obtrusum quasi videbatur, singuli tamen in Suum commodum & lucrum eo uti non dubitabant, ac proinde Præpot. D. D. Ordines Gener. idem faciendo tanto beneficio respondere tenebantur.

Sub finem hujus Mensis Fœdus Securitatis ulterius promoveri cœptum fuit: quo etiam Cataloniam, non vero plura ejusmodi loca, comprehendere Sese velle Provinciarum Ordines indicabant: & quo finis hisce rebus poneretur, varii Domini delegati sunt, qui totam hanc materiam in formam Tractatus redigerent, Domino Servientio exhiberent, &, si forte acceptaret, deinde difficultates examini subjicerent; quod ut commodius perficiatur, Hispanorum Legatum Monasteriensem admittere necessarium erit.

Vicesimo & octavo die Junii literæ à Duce la Tremoville perferebantur, quibus Majestatem Suam permisisse sibi ajebat, ut Concilio Monasterii exhiberet atque ob oculos poneret notissimam justissimamque jurisdictionem, quam sibi per Fredericum Arragoniæ Regem, Tritavum Suum, in Regnum Neapolitanum competere asserebat: quapropter, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis commendaretur, petiit; neque ei denegatum fuit.

Talmuntii Princeps hac ratione fretus, titulo Principis Tarantæ Semetipsum insigniebat, impressâque Declaratione juris Sui rationes ubivis indicabat.

Quo pacto Provinciarum Deputati in Negotio Garantiæ seu Securitatis, Gallis præstandæ, convenerint, ex sequentibus liquet. Quod scilicet quarto die Julii post prandium, præsente Celsissimo Arausionensium Principe, iteratâ deliberatione perceptâque ejusdem prudentissimâ sententiâ de Negotiis Scriptisque proditis collationibus institutis super Fœdere Securitatis, ab hoc Statu Gallis, ac vicissim ab eodem Regno huic Statui præstando, secundum Acta publica de eâ re instituta (in Tractatu, de quo postea, expressa) & secundo hujus Mensis die in Concilio D. D. Ordinum tradita ac perlecta à Domino de Gent, aliisque Eorundem Deputatis, vi Decreti atque Auctoritatis vicesimo & octavo die Junii, proximè elapsi, datæ concessæque, visum decretumque fuit declarare, ut supradicta Acta *sub finem reliquorum insererentur,* ac proinde, tanquam Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Decretum de Fœdere Securitatis, confirmata Comiti Servientio Regis Galliar. Extraordinario Legato à supradictis Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatis, qui cum ipso antehac egerant, exhiberentur, qui summedicti D. Legati adhæc responsionem perciperent; si autem eveniret, ut Sese Præpotent. D. D. Ordinum Gener sententiæ supradictæ accommodaret, mutuo consensu in Tractatum commutaretur: quod si verò præmemoratus D. cum eâ se componere inque ea acquiescere nollet, aut si, eo se accommodante & sequuturum ad hæc Tractatum accipiente, Pacis Tractatus Galli differrent, ut *tali casu* Pacis Tractatio Nomine locoque Præpot. D. D. Ordinum Gener. cum Hispanis *seorsim atque absolute* concluderetur ac confirmaretur, eâ tamen lege ac conditione, ut Hispani Gallis præstare tenerentur, *quæcunque Galli, Hispanos antehac concessisse, probarent, porrò etiam, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii, Monasterii commorantes,*

tes, huic omnes Suam operam darent, quò summedicto Regi Galliar. in Punctis, de quibus lis ac contentio inter Ipsum & Hispaniar. Regem existit, aequis conditionibus satisfiat.

Porrò etiam Præpotentes D. D. Ordines Gen. constituerunt ac decreverunt, ut *Societati Indiæ Occidentalis* sufficiens subsidium à Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. expenderetur, deque eo quamprimum sine ullâ temporis jacturâ per eosdem Præpotent. D. D. Ordinum ad Societatis Indiæ Occidentalis Negotium Deputatos Tractatio optima institueretur atque ad peroptatum finem perduceretur. Tandem Præpotentes D. D. Ordines Gener. Celsissimo Arausionensium Principi, quod supradictis magni momenti Consiliis, Deliberationibus ac Conclusionibus interesse dignatus fuerat, gratias maximas egerunt. Ordinarii atque Extraordinarii Zelandiæ Deputati proponentes propiorem Suam sententiam super Tractatu Securitatis, cum Gallis incundo, nec non super Punctis illis, quæ Nobiles ac Potentes Hollandiæ & West-Frisiæ Ordines proposuerant, nihil sibi præterea, quæ antehac proposuerant, à D. D. Deputantibus Suis jussum mandatumque esse ajebant; sed verò visa reliquarum Provinciarum Ordinum inclinatione debitoque modo perpensa prudentissimâ Celsissimi Arausionensium Principis sententiâ, simul etiam quò tam diuturnæ, de Securitatis Fœdere, deliberationis finis unanimi consensu obtineatur, D. D. Deputantium Suorum *consensu salvo, neque aliter* visum Sibi esse declarare, Sese Specimen Securitatis Fœderis, à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatis confirmatum & secundo hujus Mensis die in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. traditum, accipere, constituere ac decernere, ut D. Comiti Servientio exhibeatur, de eo cum Celsitudine Suâ agatur atque eidem denique insistatur, eâ lege tamen, ut suprememoratum Specimen Securitatis eousque extenderetur, ut, si forte Galliæ Regnum invaderetur atque opprimeretur in iis locis, quorum mentio hoc Securitatis Tractatu facta non esset, Præpotent. D D. Ordines Gener. plenissimè ostenderent, Sese amicitiam, Fœdera atque illius Regni commoda in pretio habere: quod si autem Comes Servientius in præsenti hoc *Securitatis Fœdere* neutiquam acquiesceret, sive acquiescens Tractationis cum Hispanis confirmationi moram injiceret, ut tali casu declararetur, Præpotent. D. D. Ordines Gener. *seorsim atque absolutè* Tractationem cum Hispanis concludere statuisse ac decrevisse, eâ tamen conditione, ut Hispani Gallis præstare tenerentur, quæcunque iisdem, durante Tractatione hac, obtulerant ac præstituros Se promiserant, absque ullâ cujuscumque tandem rei exceptione, utque pro Gallis laboraretur, quo in Punctis utrinque dubiis Ipsis satisfiat; quod si verò Hispani ea, quæ concessa atq; oblata fuerunt, denegarent, ne tali casu Pacis Tractatus institueretur, sed verò bellum, usquedum concessis ac promissis starent, continuaretur. Zelandiæ verò Deputati, quum se mandatis D. D. suorum Deputantium destitutos cernerent, in idem quoque sese consentire declarârunt, hac expressa conditione, ut *Societati Indiæ Occidentalis reipsa ac sufficienter* à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. juxta ordinem traditum succurreretur, idque antequam Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii Monasterium delegarentur, secus si fiat, decretum hoc non fore decretum. Domini D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis ad decretum supra expressum, in quantum *Securitatis Fœdus* concernit, declarârunt atque Actis Publicis diurnis inseri curârunt,

runt,

runt, sese in supradictam conclusionem, prout sonat, neutiquam consentire, verum judicârunt ac responderunt, super Securitatis Specimine, secundo die hujus Mensis tradito, cum D. Comite Servientio ad minimum actum, inque eo, ut & in subsidio aliisque Punctis, de quibus necdum conventum fuit, satisfactum esse oportuisse: Galliæ quoque commoda firma atque immota esse, Hispanosque rationum armorumvè pondere eò adduci debuisse, idque ante Pacis Tractationem inter Præpotent. D. D. Ordines Gener. & Hispanos confirmatam, ac proinde non sese in *separatam* cum Hispanis *Tractationem* ullo modo consentire, quam supradicti D. D. Deputati, propter rationes sæpius memoratas, Unitis Belgii Provinciis noxiam ac perniciosam fore judicabant.

Frisiæ Deputati, cognitâ perceptâque sententiâ Zelandiæ Deputatorum, quâ declarabant expositionem sententiæ suæ Provincialis, salvo D. D. Deputant. suorum consensu, non habendam esse pro sententiâ, nisi reliquarum Provinciarum Ordines cum de Specimine *Securitatis*, tum de conditione à D. D. Deputatis Hollandiæ proposita, D. D. Deputantium suorum consensu salvo decernant: unanimi porrò consensu exemplisque reliquarum Provinciarum Ordinum, quæ itidem in mandatis hoc negotium non acceperant, visis, maximis quoque incommodis, quæ tali Rerum Statu hisce Provinciis imminere videntur, quæque, si plus temporis consumatur, necessariò inde orientur, animo revolutis; constituerunt ac decreverunt, ut Specimen Securitatis, sex Articulis comprehensum, prout sonat, absque ulla additione confirmaretur, utque, eodem hoc modo approbato, omnes ulteriores extendendi aut immutandi deliberationes cessarent. Porrò autem ut supradicto Specimine summè dicto Comiti Servientio omni cum humanitate ac rationum demonstratione exhibito, eodemq; hac in re non acquiescente, vel acquiescente quidem, verum *in contrahendo ac concludendo cum Hispanis tergiversante*, Præpot. D. D. Ordines Gen. cum Hispaniar. Rege seorsim atque absolutè concluderent, eâ lege ac conditione, ut Præpotent. D. D. Ordines Gen. effecturi sint, ut Galli ab Hispaniarum Rege obtineant conditiones, quascunque Regi Galliarum Monasterii jam concessit, deque reliquis difficultatibus inter summè memoratum Regem tollendis Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii *omnem operam impendant, quæ confirmationi neutiquam obfutura est*, quò Galliarum Regi satisfiat, omnia verò sub Ratihabitione Nobilium ac Potentium Frisiæ Ordinum fiant, adeò ut, Ipsis eadem hæc improbantibus, Decretum hoc respectu summè dictarum Provinciarum vim ac vigorem nullum habiturum sit: sic tamen ut neque D. D. Deputati omni Auctoritate ac Potestate prorsus destituti fuisse censeantur; quæ autem hisce insuper adjunguntur Societatem Indiæ Occidentalis concernentia, eorum respectu superioris suis protestationibus insistebant. Domini D. Deputati Trans-Ysulaniæ, Groningensium Civitatis Omlandiæque, adhæc declarârunt ac Regestis inseri mandârunt, sese in conclusionem, super Negotio Securitatis institutam, non nisi D. D. Deputantium suorum consensu salvo, consentire.

Vi ac virtute hujus Decreti rursum cum D. Legato Servientio seria collatio instituta fuit: qui, quum animadverteret, finem hujus Negotii intensum, omnesque moras succisas iri, tandem faciles aures præbere cœpit; eos verò, qui Negotium hoc

hoc Securitatis ipsi offerebant & absolutam responsionem petebant, nonnihil reprehendebat, ac primo quidem *rem esse tanti momenti, ut deliberatione digna non immerito censeretur, ac proinde spatium cogitandi ad sequentem usque diem, qui foret decimus sextus Iulii, postulabat.* Deinde, sed humanius paulo, respondebat, *frustrà novos Tractatus iniri, quum veteres non observentur: Hispanos varia loca oppugnare atque expugnare* (Landreccium Archidux hac æstate occuparat) *Præpotent. vero D. D. Ordines Gener. ne movisse se quidem, milites urbibus suis continuisse, perinde ac si bellum nullum gereretur nullusque Tractatus existeret, &c.* id cum in transitu quasi dixisset, ad *Securitatis* Tractatum rediit, sese insuper iis conditionibus Pacem inire ac confirmare neque Negotium diutius differre velle satis aperte indicavit.

Interim tamen Ordinum dissensionum ac non paratarum sententiarum super hac re assiduo certior reddebatur, ac proinde ne tantopere quidem accelerabat, ut Præpotent. D. D. Ordines Gener. Copias educerent effecturum sese etiamnum sperans. Quum verò spes hæc frustraretur (quanquam post ipsius discessum, Hispanis in Negotio *Ecclesiastico* & *Religionis* in Majoratu aliisque ejusdem conditionis Regionibus tergiversantibus, Hollandiæ Deputati Copias educturos sese simularent) his se accommodavit: quinimò jam aliquamdiu antè faciles aures præbuisset, si idem constituissent, quod quarto die Julii, cujus mentio supra facta fuit, decernebant.

Christianiss. Regis Galliarum Legatus Tuillerius, fortè sub id tempus è Gallia redux, ineundi ac confirmandi *Securitatis* Tractatus honore ac gloriâ gaudebat: Tractationem verò ad diem vicesimum & nonum Julii protrahebat.

Interea temporis Dominus Servientius, non minus quam Regiæ Suæ Majestatis Sueciæ Residens, Spieringius, eo offendebatur quod Præpotent. D. D. Ordines Gener. præcipuè urgebant, nimirum, *ut Rex fidem daret se Fœderatis suis adversus Vnitas Belgii Provincias auxilium nullum laturum esse.*

Utraque enim cum Suecia tum Portugallia Fœderationis vinculo Galliæ conjuncta erat: quemadmodum maximæ dissensiones inter Præpotent. D. D. Ordines Gener. & Portugallos, maximè autem in Brasiliâ ortæ erant, & gravius bellum oriri poterat: eundem quoque ad modum cum Suecorum Rege Præpotent. D. D. Ordines Gener. dissentire possent.

Omnes æquè pernoscere cupiebant, quinam Fœderatorum Nomine intelligerentur. Verum quandoquidem nullo modo obligabantur neque in eâ re speciatim quemquam nominare ullatenus placebat, ac silentio (prout tali casu ac petitione fieri plerumq; debet) præteribant, Dominus Servientius tandem libere ac pleno ore declaravit Majestatem suam neminem Se excepturam statuisse, neque ullo modo sese vel Sueciæ vel Portugalliæ subventuram esse, licet adversus Regna illa Præpotent. D. D. Ordines Gener. arma sumerent: porrò etiam Majestatem Suam præsentem Tractatum constanter fideliterque observaturam esse.

Vicesimo & octavo die Julii reiteratâ deliberatione de relatione pridie à Domino D. à Gent cæterisque Præpot. D. D. Ordinum Gen. Deputatis instituta, nec non super Punctis inde promanantibus; visum decretumque fuit, ut Specimen Tractatus Securitatis neutiquam immutaretur, verum à prioribus Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatis supradictum Specimen Tractatus Securitatis

unà cum D. D. Extraordinariis Legatis Galliæ concluderetur ac subsignaretur; eâ tamen lege ac conditione, ut suprà memorati Domini *ante dictam conclusionem ac subsignationem* declararent, hanc esse Præpotent. D. D. Ordinum Gener. mentem ac sententiam, nimirum, ut, quod si nova bella oriantur, Navigationi ac Commerciis harum Provinciarum, Earumque Subditis Mari Mediterraneo, per præsentem Securitatis Tractatum, nequidquam derogaretur, aut mora ulla injiceretur; utque suprámemorati D. D. Legati rogarentur, ut declarationis hujus Memoriale conficerent atque servarent, operamque ad id darent, quò ejusmodi Acta declarationis in supradictâ Navigationis Commerciorumque Mari Mediterraneo libertate divulgarentur; porrò ut Domino Oostervicio Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Ordinario in Galliâ Legato præciperetur, atque in mandatis daretur ut Præpotent. D. D. Ordinum Gen. de suprà memoratâ Navigationis ac Commerciorum libertate sententiam, eo quo par est loco ac modo, indicaret.

Exemplum Fœderis Securitatis tale est.

REx Christianiss. consilio Reginæ Matris Suæ, & Unitarum Belgii Provinciarum Præpot. D. D. Ordines Generales, cum ad propriam suam Securitatem, tum ad salutem atque incolumitatem Pacemque totius Christiani Orbis promovendam necessarium judicantes, ut Tractatus Gallis cum Hispanis, aut Fœderati Belgii Præpot. D. D. Ordinibus General. cum Hispanis ineundi stabilirentur ac confirmarentur: quum autem Majestas Sua & Præpotent. D. D. Ordines Gener. fideliter observare, quæcunque vi istorum Tractatuum promissa fuerint, intendant, maximèque Ipsorum intersit, eadem hæc ab Hispanis fieri; Idcirco summoperè necessarium esse duxerunt, & quò magis confirmetur ac stabiliatur concordia, consensus mutuus, Fœderatio atque Amicitia quæ jam à tot Annis Gallis cum Fœderatarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. intercessit, in sequentes cautelas ac conditiones consentire, de quibus actum conventumque fuit à D. Abele Servientio, Comite *de la Roche* & *Aubiers*, Majestati Suæ à Secretis, Extraordinario Majestatis Suæ in Germaniâ & Fœderati Belgii Provinciis Legato, Plenipotentiario Tractatus Pacis Universalis, nec non à Domino Casparo Coigneto Tuillerio, Equite, supradicti loci Toparchâ, Coursoniæ, Capellæ, Villepoti, &c. Barone, Majestati Suæ à Secretis, Ejusdemque Extraordinario Legato in supramemoratis Unitis Belgii Provinciis, nomine locoque Regis ab unâ, ac D. D. Johanne à Gent, in Concilio summè dictorum Præpotent. D. D. Ordin. Generalium, Nobilium ac Potentium Gelriæ D. D. Ordinum Deputato, Johanne Mathenesio, Domino in Mathenesse, Rivier, Opmeer, Souteveen, &c. Gulielmo Boreelio, Equite, Domino in Duinbeecken, Civitatis Amstelodamensium Consiliario ac Syndico, &c. Jacobo Veth, Civitatis Medioburgensium in Zelandiâ Consiliario ac Syndico, Gisberto ab Hoolkio, Civitatis Ultrajectensium Ex-Consule, Cornelio Hauboisio, Civitatis Suecanorum Consule, Johanne Beeckio, Domino in Doornick & Trytenburg, Daventriensium Civitatis Consule, Hieronimo Eybenio, Domino in Nyenhoven, Groningensium Civitatis Consule, Deputatis, nomine locoq; Præpot. D. D. Ordinum

dinum

dinum Generalium ab alterâ parte, vi literarum Auctoritatis, quarum Exemplaria sequentibus inserentur.

1. Primò conventum fuit, Regem Christianiss. obstrictum obligatumque fore Pacem dissolvere eamq; cum bello commutare adversus Regem Hispaniar. Cæsarem, aut alios quoscunque Domus Austriacæ Principes, si primi, aut conjunctim, aut seorsim, aliquas duntaxat Regiones aut loca, quæ Præpot. D. D. Ordinum Gener. Imperio subsunt, sive quæ tempore Tractatus Pacis Eorum præsidiario milite tenebuntur, vel quæ vi ac vigore ejusdem acquirent, armatâ manu invadant atque obruant, quemadmodum etiam, si Rex Hispaniarum dehinc Tractatus conditiones omnes, aut earum ullas violârit ac transgressus fuerit, eâ lege tamen, si ex supradictâ aggressione, aut aggressionibus, vel violationibus *totalis dissolutio*, inter summè dictum Regem Hispaniarum ac summè memoratos Fœderati Belgii D. D. Ordines Gener. sequatur.

2. Summè dicti quoque D. D. Ordines Gener. promissis sese obstringent atque obligabunt, Pacem sese dissoluturos & cum bello commutaturos adversus Regem Hispaniarum, S. Cæsaream Majestatem, aut alios quoscumque Domus Austriacæ Principes, si primi, aut conjunctim, aut seorsim, ullas Regiones aut loca, in quæ Christianiss. Rex Imperium obtinet, aut quæ Pacis Tractatu Majestati Suæ relinquentur, vel universo Galliæ Regno, quibus etiam Pignarolla comprehendetur, ut & Rousilion & Lotharingia, inque omnibus Belgii occupatis locis, armatâ manu invadant: eâ conditione tamen, si ex supradicto hostilitatis actibus *totalis dissolutio* inter utrumque Regnum sequatur.

3. Summè memorati D. D. Ordines Gener. fidem quoque dabunt, universalem dissolutionem sese instituturos, quemadmodum suprà dictum fuit, si tempore Induciarum, ad Annos triginta compositarum, quæ respectu Cataloniæ contrahentur, Rex Hispaniarum, S. Cæsarea Majestas, aut alii quicumque Domus Austriacæ Principes primi ulla duntaxat loca Regionis, cujus possessionem Rex Christianiss. supradicto Tractatu retinebit, invadant: quod si ejusmodi invasio totalem dissolutionem secum trahat.

4. Majestas Sua Regia & summè dicti Præpot. D. D. Ordines Generales, quò omnis defectus ac querelarum causæ, quæ de observatione præsentis Tractatus institui possent, præcaveantur, constituerunt ac decreverunt, ut ille, quem eorum primum modis locisque supra expressis Hostes aggredientur atque invadent, ubi alterum ea de re certiorem fecerit, illi, quem non invaserint, antequam cum violatore palam dissolvere teneatur, operam dare integrum erit, quo invasio aut invasiones perpetratæ reparentur, ac conciliatio inter aggredientem & oppressum, sex Mensium spatio, instituatur ac promoveatur. At verò si supradicta invasionis aut invasionis damna è vestigio non resarciantur, ac supramemorata reconciliatio supradicto temporis intervallo instituta non perficiatur, is, qui ad arma needum venit, eadem sumere, atque in Fœderati ac Socii sui gratiam adversus hostes dissolvere, simulac suprà memorata sex Mensium dilatio elapsa fuerit, & absque ulla mora omnes hostilitatis actus adversus eos exercere, ut suprà dictum est, tenebitur.

5. Et quò major consensus arctaq; Amicitia, quam in posterum inter Regnum

Galliarum & Fœderati Belgii Provincias intercedere semper oportet, summè dicta Majestas Sua fidem dat, nullis Se Fœderatorum suorum adversus Unitas Belgii Provincias opem laturam esse: summè dicti quoque Præpot. D. D. Ordines Gener. nulli Socio subventuros sese vicissim spondent ac pollicentur.

6. Tractatus, antehac inter Regem Galliarum & Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines Gener. conflati confirmatique, vim ac vigorem suum retinebunt, quo fideliter utrimque observentur, exceptis iis Punctis, quæ aut jam exspirasse, aut impleta esse deprehendentur, iis quoque, quibus per præsentem Tractatum quidquam derogatum, imminutum aut immutatum fuerit.

7. Conventum insuper conclusumque fuit, præsentem Tractatum non prius effectum suum consecuturum esse, quàm Tractatus Pacis inter Galliar. & Hispaniar. Reges Monasterii conclusus ac subsignatus fuerit.

His insertæ erant literæ Auctoritatis, concessæ à Rege Galliarum, datæ Parisiis secundo die Januarii, Anno 1644. à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. vigesimo & nono die Julii, Anno 1647.

Paulo infra: In quorum Testimonium Nos supradicti D.D. Legati ac Deputati, vi literarum Auctoritatis Nobis datæ concessæque, præsentem Tractatum solitis Nostris Sigillis signari, annulisq; Nostris Signatoriis muniri curavimus. Fidem insuper dedimus, Nos, intra duorum Mensium spatium post confirmationem supradictæ Pacis Tractationis inter utrumque Galliæ & Hispaniæ Regnum, aut, si fieri poterit, maturius, summè memoratæ Majestatis Regiæ ac Præpot. D.D. Ordinum Generalium Ratihabitionem solennibus formulis conscriptam tradituros esse. Dabantur Hagæ-Batavorum, vicesimo & nono die Julii, Anno millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & septimo. Subsignatum atque obsignatum erat modo sequenti, Servientius, Tuillerius, J. à Gent, Johannes Mathenesius, C. Boreelius, Jacobus Veth, G. Hoolckius, C. Hauboysius, Johannes Beeckius, H. Eybenius.

Tractatu hoc modo confecto ac subsignato vicesimo & nono die Julii, Dominus Servientius omnes, qui subsignarant, ad prandium vocavit; at D. D. Deputati Hollandiæ (Mathenesius & Boreelius) venire recusarunt. Ratio hujus denegationis erat, quod Nobiles ac Potentes D. D. Ordines propterea succenserent, quod Dominus Servientius literas, Hollandiæ Ordines offendendi ergò, ad Provincias exararat. Quapropter etiam, cum à Præside proponeretur ut ordinario munere donaretur, soli Hollandiæ Ordines impedimento huic Negotio fuerunt.

Nulla autem postmodum à Præpot. D.D. Ordinibus mentio facta fuit earum difficultatum quæ inter Gallos & Hispanos necdum decisæ restabant: Dominus Servientius cum Domino Tuillerio (eo licet diutius hic commorante) trigesimo die Julii Præpotentibus D.D. Ordinibus in Concilio valedixit, intercessionem inter Portugallos etiam atque etiam commendavit, utque Portugallia Tractatu Monasteriensi comprehenderetur, aut saltem paucorum Annorum Inducias impetraret, petiit.

Dominus Servientius, his transactis, è vestigio Monasterium profectus fuit: Hol-

Hollandiæ quoque Ordines institerunt, ut Præpotent. D. D. Ordinum General. Plenipotentiarii quamprimum eò relegarentur: At verò reliquæ Provinciæ, atque ex iis maximè Zelandia petiit ac voluit, ut de auxilio, Societati Indiæ Occidentalis in agro Brasiliensi ferendo, certi quid constitueretur ac decerneretur. Subsequentibus autem diebus de Negotio Monasteriensi ac mandato Plenipotentiariis dando actum fuit; quæstio insuper incidit, utrum contrahendi confirmandique Mandatum foret *irrevocabile*: quinetiam, quum decretum esset ut Galliæ *æquis conditionibus* satisfieret, dubium motum fuit, *quorum foret hoc dijudicare*, *num Provinciarum judicio idem rursum committi oporteret.*

Sola fermè Hollandia opus promovebat, Zelandia verò & Provincia Ultrajectensis Negotio moram injiciebant, reliquæ intermediæ erant: adeo ut dicere liceat, durante atque in ipsa Monasteriensi Tractat. in *Regem Hispaniarum Summam Amicitiam atque Officia ab infestissimis ejus Hostibus collata fuisse*: omnium Regis Hispaniarum *Hostium* nemo tam diuturnum ac cruentum bellum, quam Præpotent. D. D. Ordines Generales, gesserant: Nulli quoque harum Provinciarum Ordinum majore, quam Zelandiæ Ordines, adversus Hispanos odio flagrabant. Quemadmodum tamen omnes Provinciarum Ordines, *ne in Societatem ac Fœderationem Potentiss. Galliæ Regni prolaberentur*, generaliter cum Hispaniarum Rege in Pacem consentiebant, *Hispanorum è Belgio ejectioni novissimæ nequaquam insistentes*, (cui Galli maximopere inhærebant, quodque Tractatibus, secundum literam sumptis, concessum erat) eoque pacto Hispanis commodissimam rei bene gerendæ occasionem præbentes. Eodem quoque modo sub idem tempus Zelandiæ Ordines maximum officium præstabant (casu licet ac præter opinionem, non verò quo in Hispanos ferebantur amore) illis, quorum corda paulo ante dentibus divellere ac discerpere voluissent, Hispanis sc. compositioni cum Portugallis aures præbere recusando, ac præcisè volendo ut sex millia militum in Brasiliam mitterentur, quo Societatis Indiæ Occidentalis inque eâ viduarum, orborum, quinimò & Ministrorum Verbi Divini damna atque incommoda repararent & resarcirent.

Hoc Zelandorum adversus Portugallos ardore Hollandiæ Ordines in suum commodum utebantur, neque in supradictum auxilium consentire volebant, nisi Zelandia *pari passu* discessum, atque mandatum concludendi D. D. Plenipotentiariis daret atque concederet. Hisce satis magna fenestra aperiebatur ad Pacem cum Hispanis seorsim ineundam, ad nupertimè confirmati Securitatis Tractatus relegationem (de quo vide Articul. ult.) ac sufficientem veteris cujuscunque Amicitiæ, Societatis, & cum Gallis Fœderationis separationem atque dissolutionem.

Quo modo autem post varias altercationes res tandem composita ac decreta sit, ex sequentibus liquebit.

Septimo die Augusti, ab Extraordinariis & Ordinariis Zelandiæ Deputatis in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. dubiis quibusdam propositis ad ea, quæ decimo & octavo die Maji, proximè elapsi, de Punctis nonnullis propriis decreta fuerant, prævia deliberatione ut supramemorato Decreto insisteretur, visum fuit, eâ lege tamen ac conditione, ut primo Puncto, stipulandum *Ius summum atque absolutum*, cum in *Ecclesiasticis* tum in *Politicis*, concernente, *alia-*

quæ loca ejusdem conditionis, ejusmodi loca intelligerentur, cujusmodi tertio Articulo septuaginta & trium Articulorum Monasterii confirmatorum expressa sunt, utque de *extensione terminorum ac limitum* in Flandriâ Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii laborarent quo supradicta extensio obtineatur; quod autem ad reliqua dubia, quæ ab Extraordinariis atque Ordinariis Zelandiæ Deputatis movebantur, eorum omnium rationem habitam iri, ubi Pax inter Hispanos ac Præpot. D. D. Ordines Gen. extra mutationis aleam posita foret, ea conditione, ut sufficiens auxilium Societati Indiæ Occidentalis ferendum clarius definiretur ac certò constitueretur.

Decimo die Augusti, Punctis propriis aliisque Pacis Tractationem Monasteriensem concernentibus, quæ Decretis decimo & octavo Maji, & quarto die Julii, proximè elapsi, constituta sunt, transactis & confirmatis; præviâ deliberatione visum fuit, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii atque Extraordinarii Legati quamprimum Monasterium iter instituerent, *plenissimâ atque absolutissimâ Auctoritate muniti* Tractatus Pacis juxta supradictum Decretum concluderent, insuper etiam, ne supramemorata Decreta ullo modo absque *unanimi omnium Provinciarum consensu* immutarentur; ac proindè Societati Indiæ Occident. concederetur atq; constitueretur, *nummorum, militum ordinisque* auxilium; nummorum, non tantum *ter centenorum Florenorum millium* primâ, verum etiam *ter centenorum millium* summa alterâ vice, juxta antecedentia Decreta, insuper etiam æqualis summa è reliquis *centenorum Florenorum millibus* antè dictorum *quinquies supra decies centenorum Florenorum millium*, quod si suprememoratæ Societates necessitas idem postulare videretur. Adhæc quoq. decernebatur, ut, præviâ Celsiss. Arausionensium Principis communicatione, sex militum millia è Fœderati Belgii urbium stationibus, ejusdem stipendio, Anni spatio deligerentur, utque prævia supradicta communicatione à D. D. Huygenio aliisque Præpotent D. D Ordinum Gener. Commissariis primis suprameinorati milites cogerentur, quò citissimè in Brasiliam trajicerent, porrò ut Negotia subsistentiæ, modi dictionis ac compositionis supradictæ Societatis à supra memoratis Præpotent. D. D. Ordinum Commissariis promoveri possent, qui id unicè rogantur, ut in eo Negotio perseverent, usquedum ad peroptatum finem perductum fuerit.

Die autem decimo & tertio Augusti, præsente Celsissimo Arausionensium Principe, Decreto decimi diei hujus Mensis, Pacis Tractationem Monasterii institutam, necnon Societatem Indiæ Occidentalis concernente, rursum proposito, cognito quinetiam de his rebus perceptoque prudentissimo Ejusdem Consilio ac Sententiâ, Præpotent. D. D. Ordines Gener. supradictum Decretum confirmârunt, quemadmodum per præsentes confirmabant; præmemorati Decreti progressu non obstante, visum tamen fuit Nobiles ac Potentes Frisiæ Ordines per literas rogare ut huic Conclusioni, in quantum supradictæ Societatis Indiæ Occidentalis Negotium ipsos concernebat, annuerent: adhæc Dominus Hauboysius, ut proprio Suo studio coram D. D. Deputantibus Suis Præpotent. D. D. Ordinum Gen. sincerum in Negotio Societatis Indiæ Occidentalis animum indicare dignaretur, ab iisdem unicè rogabatur; in quem etiam finem literis Auctoritatis à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. Celsissimoque Arausionensium Principe muniebatur.

At

At verò D. D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis declarârunt, Sese ejusmodi Conclusionem in Mandatis nequaquam habere, ac proinde in eam consentire neutiquam posse, neque Pacis Tractatum cum Hispanis, nisi juxta Tractatus cum Galliar. Rege compositos, iniri ullo modo oportere, ac perinde Hispanos Gallis relinquere debere, *ea loca, quorum possessione iidem, tempore Confirmationis Tractatuum Pacis inter Gallos & Hispanos, gauderent*, &, quæcunque à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis subsignarentur, *veri Tractatus effectum non habitura*, antequam Præpotent. D. D. Ordines Gen. & Galliar. Rex cum Hispanis eodem tempore transegissent, eorumque Tractatuum Ratihabitiones traditæ forent, insuper etiam Securitatis Tractatus, inter Christianiss. Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. initus, ante Tractatus Confirmationem Hispanorum Plenipotentiariis exhiberetur.

Sæpius antehac commemoravi, Regis Galliar. Legatum D. Servientium in Suo, tam scripto quam typis divulgato, Memoriali, quosdam è D. D. Plenipotentiariis offendisse. Hollandiæ autem Ordines id sine ratione atque ullâ specie factum comperientes, D. D. Mathenesio & Heemstedio sequentia Acta, ut vocant, tradiderunt.

„ Nobiles ac Potentes Hollandiæ & West-Frisiæ Ordines, cognitis perspectisque indies summis ac fidelissimis officiis, quæ D. D. Mathenesius & Heemstedius, Præpotent D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii, in Pacis Tractatione Monasterii præstiterunt, quo commissum sibi munus exequerentur, atque hujusce Reipub. commodum magis promoverent, insuper etiam perceptâ enarratione ac defensione ab ipsis institutâ adversus ea, quæ D. Comes Servientius Regis Galliar. Legatus publicis ac postmodum impressis demonstrationibus, quò Eosdem criminis alicujus insimularet, allegare atque inferre conatus fuit, omnibus denique ac singulis diligenti examini subjectis declarârunt, ac per præsentes declarant, præmemoratos D.D.Mathenesium & Heemstedium simul ac seorsim sese ut fideles hujus Reipub. nec non Hollandiæ West-Frisiæque Ministros gessisse, nec quicquam reprehensione dignum commisisse, contrà vero eos graviter egisse, quæ Fœderatis Belgii Provinciis maximo commodo esse possunt, idque summo Præpotentium D. D. Ordinum Gener. applausu, qui pro officiis præstitis maximas ipsis gratias agunt, volentes ac mandantes ut in munere suo continuent occeptumque negotium ex sententia conficiant, ac proinde Præpot. D. D. Ordines Gener. omnia ipsis committunt, propter singularem fiduciam quam in eorum provida animi circumspectione, fidelitate ac benevolentiâ, qua Nos Nostrasque res hactenus prosequuti fuerunt, positam sitamque habent. Quocirca Præpot. D.D.Ordines Gener. fidem dant atque pollicentur, Sese supradictorum Plenipotentiariorum *famam dignitatemque* adversus unumquemque protecturos ac defensuros, utque pro fidissimis Ministris atque huic Reipub. deditissimis ubique habeantur, ad maximam eorum securitatem tranquillitatemque, curaturos esse. Dabantur Hagæ-Batav. sub magno nostro sigillo hisce appenso, decimo & quinto die Augusti, Anno 1647. Notatum erat, I.Catzius. In Spatio autem, Jussu ac mandato Præpot. D. D. Ordinum Gen. subsignatum erat, Herb. Beaumontius, obsignatum sigillo magno in cerâ rubeâ, è duplici filo serico pendente. „

D. D. Ple-

D.D. Plenipotentiarii vicesimo & tertio die Augusti Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. valedixerunt: Monasterium autem cum venissent, Hispanos in Tractatione subfrigidos aliquantulum repererunt. Penerandæ Comes, in ædibus binas horas extra urbem Sese detinens, aquis Spadanis in sanitatem Suam utebatur. Causa hujus refrigerationis erat, quia Archi-Dux contra Gallos in Belgio multum evicerat: neque ipsos latebat, *Securitatis Tractatum* cum Domino Servientio initum, ultimo Articulo clausulam continere, quæ universum Securitatis Tractatum interea dissolvere atque evertere posset, Hollandiam insuper, Provinciarum omnium Principem, Pacem poscere. Cum autem Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii juxta Instructionem novam, cujus mentio facta fuit in Decretis septimi, decimi & decimi tertii die Augusti, nova quædam propositiuros sese dicerent; Hispani demirari cœperunt ac dixerunt, *Sese à Rege accepisse Ratihabitionem eorum, quæ Monasterii Confirmata fuerant, ac vicissim Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Ratihabitionem desiderasse, promptos ac paratos sese esse, ad omnia illa, quæ antehac concesserant, Gallis relinquendum.*

Deinceps quoque Penerandæ Comes retulit, Sese cum Civitatibus Hanseaticis confirmasse atque iniisse Tractatum Navigationis liberæ, de quo quid sententiæ Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. esset, Plenipotentiarii jam ante rogârant: ut ex sequentibus magis liquebit.

Civitates Hanseaticæ in Germaniâ, maximè autem Lubecensium, Bremensium & Hamburgensium Civitates, Tractatuum renovatione ac redintegratione, Fœderati Belgii Provinciis Fœderationis vinculo conjunctæ, sæpius institerunt, ut ineundâ conflandâque cum Hispanis Pace comprehenderentur. Quâ in re Hollandiæ Deputatis, sive Commerciorum zelo, vel quòd sciri non poterat quid per id vellent (quemadmodum etiam antehac eadem de causâ Præpotent. D. D. Ordines easdem Civitates Paci inter Sueciæ ac Daniæ Regnum Anno 1645. conflatæ includere gravabantur) præcipue iis obsuerunt. Augebatur etiam hoc gravamen, quum deinde Eædem Civitates *per Me* etiam atque etiam rogarent, ut in Tractatu cum Hispanis ineundo cum Fœderato Belgio in Navigatione liberâ in Hispanias & Hispanorum Regna eorumque oneribus atque immunitatibus & Privilegiis juxta haberentur: præsertim quum non necessarium esset, ut, si quidquam in hujusce Reipub. Incolarum atque Mercatorum commodum petitum obtineretur, alii extra Fœderati Belgii Provincias ejus continuo participes fierent. Ad hæc respondebam, Hispanos non modo ejusmodi coæquationem Civitatibus Hanseaticis, verum etiam plura, quam Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. concedere velle, idque ob rationes ejusmodi, quæ capi facilè possunt: quum credibile non esset, ab Hispanis impræsentiarum nimium, inæqualitate Navigationis liberæ, adauctas iri: ac proinde Præpotent. D. D. Ordinibus metuendum fore, ne, si *æqualitatem* hanc non concederent procurarentve, supradictæ Civitates Hanzeaticæ *seorsim* ab Hispanis majora præ hujusce Reipub. Incolis commoda impetrarent atque obtinerent. Quum considerandum merito veniat, Civitates illas, præsertim Lubecensium ac Dantiscanorum aliaque Oppida Oceano vicina, in Hispaniam Commercia importare ac præterea etiam vectigali, Ostio Maris Baltici imperato, subjecta esse, diutiusque Navigandum ipsis esse, navef-

naveſque pluribus militibus armiſque inſtructas habere: ac proinde quum non poſſint tam vili pretio, quam hujuſce Reipub. Incolæ Subditique, bona Sua divendere, omnino *adæquari*, ſi non *præferri*, eas oportet: Hac de re pluribus Præpotentes D. D. Ordines Generales agentes ac diligenter perpendentes, nec non percipientes à Civitatum Hanſeaticarum D. D. Deputatis, Gloxinio, Kochio & Meurerio, huic Negotio Monaſterii ſerius inſiſti, ſequentia decreverunt.

In Concilio ſecundò traditæ fuerunt literæ à D. Meynerſvicio, è Præpot. D. D. „ Ordinum octo Plenipotentiariis uno, Monaſterii exaratæ, & viceſimo & ſecundo, „ & viceſimo & ſexto die Junii, proximè elapſi, hic acceptæ, quarum Exemplum tale „ eſt: D. de Brun ad eum acceſſiſſe, dicentem Hiſpanorum Plenipotentiarios à „ Civitatibus Hanſeaticis unice rogari, ut Tractatum Navigationis liberæ cum „ Ipſis inire vellent, ſecundum ea quæ confirmatis Articulis Pacis inter Fœderati „ Belgii D. D. Ordines Gener. & Hiſpaniar. Regem conſtituta fuerunt, ac proinde „ velle Seſe ſcire quid de ſupradicto Navigationis liberæ Tractatu cum Civitatibus „ Hanſeaticis Præpot. D. D. Ordines Gen. ſentirent, utrum etiam Præpot. D. D. „ Ordines Civitates Hanſeaticas ineundo cum Hiſpanis Pacis Tractatu comprehendere decreviſſent; quibus Hiſpanorum Plenipotentiarii Seſe accommodarent: eodem etiam tempore perlectum fuit Memoriale quoddam à D. Leone „ ab Aitzma, præmemoratarum Civitatum Hanſeaticarum apud Præpot. D. D. Ordines *Reſidente*, traditum, quo earum Civitatum, ſpeciatim verò Lubecenſium, „ Bremenſium & Hamburgenſium Civitatum, Tractatu Monaſterii incundo comprehenſionem, utque earum Incolæ cum hujuſce Reipub. Incolis Subditiſque in „ Navigatione libera in Hiſpaniam *adæquarentur*, petebat; quo perpenſo, viſum decretumque fuit, ut omnes Civitates Hanſeaticæ Pacis Tractatu inter Regem Hiſpaniarum & Præpotent. D. D. Ordines Gen. Monaſterii ineundo comprehenderentur, ac proinde in Navigatione liberâ in Hiſpaniam cum Fœderati Belgii „ Incolis Subditiſque adæquarentur, ea conditione tamen, ne ſupradictis Civitatibus earumve Incolis in Hiſpaniâ Ejuſdemve Regionibus ullis præ hujus Reip. „ Incolis Subditiſque Privilegiis aut prærogativis uti, gaudere aut petere liceret. „

Hujuſce Decreti vi, *decimus & ſextus* Articulus Pacis Tractatus, inter Hiſpaniar. Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gen. trigeſimo die Januarii 1648. inſtituti, confectus fuit, ut & incluſio *ſeptuageſimo & ſeptimo* Articulo ejuſdem Tractatus.

Exemplar Tractatus Commerciorum inter Hiſpanos & Civitates Hanſeaticas initi, hujuſmodi eſt.

Notum ſit omnibus, quod cum ex Parte Nobilium Civitatum Hanſeaticarum per Deputatos ad id ſpeciatim delegatos Regis Hiſpaniar. Legatis, Monaſterii commorantibus, plena cum poteſtate ſæpius demonſtratum fuerit, earundem Civitatum Commercia per Majeſtatis Catholicæ Regna, Ditiones & Status, quæ alias non ſine mutuo utriuſque Partis fructu atque emolumento floruerant, ab aliquot Annis injuria vel infelicitate temporum, & belli calamitatibus, cum maximo tàm Hiſpanorum quam Hanſeaticorum populorum diſpendio labefactari, & initos ſuper iiſdem Commerciis Tractatus violari penituſque diſſolvi, multorum

gravaminum editâ exhibitâque serie, quibus remedia quamprimum & seriò adhiberentur, Nomine locoque supradictarum Civitatum unicè petebant; idem quoque totius imperii, Nomine Comitiorum Generalium, tam Monasterii quam Osnabrugis congregatorum, Delegati ab iisdem Hispaniæ Regis Plenipotentiariis verbis ac Scriptis efflagitabant: quibus cognitis perpensisque, cum eorum Plenipotentiariorum primus ac primarius Legatus, Penerandæ Comes, ad Regiam Majestatem Catholicam rescripsisset, & præmemoratarum difficultatum demonstrationes, nec non earundem Civitatum Hanseaticarum literas de Commerciorum instauratione transmisisset, ac benigna ad hæc responsa recepisset, quibus benevolum suum in Civitates Hanseaticas earumque petitionem animum Regia Majestas Sua abunde & luculenter comprobat, quinetiam summedictis Plenipotentiariis Suis potestatem facit de hac Commerciorum restauratione, periculorum atque incommodorum aversione agendi, & modis quibuscumque optimis veterem Amicitiam, Navigationem Merciumque exportationem, emptionem & venditionem, inter Regem Hispaniensem & Civitates Hanseaticas promovendi ac stabiliendi: ac rursum cum infra Nominandis Deputatis ac Legatis supradictarum Civitatum Hanseaticarum super eodem Negotio magnifico & gravi conventu ac deliberatione institutâ, inter utrumque provisionaliter, atque consensu ac Ratihabitione, cum Regiæ Majestatis Catholicæ, tum Civitatum Hanseaticarum Magistratuum, salvis, conventum fuit.

1. *Vt antiqua Civitatum Hanseaticarum in Regnis & Provinciis Hispaniæ acquisita Privilegia atque immunitates, imprimis etiam Privilegia Tractatus Anni 1607. cum Scriptis eò pertinentibus, eorumque extensionem Regiam continentibus (quorum exemplar, subsignatione utriusque Partis Legatorum sub finem præsentis Tractatus inserendum, Authentici vim obtinebit) hoc ipso confirmata, ac sincere de integro renovata, fideliter utrinque observarentur, iis exceptis, quibus per præsentes Articulos quippiam derogabitur: Imprimis verò, ut, cessantibus inter Regiam Majestatem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. Hostilitatis actibus, sive Induciis sive Pace id fiat, ea omnia, quæ adversus præmemoratas Provincias, earumque Incolas & subditos, supradicto Tractatu Anni 1607. cauta erant, Induciis vel Pace durantibus, eodem modo cessarent ac sublata forent.*

Quod si etiam amplius quid in eo Negotio Vnitarum Belgii Provinciarum Incolis Subditisque, ratione Mercaturæ Merciumque & eorum omnium, quæ ad eorundem Commerciorum Securitatem ac libertatem pertinent, concedatur, quam olim Civitates Hanseaticæ petierint aut impetrarint, id omne ut vi hujus Tractatus Hanseaticis quoque Civitatibus concessum haberetur, cum præsertim præcipuas istarum Provinciarum Civitates simul Hanseaticæ Societatis membra esse constet: At verò ut Belli tempore ea, quæ sequentibus hujus Tractatus Articulis continentur, observarentur.

2. *Vt novum quoddam certificationis genus contra vel extra præscriptum Tractatus Anni 1607. usitatum tolleretur, atque iis solis inquirendi & certificandi rationibus insisteretur, quæ præcedentibus Tractatibus exprimuntur, pristino statui omnia reddendo ac restituendo; adeo ut nautæ unam duntaxat certificationem, cum specificâ mercium advectarum designatione, juxta formulam supradicti Tractatus Anni 1607. de singulis navibus exhibere tenerentur, quò magis ac securius inter Majestatis Suæ Catholicæ Subditos Incolasque Amicitiæ & Commerciorum jura coalescant. Bello autem cum Fœderato Belgio cum Pace sive Induciis commutato, nihil testandum amplius, quam quod merces ad nullos eorum pertineant, qui vel Hanseatici non sunt, vel iisdem cum Hanseaticis Privilegiis & juribus in Regia Majestatis Regnis ac Ditionibus non gaudent.*

3. Vt

3. *Vt Civitates Hanseaticæ, donec Regiæ Majestati cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. vel aliis quibuscunque hostibus bellum intercedit, Neutralitate, quam vocant, fruerentur, quæ à Regia Sua Majestate ne quidem hostibus ipsis denegatur, ac proinde quæ ante dicta sunt Civitatibus Hanseaticis concessit: ea tamen lege ac conditione, ut ipsi omni tempore, cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. & aliis quibuscumque Regiæ Suæ Majestatis Catholicæ Hostibus, Commercia instituere, eorum Regiones frequentare mercesque terra marique apportare & exportare integrum sit, iis duntaxat exceptis, quæ bellico usui inservientes,* e Regis Hispaniar. Ditionibus *evectæ fuerint.*

Ac ne ullus in ea re dolus subsequatur, ut ea, quæ Articulo undecimo supramemorati Tractatus Anni 1607. de mercibus ejusmodi in præmemoratas Fœderati Belgii Provincias non transvehendis, deque obligationibus, quas vocant, desuper expediendis statuta ac decreta fuerunt, in omnibus hostium locis, respectu præmemoratarum mercium, deinceps observarentur.

4. *Vt Civitates Hanseaticæ summam ubique benevolentiam Regi Suo Catholico, Ejusdemque Subditis ac Statibus comprobarent, ac vicissim Regia Sua Majestas pro cujusque loci consuetudine liberum justumque tam navium, quam omnis nauticæ supellectilis & conficiendarum navium apparatus Commercium exerceret, una cum aliis quibuscumque commoditatibus, quas cuipiam alteri Principi & Statui, quem vocant, Neutrali, atque Amico, quovis tempore & loco, concessura esset.*

Has autem Tractationis leges ac conditiones Regis Hispaniar. Legati ab una, & Civitatum Hanseaticarum D. D. Deputati ab alterâ Parte manuum Suarum subscriptione, ac sigillorum Suorum obsignatione munierunt, atque in majorem confirmationem fidem dederunt, sese intra quatuor Mensium spatium Regiæ Majestatis Catholicæ ac D. D. Deputantium Suorum Ratihabitionem tradituros esse.

Dabantur Monasterii $\frac{1}{11}$ *Septemb. Anno Christi* 1647. *Comes de Peneranda, Fr. Iosephus, Arch. Cameracensis, Brun, David Gloxinius D. & Synd. Lubec. Gerhardus Cochius, D. Senat. Reip. Brem. Iohannis Christophorus Meurerius, D. & Synd. Hamb.*

Tractatus tam clare ac solenniter institutus, ab Hispanis perfide observabatur: quum è vestigio Anno 1648 & 1649. variæ Hamburgensium Civitatis naves ab Hispānis in Flandria contra supradictum Tractatum caperentur; adeò ut *Ego* sub finem Anni 1649. Civitatis Hamburgensium aliarumque Hanseaticarum Civitatum Nomine Bruxellas ad Archi-Ducem Leopoldum & Penerandæ Comitem Delegatus fuerim, super neglectu ac violatione Tractatus querelas instituturus: idque eo magis, quod Unitarum Belgii Provinciarum D.D. Ordinum Gen. naves, qui particulari suo Tractatu seu Commerciorum Articulo (admodum vacillante) non tantum stipulati fuerant, quantum quidem præcedens Tractatus complectitur, easdem merces liberè transvehere atque ad eosdem portus, quos Civitatum Hanseaticarum naves petebant, trajicere permittebant.

Quanquam verò Archi-Dux & Penerandæ Comes non tantum verbis, verum etiam scriptis præmemoratum Tractatum initum confiterentur, atque ut observaretur curaturos sese promitterent, quemadmodum etiam decimo & sexto Articulo Pacis Tractatus inter Hispaniar. Regem & Fœderati Belgii Ordines Generales fides data fuerat, ut eodem modo cum hujusce Reipub. Incolis Subditisque exciperentur; necdum tamen navem aut naves à sese detentas dimittere voluerunt, quanquam Fœderati Belgii Incolarum Subditorumque naves, iisdem mercibus

cibus oneratas, eosdem portus petentes neque aggressi fuerunt, neque occuparunt: imò Sociorum navalium, vel Hispanorum vel Flandricorum, juramento intercedente, sese, ut hujusce Reipub. Incolarum naves dimitterent, Hanseaticarum vero Civitatum naves detinerent, in mandatis accepisse: quæ tamen omnia ex apparenti rebus caussisque, intentioni atque officio Regis Sui adversabantur, adeo ut cuivis facile innotescere possit, quodque verissimum est, eos Præpotent. D. D. Ordinum Gen. non verò Civitatum Hanseaticarum metu teneri.

Cujusmodi autem privati Articuli de Commerciis cum Fœderati Belgii D. D. Ordinibus Gener. initi exemplum sit, postmodum referetur. Idem postea Anno scil. 1650. propiore quodam ordine ac regimine à Regiæ Majestatis Legato, Domino de Brun, ac Domino de Korte, ut qui obscurus admodum erat, explicatus atque extensus fuit.

Domini D. Plenipotentiarii universum Mensem Septembrim septuaginta & septem Articulorum, octavo die Januarii, proximè elapsi, subsignatorum explicatione, nec non quatuor reliquorum Articulorum confirmatione consumpserunt, ac primo Præpot. D. D. Ordines Gen. summum atque absolutum jus, & quoad Ecclesiasticum, & quoad Politicum, in Majoratum cæteraque loca similia, quorum tertio Articulo mentio facta fuit, petebant, ac proinde ut Hispanorum Legati Præpot. D.D.Ordinum Gen. Plenipot. Scripta vicesimi & septimi diei Septemb. 1646. *Exercitium Romanæ Religionis, bona Ecclesiastica, insuper etiam tres Partes* Trans-Mosanas concernentia restituerent: Secundò, *citerioris* Gelriæ *Partis* confirmationem postulabant: Tertiò, Munimentorum ac Fortalitiorum prope Sluysam *dirutionem* petebant: Quartò, ea quæ *jus aquaticum*, Sluysanorum Civitati competens, spectant; præter alia quædam Puncta, privatas quasdam personas spectantia.

Maxima autem difficultas in primo Puncto fuit, quum Hispani Scripta tradere nollent, tam sibi quam Regi metuentes, quod si tanti momenti Punctum, publicum sc. Religionis exercitium ac Bonorum Ecclesiasticorum, tantâ ac tam affluenti Copiâ, Templorum ac Pagorum conservationem, postmodum concederent, in quibus vixdum unus Reformatæ Religioni deditus degebat; quod quidem eò magis admirationem concitabat, quod fervente bello Romani tam in Religionis exercitio, quam in Templis, Cœnobiis Bonisque Ecclesiasticis protegi ac defendi consueverant.

Quantum ad tres partes Trans-Mosanas attinet, in possessione rei cardo versabatur; quandoquidem non minus Præpot. D. D. Ordines Gener. quam Archidux varios possessionis actus vel Ipsi instituebant vel per alios institui curâbant: Prætores captivos educendo, Edicta publica divulgando, & alio quovis modo. Comiti de Solms per literas mandabatur, ut Copias nonnullas mitteret, ac milite præsidiario diruta Fortalitia Oppidaque Falckoburgum & Dalemum asservaret. At ille, impossibile id esse, rescribebat, nisi per expeditum exercitum id fieret, ad quod sufficientes Copias Sese habere negabat.

Ad Citerioris partis Confirmationem quod attinet, de proposito deduci non poterant; durantibus hisce extremis conventibus, perpaucæ Sententiæ Decretaque ad Præpot. D. D. Ordines deferebantur, ac per nebulam quasi audiebatur, Hispanos in Negotio Ecclesiastico in Majoratu ac supramemoratâ parte Citeriori immo-

immotos manere, simul etiam *Philippus de Roy*, qui universo hoc tempore Hagæ-Com. degebat, atq; indies Salvi-Conductus sui prolongationem impetrabat, unicuique, Majestatem Suam de Negotio Ecclesiast. in Majoratu nequaquam discessuram, aut de jure suo quidquam remissuram esse, confidenter asserere neutiquam dubitavit; id namque non tantum in se ipso injustum, propter rationes supra allatas, verum etiam Regi Ipsi impossibile ac noxium fore: utpote quod omnium Ecclesiasticorum odium adversus Regiam Suam Majestatem concitabit, qui primum in omnibus ejus Regnis Ordinum membrum efficiunt, qui palam dicturi, ac quibus plerique fidem habituri sunt, Regem nempe Ecclesiasticos ac Religionis suæ exercitium defendere *aut non posse aut non velle*, ne quidem in iis locis, in quibus flagrante bello protectum ac defensum fuit. Quo pacto eveniret, ut Rex, omni Ecclesiasticorum favore destitutus, necessario ab iis reprobaretur, atq; in periculum incideret, ne publicis concionibus aut alio quocumque modo populus ad seditionem atque ad defectionem instigaretur, quò se Gallis dederent; in quem etiam finem magnus mutuusque consensus inter Galliæ & Fœderati Belgii Ecclesiasticos intercedere conspicuum erat. Cui malo ut medeatur, atque ejusmodi desperationi in subditorum animis ortum minantibus præveniatur, Majestati Suæ Regiæ de aliis mediis cogitandum, & cum Gallis permutatio Belgii cum Cataloniâ vel nuptiarum interventu, vel sine iis, instituenda erit.

Paulo ante supradicti D. *Philippi de Roy* Salvi-Conductus tempori aliquot Menses additi fuerant, idque maximè Hollandiæ Ordinibus, contra Zelandiæ ac Provinciæ Ultrajectensis sententiam, adjutantibus: at verò cum ad Hollandiæ Ordin. aures accessisset, Hispanos Monasterii tantopere tergiversari, atque *Philippum de Roy* omnem satisfactionis spem in Ecclesiasticis in Majoratu, &c. adimere atq; succidere, non minori Sese quam reliquas Provincias in hoc Negotio zelo ardere comprobarunt, Salvum-Conductum *Philippi de Roy* ad quatuor Menses dilatum renuntiando, insuper etiam ipsi indicando, *nisi in eâ re satisfieret, quatuordecim dierum spatio hinc discedendum ipsi fore.*

Mensis Octobris initio Præpotent. D.D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii per literas indicabant, sæpius Sese cum D. D. Plenipotentiariis variis conventibus, tam ore quam Scriptis, egisse de iis omnibus, quæ Præpot. D. D. Ordines Gener. Decretis suis decimi & octavi Maji, quarti Julii, septimi, decimi, & decimi & tertii Augusti, ad Pacem promovendam atque confirmandam, in mandatis dare dignati fuerant, ac licet in initio ac deinceps variæ difficultates sibi obortæ essent, nihilominus tamen gradatim nunc in hoc, nunc in illo Puncto tantum profecisse, ut præcedentis diei novissimo conventu experti fuissent, sese de omnibus Punctis dubiis, quæ Pacis Tractationi conficiendæ ac confirmandæ deerant, cum supradictis Regiæ Majestatis Plenipotentiariis *convenire posse*, excepto eo, quod de Puncto Majoratus aliorumque locorum similium *dubium quoddam* relictum fuerat, propterea quod Decreta Præpotent. D. D. Ordinum de ea re non ita disertè *atque ad literam effecta reddere potuerant*, & Hispani vocabula, *tam in Ecclesiasticis*, admittere gravati fuerant, Præpotent. D. D. Ordinibus aliis vocabulis sive loquendi modis satisfacere sese velle dicentes. Postquam autem super hac re plurimi conventus instituti diesque elapsi fuerant, quibus cum D. D. Plenipotentiarii Regis Hispa-

niarum omnis generis Specimina exhiberent ac perpetuò mandatis suis insisterent, supramemorati D. D. Plenipotentiarii declarârunt, absolute sibi impossibile esse pro Status sui constitutione ac Legibus fundamentalibus ejusmodi phrasibus, scil. de summo atque absoluto jure in Ecclesiasticis, cum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis, uti, atque ipsos in reipsa ejusque effectis, quæ sub Præpotent. D. D. Ordinum imperio futura sunt, acquiescere oportere, neque ipsos adstringere impossibili in illo Negotio, in quo hujus vel illius Status Leges fundamentales discrepant: Adeo ut propè juramento solenni assererent non posse sese in eo Negotio ulterius progredi, nec non cavendum sibi ab iis, qui aliàs *perdendi eos atque universum Majestatis Suæ Regimen subvertendi* occasionem captarent; at verò si Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii à sententiâ suâ decedere nollent, Tractatum huc usque promotum relinquendum, totumque Negotium Deo bellique eventui, quod aliis mediis tum geri necesse erit, committendum esse, ac pro Fato habendum, Summum Numen tam exoptatam Pacem iis, qui maximè eam desiderare maximeque indigere videbantur, hactenus denegare: His omnibus insuper addebant supradicti Majoratus aliorumque locorum Incolis libertatem conscientiæ præsenti Tractatu sive privato quodam Articulo concedi, atque in eâ, si perturbarentur, protegi ac defendi oportere. Postquam autem Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii adhibito omni studio atque operâ animadverterent, universum Tractatum, propemodum confectum absolutumque, hac de causâ succisum iri, suâ Auctoritate id facere veriti, muneris atque officii sui esse crediderunt, quæcumque supradicta sunt, Præpot. D. D. Ordinibus Gener. exponere, atque unicè rogare, quoniam nullus hujus rei finis alius ipsis appareret, quam ut Pacis Tractatio succideretur, nisi adversæ Parti occurreretur, quocirca ut Præpotent. D. D. Ordines Negotium hoc serio atque celeri examini subjicerent, de eo decernerent, &, quam fieri potest citissimè, saltem non ultra quatuordecim dies, Suam de hac re sententiam per literas indicarent, etiam atque etiam rogârunt, ne majori temporis dispendio præsentis occasionis jactura fieret, nevè, mutatione hinc illinc imminente, Negotium in tam prospero loco sitû protraheretur, quod mundanis quibuscumque, maximè autem tanti momenti ponderisq; rebus accidere consuevit, & veterũ temporum experientia idem in Præpot. D. D. Ordinum Gen. Statu sæpius comprobâvit.

Ad Tractationem inter Gallos & Hispanos quod attinet, summæ Partes D. D. Mediatorum Intercessione in viginti primos Articulos, atque deinde in decem alios convenerant: quum autem maximi momenti maximèque dubia Puncta tractanda restarent, D. D. Hispanorum Plenipotentiarii rotundo ore declarârunt, non modo iis quæ antehac Gallis Ipsorum intercessione data concessaque fuerant, stare, atque ut effectum consequantur, procuraturos esse, verum etiam ut pleraque maximi ponderis Puncta Ipsorum arbitrio atque intercessione tractarentur, promptos ac paratos esse, cui Negotio, juxta Præpotent. D. D. Ordinum Gen. decretum quarti diei Julii, proximè elapsi, operam suam dicarent, hac spe atque fiduciâ, fore, ut reliqua Puncta dubia inter utrumque Regem componerentur, atque hoc pacto uterque Tractatus simul ad peroptatum finem perduceretur.

In hac verò relatione atq; informatione, licet rem totam eaq; omnia, quæ eandem

dem ſpectant, contineret, Præpot. D. D. Ordines nequaquam acquieſcebant, ut qui omnia abſolutè acta, quin etiam nonnullos è D. D. Plenipot. iter in Hollandiam parare, atq; interceſſionis Negotium derelinquere in animo ipſis propoſitum eſſe, per nebulam quaſi audirent: quapropter octavo die Octobris, D. D. Plenipotent. ſeriò reſcripſerunt, ut Monaſterii omnes ſimul manerent atque etiamnum operam darent quo ab Hiſpanis nitidam abſolútamque reſponſionem ad Mandata, quæ ipſis vi Decretorum decimi & octavi Maji, quarti Julii, decimi, ac decimi & tertii Auguſti dederant, impetrarent, neque ullam in eo Negotio immutationem admitterent: Ut autem Negotium illud tanto ſerius tranſigeretur, Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps, qui tum forte aberat, Hagam-Com. ut perveniret, rogatus fuit, ſuumque de expedito quopiam exercitu educendo conſilium exponeret. Zelandiæ Ordines ſuffragiorum pluralitate jam tum Copiarum eductionem conſtitutam decretamque volebant; Hollandiæ verò Ordines moram huic Negotio injiciebant.

Quod autem ad Tractationem inter Gallos & Hiſpanos attinet, impræſentiarum quinque hæc præcipua Puncta reſtabant.

1. 2. Declaratio *auxilii Portugallis ferendi*, ac Ducis Lotharingiæ commoda; quæ utraque Puncta ad Tractatus concluſionem atque confirmationem dilata fuere.

3. *Fortalitia & Munimenta* Induciarum ad triginta Annorum ſpatium compoſitarum tempore in *Cataloniâ* exſtruenda, atq; utriuſq; Partis Fortalitiorum extenſio.

4. Limites terminique in Belgio & Burgundiâ, ſuper quorum regimine certus atque immutabilis modus inſtitueretur, ſecundum quem per utriuſque Partis Commiſſarios terminarentur, quo immutabili Præſcripto conſtituto, Regis Galliar. Plenipotentiarii diſſenſionem, quæ in decidendis præmemoratis limitibus orirentur, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariorum judicio ſubmittere Se declarârunt.

5. Conſervatio ac defenſio *Caſalienſis*, nec non certificatio à Domo Mantuanâ nunquam defecturam partibuſque Domus Hiſpaniæ Auſtriævè deditam fore.

Hiſpani Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariorum Arbitrio eadem ſubmittere Seſe velle declarabant, at verò D. D. Plenipotentiarii Regiæ Suæ Majeſtatis Galliæ *humaniſſimè recuſabant*, non tamen quo minus Interceſſionem continuarent.

Præpotent. verò D. D. Ordinum ut & Regis Hiſpaniarum Plenipotentiariis, quum nihil præterea proficere poſſent, viſum fuit quoſdam delegare, qui ore omnia exponerent, quod etiam viceſimo & primo die Octobris, modo ſequenti, factum fuit.

Summa eorum, quæ D. D. Heemſtedius & Knuytius Præpotent. Dominorum D. Ordinum Plenipotentiarii à reliquis D. D. Plenipotentiariis Monaſterio delegati, in Concilio Præpot. D. D. Ordinum viceſimo & primo die Octobr. 1647. retulerunt.

„ Poſtquam ordine expoſuiſſent omnia, quæ tam ore quam Scriptis à Præpotent. D. D. Ordin. Plenipotentiariis, poſtquam Monaſterium noviſſimè rediiſſent, cum Regis Hiſpaniarum Plenipotentiariis variis conventibus acta fuerant, quo univerſa, quæ ſupramemorati D. D. Plenipotentiarii à Præpotent. D. D. Ordinibus in

in mandatis acceperant, pleniſſimè exequi tentârunt, tandem inter Præpotent. D. D. Ordines Gener. & Hiſpaniar. Regem de reliquis Punctis dubiis, nec non de citeriore Gelriæ Tractu conventum eſſe retulerunt.

Conclusionem quoque ſolius Majoratus Sylvæ-Ducenſis cauſâ inſtitutam non eſſe, propterea quod vox, *Eccleſiaſticis*, ab Hiſpanis propter varias rationes, Statum ipſorum Regimenque ſpeciatim concernentes, denegabatur, ejus verò loco indies varia Specimina exhibita maximèque laboratum fuiſſe, quò *abſolutum atque extra omnis dubitationis aleam poſitum jus* Præpotent. D. D. Ordinibus relinqueretur, additâ petitione, ut ejuſdem Incolis ibidem aliiſque in locis, quibus Exercitium Romanæ Religionis permiſſum fuerat, *conſcientiæ libertas*, juxta ordines ac formulas à D. D. Plenipotentiariis Regis Hiſpaniarum dictatas ac ſequentibus inſertas, concederetur.

Quanquam autem variæ de eo ſententiæ latæ fuerant in ſummi atque abſoluti Juris confirmationem, Legum fundamentalium armorumque hujuſce Reipubl. defenſionem, ac generaliter ſtabilitam ſecuritatem Fœderati Belgii ſubditorum, nihilominus tamen D. D. Plenipotentiarios quotidie, maxime verò cum poſtremas literas à Præpotent. D. D. Ordinibus accepiſſent, ſeriò apud Regis Hiſpaniarum Plenipotentiarios inſtitiſſe, ut ſuper his planam, abſolutam nulliſque limitibus circumſcriptam declarationem inſtituerent, tandem quoque id ipſos conceſſiſſe atque in id conſenſiſſe, ut tertius Articulus, ſecundum mandatum atque informationem Præpotent. D. D. Ordinum antè conſtitutus, nequaquam mutaretur, &, quod reſpectu propoſiti Moderaminis viceſimo & ſeptimo die Decembris, 1647. ſpeciatim ſubſignatum erat, reſtitueretur.

Ad hæc Hiſpanorum Plenipotentiarios ultrò obtuliſſe, quod ſi Præpotentes D. D. Ordines ſpecialiorem inſuper reſignationis declarationem à Rege Hiſpaniarum deſiderarent, aut indigere ſeſe arbitrarentur, eidem Se ſubſignare velle, modo vocabulum *Eccleſiaſticis*, utpote quod extra ipſos erat, omitteretur.

Quum autem Negotium hoc dubium Præpotent. D. D. Ordinibus ſufficienter commiſſum eſſet, atque in hujuſce Reipubl. Tractatione nihil agendum reſtaret, Præpot. D. D. Ordinum Plenipotentiarios, ad omnimodam ſatisfactionem, horum atque omnium quæ unquam acciderunt, Præpotent. D. D. Ordines vivâ voce certiores facere decreviſſe, & quæ de his ſentirent ac decernerent per literas, ſi ita viſum foret, pernoſcere, utrum in *decimo & tertio*, de quo controverſum fuit, Articulo, cum *Moderaminis* annihilatione, quod una cum ſententiis de *Eccleſiaſticis, Exercitio contrariæ Religionis*, quinctiam *propoſitâ conſcientiæ libertate* ceſſaret, acquieſcere liceret, an verò Præpotent. D. D. Ordines Gener. ulteriorem renuntiationem ſive traditionem in ſupramemorato Articulo à Rege Hiſpaniar. peterent.

Deinde verò ſupradicti D. D. Plenipotentiarii plurimis narrârunt, quo in loco diſſenſiones inter Gallos & Hiſpanos, advenientes, repperiſſent, quem etiam ad modum ab utrâque ſummâ Parte, nec non Venetorum Reipubl. Legato, ceu Mediatore, rem omnem edocti, omnia conferre ſtuduiſſent, quæ conciliationi utriuſque Partis inſervire ullo modo, ac quibus utriuſque Tractatus finis ſimul obtineri poſſet.

Datâ

Datâ porrò utrinque operâ, Hispanos declarasse, omnia sese, quæ Gallis ante- „
hac Intercessione Præpotent. D. D. Ordinum concesserant, præstituros, ac secun- „
dum præcedentem oblationem rursum obtulisse, varia maximi ponderis Puncta „
dubia Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiariorum Arbitrio submittere, „
quorum Acta, ut vocant, ipsis tradiderant, absque ullâ tamen diminutione „
eorum, quæ Mense Decembri, Anni proximè elapsi, de Limitibus Belgii & Bur- „
gundiæ sponte tradiderant, idque omnibus Mediatoribus indicasse. „

Quod ad difficultates Lotharingiæ ac modi auxilium Portugallis ferendi atti- „
net, eas ad finem usque Tractatus utriusque Partis consensu dilatas fuisse. „

D. D. Plenipotentiarios in variis Articulis respectu Hispanorum sese accom- „
modasse: quum autem Præpotent. D. D. Ordines Fœderationis jure ac vinculo „
Gallorum commoda tueri ac defendere tenerentur, conducibilius fore judicasse, „
ut Præpotent. D.D. Ordinum Plenipotentiarii intercessionis beneficio inter sum- „
mas Partes agerent easque componere anniterentur, fide datâ, ut vicissim Præ- „
potent. D. D. Ordinum commoda protegerent ac defenderent; idque Partibus „
componendis remedium esse maximè accommodatum. „

Varios super hac re conventus institutos, nec non limitum Belgii in iisdem con- „
ventibus, juxta regulam in antecessum stabilitam ac confirmatam, & submissionem „
à Regis Galliar. Plenipotent. oblatam fuisse, porrò etiam de Negotiis in Cataloniâ „
atq; Italiâ nulla fuisse proposita, sine prosperi eventus spe, quum utraq; Pars sum- „
ma conciliationi sese magis magisq; deditam ostenderet, ac Hispani in eum finem „
propositam submissionem allegarent, Galli quoque sese una cum Præpot. D.D. Or- „
dinib. Pacem contrahere velle declararent, neque ullo modo sese esse separaturos, „
dummodo æquo satis justoq; modo Sibi satisfiat, Hispanis insuper indicasse, unà „
cum S. Cæs. Majestate, vel sine Eâ Pacem inire sese velle, utque Præpot. D.D. Ordi- „
nibus hæc offerrentur ab utrâq; Parte petitum fuisse, quamobrem etiam D.D. Ple- „
nipotentiarii, ut quam primum reverterentur, rogati fuerunt, ac proinde sese more „
consueto ad id omnem operam impendisse, atque omnia porro præstituros, quò „
difficultates atque incommoda inter utramque Partem, juxta Decreta Præpotent. „
D. D. Ordinum eum in finem sibi tradita, cum bonâ gratiâ componi possent. „

Ea propter supradicti D. D. Plenipotentiarii rogârunt, ut, quam fieri posset „
citissimè, Præpotent. D.D. Ordinum Decretis de conclusione tertii Articuli modo „
supra memorato, instructi dimitterentur, quo simul, quæcumque supradicta „
sunt, quantum possent, promoturi ac confecturi convenire queant. „

Ad hæc suprememorati D. D. Plenipotentiarii, quod etiam novissimis literis, „
tertii hujus Mensis Monasterio missis, factum fuit, petierunt, ut Ratihabitionis „
Conceptus, incundo Tractatui inservientes, similiter traderentur, quò cum Hi- „
spanis de iisdem agant atque omnia, quæ ad perficiendum hoc Negotium re- „
quiruntur, præparent. „

Supradicti quoque Plenipotentiarii Hispanorum ac suam Responsionem, quæ „
à Præpotent. D.D. Ordinibus desiderabatur, nec non de quo controvertebatur, „
Articul. citeriorem Gelriæ Tractum spectantem tradiderunt: sperantes sese Præ- „
potent. D. D. Ordinum intentioni hodie ore demandatæ satisfecisse. Datum „
Hagæ-Comitis, vicesimo & primo die Octobr. 1647. „

Conceptus de Negotio Religionis Bonorumque Ecclesiasticorum in Majoratu, quinetiam petitio, ac responsio de Punctis necdum decisis sed postulationibus novis (quorum in præcedente relatione mentio fit) sequentibus referentur.

Exemplum eorum, quæ super Romanæ Religionis exercitio, in Majoratu Sylvæ-Ducensi, &c. proponebantur.

Tertius Articulus nequaquam mutabitur, hoc unico addito, concessione & gratificatione Præpotent. D. D. Ordines permissuros esse, ut locorum, quorum meminit, Incolæ conscientiæ libertate *fruantur, neque ut ullo modo perturbentur passuros; eâ lege tamen ac conditione, ut supramemorati Incolæ, quemadmodum bonos ac fideles Præpotent. D. D. Ordinum subditos decet, sese gerant, ac nequid ejusmodi permissio summo Iuri deroget, quod Hispaniarum Rex planè & plenè, simul etiam omnia privilegia atque imperium, quod in supradicta loca obtinet, renuntiat traditque.*

Vel hoc modo. Novo quodam Articulo, tertio integro atque immutato manente, dictum fuit, Præpotent. D. D. Ordines petitione Regis Hispaniar. Plenipotentiariorum, atque etiam precibus Incolarum locorum supradicto Articulo expressorum, ipsis dedisse ac concessisse conscientiæ libertatem, *atque eam ipsos conservaturos ac defensuros declarârunt, eâ lege ac conditione, ut tanquam boni ac fideles Præpotent. D. D. Ordinum subditi degant.*

Exemplum novæ cujusdam Propositionis à Præpot. D. D. Ordinum Plenipotentiariis propositæ.

Vnitarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines General. cognitis perceptisque septuaginta & tribus Articulis provisionaliter compositis ac confirmatis, ab Hispaniarum Regis Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis ab unâ, atque summè dictorum D. D. Ordinum Generalium Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis ab alterâ parte, ut Tractatui Monasterii ineundo inserantur; prout suprà memorati septuaginta & tres Articuli latius tribus scriptis diversis proponuntur, decimo & quinto, decimo & octavo, & vicesimo & septimo die Decembr. 1647. utrinque subsignatis,

Sinceræ suæ intentioni ac proposito insistentes, quo diuturnum, cruentum ac perniciosum bellum tot annis in Belgii Provinciis incensum, & ad maria longè dissita extensum, sincerâ ac perpetuâ Pace, in communem supradictarum Provinciarum salutem, earumque Incolarum solatium restinguatur,

Habitâ atque institutâ in Provinciis de ea re deliberatione ac consilio, id speciatim Dominis D. Plenipotentiariis suis in mandatis dederunt, ut, quo finis omnibus Negotiis imponatur tantoque major suprà memoratæ Paci securitas procuretur, cum Regis Hispaniarum Legatis & Plenipotentiariis agant atque transigant, ut supradicti septuaginta tres Articuli provisionaliter compositi ac subsignati, in certa Puncta redigantur atque explicentur, quo reipsa omnia illa incommoda moveantur, quæ postmodum in declaratione vel usu eorum deprehenderentur: utque, præter suprà memoratam declarationem ac digestionem, cum Regis Hispaniarum Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis de aliis quibusdam Articulis agant ac conveniant, quorum Exemplum tale est.

Summè dictorum D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii, quicquid antehac Gallis concessum

cessum deprehendetur, quicquid etiam æquis conditionibus ipsis concedi oportebit, conclusum confirmatumque habebunt.

Summum Ius tam in Ecclesiasticis *quam* in Politicis in Majoratu Sylvæ-Ducensi *aliisque locis similibus*, (tertio *supradictorum septuaginta & trium* Articulorum *expressis, de quibus Monasterii, ut supra, conventum fuit*) *Præpot. D. D. Ordinibus reipsa relictum, ac proinde ab Regis Hispaniarum Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis redditum ac restitutum iri Scriptum vicesimo & septimo die Decembr.* 1647. *traditum, exercitium Romanæ Religionis & possessionem bonorum Ecclesiasticorum Majoratus Sylvæ-Ducensis, Marchionatus Bergozomiensis, Baronatus Bredanensis, Ditionisque Cuyckiensis, concernens. Eâ lege tamen, ut supradictis Ecclesiasticis Romanis dehinc certum quoddam subsidium, dum in vita commorantur, idque ad beneplacitum Præpotent. D. D. Ordinum, assignetur, de quo Acta quædam specialia instituentur.*

Porrò autem bona redituſque, extra supradictum Majoratum aliaque loca similia, quorum mentio facta fuit tertio Articulo, ad corpora & Collegia templorum, conventuum ac collegiorum, aliaque loca Sacra in Oppido & Majoratu Sylvæ-Ducensi aliisque regionibus ejusdem conditionis, quorum supramemoratus tertius Articulus meminit, sita, supradictis templis, conventibus, collegiis aliisque locis sacris relictos iri, ut modo dictum, quò absque ullo impedimento molestiavè, ac vice versâ, *iis gaudere liceat.*

Quod ad Articulum, de partibus Trans-Mosanis tribus, scil. Falckoburgio, Dalemo & 's Hertogen-Rade, attinet, in iis eadem, quæ sub tertii Articuli finem conventa fuere, observabuntur: ita tamen, ut à Camerâ Bipartitâ *altiori examini subjicienda sint, prout tempore conclusionis Pacis Tractationis sita esse comperientur.*

2. *Citeriorem Gelriæ Tractum cum omnibus Oppidis, ac munimentis, & quæcumque eodem pertinent, à summè dictâ Regiâ Majestate Hispaniar. reliquis tribus Gelriæ partibus ut adjungatur, concessam traditamque iri.*

3. Fortalitia, *ad Sluysam Swyndamque sita à Parte Regis Hispaniarum dejecta dirutaque iri, quæque vice versâ à parte Præpotent. D. D. Ordinum dejicientur, eorum nomina, ut de iis conveniatur, proponentur.*

4. Jus aquaticum *Sluysanorum Civitati, prout ad eandem pertinet, relinquetur, agger insuper fluvium, (de Saute, vulgo dictum) prope S. Donatii Fanum intercludens, diruetur; cæteris verò Flandriæ Ordinibus Informationes tradentur, quo sese sexagesimo & quarto Articulo concluso ac subsignato modo præcedente convenienter gerant.*

Præter hæc, quæ dicta sunt, supramemorati Plenipotentiarii alia quædam Puncta, privatorum quorundam res causasque concernentia, proponere jusserunt, de quibus convenire expediet.

Datum subsignatumque erat Monasterii, duodecimo die Septemb. 1647. *Subsignatum erat, Bartholtius à Gent, Iohannes Mathenesius, Adrianus Pau, I. Knuytius, G. à Reede, F. à Donia, G. Ripperda, Adrianus Clantius.*

Exemplum Responsionis ab Hispanis datæ.

R*egis Hispaniarum Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii, quorum nomina sequentibus inseruntur, ad Scriptum quoddam à Præpot. D. D. Ordinum Gen. Legatis ac Plenipotentiariis, decimo & Septimo die Septemb. vertentis hujus Anni* 1647. *exhibitum,*

 Respon-

Respondent.

NUllum sese Scriptum à Præpotent. D. D. Ordinibus exspectasse præter Tractatus Ratihabitionem, Monasterii octavo die Januarii, proximè elapsi, à Præpotent. D. D. Ordinum Plenipotentiariis subsignati: quandoquidem Nos infra nominandi Regiæ Majestatis Catholicæ Ratihabitionem per literas petiimus, quæ non nisi Articulis, qui ante confirmati Partiumque sigillis debitè muniti, atque sufficientibus literis Auctoritatis fundati fuerunt, applicari potest: adeò ut prorsus indecorum videatur eam illudere atque effectu Suo privare *novitatum quarundam propositione, observationi, quam inviolabilem existere oportebat, adversantium*, rerum extra id, quod tam provido examini subjectum, tandem ab utraque hujus qualitatis parte compositum confirmatumque fuit.

Hæc in antecessum dicta sunto. Respondetur itaque, respectu primi Articuli novissimè propositi hoc ipso Scripto duodecimi Septembr. quod agit de Majoratu Sylvæ-Ducensi, Marchionatu Bergozomiensi, Baronatu Bredanensi, Ditione Cuyckiensi, aliarumque rerum clarius tertio Articulo supradicti Tractatus expressorum octavo die Januarii, proximè elapsi, qui septuaginta supra três Articulos continet, nihil eorum, quæ ea de re conclusa sunt, mutatum iri, conditione quoque salvâ quâ accepta sunt, scil. ut intra sex Mensium spatium post Ratihabitum Tractatum de exercitio Romanæ Religionis in Majoratu Sylvæ-Ducensi, Marchionatu Bergozomiensi, Baronatu Bredanensi, Ditione Cuyckiensi, deque possessione, atque usufructu bonorum Ecclesiasticorum in locis supradictis conveniretur: vel si Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii de præmemorato Romanæ Religionis exercitio, & supradicta bonorum Ecclesiasticorum possessione atque usufructu in locis supradictis convenire velint, conditionem suprà memoratam, sub quâ tertius Articulus institutus ac confirmatus fuit, absque ulteriore morâ absoluturi, Hispani Tractationem eâ de re instituerent; quanquam credi non possit Præpotent. D. D. Ordines Gener. eorumve D. D. Plenipotentiarios difficultatem dubiumq; moturos esse, maximè verò si in memoriam sibi revocent, atq; apud animum Suum reponant, exercitium Romanæ Religionis in prædicto Majoratu Sylvæ-Ducensi, Marchionatu Bergozomiensi, Baronatu Bredanensi ac Ditione Cuyckiensi liberum semper fuisse; adeò ut Incolarum, præmemoratæ Religioni deditorum, ingens numerus in iis locis, aut impræsentiarum, aut in posterum, subsistere, aut conscientia eorum cogi nequeat: & quandoquidem ad hodiernum usque diem idem observatum fuit, nulla ratio tanta esse potest quæ fidem moveat quò credant ipsis ejusmodi quid Pace eripi, quo neque Induciarum, neque belli tempore privati fuerunt, & durius eos, reconciliatione cum Hispanis instituta, quam inimicitiâ mutuâ intercedente, tractari atque excipi posse: mirandum quoque foret renunciationem eorum locorum, quæ Regia Sua Majestas Catholica summè dictis D. D. Ordinibus Gener. traditura est, utilitatis atque amoris ergò, quo in Pacem fertur, effecturam esse, id, quod proposito adversaretur, quodque Paci ac tranquillitati communi additum, vera ac realis renunciatio & locorum traditio existeret, si videlicet Subditis atque Incolis Religionis Suæ exercitium liberum foret: quo Puncto everso, supradicta renunciatio

tio ac locorum traditio eâ de causâ instituta corruit, adeò ut unum sine altero in dubium vocari nequeat, quemadmodum illi, quorum Nomina infrà recensebuntur, idem semper indicarunt atque etiamnum declarant.

Nihilominus addentes Sese in æqua quæcunque *Moderamina* descendere velle, quæ sine conscientiæ violatione institui possent, tam in locorum quæ summedictorum D. D. Ordinum Gener. imperio subsunt, quam eorundem Incolarum salutem atque Securitatem: & quò citius Pax obtineatur, atque ulteriores dissensiones evitentur, difficultates, quæ in supradicti exercitii bonorumque Ecclesiasticorum possessionis modo suboriri possent, ad Cameram Bi-partitam deferentur, ubi rationes utrinque multâ interim mutatione factâ, allegabuntur; adeò ut omnia in statu Pacifico absque ullâ perturbatione aut confusione mansura sint.

Quod ad Punctum Tractuum Trans-Mosanorum trium attinet, de quo sub finem supradicti primi Articuli actum fuit, ad quod hodie respondetur, Regis Hispaniar. Plenipotentiarii acquiescunt formalibus tertii Articuli septuaginta tribus comprehensi & octavo die Januarii provisionaliter subsignati, nihil vel addendo, vel detrahendo, insistere: quum infra nominandi nihil quicquam in eo immutandi autoritate instructi, quinimò omnibus mediis Catholicæ Suæ Majestati quidquam super hoc Negotio proponendi destituti sint, utpote quorum muneris atque officii Ratihabitio finem attulit.

Ad *secundum* Punctum, citeriorem Gelriæ Partem concernens, idem, quod ad præcedens, respondetur.

Ad *tertium* Punctum, mutuam spectans Fortalitiorum dirutionem, utrinque id declarabitur, ut proportio quædam sit ac prout ab utrâque Parte convenietur; vel ad Cameram Bi-partitam Negotium hoc deferetur.

Ad *quartum* quod attinet, Jura Sluysanorum Civitatis aut alterius cujuscumque loci, in quem Præpotent. D.D. Ordines Gener. imperium obtinent, nequaquam imminuere annituntur; quod autem ad aggeris prope S. Donatii Fanum dejectionem attinet, idem quoque Negotium ad Cameram Bi-partitam deferetur, ut, quod æquum justumque est, decernant. Vi Articuli sexagesimi & sexti (vide supra vigesimum & octavum diem Decembr. 1646.) octavo die Januarii confirmati atque subsignati, ut Inquisitiones Flandriæ aliarumque Regionum exhibeantur, D. D. Plenipotentiarii consenserunt.

Quod autem supradictorum quatuor Articulorum Scripto adjectum est, superfluum videtur, quandoquidem de privatorum quorundam Negotiis in antecessis abundè actum fuit: quod verò ad compositionem Hispanorum cum Gallis attinet, semper sese illa decidere voluisse atque etiamnum velle, nihil quoque à D. D. Plenipotentiariis, infra Nominandis, contra ea, quæ concessa ac promissa, & de quibus per Intercessionem Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariorum in hoc Negotio utraque Pars convenerat, commissum fuisse. Subsignatum, Comes Penerandæ, Fr. Josephus Arch. Cameracensis, A. Brun. Datum, Monasterii vicesimo & secundo die Septembr. 1647.

Exemplum Reſponſionis à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis datæ.

PRæpotentium D. D. Ordinum Generalium Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii, Regis Hiſpaniarum Extraordinariorum Legatorum Scriptis (quæ reſponſionis loco erant ad propoſitionem viceſimi & ſecundi diei Septem. 1647.) viſis perpenſiſque, declarant,

Summè dictos D. D. Ordines Generales, narratione ſeptuaginta & trium Articulorum, de quibus proviſionaliter conventum fuit, quique ab utraque Parte ſubſignati fuerunt, cognitâ perceptâque, decreviſſe, ut præmemorati ſeptuaginta & tres Articuli ineundo Monaſterii Tractatui inſererentur;

Supradictos verò ſeptuaginta & tres Articulos, de quibus conventum fuit, quique ſubſignati fuerunt, pro vero Tractatu neutiquam haberi poſſe; atque extra ſcopum rei eſſe, aliam iiſdem Ratihabitionem applicari, niſi Tractatus, cui ſupramemorati ſeptuaginta & tres Articuli inſerentur, ejuſque Ratihabitionis forma utrinque examini ſubjicietur, in anteceſſum concluderetur.

Inſuper etiam neceſſarium honeſtumque eſſe, ut ante Tractatus confirmationem omnes ſcrupuli ſive incommoda, quæ poſtmodum vel in ejuſdem interpretatione vel uſu oriri poſſent, removeantur atque avertantur, utque Articuli illi, qui extra ſupradictos ſeptuaginta & tres Articulos necdum deciſi ſuperſunt, examini ſubjiciantur ac confirmentur, quemadmodum juxta Decretum ſumme memoratorum D. D. Ordinum General. in propoſitione duodecimi diei Septemb. omnia latius expoſita ſunt;

Quocirca Regis Hiſpaniar. Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii rogantur, ut ſibi in memoriam revocent Articulum, *ſummum jus in Majoratum* cæteraque loca, quibus ibidem nomen impoſitum eſt, concernentem, decimo & quinto die Decembr. 1646. abſolute & ſine ullâ conditione conceſſum fuiſſe; Scripta verò, exercitium *Romanæ Religionis bonorumque Eccleſiaſticorum uſum* ſpectantia, in numerum præmemoratorum ſeptuaginta & trium Articulorum neutiquam recepta, neque hanc præfationem (ut ineundo Tractatui Monaſterii inſerantur) continentia, viceſimo & ſeptimo die Decembr. 1646. à Regis Hiſpaniar. Extraordinariis Legatis, ut ſex Menſibus poſt Tractatus confirmationem ac Ratihabitionem deciderentur, exhibita fuiſſe.

Quam propoſitionem ſumme dictorum D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii factam negant, quo Regi Hiſpaniar. aliqua *Superioritas* reſervetur, id enim viceſimo & quinto die Decemb. deciſum fuerat, verum in gratiam duntaxat Incolarum præmemorati Majoratus ac reliquorum trium locorum, quorum in Scriptis viceſimi & ſeptimi die Decembr. mentio facta fuit, utpote quæ ſummo Præpotent. D. D. Ordinum imperio ſubeſſe præſupponebantur.

Quum præterea notum ſit, citra oppoſitionem ab utraque Parte uſitatum fuiſſe, atque ejuſmodi exempla haud obſcura ſint etiam ejuſmodi, quæ ante Induciarum Tractatum obtigerunt, & tertio Induciarum Articulo confirmata fuerunt, *eum, qui urbis Dominus atque poſſeſſor exiſtit, eodem quoque medio patentis agri eodem pertinentis Dominum eſſe.*

Inſu-

Insuper quum utrinque conventum sit, ut, quicquid summedicti D. D. Ordines „ Generales tunc temporis in Brabantiâ, Flandriâ, non minus quam in aliis Provinciis possidebant, juri ipsorum summo relinqueretur, ipsius etiam Marchionatus Bergozomiensis, Baronatus Bredanensis, Graviensis, & quæcunque ab iis dependent, cum omnibus Suis Municipiis, pagis territoriisque eo pertinentibus, quemadmodum ex Declaratione super isthoc Negotio, nono die Aprilis 1609. à Galliar. & Magnæ Britanniæ Regum Plenipotentiariis institutâ, liquet. „

Cujus usus ex Declarationis vi summememorati D. D. Ordines Generales statim post expugnationem Sylvæ-Ducensem Anno 1629. de publico Religionis ac Politiæ exercitio disposuerunt. „

At verò Hispaniar. Rex contrariis Mandatis his sese opposuit, quæ cum pertinaciter defenderentur, Majoratus Incolæ, veriti ne confusio hæc in damnum Suum cederet, per libellum supplicem etiam atque etiam rogantes Præpotentes D. D. Ordines Gener. exorârunt, ut Thiloburgi atque alibi cum dictæ Majestatis Regiæ Commissariis varios conventus instituerent, quæ quum prosperum minus eventum, quam quidem persuasum sibi habuerant, sortirentur, *Retorsio*, quam vocant, subsequuta fuit, qua cùm præcones Religionis Reformatæ, tum Abbates, Pastores aliique Ecclesiastici ejecti ac præmemorati Majoratus Incolæ publico utriusque Religionis exercitio hactenus destituuntur. „

Quo vero *Majoratum* à *Sylva-Ducensi* tanquam Civitate Principe absque ullâ separatione dependere demonstrent, ad sufficientes firmasque rationes, in supradictis conventibus Thiloburgi atque alibi institutis à summedictis D. D. Ordinibus Gener. allatas fusiusque demonstratas, confugiunt. „

Adeò ut Civitate Sylvæ-Ducensi sub Imperium summum Præpotent. D. D. Ordinum Generalium redacta, atque è summâ Regis Hispaniar. potestate erepta, eodem medio & jure proprio Majoratus sub idem summememoratorum D. D. Ordinum Generalium imperium summum redactus sit, cujus exercitium solummodo per *Retorsionem*, quam vocant, impeditum fuit, eoque obstaculo remoto, jus in summum primum Suum locum restituitur, adeo ut neutiquam necesse sit summedictis D. D. Ordinibus Tractatum tradi, quod jam armis vicerant, aut Regem Hispaniensem tradere, quod jam amiserat. „

Quod ad Marchionatum Bergozomiensem, Baronatum Bredanensem Ditionemque Cuyckiensem attinet, suprà id, de quo tertio Induciarum Tractatus Articulo conventum, atque ad explicationem hujus Articuli à Galliar. & Magnæ Britanniæ Regum Legatis assertum tum esse diximus, notandum venit petitione Præsidentis Jamini Regis Galliar. Legati speciali Præpotent. D. D. Ordinum Decreto ejusdem loci Incolis Religionis Romanæ exercitium concessum fuisse, quod tantò magis Præpot. D. D. Ordinum Jus adstruit atque confirmat, quemadmodum etiam suummedicti D. D. Ordines redituum elocandorum jus, cæteraque alia in iis locis sibi retinuerunt ac reservârunt, summumque jus exercuerunt, atque etiamnum exercent. „

Summe memoratos D. D. Ordines Generales mansionem in iisdem locis Pastoribus non *absolutè* verum sub conditione concessisse, ut in Politico quocunque Negotio ad modum aliorum subditorum sese gererent, non verò ut illud munere pristi-

„ pristino fungendi Jus vel Hierarchiæ seu Ecclesiasticæ Jurisdictionis exercitium „ haberent; sed vero iidem transgressi, à Curiâ Brabantiæ Suprema ab hac Parte „ damnati supplicioque affecti fuerunt.

„ Quum autem exempla illa usu que notissimus sit, absolutos Dominos de pu- „ blico Religionis exercitio in Regionibus Ditionibusque Suis decernere; quum- „ que recens admodum memoria sit, primam Hierarchiæ Episcoporum introdu- „ ctionem Provincias disturbasse, quinimò vel ipsos Regis Hispaniar. præsules huic „ introductioni, utpote Provinciarum Privilegiis adversanti, Sese opposuisse,

„ Jure optimo asseritur, summedictorum D. D. Ordinum Gen. tanquam sum- „ morum Dominorum esse, de publico Religionis exercitio in Majoratu cæteris- „ que locis supra nominatis decernere, Sylvam-Ducum, Bergozomium, Bredam, „ Graviam cum omnibus Regionibus, Municipiis, Pagis ac Territoriis ab iis de- „ pendentibus, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. summo imperio subesse, atque „ firmæ Paci conflandæ incumbi.

„ Absurdum etiam est, respectu Præpotent. D. D. Ordinum Gener. in iis locis „ Hierarchiam quandam, vel aliud quoddam jus summum, exemptum atque diver- „ sum à summo jure Præpotent. D.D. Ordinum Generalium, sibi reservare, quod- „ que olim Provinciæ Ordines nec non Præsules, qui Regis Hispaniar. potestati „ obtemperabant, Provinciarum Privilegiis contrariari censuerunt.

„ Punctum autem aliud tam evidens est, atque ab eodem omnes absoluti Do- „ mini tantopere abhorrent, ut declarare teneamur, summedictos D. D. Ordines „ Gener. neque posse, neque decere dare atque permittere, ut summum cùm in „ Ecclesiasticis tum in Politicis jus atque imperium in supradictum Majoratum „ aliaque loca supramemorata à summedictâ Regiâ Majestate Hispaniar. adversus „ Eosdem in dubium vocaretur, vel ut præmemorati Scripti vicesimi & septimi De- „ cembr. 1646. restitutio denegaretur.

„ Nihilominus tamen, quandoquidem summedictorum D. D. Ordinum Gener. „ Regimen omni *mansuetudine atque equitate adtemperatum*, atque instructum est, ne- „ que, ut quivis facile cognitum perspectumq; habet, subditorum Suorum ulliusve „ personæ, cujuscumque tandem conditionis, conscientiæ vim inferunt, quo supra- „ dictorum locorum regionumque Incolas ejiciant; verum miseri Status omnium „ Incolarum Majoratus, qui à primo Retorsionis, quam vocant, initio ad hunc us- „ que diem omni publico utriusque Religionis exercitio orbati fuerunt, miseren- „ tur, concedunt ac permittunt,

„ Ut secundum præcedens Scriptum duodecimi Septembr. Romanæ Religionis „ Ecclesiasticis, qui jam sunt, *sufficiens*, dum in vitâ commorantur, *stipendium* assigne- „ tur, idque pro arbitrio summedictorum D. D. Ordinum Gener. de quâ re Acta „ quædam instituentur, ut bona extra Majoratum aliaque loca, quorum mentio „ supra facta fuit, sita, & vice versâ, componantur ad id, quod latius in præmemo- „ rato Scripto duodecimi Septembr. extensum fuit.

„ Omnes quoque Incolæ, cujuscumq; tandem conditionis, debitam obedientiam „ atque officium bonorum ac fidelium Subditorum præstantes, publicâ fide, Secu- „ ritate, protectione ac defensione vitam degent, eâque conscientiæ libertate absque „ ullo impedimento fruentur, quæ Legibus ac Provinciarum constitutione permissa „ est,

eſt, ac de facto in omnibus Provinciis, Oppidis & Regionibus, quæ ſummedicto-rum D. D. Ordinum Gener. imperio ſubſunt, conceditur.

Quod ſi autem ſupradicti Incolæ in præmemoratâ conſcientiæ libertate diſtur-barentur, ad ſummedictos D. D. Ordines Gener. ſeſe conferent, qui tanquam abſoluti ſummique Domini ea omnia, quæ libertatis Conſcientiæ conſervationem exigere judicabunt, conſtituent ac decernent.

Præpot. verò D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii perſuaſum ſibi habent fore, ut, ſi D. D. Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii æquo nulloque Partium ſtudio diſturbato animo rationum ſuprà allatarum pondus ac gravitatem per-pendere atque in Sua erga Pacem voluntate perſeverare velint, pedibus in eam ſententiam eant, hoc unicum atque commodiſſimum è tantis confuſionis flucti-bus emergendi medium fore; quæ, utpote Provinciarum Privilegiis adverſa, pri-mum Provincias perturbavit, deinde ipſos quoque præſules, ut Regi Hiſpaniar. ſeſe opponerent, quemadmodum ſupradictum fuit, commovit, hanc unicam ſalutaris illius Pacis conſequendæ viam fore.

Atque ad ejuſdem confirmationem ac perpetuam conſervationem ſeparatio-nem eorum neceſſariam eſſe, quæ nullam in ſeſe communionem habere poſſunt, at verò ſummam in ſeſe repugnantiam continent.

Hoc autem unicum & verum eſſe *Moderamen*, quod abſque conſcientiæ viola-tione ſummique Imperii præjudicio utriuſque Partis Regimini commodè appli-cari poteſt.

Quod ad *Tractus Tranſ-Moſanos tres* attinet, iis, quæ in ſeptuaginta & tribus Ar-ticulis conceſſis ac ſubſignatis expreſſa ſunt, uti antè, inhæretur.

Quum autem juxta eorum argumentum bellum continuetur, & actualis Arti-culorum valor Seſe ad Tractatus Concluſionem conferat, res ipſa clariſſimè in-dicat Cameræ Bi-partitæ Inquiſitionem ad Tractatus Concluſionem componi ac conformari oportere, quemadmodum ſuperiori Scripto, duodecimo die Se-ptembr. tradito, dictum fuit.

De *Citeriore* autem Gelriæ *Parte* actum diſceptatumque fuit, atque extra tri-ginta & ſeptem Articulos Negotium illud in priſtino ſuo loco remanſit.

Ad hæc etiam Notandum venit, Provincias ſejuncta membra reſtituere & cum corpore Suo conciliare vi Unionis teneri, quum abſque illa reſtitutione ac con-ſolidatione nequaquam excogitari, aut excogitata licet, firma ac ſincera Pax coli, ullo modo poſſit, cui comparandæ, omnique odio ac novas diſſenſiones produ-cendi occaſioni præcavendæ incumbitur.

Neque enim Præpotent. D. D. Ordines de mediis æqui *Moderaminis*, quod re-ſpectu hujus conſolidationis uſurpari commodum foret, agere recuſant.

Quod ad minora Fortalitia ad Swyndam, prope Sluyſam in Flandria, ſita atti-net, eorum dirutio à Parte Regis ſexageſimo & quinto Articulo reſervata fuit, ſub conditione reciprocæ dejectionis à Parte ſummedictorum D. D. Ordinum Ge-neral. inſtituendæ, quâ de causâ neceſſe eſt, ut à Parte Regis Hiſpaniar. Fortalitia exprimantur, quæ à Parte Præpotent. D. D. Ordinum Generalium mœnibus ſuis exuerentur, quò tanto commodius ea de re conveniri queat.

Ut ex ordine *univerſalis bonorum ac juris reſtitutionis*, quæ vi Tractatus ab utraque

„ Parte restituatur atque integrum conservetur *jus aquaticum* Civitatis Sluysanorum, prout olim Civitati isti competiit ejusque exercitium bello Damoque in flumine (vulgo *de Soute*) prope S. Donatii Fanum impeditum fuit.

„ Quum insuper necessarium atque è re sit liberæ emptionis, conversationis ac Commerciorum inter præmemoratos subditos, de quibus undecimo septuaginta & septem Articulorum conventum fuit, ut supradictum Damum diruatur: quod præcipue Brugensium Civitati aliisque locis supradicto Ostio (vulgò *de Soute*) adsitis ac vicinis maximo commodo cedet.

„ Traditio informationis, *Limites* concernens, concessa fuit.

„ Quod ad privatorum Negotia attinet, de eo conveniri necessarium est, in quo, quod æquum ac justum est, ut fiat, opera dabitur.

„ Quæ omnia Præpotent. D.D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii disertâ hac conditione agunt, ut *Gallis reipsa relinquantur, quæcumque antehac concessa ipsis percipientur*, quem in finem Regis Hispan. Plenipotentiarii clarius mentem Suam exprimerent ac plenius respondebunt ad ea, quæ sub finem Scripti Sui vicesimo & secundo die Septembr. 1647. tradito proposuerunt;

„ Etiam atque etiam rogantes, ut Puncta, quæ inter utrumque Regem necdum composita sunt, æquanimiter transigere velint. Dabantur Monasterii, vicesimo & octavo die Septembr. 1647. Subsignatum erat, D.D. à Gent, Mathenesius, Pauw, Knuytius, Reede, Donia, Ripperda, Clantius.

Exemplar Declarationis, à Regis Hispaniar. Plenipotentiariis respectu Gallorum institutæ.

Nulla eorum, quæ Regis Hispaniar. Plenipotentiarii concesserunt, immutabuntur; Puncta quoque proposita non decidentur, ut & Limites terminique Cataloniæ, Moderamen respectu Porto-Longonæ ac Piombini, quinetiam compositio Casaliensis, Punctum exsolutionis Infantis Catharinæ Sabaudiæ. Hæc omnia Arbitrio atque Moderamini Præpotent. D.D. *Ordinum Gener. Plenipotentiariorum, &c. Subsignatum erat, Comes Penerandæ, Iosephus A. Cameracensis, A. Brun.*

De Citeriore Gelriæ Parte sequentia disceptata fuerunt, at vero in Statu Suo atque extra septuaginta & tres Articulos remanserunt.

Conventum fuit mutuò, ut Citerior Gelriæ Pars cum æqualis cujusdam loci traditione commutaretur, de qua decem Mensibus post Tractatus Conclusionem convenietur; quod si autem in æquivalentiâ Partes discrepent, ad Cameram Bi-Partitam Negotium illud deferetur.

Regis Christianissimi Legatus Thuillerius, cognito perceptóque quantopere Hispani & Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii proficerent, vicesimo & tertio die Octobris, ad Concilium admissus sequentia proposuit.

PRÆ-

Præpotentes Domini,

QUanquam Tractatuum Monasteriensium commodo ac promotioni exoptandum fuisset, ut omnes Plenipotentiarii Vestri ibidem mansissent, nihilominus Deus Opt. Maximarum rerum Moderator summus, permisisse videtur, ut nonnulli eorum in Provincias hasce advenirent, loci ac Status, in quo Pacis Tractatio sita est, rationem Vobis reddituri, quo eum probè edocti pro merito perpenderetis, ac proinde etiam supprimeretis rumores, qui tam varii ac tam falsi sparguntur, quique sibi invicem tantoperè contrariantur, ut, quibus fides habenda sit, penè omnes ignorent, quum ab unâ Parte Pacem à Nobis respui omnesque propositiones eò spectantes atque inservientes rejici, ab altera verò Parte Pacem inter utrumque Regem jam conflatam initamque esse, ac, nisi Præpotentes D. D. Ordines Generales maturent, Tractationem Eorum succisam iri, ferant.

Quocirca, Præpotentes Domini, Memetipsum Vobis sistere, officii mei esse duxi: ac primò quidem, ut certò Vobis pollicerer, Nos Pacem desiderare, atque omne Nostrum studium, omnem operam, ut concludatur, impendere, Nosque, si æqua, firma atque sincera offerretur, tanti Negotii finem facere eamque læto vultu acceptare, neutiquam recusare. Secundò, ut confessionem Vobis extorquerem, Nos, tantum enim abest ut cum Hispanis convenerimus, tantum in præcipuis Punctis, quantum sex Mensibus ante, discrepare: si verò contrarium quis spargat, *id fit in favorem Hostium Nostrorum*, eâ intentione, ut Nos intricet, Nosque, si fieri possit, sejungat, quò eos periculo eximat, quod Unio ac Fœdus Nostrum Ipsis minatur, iisdemque in tuto collocatis, conditiones quas Nobis promiserunt, vel Vobis vel Nobis (si tam imprudentes essemus ut dissolveremus) prout ipsorum res ac Fortunæ postulabunt, explerent: Præpotentes Domini, postremò quoque ut Vobis, Fœderationes ac devinctiones, quæ Gallis Vobiscum intercedunt, in memoriam revocarem.

Nos ad Pacem adspirare, belli diuturnitas, tanta effusi sanguinis Copia, totque impensæ ac consumptæ opes, belli finiendi justum tempus adesse oportere abunde testantur. Præsentia ac Galliæ Ministrorum Monasterii commoratio satis superque docent, hanc esse sententiam mentemque Nostram, neque Majestates Suas tam excelsæ dignitatis Statusque Principem, quantæ Celsitudo Sua Longevillæ, neque etiam Duces Avaucium & Servientium tantâ rerum sufficientiâ destitutos aliisque Negotiis commodius impendendos ibidem detenturas esse, nisi Pacis desiderium reliqua omnia longè anteiret. His addite operam, curam atque industriam, quâ D. D. Intercessores impulimus ut hostium Nostrorum animum emollirent, ac Paci deditum redderent; labores, quos (sed penè frustrà) D. D. Plenipotentiarii Vestri, quibus, prout Hispani ajebant, nihil denegaturi videbantur, impenderunt; instantias varias, quibus Comes Servientius & Ego apud Vos, Præpotentes Domini, simulac Securitatis mutuæque defensionis Tractatus conclusus erat, institimus, ut Pacis Tractatio, quæ succisa nonnihil videbatur, quamprimum redintegraretur, utque eum in finem D. D. Plenipotentiarii Vestri Monasterium rursus delegarentur; Nostrorum verò hostium contrà fundatas atque nixas

nixas commodo atque aptitudine unius Viri, qui ipsos non minus in urbe quam in castris invenisset, nisi eos tacitè prætermittere statuisset, absque ullâ rerum mentione faciendâ, ut animadverteret, utrum Ille Domino Suo magis quam priores, conduceret, an ejusmodi existeret, ut ad Statum Suum quidquam inde utilitatis rediret: Pacem Nos cupere, atque eum, qui inficias it, immeritò atque injuriâ summâ Nobis belli progressus & continuationis calumniam imputare, Vos, Præpotentes Domini, confiteri necesse habebitis. Neque horum, quæ diximus, testes ullos, præter Vosmetipsos totumque Monasteriensem Consessum, desideramus.

Quantum verò ad Statum, in quo Nostra cum Hispanis Tractatio sita est, attinet, cum D. D. Pauw & Knuytius Vobis, Præpotentes Domini, indicare poterunt: hoc interim ipsis lubens dabo, quasi de toto Negotio, ubi de plurimis Articulis conventum fuerit, Nos non convenisse immeritò à Nobis dici. At verò si de iis solum convenisse censeamur, quæ exigui sunt momenti, quæque revocari possunt, ac tantum, imo plus commodi hostibus quam Nobis afferunt, in quæ ut consentirent, à Mediatoribus ægre adducebantur, ipsi quoque maximi ponderis Articulos, scil. qui Tractatum constituunt, denegent atque detrectent, aut Suo modo explicent & declarent; nullus dubito, quin, Nos à compositione longissimè abesse, haud inviti confessuri sitis: Utque ad oculos demonstrem, en Vobis, Præpotentes Domini, Puncta illa, de quibus etiamnum inter Nos controvertitur.

Primo autem Puncto Negotium Portugalliæ continetur, cujus disertam mentionem Hispaniar. Regis Ministri in fine Tractatus rejiciunt, quò rationem ac medium dissolvendi sibi retinerent.

Alterum Ducem Carolum concernit, de quo non nisi in Ipsius commodum agere volunt, licet sæpius insigni ordine locoque viri, quique Tractationi intersunt, dixerint, quod si præter hoc unum nihil superesset, Paci neutiquam obfuturum: ejusmodi tamen naturæ ac conditionis est, ut, silentio hoc transire, sit, Pacem componere & non componere, vel, ut rectius dicam, sit, Pacem ab unâ Parte conflare, quò ad arma ab alterâ Parte redeatur.

Tertiò de *commodis*, quæ in corpus occupatorum locorum introducenda sunt, non dilucidè differitur, non obstante Declaratione, quam instituimus, quâ nihil Nos ab Ipsis, præterquam quod Hispani Vobis concedunt, petere declaravimus.

Quarto Limites terminique & *Munimenta Roussillonienfia & Catalonienfia* componenda restant; neque hostes Nostri id recusant, nisi ut Nos obstringerent quò ab utraque Parte unicum saltem reservaretur, quod fieri nullo modo potest, quantoperè etiam ad id annitantur, absque exigua confusione, quâ voluntatem horum populorum, summam vivendi libertatem ipsis polliœendo, immutare conantur.

Quod ad Portolongonam & Piombinum attinet, de Moderamine quodam agunt, quamvis nulla compositio alia restet, quam ut Ipsis relinquantur, quum bina illa loca, quæ offerunt, occupatorum locorum partes sint.

E Casaliâ Nos ejicere volunt nulla habitâ ratione præliorum quæ commisimus, Domi-

Domino suo oppidum illud conservaturi, atque millionum, quibus commiseratio hæc Nobis constitit: atque etiam ipsos tædet, Nos, locum hunc deserentes, prout obtulimus, necessariò præcavere ne in eorum potestatem rursum redigeretur. Imò abundè sese Nobis satisfacere arbitrantur, si Verselam concessuros se dicant, perinde ac si æqualitas in hoc Puncto inter Nos intercederet, non major quam in aliis Punctis.

Quinque aut sex alia Puncta supersunt, quorum multa minoris ponderis, at verò nulla tam exigui momenti, ut Tractatum meritò suspendere nequeant, aut efficere queant, ut Vos, Præpotent. Domini, lubentes concedatis Negotium hoc studium atque diligentiam Vestram mereri, atque huic Reipubl. (si de eo laboraret, atque iis mediis uteretur, quibus potest, longe alia, quam ejusmodi arbitrii ac Moderaminis, cujusmodi Hostes Nobis offerunt) gloriæ, quod ad tranquillitatem Pacemq; maximorum totius Orbis Christiani Regum, atq; ipsorum etiam Christianor. plurimum fecerit, procurandæ ac promovendæ aptum natum esse. Præter curationem, quæ nobilissimas quoque animas commovere debebat, Vos insuper, Præpotent. Domini, tenemini, atq; ad id Tractatibus, quos cum Gallis iniistis, *expresse devincti obligatique estis*, quos sine promissorum oblivione transgredi ac violare non poteritis: quò tamen processuros Vos esse in animum meum inducere nequeo. Veniam Mihi dabitis, Præpotentes Domini; ut Vobis eos impræsentiarum in memoriam revocem: Non jam Tractatus diu antè & à primis Reipubl. Vestræ primitiis cum Gallis initos referam: Tractatui Anno 1644. composito insistam, qui præsenti tractando Negotio tanquam norma ac regula inserviet, atque Tractatu Anni 1647. confirmatus fuit; Ut sc. *pari passu* in Pacis Tractatione procederemus, defensionem ac protectionem omnium Nostrorum Oppidorum locorumq; captorum mutuo susciperemus, omnibusque Nostris viribus promovendæ Alterutrius satisfactioni incumberemus, Nos, Præpotentes Domini, obstrictos obligatosque tenet. Claris ac disertis verbis nisi simul ac communi consensu contrahere vetat, hac conditione additâ, ut, si ad Tractationem maturandam aut retardandam mutuas devinctiones atque obstrictiones Hostibus declarare necesse foret, id, quoties à Nobis petetur, facere teneremur. Status, in quem redacti sumus, cognitus Vobis perspectusque est, quod hæc Vobis exposuerim, & quousque profecistis non ignoratis. Quocirca Vos, Præpotentes Domini, Nomine locoque Majestatis Suæ etiam atque etiam rogo, *ne*, supramemoratos Tractatus observantes, *ulterius procedatis*, *priusquam Nostrum etiam Negotium promoveatur*, ut Hostibus declaretis non posse Vos contrahere, quò spes illa Nos sejungendi, qua nunc aluntur, eripiatur, neque id efficere intermittatis, quò ea, quæ Nobis obtulerunt ac promiserunt, præstent. In cujus rei gratitudinem Vobis, Præpotentes Domini, de Rege ac Regina Matre polliceor, atque in Memetipsum recipio, Majestates Suas cum Rege Hispaniarum Inducias nullas, nisi Vobiscum unà, composituras esse, insuper etiam ejusmodi declarationem apud Easdem instituere velle, cujusmodi Vobis, Præpotentes Domini, ut instituatur, visum erit. Sed paucis, Eas fideliter ac sincerè præstituras esse ea, quibus Vos insignierunt, utpote quæ carissima omnibus absolutis Dominis esse oportent. Cum autem Vestrâ, Præpotentes Domini, Intercessione res in commodum locum redacta

dacta fuerit, Hispanosque commoveritis, ut Nobis comprobarent Sese non minus quam Nos Pacem sincerè expetere, fidem ac fiduciam quam in ipsis habemus, ac Nostram Amicitiam, eorum continuandi ac conservandi voluntatem, testatam Vobis faciemus. Dabantur Hagæ-Batav. vicesimo & tertio die Octobr. 1647. Subsignatum erat, *Tullerius.*

At verò, quam parvi ea fierent, inde liquet, quod eodem die, præsente Celsissimo Arausionensium Principe, in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. à Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ Ordinibus sententia proponebatur, quâ reipsa, quæcumque à D. D. Plenipotent. acta fuerant, approbabantur; scil. Negotium Pacis Tractationis, juxta relationem 21. die Octobr. factam, in eum locum redactum esse, ut tandem concludi posset: nec non declarabatur,

Validiores neque recentiores terminos aut conditiones requiri, quibus Majoratus Sylvæ-Ducensis jus summum atque absolutum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. stipularetur.

Tertium confirmatorum Articulorum Punctum, quidquid ad eandem materiam pertinebat, firmis validisque terminis complecti.

Punctum illud originali Instructione, quam D. D. Plenipotentiarii in mandatis acceperant, contineri.

Non solum tempore confirmandæ suprà dictæ Instructionis omnium Provinciarum Ordines huic Puncto calculum suum adjecisse, verum etiam Decretis reiteratis idem constituisse.

De *Ecclesiasticis* in iis regionibus ut quidquam diceretur, Præpotent. D.D. Ordinibus Gener. nunquam visum fuisse, verum occasione cognitorum Actorum, vicesimi & septimi Decembr. proximè elapsi, de Moderamine agentium, Regis Hispaniarum Plenipotentiarios illa omnia proposuisse.

Acta illa repetita atque annihilata iri, quemadmodum juxta relationem institutam offertur, quod D. D. Plenipotentiariis propterea speciatim in mandatis datur, eoque peracto, Negotium hoc pacto ad terminos primæ Instructionis ad tertium Articulum deventurum esse, id est, *ad ipsissima sui principia* ab omnibus Provinciarum Ordinibus sæpius approbata, quod à Nobilibus ac Potentibus unanimi omnium membrorum ac civitatum consensu constituitur ac decernitur.

Ut porrò juxta Mandata, Decreta, aliasque D.D. Plenipotentiariorum Instructiones ad Tractationis perfectionem procederetur, atque insuper ipsis Acta Ratihabitionis traderentur, quò eadem Monasterii cum Regis Hispaniar. Ministris confirment,

Utque sæpius memorati D. D. Plenipotentiarii, quam primum sese Monasterium conferant, ac Negotium, uti antehac, conficiant, rogari.

Quod cùm perpensum ac Celsissimus Arausionensium Princeps de hac re prudentissimam sententiam rogatus esset, Provinciali Hollandiæ & West-Frisiæ Sententiæ calculum suum adjecit, ac proindè reliquarum Provinciarum Ordines rogare visum decretumque fuit, ut quamprimum fieri posset, ad summum intra octiduum, de suprà dictis quid sentirent, declarare dignarentur.

Nobilium ac Potent. Gelriæ Ordin. postmodum lata atque exposita Sententia hæc erat, ut Punctum *Majoratus* Sylvæ-Ducensis cum iis omnibus, quæ ab eo dependent,

pendent, aliorumque locorum similium, quorum tertio Articulo septuaginta & trium, ut & ulteriori Præpotent. D. D. Ordinum Decreto decimi & octavi Maji 1647. cum tertio postremò confirmatorum Articulorum neutiquam immutaretur, adeò ut Jure summo ejusque annexis à Rege Hispaniarum absque ullâ reservatione renuntiatis, Scriptoque Moderaminis, quod antehac traditum fuit, recepto, verba illa, *in Ecclesiasticis & Politicis*, Instructione novissimâ Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiariis & Legatis Extraordinariis traditâ excerpta haberentur.

Secundo die Novembris Zelandiæ Deputati, Ultrajecti & Trans-Ysulaniæ, ut Provinciales sententias super summo atque absoluto Jure *Majoratus* Sylvæ-Ducensis aliorumque locorum similium, quorum tertius supramemoratorum septuaginta & trium Articulorum Monasterii confirmatorum meminit, exponerent, rogati, Zelandiæ Deputati Provincialem suam sententiam, quid de suprà dicto Negotio sentirent, oretenus exposuerunt, cui D. D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis hactenus sese accommodarunt: D.D. Deputati Trans-Ysulaniæ Provincialem suam de hac re sententiam scriptam tradiderunt, cujus exemplar reliquarum Provinciarum Ordines petierunt, quod iisdem concessum fuit: Zelandiæ quoque Deputati, ut sententiam suam scriptam tradere vellent, quò ejus quoque exemplar reliquarum Provinciarum Ordines acciperent, rogabantur, quam Zelandiæ Deputati tradituros sese polliciti fuerunt.

D. D. Deputati Provinciæ Ultrajectensis nullum Pacis Tractatum cum Rege Hispaniarum,nisi juxta Tractatus cum Rege Galliarum initos,concludi oportere sentiebant: ac proindè etiam ab Hispanis *omnia loca expugnata*, quæ Galli tempore concludendæ Pacis possidebunt, ipsis relinquenda esse, omnia quoque, quæ Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii subsignabunt, veri Tractatus effectu destituta iri, usquedum Rex Christianiss. & Præpotentes D. D. Ordines Gener. cum Hispanis eodem tempore transegissent,eorundemque Ratihabitiones subsequutæ, præterea etiam *Securitatis* Tractatus, inter Galliarum Regem & Præpotentes D. D. Ordines Gener. initus, ante supradicti Tractatus conclusionem Hispanis comprobatus foret.

Frisiæ autem Ordines declarabant, lectâ à D. D. Heemstedio & Knuytio utroque Præpotent. D. D. Ordinum Extraordinario Legato & Plenipotentiario ad universalis Pacis Tractationem Monasterii instituta, in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum oretenus primum habitâ deinde Scripto traditâ narratione status Tractationis inter Regem Hispaniarum ab unâ, & Præpot. D. D. Ordines Gener. ab alterâ parte, ut & conditionis Tractationis inter Hispanos & Gallos &c. perceptoque simul, dubia quædam præter tertium septuaginta & trium confirmatorum Articulorum moveri, in eâ sese sententiâ esse, tertium septuaginta & trium Monasterii confirmatorum & utrinque subsignatorum Articulorum difficultatum, si forsan (præter opinionem tamen) quædam de Religione in suprà memoratis Regionibus orirentur, decisioni sufficere, ac proinde tertium illum Articulum ulterius limitari supervacuum esse, quandoquidem traditum jus summum nihil quidquam excludit aut reservat, sive in Ecclesiasticis sive in Politicis ejusque annexis, verum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. plenè ac purè tradit jus illud quod

quod Præpotent. D. D. Ordines Gener. ac reliquæ Provinciæ jam obtinent, cū lege tamen, ut Acta Decembr. 1647. de eā re agentia annihilentur.

Porrò sese Tractatibus cum Gallis initis, nec non Securitatis Tractatui 1647. qui reliquos subsequutus fuit, insistere, rogantes ut omnes nervi intendantur summæque Partes ad succinctam brevemque difficultatum decisionem, sive per Mediatores sive alio quocumque medio commodissimo id fiat, adducantur, ea conditione, ut Hispani ante concessa promissaque Gallis præstent,

Ne Provinciæ longi temporis dispendio de aliis mediis cogitare necesse haberent.

Trans-Ysulaniæ autem Deputati 7. Novembr. sic sentiebant, omnia Instrumenta Actaque inter Regis Hispaniarum Plenipotentiarios & Præpot. D. D. Ordines Gener. à vicesimo & septimo die Decembr. 1646. tradita ac commutata, Hispanorum prætensionis in Majoratu Sylvæ-Ducensi aliisque locis similibus Moderamen spectantia, annihilari, atque inter Hispanos & Præpotent. D. D. Ordines Gener. solum tertium septuaginta & trium Articulum firmum haberi oportere, modò post verba illa, *in omnibus Privilegiis summi atque absoluti Iuris*, inseratur, *nullo excepto atque eodem modo*, quo Uniti Belgii Provinciæ ea observant.

Insuper etiam ut immediatè post divulgationem Pacis in supradictis quoque Regionibus divulgarentur Edicta illa, quæ antehac in Fœderati Belgii Provinciis adversus publicum Romanæ Religionis exercitium divulgata fuerunt, utque inde ab eo tempore Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Decreto idem certò constitueretur.

Postridiè Zelandiæ Deputati sententiam suam dixerunt, perpensa relatione à D. D. Heemstedio & Knuytio, duobus è Præpotent. D. D. Ordinum Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis Monasterii vicesimo & primo die Octobris, & 1647. in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gen. instituta Scriptoque tradita, ac præsertim deliberatione habita eorum, quæ *summum atque absolutum in Majoratum Sylvæ-Ducensem* aliaque loca similia, quorum tertius septuaginta & trium Monasterii confirmatorum Articulorum meminit, Jus concernebant, visum sibi fuisse declarare, quod, post tam varias tamque serias deliberationes institutas, tandem unanimi omnium Provinciarum Ordinum consensu Decretis decimi & octavi Maji, septimi, decimi, & decimi & tertii diei Augusti, proximè elapsi, visum ac constitutum erat, Pacis Tractatu cum Hispanis ineundo, *summum atque absolutum jus* cum Ecclesiasticum tum Politicum in Majoratum Sylvæ-Ducensem aliasque Regiones, quarum supramemorato Articulo tertio mentio fit, stipulandum esse, ac proinde Scriptum vicesimo & septimo die Decembr. 1646. traditum annihilandum, sine quo nullus cum Hostibus Tractatus concluderetur, in eo nihil quidquam, nisi communi omnium consensu, immutandum esse: Adhæc Nobilibus ac Potentibus D. D. Ordinibus visum fuit supradictis Decretis insisti oportere.

Rationes prægnantes, quæ Nobiles ac Potentes D.D. Ordines ad id impulerant, sequentes erant, quibus Zelandiæ Ordines, reliquar. quoq; Provinciarum Ordines motos fuisse, firmiter sibi persuadebant, ut suprà memoratis Decretis non modo *summum atque absolutum jus* in suprà dictum Majoratum aliaque loca stipulandum foret

foret

foret constituerent, eâ intentione, ut Ecclesiasticum non minus quam Politicum includeret, ac Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. utrumque exercere velle, verum etiam ut ad majorem certitudinem Ecclesiastici disertis verbis mentio fieret;

Scil. quò omnibus pravis detorsionibus ac perversis interpretationibus occurratur, quæ temporis progressu ab Hispanis aliisvè excogitari possent, *dispositionem sc. Ecclesiastici à Politici dispositione diversam ac separatam neque summo absolutoque Iure Ecclesiasticum comprehensum fuisse.*

Quandoquidem Hispani aliquoties declarârant, quemadmodum D. D. Plenipotentiariorum literæ vicesimo & octavo die Decembr. 1646. exaratæ idem testantur, Hispaniarum Regem nullâ aliâ conditione omnibus suis juribus in Majoratum Sylvæ-Ducensem cessisse, aut etiamnum cedere posse, nisi sub conditione, ut respectu *Ecclesiasticorum* Moderamen quoddam, in utriusque Partis satisfactionem, institueretur.

Quum Hispani, Ecclesiasticorum dispositionem non Regi suo, verum Pontifici Romano competere credidissent, cui sententiæ calculum nostrum adjiceremus, nisi Ecclesiasticorum expressa mentio fieret.

Quandoquidem inter Regiones, quarum suprà dictus tertius Articulus meminit, ejusmodi erant, in quas Præpotent. D. D. Ordines Gener. superiorum Induciarum tempore plenam Ecclesiasticorum dispositionem non habuerunt, saltem jus suum non exercuerunt eo modo, quo in Unitis Belgii Provinciis fieri consuevit, ac proindè absque supramemoratâ expressâ mentione videri atque ab Hispanis credi posset, Præpotent. D. D. Ordines suprà dictas Regiones nullâ aliâ conditione Pacis Tractatu occupaturos ac possessuros esse, quam superiori Induciarum tempore tenuerunt, atque id adeò, quod pro certò habetur, sæpius memoratas Regiones in Ecclesiasticis longè alterius esse conditionis ac naturæ, quam est Majoratus, qui Episcopatui Sylvæ-Ducensi subest, quum contrà reliquæ Regiones, Episcopo Antverpensi subjectæ, Hostis imperio subsint.

Denique ut supra dicto Tractatu constet, Præpotentes D. D. Ordines Gener. de Ecclesiasticis in Majoratu aliisque locis eodem modo disponere, quo Præpotent. D.D Ordines Gener. ac Nobiles & Potentes Provinciarum Ordines in Unitis Belgii Provinciis Fœderatisque Regionibus, Civitatibus membrisq; de iisdem disponunt, neque ullum in Ecclesiasticis Moderamen admittere velle.

Quod tantò magis necessarium erat, quia Articulis, de quibus decimo & quinto die Julii, 1646. provisionaliter conventum ac subsignatum fuit, Moderamen quoddam concessum eique jus summum alligatum adstrictumque fuerat.

Omnes hæ rationes non modo vim ac vigorem suum amiserant, verùm earum quædam nunc magis feriebant, quum loco perversæ Interpretationis, cujus metus Præpotent. D.D. Ordines Gener. ceperat; quæ postmodum adversus Præpot. D. D. Ordines Gener. hoc aut alio quocumque modo in exercitio Auctoritatis in Ecclesiastica institui posset, Hispani etiam ante Tractatus conclusionem disertis verbis testarentur, pleno atque absoluto Jure Ecclesiasticorum dispositionem neutiquam contineri, neque absoluto Domino (qualis eorum Hispaniarum Rex fuerat) verum Pontifici Romano in loca illa imperium competere, quæ sen-

tentia manifestò corroboraretur atque approbaretur, si propter suprà dictas sententias atque instantias ab Hispanis, huic fundamento innixis, allatas ac institutas, vox *Ecclesiastici*, Tractatui non insereretur, atque è Præpot. D. D. Ordinum Gen. Instructione mandatisque excerperetur.

Ac proinde idem hoc necessariò Ecclesiasticum respiceret, eoque pacto Hierarchia, quam Pontifex Romanus prætendit atque exercere studet, planè stabiliretur ac confirmaretur.

Contrariæ verò rationes, quæ ad excludendam vocem *Ecclesiastici* allegantur, Nobilibus ac Potentibus D. D. Ordinibus pro ejusmodi, quæ fundamento ullo niterentur, aut expensionem mererentur, haberi non poterant.

Primùm enim, quod ajunt, si Acta vicesimi & septimi Decembr. 1646. annihilarentur hocque Negotium, pro eo, quod tertio Articulo confirmatum fuit, haberetur, fore, ut hæc *ad ipsissima principia* redigerentur, contra illa infertur, Negotium supramemoratum propter rationes modò allatas aliâ formâ jam indutum, sine manifesto magnoque præjudicio, deque falsis Hispanorum judiciis consensu, in iis, quæ confirmata fuerunt, relinqui non posse, quemadmodum Præpot. D. D. Ordines Gener. Decreto suo decimi & octavi diei Maji, 1647. idem senserant; quum visum sit, non modò ut supradicta Acta vicesimo & septimo die Decembr. 1646. tradita annihilarentur, verum insuper etiam summum absolutumque jus in Ecclesiasticis stipularetur.

Quod non minus Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii examinârunt ac perpenderunt, cum primo suo Scripto, præsens Negotium concernente, Hispanis Monasterii tradito, (Actis vicesimi & septimi Decembr. necdum subsignatis) plenissimum atque absolutum jus, in Ecclesiasticis, in suprà dictum Majoratum aliaque loca stipulari ac Tractatu confirmare voluissent.

Ratio autem, quam ex iis, quæ primo Articulo confirmata fuerunt, nectere conantur, de quo cum Hispanis Monasterii conventum fuit, de summo Præpot. D. D. Ordinum Gener. Imperio agente, perinde ac si, neglectâ in eo Ecclesiastici & Politici juris expressâ mentione, identitate rationum indè sequeretur, suprà dictum sc. Jus *Ecclesiasticum* hoc tertio Art. exprimi non esse necessarium, nullius prorsus est momenti ac ponderis, quum supramemorata expressa mentio requiratur, quandoquidem non solum de summo atque absoluto imperio in Majoratum Sylvæ-Ducensem, verum etiam in specie de Ecclesiasticorum dispositione cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. controvertitur, ejusdemque Moderamen in Partis alterutrius satisfactionem postulatur, neque sine eo Hispaniarum Rex de suprà dicto Majoratu decedere cupit, ab alterâ quoque Parte, quandoquidem in Baronatu Bredanensi, Marchionatu Bergozomiensi, &c. de Ecclesiasticis non eodem modo, quo in Unitis Belgii Provinciis, dispositum erat, quibus de causis supramemoratus quoq; Majoratus aliæq; Regiones sæpius dicto Articulo tertio nominatim ac speciatim expressæ sunt, quod respectu Unitarum Belgii Provinciarum in supramemorato primo & tertio Articulo neglectum fuerat: *Impossibilitas*, quam Hispani prætexunt, rationesque in eum finem allatæ, ob quas ab Hispaniarum Rege voces *Spiritualis* sive *Ecclesiastici* admitti non possent, nullius prorsus sunt momenti.

Nam

Nam quod dicant, *Hispaniarum Regem de Ecclesiasticis dispositione destitutum, de iis dispensare aut de ullo suo jure decedere non posse*, nihil probat.

Quum à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. nulla *cessio* seu *dispensatio* petatur, verum tantum ut absolutæ Superioritatis jus Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. in Majoratum aliaque loca competens Pacis Tractatu extra dubium collocaretur atque firmaretur, ac proinde Hispaniarum Rex omnium impedimentorum perturbationumque, quibus hactenus Præpotent. D. D. Ordines Gener. in summi juris excercitio ac præsertim in Ecclesiasticis infestavit, finem faceret.

Iam vero non ad Regem sed ad Pontificem Romanum in hisce dispositionem de Ecclesiasticis pertinere, frivolum erat, quum notissimum sit atque ab omnibus Politicis Scriptoribus, etiam Hispanicis, asseratur, cui jus summum competit, ad eundem quoque publicæ Religionis Auctoritatem pertinere, ac proinde in dubium vocari non posse, quandoquidem Hispaniarum Rex absolutum imperium in Majoratum Sylvæ-Ducensem obtinuit, quin ad Eundem quoque de externâ Religionis conditione dispositio pertinuerit, atque idem jus exercuerit, quemadmodum ex Decreto, à Sacro Romano Imperatore Carolo Quinto, Edictisque à Galliarum Regibus Reformatæ Religionis Confessoribus datis concessisque liquet, atque

Ex collatione beneficiorum Ecclesiasticorum ac præcisâ in ea juris conservatione, publicam Religionem concernente, & transactionibus de ea re Tractatu quodam absque Pontificis Romani interventu institutis.

Quemadmodum etiam nuper, juxta D. D. Heemstedii & Knuytii relationem, Inter Gallos & Hispanos de Episcopali in Cataloniâ Jurisdictione Monasterii conventum fuit.

Nec non inter S. Cæsaream Majestatem & Sueciæ Regem de traditione ac permutatione totius Episcopatus, &c. actum fuit, plurimisque aliis exemplis, quæ hîc enarrare nimis longum foret.

Quod autem ad Pontificem Roman. attinet, is extra Romaniam nullum summum Imperium, verum Ecclesiasticam duntaxat Jurisdictionem in ordine ad Spiritualia in Regiones sibi deditas obtinet; cujus vi doctrinæ Puncta controversiasque decidit ac definit, deque ceremoniis & Hierarchiâ disponit ac decernit, verum nullo modo publicam Religionem, quod absoluti summique Domini est, protegit ac defendit.

Adeò ut Pontificis Romani Jurisdictio, merè accidentalis cum sit, manifestò cessaret, si suprà dictarum Regionum dominium jure belli successionis, aut alio quovis modo ad ejusmodi absolutum Dominum, qui à Religione Romanâ abhorret, transiret.

Quum maximè absurdum sit, Hispanos arbitrari, voces *Spiritualis* vel *Ecclesiastici* pro Regiminis Sui constitutione in nullo Tractatu usurpari licere, quandoquidem liquet, in provisionaliter concessis atq; ab omnibus Regis Hispaniar. Plenipotentiariis decimo & quinto die Julii 1646. Monasterii subsignatis Articulis expressè dici, respectu *Ecclesiasticorum* in Majoratu Sylvæ-Ducensi Moderamen quò utrique Parti, nimirum Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. & Hispaniar. Regi, non verò *Pontifici Romano* satisfieret, excogitatum iri.

Adhæc in Actis vicesimi & septimi die Decembr. 1646. disertis verbis exprimi, de *Exercitio Romanæ Religionis* bonorumque Ecclesiasticorum usu in Majoratu Sylvæ-Ducensi, &c. sex Mensibus post Pacis Tractatus Conclusionem ac Ratihabitionem actum iri.

Quum inde sequeretur, non modo voces *Spiritualis* vel *Ecclesiastici* in Tractatu admitti potuisse, verum etiam & quidem primario Hispaniar Regem de *Spirituali* transigere & decernere voluisse ac potuisse, secus Majestatem Suam Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. verba dare intendisse.

Ex quibus omnibus Nobiles ac Potent. Zelandiæ Ordines D.D. nihil præterea inferre ac concludere potuerunt, quam quod Negotium hoc non merâ *vocum lite* seu verborum præcisâ expressione prout perhibent, nitebatur; contrà verò Hispanis jus Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. competens verbis dare atque relinquere gravantibus neutiquam in animo erat Præpotent. D. D Ordinibus, ut supradictorum verborum effectu sive æquivalentiâ aliquâ gauderent, permittere, at verò, aliquo saltem modo præmemoratum effectum eludere, atque in supradictis Regionibus Romanæ Religionis exercitium conservare, propositum erat, quemadmodum id ex omnibus, quæ de Majoratu aliisque Regionibus Monasterii acta fuerunt, maximè autem ex Scriptis, ab Hispaniar. Regis Plenipotentiariis, vicesimo & secundo die Septembr. proximè elapsi, traditis, pernosci poterat, quemadmodum etiam in nullum alium finem Declaratio tendere dici potest, quæ juxta Hispanorum instantias à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. de libertate conscientiæ institueretur. Quandoquidem ejusmodi Declaratione Actis specialibus dandâ, idque per modum gratificationis supradicti Majoratus aliorumque locorum Incolis, cujusmodi etiam omnes, quicumque tandem sint, supradictos Unitarum Belgii Provinciarum Incolas pro Status hujus constitutione frui caperent atque judicarent, quemadmodum etiam pluribus id probari posset.

His omnibus de causis Nobiles ac Potentes Zelandiæ D.D. Ordines, ut in præmemoratis Decretis decimi & octavi Maji, octavi, decimi, & decimi & tertii diei Augusti, atque in Mandatis, Præpotent D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis vi eorum datis concessisque, immutari quidquam oporteret, consentire neutiquam potuerunt.

At verò decimo & quarto die Novembr. cum Nobilium ac Potentium Hollandiæ D. D. Ordinum Deputati serio instarent, ulterius declararunt; primo scil. ad *Ecclesiasticum* in Majoratu Sylvæ-Ducensi cæterisque locis, dicentes, si quando communi omnium Provinciarum D D. Ordinum Decreto visum ac constitutum foret, tertium septuaginta & trium Articulorum, Monasterii confirmatorum, sequenti modo extensum iri, nempe, post verba *quocunque tandem modo*, additum iri, *directè neque indirectè*, & post omnia illa jura *partesque* absoluti Imperii & Superioritatis *perinde ac sunt absque, &c.*

Ut, præmemorato Articulo hoc modo explicato ac constituto, Hispaniar. Regis Plenipotentiariis a Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis rotundo ore annunciaretur, sub verbis *absoluti Imperii ac Superioritatis in omnibus Suis Iuribus & Partibus* Ecclesiasticum comprehensum fuisse intelligi, ejusque dispositionem absolutam instituere atque exercere Præpotent. D. D. Ordines Gen. decrevisse.

Eum

Eum in finem immediatè post Pacis Tractatus divulgationem Edicta contra Pontificios renovata, divulgata atque pro Suo argumento ac modulo executioni mandata iri, ac præsertim in Majoratu *Sylvæ-Ducensi*, Marchionatu *BergoZomensi*, Baronatu *Bredanensi*, *&c.*

Statim quoque post supradictam divulgationem Præpotent. D. D. Ordines Gen. omnia templa, idque in Reformatorum usum, reipsa propria sibi habituros, similiter etiam *privativam* omnium Spiritualium atque Ecclesiasticorum bonorum in supradictis locis sitorum autoritatem, absque ullo Moderaminis, respectu Exercitii Romanæ Religionis bonorumque Ecclesiasticorum, præter Subsidium Ecclesiasticis Romanis dum vivant exsolvendum, in præsenti sive in futuro admissione, quinimò *ut nihil de eâ re in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. proponi*, multò minus decerni liceret.

His omnibus, quæ supradicta fuerunt, constitutis, posse D. D. Deputatos Zelandiæ hisce Se accommodare, ut verba illa *Spiritualium & Temporalium* è Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiariorum Mandatis excerperentur, ac proinde etiam Tractatui non insererentur.

Quòd autem ad alterum narrationis membrum, Statum conditionemque difficultatum, inter Gallos & Hispanos needum decisarum, concernens, attinet, ad quam juxta Decretum quartum diei Julii, proximè elapsi, de Pacis Tractatus Conclusione, à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. animadvertendum erat, declarabant, D. D. Plenipotentiarios, qui huc advenerant, quamprimum Sese Monasterium conferre oportere, quò juxta Instructionem Suam ac Consilia subsequenter inita, cum Hispanis, quidquid in Pacis Tractatu restabat, finali tamen Tractatus Conclusione ac Subsignatione exceptis, transigerent conficerentque, in antecessum verò omnia conferrent, quò needum decisas difficultates inter Gallos & Hispanos componerent, idque submissione, arbitrio, Intercessione aut alio quovis modo, ut simul ac pari passu uterque Pacis Tractatus conficeretur.

Quod si verò, adhibito omni studio, supradictæ difficultates componi nequeant, ac D. D. Plenipotentiarii Galliæ Hispaniæque rogati absolutè declarent, verisimile non esse utrumque Regem inter Se de difficultatibus needum compositis conventurum, ut tali casu Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii quosdam è Suis, qui Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. ordine omnia exponant, huc delegarent, ut, hisce cognitis perceptisque, finaliter, quæ Unitis Belgii Provinciis maximo commodo cedere possent, decernerentur.

Quod Decretum ut tantò magis maturetur, Præpotent D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii, Monasterii commorantes, Præpotent. D. D. Ordines Gener. ut & Nobiles ac Potentes Provinciarum Ordines, ex quorum numero Deputati fuerunt, directè omnium certiores facturi sunt, ac præsertim temporis, quo delegandi eorum Collegæ Hagæ Comitis futuri essent, quò Deputatos Suos plenissimâ absolutissimâque Autoritate delegarent, qui absque contradictione super iis, quæ à D. D. Plenipotentiariis referrentur, decernerent.

Ut autem Regis Galliar. Plenipotentiarii adducerentur, absque ullâ morâ ad Pacis Conclusionem procedent, & exinde summememorato Regi literis ejusmodi rationes ob oculos ponent, quibus Præpotent. D. D. Ordines Gener. tam diu-

diuturnæ Tractationis Monasterii finem facere atque ad Pacis Tractatus Conclusionem procedere, necesse habere videbantur.

Easdem quoque rationes Regis Galliar. D. D. Plenipotentiariis, Monasterii commorantibus, Præpotent. D.D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii, vi specialis Mandati & Autoritatis, à Præpotent. D.D. Ordinibus in finem supradictum datæ concessæque, exhibebunt;

Tandem Deputati Zelandiæ dixerunt, quum in constituendo ac decernendo, decimo die Augusti, proximè elapsi, de domesticis aliisque Punctis Tractationem Monasteriensem concernentibus (quod D. D. Deputati intactum integrumque habebant, ut pro argumento ac modulo Suo executioni mandaretur) concessum confirmatumque fuisset *certum ac sufficiens auxilium Societati Indiæ Occident. ferendum*, quod, quam fieri posset citissime, in Brasiliam trajiceretur, necessarium esse, ut ad discessum Copiarum auxiliarium absque ulteriore dilatione, quandoquidem æstas nimium jam appropinquaverat, necessaria decernantur, ac proinde non solum omnia impedimenta atque obstacula, quæ huic Negotio aut jam injecta, aut postmodum injicerentur, tollantur, verum etiam quamprimum de omnibus, quæ ad auxilii discessum requiruntur, maturandis ac præparandis decernatur, scil. ut *Instructiones generales & particulares concipiantur ac confirmentur, Instrumenta bellica præparentur, & quibuscunque exercitus indigere posset procurentur, naves præsidiariæ majores (*Belgis *Galioten) in Mare edeantur, &c.*

De his omnibus Punctis simul ac conjunctim decernendum censebant, secus enim si fieret, sententiam Suam super aliis Punctis latam pro sententia non esse habendam declarabant.

Hæc finale Decretum decimi & quinti Novembr. subsequutum fuit, scil. visum decretumque esse, ut D. D. Plenipotentiarii atque Extraordinarii Legati, Monasterii commorantes, juberentur plenissimâque autoritate instruerentur, quo apud Regis Hispaniarum Plenipotentiarios atque Extraordinarios Legatos ibidem promoverent, & ab iisdem disertis verbis impetrarent atque obtinerent, ut tertius septuaginta & trium Articulorum, Monasterii antehac provisionaliter confirmatorum, corrigeretur atque ad modum & formam sequentem componeretur, nempe,

VNusquisque retinebit ac reipsa possidebit, Regiones, Oppida, Loca, Agros ac Ditiones, quas impræsentiarum tenet, absque ulla perturbatione, sive directâ, sive indirectâ, quocumque tandem id fiat modo, quibus comprehendentur Municipia, Pagi atque universus ager suburbanus dependens à supradictâ Civitate ac Majoratu Sylva-Ducensi, Civitate & Marchionatu Bergozomiensi, Civitate & Baronatu Bredanensi, Civitate Trajecti ad Mosam ejusque districtu, quibus etiam addentur Comitatus Vroonhoviensis, Graviensium Civitas & Ditio Cuyckiensis, Hulsta Ejusdemque Præfectura cum universo Ambachto, simul etiam Præfectura Axeliensis, à Meridionali & Occidentali Geulæ Parte sita, nec non Fortalitia, quæ in Ditione VVasiensi, Præpotent. D. D. Ordines Gener. hoc tempore tenent, cæteraque loca quæ summedicti Præpotent. D. D. Ordines Gener. in Brabandiâ, Flandriâ aliisque locis munita habent; eo modo ac summi absolutique Imperii jure, omni exceptione sepositâ, quo modo ac jure in Fœderatas Belgii Provincias imperium obtinent; eâ lege tamen ac conditione,

tione, ut universus ager VVasiensis, exceptis ejusdem Fortalitiis locisque munitis, quæ Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. propria sunt futura, ad Regem Hispaniensem pertineat. Quod autem ad tres Tractus Trans-Mosanos, Falco-burgum scil. Dalemum & 's Hertogen-Rade attinet, in eo ipso Statu, in quo nunc sunt, relinquentur: at verò si quidquam super iisdem difficultatis subortum fuerit, id omne Cameræ Bi-Partitæ arbitrio judicioque decidendum atque expediendum relinquetur.

Dominus Eybenius, id temporis Civitatis Groningensium Omlandiæque Deputatus, ad hæc Actis Publicis diurnis inseri curavit, necdum sese speciale Decretum Mandatumve à D. D. Deputantibus Suis de componendo supradicto Articulo accepisse: at verò perpendens magno Negotio Pacis Tractationis Monasterii institutæ, & ab eodem dependenti in Brasiliam Copiarum Trajectioni longiorem moram injici neutiquam oportere, declaravit Sese præmemorato composito Articulo, prout supra constitutus fuit, nequaquam adversaturum, eundem verò, salvo tamen D. D. Deputantium Suorum consensu, approbaturum esse.

Porrò Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. visum fuit, adhæc supradictis D. D. Plenipotentiariis & Extraordinariis Legatis Suis demandare, ut à Regis Hispaniar. Plenipotentiariis Monasterii Acta vicesimo & septimo die Decembr. 1646. tradita, tunc temporis propositum Moderamen concernentia, repeterent ac reservarent, insuper etiam verbis declararent, Præpotent. D. D. Ordines Gener. retinere atque plenissimè exercere velle *summum Imperium in Ecclesiasticis non minus quam Politicis* cum eorundem annexis, in Majoratum Sylvæ-Ducensem aliasque Regiones, quarum tertius Articulus septuaginta & trium Articulorum, Monasterii provisionaliter confirmatorum, meminit, eoque prioribus adjuncto, conditioni, Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Decreto decimi & octavi diei Maji, proximè elapsi, contentæ satisfactum haberi, quæ continebat, ut Tractatu cum hostibus ineundo plenissimum summumque Imperium in Ecclesiasticis & Politicis, in supradictum Majoratum Sylvæ-Ducensem aliaque loca, supra memorato tertio Articulo expressa, stipularetur.

Præterea etiam constitutum decretumque fuit, quemadmodum impræsentiarum constituitur ac decernitur, ut, quæ Edicta Præpotent. D. D. Ordines Gener. antehac adversus Pontificios divulgârunt, immediatè post Pacis Tractatus Conclusionem inter Hispaniar. Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. in lucem edendo renovarentur & pro argumento ac modulo Suo executioni mandarentur, etiam in supradicto Majoratu aliisque locis, quorum supra memorato Articulo tertio mentio facta fuit; ac proinde confestim Nomine locoque Præpotentium D. D. Ordinum Generalium omnium templorum ad usum Reformatorum possessio caperetur; adhæc quinetiam omnia bona Ecclesiastica in præmemorato Majoratu cæterisque locis occuparentur, ut de iis modo debito decerneretur, ea conditione, ut nullum Moderamen, in iis quæ supradicta sunt, admitteretur; ad hæc Zelandiæ Deputati Actis publicis diurnis inseri jusserunt verbis præmemoratis, *admitteretur*, præmitti oportere, *neque in præsenti, neque in futuro.*

Insuper etiam visum decretumque fuit, ut D. D. Plenipotentiarii, impræsentiarum in Patriâ commorantes, quamprimum Monasterium discederent, quò sese cum

cum D. D. Collegis Suis his cæterisque præcedentibus Decretis, scil. decimi & octavi Maji, proximè elapsi, quorum supra mentio facta fuit (in quantum in hac Parte explicata non fuerant) ut & quarti Julii, septimi, decimi, & decimi & tertii Augusti, proximè elapsi, accommodarent, proindeque supramemoratum Pacis Tractatum inter Regem Hispaniar. & Præpotentes D. D. Ordines Gener. juxta supradicta Decreta finaliter concluderent, atque ex ordine Decretorum illorum pro Gallis, *quam fieri potest diligenter ac seriò, laborarent*, quò Tractatus inter Regem Galliar. & Majestatem Suam Hispaniar. finem faciant: adhæc verò Zelandiæ Deputati Regestis inseri curârunt, sese in supramemoratis Decretis decimi & octavi Maji, quarti Julii, septimi, decimi, & decimi & tertii diei Augusti, proximè elapsi, acquiescere, licere etiam per se equidem, ut Præpotent. D. D. Ordinum Plenipotentiarii *iis præcise* insistant, neque de iis decedant, eumque in finem præmemorata Decreta à verbo ad verbum inserta hic reserventur, ullas quoque particulares *illationes aut additiones* ut admitterent, Sese in Mandatis habere negantes. Ad hæc quæ dicta fuerunt, Provinciæ Ultrajectensis D. D. Deputati, in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum, vi specialis Sui Mandati, quod à D. D. Deputantibus Suis super his acceperant, Regestis inseri curârunt, Sese neutiquam consentire ut ullus Tractatus cum Hispanis, *nisi juxta Tractatus cum Rege Galliar. initos*, concluderetur, quinetiam Oppida, quæ Galli armis ceperunt, quæque Pacis Tractatuum conclusionis tempore tenebunt, ab Hispanis Regno Galliæ relinquerentur, omnia quoque à Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipot. subsignata *veri Tractatus effectu destituta forent*, donec Galliar. Rex & Præpot. D. D. Ordines Gen. eodem tempore conjunctim cum Rege Hispaniar. conclusissent, ejusdemque Tractatus Ratihabitio subsequuta fuisset: utque insuper *Securitatis* Tractatus, inter Regem Galliar. & Præpot. D. D. Ordines Gen. initus, ante præmemoratam Conclusionem, Regis Hispaniar. Plenipotentiariis comprobaretur, D. D. Deputati Frisiæ in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ad universa, quæ supradicta fuerunt, Regestis inseri curârunt; Conclusiones eâ de re institutas sibi gratas esse, eâ lege ac conditione, ut Hispani omnia Gallis præstarent, quæ ab Ipsis promissa fuisse probari poterit, omnia denique commodissima media adhiberentur, quò summæ Partes componerentur, eoque pacto utriusque Regis Plenipotentiarii ad celerem difficultatum decisionem, sive arbitris, sive aliis quibuscumque mediis optimis, omnia juxta præcedentes sententias de eo Negotio latas, adducerentur.

Tandem statutum decretumque fuit, ut hujus Status Classis ad Brasiliam destinata in auxilium Societatis Indiæ Occidentalis, ad res Ejusce afflictas, ibidem restaurandas, quam fieri potest citissimè, instrueretur atque in mare educeretur, ut in eum quoque finem necessariæ quæcumque ac superstites præparationes Præpotent. D. D. Ordinum Decreto noni diei hujus Mensis contentæ, morâ sepositâ, occiperentur, quinetiam in quatuor Puncta, supradicto Decreto noni hujus Mensis comprehensa, consentiretur. Quibus omnibus præmemorata Societas, idque juxta Præpot. D. D. Ordinum Decreta vicesimi, & vicesimi & tertii diei Decembr. 1645. Instructionesque huic Negotio accommodatas, à Celsissimo Arausionensium Principe ac Præpotent. D. D. Ordinum Deputatis instituendas, formandas atque, ut earum exemplar conscribatur, confirmandas, utetur.

D. D.

D. D. Deputati Frisiæ, ad supradictum Negotium Societatem Indiæ Occidentalis spectans, Regestis inseri curârunt, conferre Sese in eâ re ad D. D. Deputantium Suorum de eo decretum, si decreti illius effectu gaudere liceat.

Dominus Eybenius adhæc annotari curavit, Sese Conclusionibus Societatem Indiæ Occidentalis concernentibus, salvo D. D. Deputantium Suorum consensu, subscribere.

Civitatis Groningensium & Omlandiæ Deputatis (quandoquidem Dominus Eybenius in Conclusiones præcedentis Decreti consenserat, salvo D. D. Deputantium Suorum consensu) postmodum sententia proponebatur, quâ, quæ ab ipso acta erant, approbabant ac confirmabant.

Eodem quoque die, decimo & quinto nimirum Novembr. quum finaliter decerneretur, Christianiss. Regis Galliar. Legatus sequens Memoriale tradidit.

Domino Thuillerio, Extraordinario Legato Regis Galliar. cognito perceptoque D. D. Ordines Generales Plenipotentiarios Suos ad finem Tractationis cum Hispanis faciendum Monasterium relegare constituisse, cui nihil præter subsignationem deesse audit, visum consultumque fuit Vobis in memoriam revocare, nuper Sese honore illo affectum ut cum iisdem de eâ re ageret, iisdemque ob oculos poneret mutuas obligationes atque obstrictiones quæ inter Gall. Regem & Præpotent. D. D. Ordines intercedunt, ac proinde etiam rogaret ut constanter iisdem Vosmetipsos adstringatis, quemadmodum Rex & Regina Mater id facere constituerunt: ad quæ necdum quidquam responsum fuit, quamvis id ipsi promittere Vobis placuerit, licet etiam necesse ipsi foret, quo Majestates Suas eâ de re certiores facere, ac D. D. Plenipotentiariis Regis Gall. Monasterii commorantibus per literas indicare posset, quid sibi de intercessione Vestrâ polliceri possent, præsertim hoc tempore, quo Hispani, quam acceperunt, spe Statum hunc à Galliæ Regno separandi ac sejungendi affluentes, declarârunt (quamvis faciles Sese, ubi nullus scrupulus existit, simularent) nolle sese, S. Imperio Romano secluso, concludere, eâ, ut liquet, intentione, quò Tractationi Nostræ remorentur, Vosque ad Tractationis cum ipsis Conclusionem impellant. Quum ex hac perversitate moræ exoriri possint, quæ Gallis imputari non debent, qui hucusque omnem operam tanto, tamque ab universo Christiano orbe desiderato, bono promovendo impenderunt; sui officii esse credidit in hoc præsertim rerum Statu, quo de observandis ac non observandis Tractatibus agitur, Vobis Sese sistere, sperans, tantumque sibi de providâ Vestra animi circumspectione solitâque fidelitate pollicens, Vos Plenipotentiarios Vestros Monasterium non esse relegaturos, nisi ejusmodi Mandatis instructos, quæ cum supradictis obligationibus ac devinctionibus veterique amicitiâ, quæ Vobis cum Gallis intercedit, convenient. Dabantur Hagæ-Batav. decimo & quinto die Novembr. 1647. Subsignatum erat. Thuillerius.

Quum verò tandem supramemoratum Decretum constitutum confirmatumque, Memoriale autem nil nisi petitio principii esset; silentio ad id responsum fuit.

Decimo & nono die Novembr. ut Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotent. autoritate, formulas Ratihabitionis ineundi Pacis Tractatus cum Hispanis, Monasterii concipiendi atque instituendi, munirentur, visum fuit, quò huc per literas

transmittere ac Præpotentium D. D. Ordinum de eâ re sententiam percipere possent.

Insuper etiam, constitutâ jam ac decretâ Fortalitiorum quorundam dirutione, quam ut Hispani occiperent petebatur, decretum fuit, ut Præpotentium D. D. Ordinum Plenipotentiarii, discessum parantes, Fortalitiorum diruendorum Nomina literis conscripta comportarent, nimirum *S. Iobi, S. Donatii Fanum, Propugnaculum Stellæ,* (vulgò *de Sterre-Schans) propugnaculum Teresense, Frederici & S. Pauli Fortalitium, itemque Turris* (vulgò *Redoute,) dicta de Papemuts,* eorum dirutionem cum reliquis Suis Collegis promoturi juxta ea, in quæ cum Hispanis super hac re jam convenerant.

Utrumque hoc Punctum à Zelandiæ Deputatis proponebatur, & Tractationem ejusque Conclusionem magis retardaturum videbatur; formulæ enim transmissæ ad Provinciarum Ordines primò mitti deberent, quo magna temporis jactura fieret. Verisimile etiam erat, (quum jam constitutum confirmatumque esset, post Ratihabitam Pacem de Fortalitiorum dirutione conventum iri) Hispanos hanc Fortalitiorum disertam mentionem pro novitate quadam habituros esse; ac proinde D. D. Plenipotentiarios ad ulterius hocce Decretum animadvertisse neutiquam apparuit.

Quum autem D. D. Plenipotentiarii discessissent ac Monasterium venissent, varius integro Mense Decembri literas ad Præpotent. D. D. Ordines Gener. miserunt, partim ut certi quidquam cùm inter Regem Galliar. & Majestatem Suam Hispaniar. tum inter Præpotent. D. D. Ordines Gener. & Hispaniar. Regem constituerent; partim ne per literas Suas ullius immutationis, cavillationis aut innovationis in Mandatis Suis ansam præberent.

Hoc ipsorum silentium, nimium ipsos ad Conclusionem properare, signum à nonnullis habitum fuit; quocirca per literas unicè rogabantur, ut diligentius Tractationem Suam per literas sæpenumero indicarent: satis enim, cùm ex ipsorum silentio, tum ex relatione indirectè instituta, omnia cum Hispanis confirmata esse intelligebantur.

Vicesimo & septimo die Decembr. Dominus de Wimmenum, in Concilio præsidens, Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. proposuit, primum membrum quadragesimi & quarti septuaginta & trium Articulorum, Monasterii inter Hispaniar. Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. confirmatorum, reipsa continere, de prætensionibus, quas Celsiss. Arausionensium Princeps instituebat in partes nonnullas, quas non possidebat, in Celsissimi Arausionensium Principis satisfactionem privatâ quâdam Tractatione conventum iri; adhæc præmemoratus D. Præsidens Præpotent. D. D. Ordinum Gener. judicio arbitrioque reliquit, num Ipsis videretur, ut, quæcumque juxta supradictum primum membrum quadragesimi & tertii Articuli præmemorati, Nomine locoque Celsissimi Principis, cum alterâ Parte acta fuerant, aut in posterum agerentur, *ejusdem valoris ac roboris haberentur, perinde ac si Pacis Tractatui inter Hispaniar. Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. à verbo ad verbum inserta essent*; quo perpenso, Præpotent. D. D. Ordines Generales, in præmemoratam dicti D. Præsidentis propositionem consenserunt: quocirca Decretum fuit, ut, quæcumque juxta sæpius memoratum primum membrum

brum supradicti quadragesimi & tertii Articuli, Nomine locoque Celsissimi Arausionensium Principis, cum altera Parte etiam transacta fuerant, aut in posterum durante Tractatione Monasteriensi transigentur, ejusdem valoris futura, ac permansura sint, ac si transacta omnia eorumque singula Pacis Tractatui inter summedictum Regem Hispaniensem & Præpotent. D. D. Ordines Gen. à verbo ad verbum inserta forent, eâ lege tamen ac conditione, ut Tractatio illa Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. indicaretur, si quando præmemoratus Pacis Tractatus subsignatus huc transmitteretur, quò Præpotent. D. D. Ordines Gener. eam unà cum Pacis Tractatu Ratihaberent ac confirmarent: utque hoc Præpot. D. D. Ordinum Gener. Decretum D. D. Plenipotentiariis Suis Monasterium mitteretur, constitutum fuit, quò, ut Decretum hoc apud D. D. Plenipotentiarios Regis Hispaniar. aut alibi, si opus fuerit, effectum plenissimè sortiatur, eumque in finem suprà dictus *quadragesimus & tertius Articulus* eo extendatur, vel Articulus de ea re supramemorato Tractatui seorsim inseratur, procurarent.

Quum autem statim ipso initio hujus Anni millesimi sexcentesimi quadragesimi & octavi conventum fuisse deprehenderetur, Tractus Trans-Mosanos tres illi Parti relictos iri, quæ Tractatus subsignationis tempore eosdem teneret; maximeque ab Hispanis laborari, quò Edictis, Exactionibus, castrorum metatis possessionem sibi compararent; D. Veth, primo die Januarii, in Concilio Præsidens, Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. literarum quarundam, Trajecti ad Mosam exaratarum, exemplar exhibuit, quibus ejusmodi, quas diximus, actiones indicabantur, de quo decretum fuit, ut Celsiss. Arausionensium Princeps & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Consiliarii rogarentur, ut, quam primum fieri posset, ad Comitem de Solms, Trajecti ad Mosam Gubernatorem, nec non Satrapas, Quæstores aliosque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. in Tractibus Trans-Mosanis Præfectos Politicos literas darent, quò vi atque armatâ manu Retorsionis, quam vocant, medio, contra supradictas actiones, castrorum metata, quæ Hispani ibidem instituere occœperant, agerent, *quò Tractuum Trans-Mosanorum possessio Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. sarta tecta maneret.* Hollandiæ autem Deputati in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ea, quæ trigesimo die Decembr. Regestis inseri curârant, repetierunt, nimirum non posse Sese in Hostilitatis actus consentire.

Eo non obstante Celsissimus Arausionensium Princeps Rheni Comitem (Belgis *Rhijn-Graaf*) cum sufficiente equitum peditumque numero delegavit, qui Copias Suas in Tractibus Trans-Mosanis collocaret, atque ibidem, donec Pacis Tractatus, quod brevi futurum videbatur, subsignatus foret, maneret. Hispani quidem Namurcum, quinetiam in citeriori Parte circa Dameram ingentes Copias ducebant, quas absque ullo impedimento ibidem tenere, vel Rheni Comiti, nisi Copias conjungeret, cladem aliquam inferre potuissent; at verò maximopere caverunt, ne quid tantum Pacis Tractationis seorsim institutæ Negotium inde detrimenti caperet.

Reliquorum inter Præpot. D. D. Ordines Gen. & Regem Hispan. Punctorum transactio per dies aliquot dilata fuit, quò controversiarum inter Regem confirmatio, ad formam Intercessionis, tantò acrius promoveretur.

Id vero cum effectu commodo careret, Negotium inter Præpotent. D. D. Ordines Gener. & Hispanos transigere cœperunt, in quo tantum profecerunt, ut initio hujus Mensis reliqua Puncta, de quibus controvertebatur, ex intentione ac sententia Præpotent. D. D. Ordinum, Decreto decimi & quinti Novembr. expressa, confirmata atque in eum statum collocata essent, ut una cum subsignatis Articulis in Tractatus formam redigerentur.

Quibus autem modis Subsignatio ac Conclusio instituta fuit, sequentibus commemorabo.

Dubium, in quo Tractatio abhinc quatuordecim diebus (nempe postquam D. D. Plenipotentiarii Monasterium essent reversi) versata fuerat, mutatio etiam quotidie in eâdem orta, ac præsertim quod Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legati & Plenipotentiarii ab unâ parte à Gallis, ut intercessionem Suam continuarent, eaque ex voto non succedente, Tractatum Suum, ad Conclusionem usque promotum, suspenderent, rogabantur, ab alterâ verò parte ab Hispanis, quum de omnibus ex sententiâ Præpot. D. D. Ordinum conventum esset, ut plenissimâ Subsignatione ac Conclusione eadem perficerent, ab Hispanis alioquin ea præstari non posse, atque accepta Scripta restitui, traditaque recipi, ac proinde absque ullo Partis alterutrius damno ac præjudicio discessum parari & Deo Optimo Negotium commendari, necesse fore, eò quod propter expressa Mandata & varias gravissimasque rationes in dubio versari non poterant; at verò cujusque Partis rerum Statui convenientissimum finem faciendum esse: Hisce, inquam, omnibus Præpotent. D. D. Ordinum Plenipotentiarii obstupefacti fuerunt, quum neutra Pars commodum rei eventum excogitare, neque certi quidquam Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. indicare possent, eò magis quod variæ indies ulterioris prosperique eventus mutationes orirentur, de quibus ne ipsi quidem judicare, multò minus certi quidquam Præpot. D. D. Ordinibus Gener. ut ad id Sua componerent atque instituerent, indicare poterant: Postquam igitur, omnibus studiis indies adhibitis atque institutis, Negotium eo usque promotum fuerat, ut, re omni perspectâ perpensâque, certum tandem Tractationis cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. eventum excogitârint ac decreverint, cujus summa hæc est: *primo*, quum de omnibus Punctis, quæ à Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. in Mandatis acceperant, cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis convenissent, sese finalem Tractatus cum Ipsis solis initi subsignationem distulisse, sperantes, utrumque Regem ad mutuarum difficultatum compositionem, atque unanimem Conclusionem adduci potuisse, quum intercessionem Suam gratam habere, ac Præpot. D. D. Ordinum gratiâ plurimum eidem deferre Ipsis placuerit, quinimò plurimorum Punctorum inter utrumque Regem, quæ necdum decisa sunt, quæque intercessione hac decidi nequeunt, submissionem.

Ad Articulum, Lotharingiæ Negotium concernentem, cum esset deventum, cujus restitutionem Hispani aliiq; Fœderati prætendebant, Galli verò contrà Negotium hoc ad Monasteriensem Conventum neutiquam pertinere atq; ab Eodem separatum esse existimabant, insuper etiam Galli in eâ erant sententiâ, Hispanos, nullum sese, sive directè, sive indirectè, Duci Carolo auxilium laturos esse, fidem dare teneri, D. D. Plenipotent. multos dies laborarunt, antequam Negotium hoc

inter.

inter summasPartes ullo modo componere potuerunt; tandem verò plurimis iisq; molestissimis Intercessionibus cò usque promoverunt, ut de restitutione Lotharingiæ, Arnobæ Duce (qui vulgò *Bar* dicitur) iisque omnibus, quæ in Toulliensi, Metensi ac Verodunensi Episcopatibus Lotharingiæ Dux possidet, exceptis, propositionem institutam neutra Pars rejecerit: Regis autem Galliarum Plenipotentiarii *quatuordecim* dies, quibus ad Aulam rescriberent, rem distulerunt, utque interea temporis conclusione Tractatus cum Hispanis abstinerent, rogârunt: ab alterâ verò parte Hispanis visum fuit, præsens hoc Negotium integrum sibi reservare, ne Gallis hoc rerum eventu commodam occasionem præberent; insuper etiam institerunt, ut Tractatus, sepositâ morâ, conficeretur, in quem finem non modo præjudicia allegarunt, verum etiam, ejusmodi *moram denegationis ac dissolutionis* loco habendam esse, declararunt.

Quandoquidem etiam inter utrumque Regem, sub conditione armorum atque hostilitatis actuum in Italiâ cessationis, non sine prosperi successus spe, intercesserant, è petitâ dilatione novas difficultates inter utrumque Regem in Italiâ emergere, reique Lotharingiam concernentis incertitudine, quæ inter Galliar. & Hispaniar. Reges intercedit, post quatuordecim dierum exspirationem eosdem Reges eodem modo discrepare posse, colligere ipsis non fuit difficile; præsertim quum nova dissensio de destructione Nancii inter Eos orta esset, quæ omnem compositionis spem absorbere atque annihilare apta nata erat, ac proinde ipsi inter utrumque Regem nihil profecissent, neque Tractatus sui effectum consecuti fuissent. Quocirca ad Regis Galliarum Plenipotentiarios sæpius sese contulerunt, Iisdemque ob oculos posuerunt, Intercessionem suam Præpot. D. D. Ordinum Statui neutiquam obesse debere, atque ex eo tempore ad Tractatus sui conclusionem deveniri oportere, Se tamen nihilominus in omnibus studiis ac laboribus, quos hactenus impenderunt, perseverare eosdemq; continuare etiam atque etiam cupere.

Quibus etiam Hispani assentiri sese declarârunt, ac proinde Præpot. D. D. Ordinum Statui non minora, verum majora ac plura deferre velle; Quum verò propositio hæc Regis Galliarum Plenipotentiariis displiceret, qui è contrà, quod si Hispani cum ipsis componi nollent, ne ipsi (Præpotent. D. D. Ordinum Legati) Tractatum suum perficerent, vel saltem quatuordecim dies exspectarent, donec è Gallia literas recepissent, rogârunt, & ab alterâ quoque parte Regis Hispaniarum Plenipotentiarii sese indies spe incertâ ab ipsis differri ægre ferrent, absolutamque eorum declarationem *agendi* aut *non agendi* peterent, quò Status sui constitutioni Sese accommodarent;

Tandem Regis Galliar. Plenipotentiariis præstita à se officia, quæq; ex superabundanti postmodum præstare non denegarent, humanissimè exponere necesse habuerunt, verum *plurimis gravissimisque de causis*, Remp. suam concernentibus, non posse sese permittere, ut Tractatus inter Hispaniarum Regem & Præpot. D. D. Ordines General. cousque promotus succideretur, siquidem in nullis officiis studiisque defecerant, atque ulterior eventus ab ipsis non dependeret, nihilominus tamen finalem conclusionem ac subsignationem, quamdiu possent, dilaturos esse.

Ab alterâ quoque Parte Hispaniarum Regis Plenipotentiariis voluntatem suam declarârunt, neque ulteriora sua officia effectu suo privari oportere, & post varias obtestationes cum iisdem Hispanorum Plenipotentiariis eousq; profecerunt, ut Tractatus in suo Originali, ut vocant, utrinque cum utrâque Linguâ contulerint ac confirmârint, quinetiam Ratihabitiones eorum postmodum tradendas constituerint, datâ fide, Tractatibus nihil additum aut demtum, formulasque Ratihabitionum accuratè transmissas, mutuo consensu, promissione ac fide, horum Tractatuum subsignationem per quatuordecim dies, qui ante Mensem Januarium 1648. elapsum exspirarent, dilatam iri, quo tunc præcise subsignarentur ac concluderentur; utque interim Præpotent. D. D. Ordinum Gener. approbatio formularum Ratihabitionis exspectaretur ac transmitteretur, quo cum Tractatibus mutuis eò, quò par est, transmitteretur; juxta discessum hunc, quem ad majorem Galliæ satisfactionem summo studio, labore ac diligentia procurarunt, & quo tempore omnia ulteriora officia inter utrumque Regem conferre ac præstare neutiquam intermiserunt, Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. confirmatas Ratihabitionum formulas miserunt; in quarum dispositione ad *æqualitatem* omnesque commodos terminos animum diligenter adverterunt, ac Regis Hispaniarum Plenipotentiarii *multa ipsis concesserunt*, quemadmodum etiam Eos adduci posse existimarunt, ut Regis Hispaniarum Ratihabitionem *Gallicâ Linguâ* conscriptam tradi curarent, quò melius Tractatui conveniret, quod si Præpotentes D. D. Ordines Gener. id postularent: at verò, quoniam summo labore ac molestia medium hoc effecerant, præsertim ut Gallis tantâ temporis morâ faverent, Præpotent. D. D. Ordines Gen. submisse etiam atque etiam per literas rogarunt, ut sententiam suam de suprà dictis Ratihabitionum formulis, quamprimum fieri posset, per literas indicarent, quò angustè biduo ante Mensis illius exspirationem reciperent, ut in re, meris formalitatibus constante, fidem suam servare possent.

Dominus Nederhorstius ex omnibus unus subscribere recusavit, ejusque rei sequentes rationes instituit ac D. D. Plenipotentiariis Collegis suis tradidit.

NOBILISSIMI COLLEGÆ,

„ QUum adversa mea valetudo Concilio Vestro me interesse impediat, quum-
„ que separato cum Regis Hispaniarum Plenipotentiariis Tractatui subsignan-
„ do tempus constitutum ac destinatum esse percipiam, sequentia incommoda,
„ quæ in hoc Negotio sedulo perpendenda veniunt, quæque animum meum malè
„ habent, Vobis, Nobilissimi Domini, ob oculos ponere visum fuit.

„ Ac primò quidem, Regis Galliarum Legati & Plenipotentiarii, postquam Re-
„ gis Hispaniarum Plenipotentiarii quæstionem de Lotharingia, judicio arbitrio-
„ que alicujus submittendam, sub conditione à Gallis propositam, recusaverant, su-
„ pramemoratam quæstionem ad Celsissimum Arausionensium Principem, aliqui-
„ bus è Statu Nostro adjunctis, sincerè detulerunt Ejusdemque Arbitrio permise-
„ runt. At verò cum Regis Hispaniarum Plenipotentiariis displicere idem quoque
„ intelligerent, si Hispani quosdam è Nobis ceu Mediatores deligere vellent, idem
„ sese prompto ac lubenti animo facturos promiserunt.

Id quoque cum Hiſpaniarum Regis Plenipotentiarii denegarent, qui actualem „
oblationem petebant; Regis Galliarum Legati, quo in Pacem ferebantur amore, „
ita clarè atque apertè ſententiam ſuam dixerunt, ut credere Nobis liceat, veterem »
Lotharingiam reſtitutam fuiſſe, ſi Hiſpani Fortalitiorum dirutionem concedere »
voluiſſent: At verò Hiſpani, oblatione hac needum contenti, idem recuſàrunt, »
neque de eà re Se quidquam in Mandatis habere dixerunt. »

Quapropter, cum quidam è Nobis proponerent, quum utriuſq; Regis Legati »
Fortalitiorum *dirutionem* in Mandatis ſeſe neutiquam accepiſſe dicerent, quod ſi »
Negotium ad utrumque Regem deferretur, atque unà cum Ratihabitione ad id „
reſponſum exſpectaretur; de quo certus ſum quod Regis Galliarum Legati con- „
ceſſiſſent, eâ lege ac conditione, ne, ſi Reges convenire non poſſent, Duci Lo- »
tharingiæ auxilium ſuppetiaſque ferre Regi Hiſpaniarum licitum foret; Seſe tum
Nobiſcum unà ſubſignaturos eſſe; Id quanquam ab Hiſpanis jure meritòque de- »
negatum non oportuit, legitimam tamen hancce commodamque propoſitionem »
rejicere viſum ipſis fuit. »

Quocircà (meo quidem judicio) Regis Galliarum Legati in nullis pedem retrò »
tuliſſe dici poſſunt, verum omnia, quæ ratione quacumq; honeſtâ ad communem „
Pacem requiri poſſent, contuliſſe: ac proindè animadvertendum ſedulòque per- „
pendendum venit, num tali caſu fideliſſimos Noſtros Socios atque à teneris Ami- „
cos ſummos, qui Nobiſcum unà Reipublicæ Noſtræ tam alta Fundamenta jece- »
runt jactaque ſtabilierunt, deſeri ac *ſeparatim* ab iis in tanto Negotio quidquam »
à Nobis agi deceat; utpote per quos Cœleſte ac Supremum Numen Rempubl. »
Noſtram in tam proſpero Statu collocavit, atque ad tantum honoris dignitatiſque »
faſtigium evexit: qua in re cum tot tantæque difficultates mihi obortæ ſint, ut »
oneri penè ſuccumbam, rei itaque & Tractationis veritatem D. D. Deputantibus „
meis indicare viſum fuit, quò, re probè cognita perſpectaque, Provinciarum Or- „
dines in Reip. commodum decernere poſſint: præſertim quum controverſiæ ſtatus »
in Lotharingiæ reſtitutione, Fortalitiorum dirutione excluſa, prout Regis Hi- »
ſpaniarum Legati poſtulant, conſiſtere videatur: quam tamen dirutionem Dux »
Carolus Tractatu ſuo Anni Milleſimi, ſexcenteſimi, quadrageſimi & primi, Re- »
gis arbitrio permiſit. »

Ad hæc accedit etiam, Fœdus cum Rege Chriſtianiſſ. ſancitum neutiquam ab- »
rogatum, multò minus (meo quidem judicio) communi conſenſu explicatum, „
Fœderiſque juramentum, quo obſtricti obligatique tenemur, necdum ſublatum „
eſſe.

Id cauſæ fuit, quod melius ſecuriuſque mihi judicarim, hactenus ſeparati Pa- »
cis Tractatus ſubſignationem denegare, atque Præpotent. D. D. Ordinum Gen. »
Ratihabitionem exſpectare, quo tempore Provincia Ultrajectenſis maturè ſatis »
ſubſignabit: Interim perſuaſum mihi habeo, Deum Opt. Max. medium eſſe »
commonſtraturum, quo vel ante, vel cum Ratihabitione à Galliarum Rege con- »
ceſſa, communis Pax confici, vel alio quovis modo Regi Chriſtianiſſ. ſatisfieri „
poſſit.

Exem-

Exemplum refutationis earum rationum, quæ nomine locoque Domini Nederhorstii in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum General. proposita fuerunt.

QUandoquidem Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus, Decreto suo decimi & septimi Februarii, D. D. Plenipotentiariis, qui Hagæ-Com. commorantur, ejusmodi rationes exhibere visum fuit, quibus Dominus Nederhorstius motus Tractatui inter Regem Hispaniarum & Præpot. D. D. Ordines Gen. inito subsignare recusavit, quò Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. rem illam totam explicarent, at verò propter Plenipotentiariorum quorundam discessum atq; absentiam suprà dicto Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Decreto satisfieri non potuit, interea autem temporis Nobiles ac Potentes Hollandiæ West-Frisiæque Ordines, Decreto suo duodecimi Martii, Dominis D. Mathenesio & Heemstedio præceperunt, ut Nobilibus ac Potentib. D. D. Ordinibus, publica Auctoritate impræsentiarum congregatis, universum Negotium ordine exponerent atque explicarent: suprà memorati Domini Nobilibus ac Potentibus D. D. Ordinibus sequentem Refutationem provisionaliter exhibere voluerunt, usquedum ipsis unà cum reliquis Dominis D. Plenipotentiariis, quæcumque acta fuerunt, Præpotent. D. D. Ordines Gener. edocendi occasio dabitur.

Ac primò quidem ad Exordium, de adversa Domini Nederhorstii valetudine agens, quod attinet, verum quidem est, Dominum Nederhorstium cum prospera minus valetudine Mense Januario, proximè elapso, aliquamdiu conflictatum (quo Mense plurimi & maximè essentiales conventus ipsæque res inter utriusque Regis, Galliarum sc. & Hispaniarum, D. D. Plenipotentiarios Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiariorum Intercessione occœptæ atq; peractæ fuere) unà cum reliquis D. D. Plenipotentiariis alterutram Partem nunquam visitasse, ac perpaucis visitationibus, quibus Summæ Partes suprà dictos Dominos D. Plenipotentiarios domi Eorum visitarunt, interfuisse, nihilominus tamen suprà memoratum Dominum Nederhorstium Christianiss. Regis Galliarum Plenipotentiarios sæpiusculè visitasse, atque vicissim ab iisdem visitatum fuisse, neque eorum, de quibus inter Se egerant, Collegas suos certiores reddidisse, quemadmodum etiam pridie ante Tractatus conclusionem ac subsignationem quosdam è Gallorum Plenipotentiariis convenerat, atque ab iisdem eo die, quo Tractatus à D. D. Plenipotentiariis subsignaretur, compellatus fuerat: Eum quoque, cum Regis Hispaniarum Plenipotentiarii trigesimo die Januarii, proximè elapsi, advenissent, in cubiculo illo, in quo ad colloquium admittebantur, præsentem adfuisse, varios insuper sermones ultrò citròque habuisse, atque super iisdem consilium iniisse, at verò deinde, cum omnia ad subsignationem præparari viderentur, sese inde subduxisse, neque ante aut post illud tempus rationes, quæ Scriptis illis præsupponuntur, attulisse, multò autem minus propositam submissionem, quæ suprà memoratis Scriptis tam luculenter proposita fuit, explicasse, quæ propositio ab Hispanorum Plenipotent. instituta fuisse dicitur.

Fatendum quidem est, eo quo Hispani advenerunt tempore, Dominum Nederhor-

derhorstium, Domino Loenio, Scriptum quoddam Latine exaratum tradidisse, cui nullus erat titulus inscriptus, quodque ejus Originale erat, quod in Belgicam Linguam translatum postmodum typis excussum atq; divulgatum fuit, quod suprà memoratus Dominus ulterius explicare ac prælegere non poterat, eò quod Hispanorum Plenipotentiarii jam appropinquaverant, atque in loco commorabantur, ac suprà dictus Dominus Nederhorstius ibidem aderat, qui eam rem, si tanti Ipsorum interesset, proponere poterant ac tenebantur; adeò ut, si Gallorum Plenipotentiarii detectiones quasdam proposuissent, quæ in Tractatione instituenda alicujus ponderis fuissent, nemini, præterquam Domino Nederhorstio imputandum esset, eas non propositas, atque hoc medio Tractationem cum Hispanis sine Gallis ad conclusionem usque promotam fuisse.

Quantum autem ad Præpotent. D. D. Ordinum Gener. omnes simul Plenipotentiarios, qui ordine, non verò seorsim, de Negotiis inter utrumque Regem intercedentibus egerunt, attinet, nunquam Ipsis Negotia illa, eo modo quo tribus primis Scripti istius Articulis allegantur, verum longe alio & quidem sequenti modo proposita fuisse declarant.

Die octavo, & decimo Januarii, cum quinque primi, de quibus hactenus controvertebatur, Articuli Mediatorum Arbitrio Judicioque à Gallorum Plenipotentiariis submitterentur, de sexto, Lotharingiam concernente, propositum fuisse, ut Negotium illud ad Commissarios deferretur, qui tribus Mensibus post ineundi Tractatus Confirmationem ac Ratihabitionem Cathalauni in Campania essent conventuri; quod si verò intra Anni spatium de eo convenire non possent, tribus Mensibus post à Mediatoribus componeretur, qui intra Anni spatium quæstionem decidere tenerentur: hanc verò propositionem Hispanorum Plenipotentiarii accipere Sese posse negabant, eò quod omnes Gallorum Fœderati unà cum reali restitutione Tractatu comprehenderentur: Dux autem Carolus, qui solus atque unicus Hispanorum Fœderatus existebat, nullam realitatem Tractatus beneficio consequeretur, Ejusdemque Negotium dubio plane Tractationis eventu ad compositionem sive Mediationem (prout præsupponebant) postquam Tractatus initus confirmatusque foret, relegaretur, atque reipsa extra eundem Tractatum (prout existimabant) relinqueretur.

Cujus rei gratia plurimis conventibus ultrò citròque institutis, pluribus quinetiam explicato (Lotharingiam sine Barrensi Ducatu (qui vulgò *Bar* dicitur) nec non sine Tulliensi, Metensi ac Verodunensi Civitatibus atq; Episcopatibus, quos Lotharingiæ Duces olim possederunt, ut & sine Marchionatu Nomeniensi, quod si sub Lotharingiâ neutiquam contineri deprehenderetur, restitui non minus posse quam debere, atque utramq; Partem in omnibus acquiescere oportere) Christianiss. Regis Galliarum Plenipotentiarii eadem Sese ad Aulam rescripturos esse promiserant, eâque de causâ quindecim dierum spatium petierant; at verò haud longè post, eodem adhuc die D. D. Mediatoribus declarârant, restitutionem illam non aliter Sese intelligere, neque aliâ conditione delaturos eandem Se esse polliceri, quam ut Nancæum cæteraque loca munita in Lotharingiâ mœnibus suis exuerentur: id autem Hispanorum Plenipotentiarii alienum Sibi visum atque

de improviso propositum fuisse, neque, propter rationes, pluribus tunc temporis propositas, acceptari posse continuò existimabant.

Ad hæc etiam Hispanorum D. D. Plenipotentiarii quindecim dierum dilationem jam præterlapsam esse allegabant, nullique alteri Negotio inservire posse, quam ut Sereniss. Ducem Carolum interea temporis ab Hispanis divellerent, atque ad officia quæcumque Galliarum Regi præstanda adducerent; præterea etiam Copiis suis, quas Modenæ Dux ceu Præfectus in agro Mediolanensi ducebat, pecunia militibusque auxiliariis subvenirent, ac præsertim Gallorum classem Neapolim admoverent; neque horum omnium quidquam ab Ipsis fieri, quò Pacis Tractatus finis quamprimum obtineretur: quorum quidem contrarium licet Gallorum Plenipotentiarii pluribus demonstrarent, nihilominus tamen Summæ Partes in contrariâ erant sententiâ, plurimum inter Sese discrepantes, quum altera supradictâ dilatione Pacis Tractationi moram injectam, altera supramemoratâ adversatione eandem promotam iri judicaret.

Insuper etiam Gallorum Plenipotentiarii sic hoc habebant, Regis Hispaniarum Plenipotentiarios in antecessum declarare oportere, velle Sese in Lotharingiæ restitutione, inque Nancæi cæterorumque in Lotharingiâ locorum munitorum dirutione acquiescere, ac tum demum Gallorum Plenipotentiariis de ea re consilium ineundum esse; cui declarationi percipiebatur atque prævidebatur plures alias difficiles conditiones additas iri: at vero quandoquidem Hispanorum D.D. Plenipotentiarii prætensam locorum munitorum dirutionem acceptari neutiquam posse constanter assererent, ejus verò contrarium in Mandatis Se habere dicerent, eumque in finem allegarent, Tractatione quâdam, quæ Parisiis Bruxellas mittebatur, longè alia ac commodiora media Sereniss. Duci Carolo proposita fuisse, eâ quidem intentione, ut penitius armis belli implicaretur: quod si verò Gallorum Plenipotentiarii Pace eadem vel similia offerre vellent, Pacem continuo conflatam compositamque fore; quapropter etiam propter medium nullum inter Summas Partes, multò minus Negotii eventus quispiam, excogitari potuit.

Tandem Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii proposuerunt, ut sola Lotharingiæ restitutio decerneretur, deque locorum munitorum dirutione Articulus ad utrumque Regem relegaretur, qui intra Tractatus inter Hispaniarum Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. initi Ratihabitionis tempus compositione, aut aliis quibuscumque mediis vel etiam submissione transigeretur, atque hoc pacto uterque Tractatus simul concluderetur, eò quòd Tractatus inter Hispaniarum Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. initi inclusio tamdiu dilata, propter rationes haud exigui ponderis, differri diutius non poterat; at verò Gallorum Plenipotentiarii, de dirutione à Se propositâ decedere, neutiquam voluerunt, deque eadem quidquam ad Aulam rescribere recusârunt; Hispanorum autem Plenipotentiarii supradictam propositionem multasque alias, verbis luculentioribus acceptârunt, abhibitâ declaratione, Sese quidem submissionem in Mandatis non habere, at verò persuadere sibi neutiquam posse Majestatem Suam Hispaniensem, propter locorum quorundam dirutionem, si in ea sola rei cardo versaretur, bellum continuaturam esse.

Ac postquam vicesimo & nono die Januarii (qui eum, quo Tractatus subsignatus

tus fuit, proximè præcessit) Gallorum Plenipotentiarii, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis spem omnem ademerant, propositionem illam absque diserta Fortalitiorum dirutione acceptare, aut de eadem quidquam ad Aulam rescribere, multo minus Tractatum aliquem juxta eandem concludere Sese posse negantes; simul etiam Tractatus inter summè dictam Majestatem Hispaniensem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. conclusus confirmatusque fuerat, (antè cujus conclusionem Eorundem D. D. Plenipotentiarii disertis verbis petierunt, ut omnia nihilo minus inter utrumque Regem, ad Ratihabitionem usque, continuando transigerentur, atque ab Hispanis præstarentur, quæcumque antehac concesserant, aut de quibus convenerant, ea lege tamen ac conditione, ut Galli eadem vicissim præstarent, quò tantò commodius peroptatus Negotii finis brevi temporis spatio obtineri posset) eadem de Lotharingia propositione summe dicti Galliarum Plenipotentiarii & tunc temporis & ante id tempus sæpius exhibita; supramemorati autem D. D. Plenipotentiarii rursum eam rejecerant, at verò Hispanorum Plenipotentiarii ad propositionem acceptandam, atque ad ea, quæ super eadem Mandata acciperent, exhibenda promptos ac paratos Sese existere.

Suprà memoratis Dominis, reliquisque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis, cum quibus ea de re egerant, alienum visum, atque de improviso propositum fuit, primo Articulo Scripti à Domino Nederhorstio traditi contineri, Regis Galliarum Plenipotentiarios de Lotharingia difficultatem Celsissimi Arausionensium Principis Judicio Arbitrioque sincere permisisse, ea conditione ac lege, ut quidam è Præpotent. D. D. Ordinibus Eidem adjungerentur, quinimò si Hispaniarum Regis Plenipotentiariis quosdam è Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis ceu Mediatores deligere voluissent, idem facere Eos voluisse.

Quod profectò, nisi suprà memoratos Dominos memoria fallat, nunquam Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis innotuit, quod si verò Dominus Nederhorstius detectiones atque explicationes ejusmodi sciverit, eas tempestivè Eum proposuisse oportuit, quo medio plurimæ difficultates, quas suprà memoratus Dominus Nederhorstius allegavit, evitari potuissent, quocirca solus quoque Dominus Nederhorstius Negotium illud defendere tenetur.

Præterquam quod Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis penultimo conventu à Regis Galliar. Plenipotentiariis propositum fuit, Celsiss. Arausionens. Principem difficultatis de quinque illis Punctis juxta Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarios Arbitrum supremum constituendum esse, quo à superiore propositione reipsa discrepabant, respectu Articulorum de quibus non tantopere, quam de Lotharingia, controverti potest, adeò ut nihil minus verum, imo incredibile sit, Regis Galliarum Plenipotentiarios Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarios solos, quod si Hispani in eo acquiescere voluissent, in hac re Mediatores constituturos fuisse.

Positiones quoque ac consequentiæ, quarum tertius & quartus Articulus meminit, secundum tenorem suum accipi neutiquam possunt, quandoquidem quæstio non erat de Lotharingiæ Duce ex parte tantum Tractatu comprehendendo, atque ex parte excludendo, quapropter si Negotium illud eodem tempore con-

ficeretur, atque hoc pacto omnia subsidia & hostilitatis actus cessarent; cui Negotio peragendo duorum Mensium spatium ad Ratihabitionem usque sufficienter inservire potuisse omnes existimârunt, quum Hispani in ea essent sententia Lotharingiæ Ducem alioqui sollicitari atque ab Hispaniarum Rege divelli posse, quod magno Ipsis damno cederet, adeò ut iis, quæ suprà dicto Articulo continentur (*quodsi Reges inter Se convenire non possent, ne Lotharingiæ Duci auxilium suppetiasque ferre Hispaniarum Regi licitum foret*) Negotium prout Hispani sentiebant, res infecta prorsus fuisset, de qua tamen D. Nederhorstius præmaturum nimis judicium fert, à quo Præpotent. D. D. Ordinum Generalium Plenipotentiarii ceu Intercessores, quantum commodè fieri potuit, abstinere voluerunt.

Quam ægrè summè memorati D. D. Plenipotentiarii Tractatum cum Hispanis concluserint, quanta & quam multa officia, propositiones atque insignes petitiones apud Gallorum Plenipotentiarios instituerint ac præstiterint, quo pacto universi Anni spatium isti Negotio impenderint, atque omnium periculum fecerint, quò uterque Tractatus simul concluderetur, & Gallis omni ex parte satisfieret, suprà memorati Domini salvâ conscientiâ testari possunt; idem quoque reliqui Domini D. Plenipotentiarii declarare tenebuntur, & Scripta Eorum plenissime idem comprobabunt, quemadmodum etiam Domini D. Mediatores, nullam eo tempore utriusque Regis componendi spem superesse, judicârunt.

Quapropter etiam supramemoratis Dominis D. Plenipotentiariis Dominum Nederhorstium sæpius per Deputatos quosdam rogare visum fuit, ut Sese cum reliquis D. D. Collegis suis conjungere, neque seorsim quidquam agere vellet; At verò quemadmodum inter supradictum Dominum Nederhorstium & Gallos universo Tractationis tempore privatus quidam consensus mutuus seorsim, cum summâ reliquorum D. D. Plenipotentiariorum indignatione, intercessit, eundem ad modum quoque suprà dicto Domino eundem continuare visum fuit, ac declarare, Se jus subsignandi salvum sibi atque integrum ad finem usque reservare cupere.

Quumque de Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Decreto (qui respectu Tractatuum cum Gallis initorum, ac finalis cum Hispanis conclusionis, D. D. Plenipotentiariis modum ac normam præscripserant) exequendo ageretur, Dominus Nederhorstius, Sese Nobilium ac Potentium Provinciæ Ultrajectensis Ordinum Decretis ac declarationibus insistere, declaravit.

Quemadmodum etiam suprà memoratus D. Nederhorstius posterioribus tribus Scripti sui Articulis soli Sibi arrogat, Se ea quæ aguntur D. D. Deputantibus suis referre debere, penultimo Articulo Fœdera inter Christianiss. Regem Galliar. & Præpotent. D. D. Ordines Gener. sancita pro libitu suo explicans, atque ultimo ejusdem Scripti Articulo subsignationem suam ad Ratihabitionem usque differens; perinde ac si Domino Nederhorstio soli atque seorsim de eo Negotio decernendi Auctoritas competeret; quod tamen Instructioni Decretisque, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis omnibus simul datis concessisque, directè contrariatur.

Qui proinde, variis de causis, cùm Negotii directione, tum privatâ Domini Nederhorstii Tractatione sæpius antehac institutâ, secundò & quidem majorem

in

in modum aggravatos, atque suprà memorato Scripto, quod typis excussum fuerat, calumniis conspurcatos Sese videntes, perquam necessarium fore duxerant, juxta relationem suam eadem etiam explicare, atque ulterius Præpot. D. D. Ordinum Gener. & omnium simul Provinciarum Ordinum Arbitrio Judicioque permittere, quo pacto Dominum Nederhorstium Collegis suis ea in re satisfacere oporteret, antequam cum Eodem Negotia, quæ in Monasteriensi Tractatione peragenda restant, continuare possent, quò tantò securius Unitarum Belgii Provinciarum commodo invigilarent, & mediis quibuscumque optimis idem procurarent. Dabantur à D. D. Plenipotentiariis infra nominandis, atque Nobilium ac Potentium Hollandiæ West-Frisiæque D. D. Ordinum jussu & Mandato decimo & tertio die Martii 1648. tradebantur; Subscriptum, Johannes Mathenesius, Adrianus Pauw.

Ejusmodi quoq; rerum narrationem D. Nederhorstius Præpot. D. D. Ordinibus Gen. per literas misit, quibus ea, quæ nuperrimè inter Gallos & Hispan. de Punctis needum decisis Acta fuerant, pluribus retulit: Ad quæ tandem sese hac de re maximoperè sollicitum esse declaravit: Si enim, inquit, in centesimum, decimum & quintum Instructionis Nostræ Articulum, oculos convertam, quo Tractatus Anno 1644. cum Gallis initi rationem habere expresse jubemur, ad quod etiam juramentum subsequutum fuit, imminenti separatæ Tractationi subsignando, animo meo satisfacere nequeo.

Decretum enim quarti Julii 1647. suprà memoratum Articulum non expressè abrogat, neque Tractatus, de Oppidis locisque expugnatis agentes, limitat sive interpretatur, verum tantummodo, Gallis Pacis Tractatus differentibus vel in illo Negotio tergiversantibus, seorsim concludendum esse innuit.

Jam verò, Gallos tergiversari aut Tractatibus moram injicere meâ quidem opinione dici non potest, quum Regis Galliarum D. D. Legati omnia sua Puncta, vel ipsam de Lotharingiâ quæstionem, Arbitrio Judicioque cujuspiam permiserint, spemque maximam & Lotharingiæ restitutionis & Fortalitiorum dirutionis fecerint: quanquam armis expugnata loca non minori jure à Se, quam à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. retineri licere, Eosque Sibi hac in parte juxta Tractatus initos succurrere debere, existimarent.

Hisce insuper summè dicti D. D. Legati addiderunt, quod si Majestas Sua Lotharingiam restituere in animum induceret, majori jure sese adversus Hostes suos ad majorem Status sui securitatem Lotharingiæ Oppida munita milite præsidiario tenere posse, quam Præpotent. D. D. Ordines Gener. ad Status sui securitatem Oppida ad Rhenum Mosamque sita, Duci Brandenburgico propria, milite præsidiario tenent.

Sequentia verba suprà dicto Decreto quarti Julii comprehensa, eo modo intelligi debere neutiquam mihi persuadere possum, *ubi Hispani Gallis præstiterint, quæcumque Galli ab Hispanis concessa probârint*, ut, Gallis in eo non acquiescentibus, tergiversationis ac moræ loco haberentur, ac consequenter seorsim tractaretur.

Non autem me præterit, sæpius in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gen. referri Me audisse, Hispanos, Gallis omnia expugnata Oppida, quibus Galli

" Lotharingiam quoque annumerant, concessisse, ac proinde non absurdum dicit, " si crediderim, Nobiles ac Potentes Provinciar. Ordines hac conditione supra- " dictæ limitationi, supra memorato Decreto quarti Julii comprehensæ, an- " nuisse.

" Porrò, ut in reliquis Punctis, de quibus hactenus controversum fuit, summa " studia atque officia impenderentur, quo Galliar. Regi satisfieret, id de iis, *quæ* " *extra armis capta loca sunt*, dictum fuisse intellexi, propterea quod satisfactio Tra- " ctatibus æstimari debet, quos supradicto Decreto expresse abrogatos, explicatos, " aut Nos juramento nostro eorum respectu liberatos esse nullo modo sentio.

" Quod ad officia studiaque attinet, ea respectu Galliar. Regis singularia atque " efficacia fuerunt, quinimò nimis sæpius intermixta, fore, *ut cum Hispanis seorsim* " *concluderetur, nisi sese componerent.*

" Apud Hispanos verò nihil effici potuit amplius, quam ut Responsa quotidie, " petitione variisque persuasoriis additis, quo sese accommodarent, & submissio- " nem Lotharingiæ vel restitutionem veteris Lotharingiæ Ejusdemque dirutionem " acciperent, traderentur: At verò quandoquidem supradictæ rationes *metum* Ipsis " incutere non poterant, Nostrique Collegæ existimabant Sese in Mandatis non ac- " cepisse ut rationibus comminantibus uterentur, nimirum, non posse sese alias " concludere, vel, omnia Sese D. D. Deputantibus Suis referre velle.

" Ego contrà, Vos, Præpotentes Domini, eorum, quæ hic geruntur, certiores " reddi oportere, existimavi, quod judicare possetis, utrum Galliar. Rex tergi- " versetur, num æquum justumque sit, ut Galli capta atque expugnata loca re- " tinere, atque in hisce acquiescere debeant? utrum à Nobis quoque in eâ re sa- " tis laboratum sit? secundum quod judicium unusquisque sese tum gerere de- " buisset.

Subsignatione à septenario D. D. Plenipotentiariorum cum Hispanis numero finitâ; supradicti Domini, excepto D. Donia, qui solus Monasterii remansit, Hagam Com. profecti fuerunt, ibidemque in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. retulerunt, quæcunque postquam Hagâ-Com. postrema vice discesserant, novissimeque Monasterium advenerant postremo die Novembr. Anni, proximè elapsi, usque ad diem nonum hujus Mensis Februarii, quo Monasterio discesserunt, variis temporibus ac conventibus egerant de dissensionibus inter utrumque Galliæ & Hispaniæ Regem, quas propemodum in eo tunc loco sitas deprehenderunt, in qua aliquot Mensibus ante fuerant; insuper etiam quo pacto supramemorati D. D. Plenipotentiarii præcedentem Suam Intercessionem inter summedictos Reges continuantes omnem operam ac laborem tam conjunctim quam per Deputatos impenderant, in summis Partibus propositionibus æquis, adhortationibus seriis, commendationibus plurimis atque omni gravitate plenis petitionibus, ut de reliquis controversiis inter Se convenirent, adducendis, quò Pacis Tractatus inter utrumque Regem una cum Tractatu inter Hispaniar. Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gen. concluderetur, sicque peroptata Pax inter utrumque Regem ac Præpotent. D. D. Ordines Gener. simul obtineretur: in quo Negotio supradicti D. D. Plenipotentiarii sese præviâ collatione mutuoque consensu D. Legati Reipub. Venetorum omnia egisse ajebant, qui Mediato-

diatoris vices sustinens mutuum à Parte Suâ cum Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis consensum coluit.

Quum autem, quotidie omnium mediorum inter summas Partes periculo facto, crederetur juxta Præpotent. D. D. Ordinum Decreta in præstitis officiis acquiesci licere atque oportere, eo non obstante tamen ex superfluo atque ad majorem Negotii promotionem in iis continuatum, ac sub finem Decembr. Scripta Propositio instituta esset, super quâ summæ Partes cum ore tum Scripto diversimodè sententiam Suam exposuerunt, tandemque in Lotharingiæ restitutione cardo rei versaturus videretur, quapropter Regis Galliar. Legati quindecim dierum moram petierunt, quanquam Præpotent. D. D. Ordinum Gen. D. D. Plenipotentiarii ad finem Suæ cum Hispanis Tractationis propemodum pervenerant, nec non durantibus, maximè verò quindecim illis diebus jamjam exspirantibus, cum Præmemoratis D.D. Plenipotentiariis, tùm D.D. Mediatoribus aliæ controversiæ propositæ fuerant, ex quibus facile colligi potest supradictam prætensam Lotharingiæ restitutionem non promoveri verum impediri, novissimeque institutam Propositionem, de Lotharingiæ restitutione solum Tractatu comprehendendâ, deque controversiæ super Nancæi aliorumque Fortalitiorum dirutione ad utrumque Regem remissione, quò ante Ratihabitionem componeretur, aut judicio arbitrioque cujuspiam permissione, decideretur, à Gallis rejici, eoque pacto, quinetiam separatâ Tractatione, quæ cum Duce Carolo institui dicebatur, omnem spem Pacis inter utrumque Regem componendæ, quæ quidem perexigua, D. D. Plenipotentiariorum judicio, affulgebat, adimi.

Præterquam quod de reliquis quinque controversiis deque submissione earum oblatâ, cum respectu *casus positionis* ejus, quod submitteretur, tum Arbitrorum, quorum judicio permitteretur & in Hispania & in Fœderato Belgio varii variè sentirent, & D. D. Mediatoribus variæ opiniones proponerentur, in quo Negotio nonnunquam etiam sententiæ discrepabant.

Præpot. quoque D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii aliquoties à Plenipotentiariis Hispaniar. Regis ut Tractatum conficerent, vel mutuo traditorum Scriptorum restitutione missum facerent, seriò admonerentur.

Proinde ergò, præmemorati D. D. Plenipotentiarii, juxta Præpot. D. D. Ordinum Gener. Decreta quarti Julii, decimi & quinti Novembr. aliaque Mandatis iterata *finaliter* cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis *concludere* necesse habuerunt, quum in antecessum utrique summæ Parti Intercessionis Suæ continuationem obtulissent, eandemque Tractatu concluso sæpius iterassent; Acta insuper permissionis atque obstrictionis ab Hispaniar. Regis Plenipotentiariis impetrassent, eorumque Originale, ut vocant, subsignatum & obsignatum exhibuissent, at verò propter Longevillæ Ducis discessum supradicti D. D. Plenipotentiarii à Regis Galliar. Plenipotentiariis, qui Monasterii remanserant, absolutam declarationem haud consequi potuerunt: quin contrà ipsos in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum atque alibi hisce contraria, quæque Tractationi cum D. D. Plenipotentiariis, uti dictum fuit supra, confectæ præjudicio cederent, exhibere constituisse, perceperunt.

Insuper etiam supradicti D. D. Plenipotentiarii Præpotent. D. D. Ordinibus Gener.

Gener. proposuerunt, sese cum Regis Hispaniar. D.D. Plenipotentiariis Tractationem, quoad ejus fieri potuit, protraxisse, quo labore ac diligentiam Suam in utriusque Regis Negotio majori cum fructu impenderent; sese autem, postquam paulatim ac quasi gradatim ex ordine Mandatorum quæ acceperant de omnibus Punctis cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis convenissent, Tractatus Conclusionem aliquamdiu distulisse, non obstantibus plurimis petitionibus seriis ut concluderent, tandemque, num annuere vel abnuere vellent, disertis verbis exponerent: adhæc Regis Hispaniar. Plenipotentiarios animadvertentes, prout asseverabant, quamdiu poterant, exspectasse, &, nisi mora omnis tolleretur, Tractationem succisuros, ac Monasterio discessuros fuisse.

Ab alterâ quoque Parte viso perpensoque statu dubio, in quo Tractatus inter utrumque Galliæ scil. & Hispaniæ Regem versabatur, posse etiam intra duorum Mensium spatium, si utraque summa Pars Paci dedita foret, ad Ratihabitionem usque perfici omniaque haberi posse, ac si Tractatus eodem tempore ac simul conclusi fuissent, Tractatum cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis, longe ante præparatum concludere potius, quam succidere, muneris atque officii Sui credidisse.

Quam Conclusionem trigesimo die Januarii, cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis occœperunt, eodemque die *quatuor ejusdem Argumenti Instrumentis, binis Belgicâ totidemque Gallicâ linguâ conscriptis*, subsignârunt atque obsignarunt, quorum duo Hispani, reliqua præmemorati D.D. Plenipotentiarii receperunt; at verò Dominus Nederhorstius supradictæ Tractatus Conclusioni ac subsignationi neutiquam interfuit: supra memorati autem D. D. Plenipotentiarii bina supradicti Tractatus in Originali Suo, utrâque linguâ conscripta, Præpot. D. D. Ordinibus Gener. summa cum reverentia exhibuerunt.

Præterea etiam quatuor similia Acta de Moderamine in Majoratu Sylvæ-Ducensi, de quo antehac cum Hispanis Mense Decembr. Anno 1646. disceptatum fuerat, atque eidem omnes subscripserant, tradiderunt, quorum bina ab Hispanis hactenus detenta, juxta Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Decretum receperant.

Insuper etiam supradicti D. D. Plenipotentiarii retulerunt, quandoquidem respectu Navigationis Commerciorumque in Regna ac Regiones, cum quibus Regi Hispaniar. inimicitia aut jam intercedit, aut postmodum intercederet, eodem Tractatu nulla regula modusque constitutus fuerat, neque Præpot. D.D. Ordines Gen. de iis quidquam præceperant, id autem Negotium varias dissensiones gignere poterat, quemadmodum inter Galliar. & Angliæ Reges & Præpotent. D. D. Ordines Gener. Anno 1629. ac postmodum inter Galliæ Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. mari Mediterraneo, atque olim inter Angliæ Regem & Civitates Hanzeaticas varia incommoda emerserant; Idcirco ut iisdem tempestivè occurreretur, necessarium duxisse, quocirca supradicti D. D. Plenipotentiarii cum Hispanis de eâ re Articulum, salvo Præpotent. D. D. Ordinum Gen. consensu, confirmarunt, eâ lege, ut, si æqui bonique facerent, præmemoratus Articulus, postquam Monasterium rediissent, utrimque subsignaretur ac proinde seorsim Ratihaberetur, quem Articulum supradicti D.D. Plenipotentiarii sequenti Speci-

Specimine tradiderunt, quod juxta Hispanorum Speciminis Originale exhibuerunt.

Postremò præmemorati D. D. Plenipotentiarii demonstrârunt, Regis Hispaniar. D. D. Plenipotentiarios declarasse, aliquot sese initi Tractatus Exemplaria Majestati Suæ variis itineribus, quò Ejusdem Ratihabitio intra duorum Mensium spatium accipere possint, misisse: quamvis autem proposita Ratihabitionis formula à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. remissa non fuerat; D. D. Plenipotentiarios hoc rogatos, quid de hac re sentirent, explicare neutiquam potuisse; veruntamen firmiter sibi persuasisse, Regis Hispaniar. Plenipotentiarios, quantum ad supradictam formulam attinet, satisfecisse, atque extensioni vel insertioni vocum *liberarum Provinciarum* Sese accommodasse. Eosdem quoq; Hispaniar. Regis D. D. Plenipotentiarios rogasse, ut Confirmatio & Præpotent. D. D. Ordinum Ratihabitio similiter intra binosMenses appararetur, Monasterii traderetur, atque commutaretur, in quem etiam finem ibidem per id tempus commorari, Seque cum Gallis continuare velle indicârunt.

Præterea etiam RegisHispaniarum D. D. Plenipotent. indicasse, in juramento ad supradictum perpetuæ Pacis Tractatum præstando, atque in eodem divulgando idem, quod ab aliis Regibus, Principibus ac Statibus fieri consuevit, observandum esse, Seque Ipsos post Tractatus commutationem in Fœderatas Belgii Provincias advenire velle, quò solennia decenter peragerentur; eâ lege ac conditione, ut vicissim nomine locoque Præpot. D. D. Ordinum Gen. quidam insignes loco atque ordine Viri, plenissimâ Auctoritate instructi, in Hispaniam eundem in finem discederent; quod si verò propter locorum intervallum tam cito id fieri non posset, ut summè memoratus Rex Hispaniensis Archi-Ducem Leopoldum, Bruxellis commorantem, sufficiente Auctoritate muniret, quò Ejusdem nomine locoque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. juramentum exciperet, ab iis, qui sufficiente ad id Auctoritate instructi forent, eodemque tempore Bruxellis sese sisterent, super quâ re Præpotent. D. D. Ordinum Gener. sententiam pernoscere voluerunt, quò sese illi accommodare, atque suprà memoratam Auctoritatem summè dicto Archi-Duci Leopoldo tempestive procurare, ac de instituendâ divulgatione convenire possent.

Adhæc Eosdem D. D. Plenipotentiarios admonuisse, quò tantò fidelius initus Tractatus observaretur, requiri ut Legatis vel Ministris in Hispania, Bruxellis, similiter etiam in Fœderati Belgii Provinciis locus quidam assignaretur, inque præcipuis Hispaniæ Oppidis Consules constituerentur, quò omnibus querelis & incommodis eò melius occurreretur.

Ut autem ea omnia, quæ suprà dicta sunt, à parte suâ præpararent, quinetiam de executione variorum Punctorum, è Tractatu orientium, decernerent, præterea ut de plurimis privatis Negotiis, è Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Mandato ipsis commendatis, consilium inirent; deniq; ut Negotium, de quo cum Gallis discrepatur, Lotharingiam sc. concernens, plenissime edocerentur, visum Ipsis fuisse, ut D. *de Brun*, Regis Hispaniar. Plenipotentiariorum ordine secundus Bruxellas iter institueret, eo animo atque intentione, ut circa Mensem Martium aut primum ejus diem Monasterium rediret, utque Penerandæ Comes ibidem remaneret.

Ad quod Præpotent. D. D. Ordinum Gener. D. D. Plenipotentiarii quosdam è Suis ad Unitas Belgii Provincias iter instituere oportere indicârant, quò omnia, quæ suprà dicta sunt, prout acta fuerant, Præpotent. D. D. Ordinibus General. referrent, deque iis Mandata accipientes, sese itidem circa Mensem Martium ejusve diem primum Monasterii sisterent, neque solum ulterius inter utrumque Regem intercederent, si utrique gratum foret. verum etiam quod Tractatus initi executioni de eodem cum Regis Hispaniarum D. D. Plenipotentiariis maximè inservire existimabunt, ad beneplacitum Præpotent. D.D. Ordinum Gener. agerent, ac, si fieri posset, transigerent.

Insuper etiam suprà memorati D. D. Plenipotentiarii unicè rogârunt, ut Præpotent. D. D. Ordines Gener. Puncta hisce contenta altiori examini subjicerent, deque iis ea decernerent, quæ Unitis Belgii Provinciis usui esse, & quibus D. D. Plenipotentiarii constituto tempore cum fructu discedere possent.

Quandoquidem verò (D. D. Plenipotentiarii inquiebant) non sine summâ admiratione & præter opinionem ad aures suas accesserat, Scriptas quasdam rationes Præpotent. D. D. Ordinibus traditas esse, ob quas Dominus Nederhorstius Tractatui non subsignasset, quæ typis jam divulgatæ erant, suprà memorati autem D. D. Plenipotentiarii, sese omnia ad summum Præpotent. D. D. Ordinum commodum diligenter egisse confidentes, inviti planè admitterent, ut Tractationi suæ quidquam derogaretur, aut suspicio qualiscumque moveretur, Præpotent. D. D. Ordines Gener. rogârunt ut Eorundem jussu ac Mandato Scripti ejusmodi Exemplar Ipsis traderetur, quò Præpotent. D. D. Ordines Gener. eò melius omnia edocere possent, ad quod sese vi jurisjurandi munerisque obstrictos obligatosque arbitrabantur.

Quemadmodum etiam suprà dicti D. D. Plenipotentiarii petierunt, ut de novissimâ petitione centies Florenorum mille, ad sumptuum Legationis Monasteriensis exsolutionem, necessaria tempestivè decernerentur, consensusque quamprimum institueretur, quò omnia paratâ pecuniâ exsolvi, & pro dignitate hujusce Reipub. geri ac confici possent.

Exemplum Articuli privati, Navigationem & Commercia concernentis, vi Pacis Tractatus, inter Regis Hispaniarum Extraordinarios Legatos ac Plenipotentiarios, & Extraordinarios Legatos ac Plenipotent. Fœderati Belgii Præpot. D. D. Ordines Gener. initi confirmatique.

Unitarum Belgii Provinciarum Incolis Subditisque libere ac securè in omnia Regna, Status & Regiones, quæ Amicitiæ sive Neutralitatis, ut vocant, vinculo Fœderatis Belgii Provinciis adjuncta sunt, sive adjungentur, navigare, merces apportare & exportare integrum erit, neque in Navigatione Commerciisque suis ullis hostilitatis actibus, qui aut jam deprehenduntur, aut postmodum deprehendentur inter summè dictum Hispaniarum Regem, ac suprameraorata Regna, Status, vel Regiones, aut eorum ullos, quibus cum summè dictis D. D. Ordinibus Gener. Amicitia aut Neutralitas quæcumque intercedit, perturbabuntur, eâ lege

eâ lege tamen, ne iis, qui Hostes summè memorati Regis dicti atque habiti sunt, merces vetitas *apportare liceat. Cui ut occurratur, neque Navigationes impediantur, ubi in portum aliquem summè dicti Regis appellent atque inde ad Hostium portum quempiam trajicere volent, Salvos-Conductus suos, qui onerum navibus suis impositorum specificationem continebunt, ordinario sigillo, quod Senatus Maritimi Præfectis Tractus illius, undè solvent, cognitum erit, subsignatos exhibere tenebuntur: neque ulterius explorabuntur, multò minus, quocumque tandem prætextu id fiat, detinebuntur. Quemadmodum etiam in aperto Mari navigantes, aut in stationem aliquam devenientes, si portus velis intrare, aut onera exornare nolint, onerum navibus suis contentorum rationem reddere neutiquam tenebuntur: Eâ lege ac conditione, ut Præpotent. D. D. Ordines Gener. expressè interdicturi sint, ne quis Subditorum suorum vetitas merces summè dicti Regis Hostibus apportent, ac similia signa tradituri sint, ut eo pacto suprà memorati Salvi-Conductus Senatus Maritimi valor & dignitas melius percipi, neque ullo modo corrumpi poßit. Excepto tamen, quod Navigationes Commerciaque ab Vnitarum Belgii Provinciarum Incolis Subditisque in Galliam* eo, quo antehac, modo *continuentur, dummodo Mercibus in Galliam apportandis abstineant, quæ è Regis Hispaniarum Regnis exportantur, quæque adversus Ipsum Ejusdemque Regna Hostibus ullo modo intervenire possunt. Quod si autem in supra dictis Navibus ejusmodi bona, mercesque vetitæ reperirentur, suprà memorata bona mercesque interdictæ solæ auferentur, neque propterea navis, aliavè bona mercesque navibus contentæ ullo modo diripientur justæque prædæ loco habebuntur: ac vicißim summè dicti Regis Subditi eâdem Navigationis Commerciorumque libertate fruentur, si inter summè memoratos D. D. Ordines Gener. Regnaque, Status & Regiones, aut aliquos eorum, qui Amicitiæ vel Neutralitatis vinculo summè memorato Regi devincti tenentur, ullæ inimicitiæ deprehendantur, vel postmodum deprehenderentur, idque sub conditionibus ac limitationibus supra dictis, quæ præsenti hocce Articulo exprimuntur.*

Præsens Articulus observabitur, executioni mandabitur & tanquam Tractatui Pacis insertus habebitur, atque ab Hispaniarum Rege & Fœderati Belgii Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. ad modum primarii Tractatus, duorum Mensium post spatio primarii Tractatus, trigesimo die Ianuarii hujusce vertentis Anni 1648. *conclusi ac confirmati, Ratihabitionis commutationem, aut quamprimum post suprà memoratam commutationem fieri poterit, confirmabitur: Ratihabitiones quoque solennibus formulis conscriptæ tradentur ac commutabuntur. Dabantur, atque à suprà dictis Regis Hispaniarum ac summè memoratorum Fœderati Belgii Ordinum Gener. D. D. Plenipotentiariis Monasterii subsignabantur, quarto die Februarii, Anno* 1648. *sigillisque utraque Parte muniebantur:*

Comes Peneurandæ.	Bartoltius à Gent.
A. Brun.	Johannes Mathenesius.
	Adrianus Pauw.
	Godertius à Reede.
	L. à Donia.
	G. Ripperda.
	A. Clantius.

Quandoquidem plurima ac varia Galli officia semper præstiterunt, omnia autem illa inferere, vel eadem argumenta, variis temporibus aliis atque aliis verbis proposita, toties enarrare nimis longum foret, postremò Regis Literas ac Propositionem

ſitionem D. Legati ſuper iis tertio die Martii inſtitutam ſequentibus inſeruiſſe ſufficiet.

Chariſſimi & Dilectiſſimi Socii ac Fœderati Noſtri, tantâ animi demiratione percepimus, quæ Monaſterii trigeſimo die Ianuarii acta ſunt, ubi Deputatorum Veſtrorum plurimi privato cuidam Tractatui cum Miniſtris Hiſpaniæ ſubſignârunt, ut intentioni ac voluntati Veſtræ hac in parte ſatisfactum ab ipſis fuiſſe in animum Nobis inducere nequeamus: neve ullo modo dubitamus, quin, ſimulac ea Vobis innoteſcent, omnia remedia adhibituri ſitis quibus obviam eatur iis, quæ cum ſummo tot *ſolennium* Tractatuum, *quos Status Veſter variis temporibus cum hoc Regno iniit, qui, ut Pacis Tractatio* pari paſſu *procederet, & niſi conjunctim concluderetur, poſtulant, ſummo cum præjudicio conjuncta ſunt. Eò magis huic noſtræ ſinceritatis ac fidelitatis demonſtrationi confidimus, quod media optima, quæ à parte Noſtrâ ad Pacem promovendam adhibuimus, Vos minimè lateant: quæ nihil in Hoſtibus Noſtris effecerunt, quam ut tantò magis ab eâ abhorrerent. In hiſce Nos ad Extraordinarium Noſtrum Legatum in multis referimus, quæ ut Noſtro Nomine Vobis, tantarum rerum caſu, proponeret, præcepimus, atque ut pleniſſimam ipſi fidem habeatis rogamus; Interea ut Cœleſte Numen Vos, Chariſſimi & Dilectiſſimi Socii ac Fœderati, protegat atque defendat, ſupplices precamur. Dabantur Pariſiis, decimo & quarto die Februarii,* 1648. *Subſignatum erat, Socius & Fœderatus Veſter,* Ludovicus. *Pauloque infrà,* de Lomenie.

Inſcriptio autem hæc erat,

Chariſſimis & Dilectiſſimis Sociis ac Fœderatis Noſtris, Vnitarum Belgii Provinciarum Dominis D. Ordinibus Generalibus.

PRÆPOTENTES DOMINI,

Ab eo tempore, quo Regi Chriſtianiſſ. operâ meâ in Negotiis ſuis ſecretiſſimis uti viſum fuit, in nullam rem incidi, quæ majoris momenti ac ponderis, quam præſens, Mihi viſa fuit, quæ, ut Meipſum Vobis ſiſterem, impulit; quandoquidem, Præpotentes Domini, ut querelas apud Vos inſtituerem, Me obſtrinxit obligavitque, Vobis quinetiam exponerem ea, quæ Rex & Regina Mater de ſubſignatione Tractatus Veſtri *cum Hiſpanis verè ſentiunt, deque eo, quod deſertos Seſe ab iis Fœderatis videant, in quibus non immeritò omnem ſuam ſpem fixerant atque locârant, & à quibus, ſimili huic Rerum Statu, auxilia rurſus exſpectârant, quæ Vobis, in anguſtias redactis, tulerunt, atque remunerationem quam deſiderarant, pro tot impenſis millionibus, tantâ ſanguinis pro Republ. Veſtra effuſione, tantâque jacturâ ac labore bello, nullum alium ob finem ſuſcepto, quam ut nimia Hiſpanorum ambitio comprimeretur, Vobis quinetiam, Præpotentes Domini, id petentibus atque inſtantibus belli ſumptus minuerentur, quod adverſus Hoſtes Veſtros gerere tenebamini, quos tunc pro Noſtris etiam Hoſtibus habebamus. Non Vos præterit, Præpotentes Domini, ſtatus, in quo Anno* 1634. *collocati eramus, magnanimitas, quâ Hiſpanis Anno* 1635. *bellum indicebamus, privati ac ſingulares illius Tractatus conventus, quem eodem Anno inibamus, quinetiam obligationes atque obſtrictiones,* quibus arma nunquam deponere, antequam Hiſpani Belgio expulſi forent, tenebamur, *Id autem ſeriò diligenterque à Nobis præſtitum neutiquam Vos latet: fuiſſe Voſmetipſi potiſſimum judicare poteritis.*

Quamvis enim bellum geſſimus, non minorem tamen Paci laborem ac diligentiam impendimus,

dimus, patientia & constantia, quam in præliminaribus Tractatibus ineundis testati fuimus, certissimum ejus sunt indicium, quemadmodum etiam Tractatus Anno 1644. initus fiduciam, quâ Majestates Suæ providis Vestris consiliis semper fretæ fuerunt, abunde testatur, quandoquidem simulac Monasterium, tanquam locus, in quo conventus haberetur, ac tempus, quo conveniretur, constitutum fuerat, non satis Ipsis fuit D. D. Plenipotentiariorum electionis, quam instituerant, simul etiam temporis, quo eò discederent, Vos certiores reddidisse; verum etiam, ut D. D. Plenipotentiarii Hagâ-Com. Monasterium iter instituerent, voluerunt; quò, si ita loqui liceat, Instructionibus, quas Ipsis dederant, eas, quas Vos D. D. Plenipotentiariis Vestris daretis, adderent, ac suprà dictum Tractatum Anno 1644. initum concluderent, ut in Tractatione tanti momenti normæ ac regulæ vicem supplere gradusque ipntuere possset, *quos instituere uterque Nostrum, cum Monasterium ventum foret, debebat: ubi Regis Galliar. D. D. Plenipotentiarii tam fideliter, quæcumque promissa fuerant, præstiterunt, ut viginti, supra unum, Menses, D. D. Plenipotentiariorum Vestrorum, interea temporis propositionem quamcumque rejicientes, adventum exspectando consumpserint.*

Et sanè, cum eò advenissent, literasque Auctoritatis suæ commutassent, quot dolis Fœderationem Fœdusque Nostrum Hispani infringere tentârunt, id demonstrare superfluum, ac referre nimis longum foret: Iam nuptias inter Regem & Hispaniarum Infantem prædicare, *quæ Ipsius imperio universum Belgium subjicerent; jam de earundem Provinciarum cum Cataloniâ commutatione agere; tandem verò id non satis aliò animis Vestris inhærere sentientes,* fœlicitatis Nostræ metum Vobis incutiebant: *Gallorum insuper vires in cœlum usque extollere, deque periculo, commiseratione moti, Vos admonere, quod Status Noster Vobis finitimis minitari videtur, quasi Fœderati ac Socii res secundas,* qui promissis semper stetit, *alteri, cujus dignitati semper studuit, zeli occasionem præbere oporteat.*

Quanquam autem hæ fraudes, quæ detegi facillimè possunt, adversus eos valerent, Nobis tamen majorem in modum obsunt, quod profectò Articulorum quorundam subsignatio *satis superque testatur; de quibus frustra verba faceremus, licet eorum, quæ oculis Nostris quasi coram cernimus, certissimum præsagium forent, atque Hispaniarum Regis Ministris Oratoriam seu eloquentiam suam exercendi tempus darent: quæ tandem adeò placuit, ut, non obstante Nostro* Securitatis *mutuæque defensionis Tractatu, postremo die Iulii Anni proximè elapsi inito, qui præcedentes confirmat stabilitque; eo, inquam, Tractatu omnibusque progressibus, quos ad Pacem simul & conjunctim ineundam fecimus, insuper etiam iis, quod Puncta Nostra cum Hispanis, quæ necdum decisa restant, Vestro, Præpotentes Domini, vel Celsissimi Arausionensium Principis, atque Eorum, qui à Vobis ad id deligentur, Iudicio Arbitrioque permisimus, non obstantibus, Tractatum cum Hispanis trigesimo die Ianuarii subsignatum, de quo impræsentiarum conqueror, non ignoramus: parum etiam abest, quin universus Monasteriensis Conventus similiter querelas instituat, quandoquidem omnis restaurandæ ac confirmandæ in Christiano Orbe Pacis spes, quam legitimè omnes acceperant, hoc pacto adimitur.*

Nihilominus tamen Majestates Suæ præsentem Tractatum superioribus, quorum antehac memini, planè contrariantem deprehendunt, neque in animum Sibi inducere queunt, quum ab aliquibus tantum Vestrum approbari, &, si ita loqui liceat, ejusmodi facto sinceritatem ac fidelitatem, quam Unitarum Belgii Provinciarum Incolæ Subditique profitentur, lædi sciant, ea, quæ acta sunt, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. jussu ac mandato facta fuisse, tamque multos tam insigni ordine ac loco Viros, qui Eos constituunt, non tantum contra suprà memo-

ratos Tractatus, verum etiam contra Decreta, in Concilio hocce constituta, tantum Hostibus Suis hac in parte prodesse voluisse, ut dolis Eos adducere potuerint, quò tam justam tamque commodam Vnionem propemodum dissolverent: Id Majestates Suæ exoptant, tantumque fidelitati Vestræ confidunt, ut neutiquam dubitent, quin Vos, Præpotentes Domini, huic malo, quod tanta incommoda apportare poterit, nisi necessaria media & quidem ea, quæ à fidis ac veteribus Sociis petere possemus, adhibituri sitis.

Idem à Vobis, Præpotentes Domini, Nomine locoque Regis & Reginæ Matris peto, neque id Mihi denegare Vos posse arbitror, hoc Tractatibus Nostris, *Præpotentes Domini, maximè verò Vobismetipsis,* debetis. *Maximi Europæ Principes Negotii finem videre gestiunt, ut postmodum Vobiscum ineundos Tractatus ad hunc componere possent. Res hactenus* integræ atque intactæ *& Ratihabitiones Vestræ necdum* traditæ *sunt, easque Regis Hispaniarum Ministris, donec æquo justoque modo Nobis satisfecerint, denegare potestis: quod à Vestrâ, Præpotentes Domini,* æquitate, fide ac gratitudine *exspectamus, quæ citra id à contumeliâ libera futura non sunt, cujusmodi etiam officia Hispanis præstare potuistis, quum Socii & Fœderati Nostri, ac proinde ulterius Nobis, quam solis verbis devincti obligatique sitis: In hac igitur sententiâ sum; eamque tantâ cum observantiâ, quantam Serenissimo huic Consessui debeo, defendo, non licere Vobis ulterius progredi, neque alterutri Nostrum quempiam cum Hispaniarum Rege Tractatum, nisi unanimi consensu, integrum esse. Dabatur Hagæ-Com. tertio die Martii, 1648. Subsignatum erat,* Tuillerius.

Quid autem de hac re Hollandiæ D. D. Ordines senserint, post alteram Propositionem, à summè dicto Domino Legato institutam, inseretur.

Sexto die Martii Dominus à Roorda, in Concilio præsidens, Præpot. D. D. Ordinibus Gener. indicavit, Eos vicesimo & septimo die Decembr. proximè elapsi, constituisse ac decrevisse, ut, quæcumque juxta primum membrum quadragesimi & tertii septuaginta & trium Articulorum, jam tum inter Hispaniarum Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. Monasterii, nomine locoque Celsissimi Arausionensium Principis approbatorum, cum alterâ Parte aut acta jam essent, aut postmodum, durante Tractatione Monasteriensi, agerentur, omnia illa *eandem vim atque vigorem haberent, ac si, quæ transacta sunt in communi, eorum singula Puncta concluso confirmatoque Pacis Tractatui inter summè memoratum Hispaniarum Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. à verbo ad verbum inserta forent*; eâ lege tamen, ut ejusdem Tractationis particularis explicatio institueretur, si quando Pacis Tractatus subsignatus ad Præpotent. D. D. Ordines Gener. mitteretur. Suprà memoratus autem Dominus præsidens, in posterioris membri Præpotent. D. D. Ordinum Gen. suprà memoratæ intentionis bonæ satisfactionem, Celsissimo Arausionensium Principe id petente, duos Tractatus particulares, nomine locoque Celsitudinis Suæ cum alterâ Parte Monasterii initos, in Originali suo exhibuit, & ne Præpotent. D. D. Ordines Gener. eorum argumentum lateret, deinceps perlegendos tradidit: Quibus perlectis perpensisque Præpot. D. D. Ordines Gener. Celsitudini Suæ pro suprà dictorum communicatione gratias egerunt, eorumque Tractatuum exemplaria Provinciarum D. D. Deputati, quò D. D. Deputantibus suis eadem latius exhiberent, petierunt; quæ iisdem concessa fuere. Dominus autem à Roorda, ut sententiam de exemplaribus illis ad Provinciarum D. D. Ordines mittendis Celsitudini suæ proponeret, rogatus fuit: quod facturum Sese Celsissimus

fissimus Arausionensium Princeps promisit: Porrò etiam hac occasione Præpotentes D. D. Ordines Gener. decreverunt, ut, quæcumque nomine locoque Comitis Flodrophensis, atque insuper Domini Rutgeri Huygenii cum alterâ Parte Monasterii aut jàm acta erant, aut postmodum agerentur, suo etiam tempore in Concilio exhiberentur ac perlegerentur, quò eorum quoque, si Provinciarum D. D. Deputati id exigerent, exemplaria Ipsis exarari possent.

Vtriusque hujus Tractatus Exemplar tale est.

Quandoquidem Celsiss. Arausionensium Princeps, præter Partes, de quibus in Pacis Tractatione à Regis Hispaniarum & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. D. D. Plenipotentiariis atque Extraordinariis Legatis agetur ac decernetur, plurimas sibi actiones competere prætendit, in quibus necdum sibi satisfactum fuit, ac proinde eas in suprà memorato Tractatu petere statuit; at verò quum eæ variis ratiuncularum partibus ac debitorum liquidationibus seu decisionibus constent, quæ facilius cum Celsiss. Arausionensium Principe Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinariorum Legatorum ac Plenipotentiariorum consilii ac sententiæ interventu seorsim componi possunt, privatim cum summè dictâ Majestate Suâ de iisdem agere eorumque satisfactionem petere Ipsi visum decretumque fuit.

Ac proindè Dominus Casparus de Bracamontio & Gusmaniâ, Penerandæ Comes, summè dictæ Majestatis Suæ Nobilis Cameræ Custos, Eidem à Secretis, Extraordinarius Ejusdem in Germaniam Legatus & D. D. Plenipotentiariorum ad Pacis communis Tractationem ordine primus, &c. Nomine locoque Majestatis Suæ, & D. Johannes Knuytius, utriusque Vosmariæ Dominus, Nobilium atque Equestrem in Concilio Nobilium ac Potentium Zelandiæ D. D. Ordinum repræsentans, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ad Pacis Tractationem Plenipotentiarius, & Celsiss. Arausionensium Principis Consiliarius, Nomine locoque Celsitud. Suæ, postquam varios conventus plurimasque propositiones ultrò citròque instituissent, tandem sequentem in modum convenerunt;

Nimirum, ut Majestas Sua, quò omnes actiones, quæ Celsissimo Arausionensium Principi in Regem Catholicum competunt, planè & plene tollerentur ac semoverentur, Celsiss. Principi, vel, si ante conclusionem ac suprà dictæ Pacis Tractationis satisfactionem è vitâ decederet, legitimis Ejusdem hæredibus, posteris, aut quibus id jus competit, agros ditionesque Montfurtenses, ad Rurmundam, ut & Turnhoutenses, in Brabantiâ sitas, cum omnibus privilegiis eodem pertinentibus, nullis exceptis, traderet: &, quandoquidem supradictæ ditionis Montfurtensis reditus viginti supra quinque Florenorum millia, ditionis autem Turnhoutensis reditus duodecim Florenorum millia quotannis exæquare creduntur, stipulatum fuit, quod si supra memorati reditus minuerentur, ut iidem à Majestatis Suæ parte quotannis, usque ad viginti supra quinque & duodecim Florenorum millia, adaugerentur ac supplerentur. Insuper etiam ut summè dicta Majestas Sua in Celsissimi Arausionens. Principis Viduæ commodum Civitatem ditionesque Sevenbergenses, cum omnibus privilegiis ac reditibus eodem perti-

pertinentibus concederet, fidem quinetiam daret, Se, quibuscumq; in suprà memoratas tres Regiones, civitates ditionesque jus aliquod competit, quique aliquas earum partes tenent, satisfacturam esse. Adhæc summè memorata Majestas Semetipsam obligat atque obstringit, Sese supradictas partes vectigalibus, versuris reliquisque aliis oneribus liberaturam esse, quò Celsissimus Arausionensium Princeps Ejusque Uxor, legitimi hæredes, posteri, vel quibus id jus competit, ut suprà dictum fuit, eas liberè ac plenè possiderent, iisdemque citra ullum impedimentum atque onera fruerentur.

Eâ lege ac conditione, ut omnes illæ Regiones à summè dictâ Majestate Suâ feudi nomine accipiantur, exceptis tamen ejusmodi Regionibus, quæ aliis tanquam bona feudalia concessæ fuerunt, utque insuper Romana Religio ibidem exerceretur ac conservaretur, prout hoc tempore exercetur, utque Ecclesiastici omnibus suis bonis, muneribus, publicis exercitiis privilegiisque gauderent.

Harum autem traditionum interventu suprà memoratus D. Knuytius, Nomine locoque Celsissimi Arausionensium Principis, &c, si fortè ante Pacis Tractationis Ratihabitionem decederet, Nomine locoque legitimorum, aut eorum, quibus id jus competit, polliceretur fidemque daret, Sese omnes actiones ac prætensiones, quas summè dictus Arausionensium Princeps in Majestatem Suam Ejusvè Subditos habere posset, renuntiaturum esse.

Quamvis autem vicesimo & quarto Pacis Articulo stipulatum erit, ut iis, quorum bona belli causâ publicata fuerunt, vel ipsi, eorumvè hæredibus, vel iis, quibus jus id competet, durante Pace iisdem bonis frui, & propriâ suâ Auctoritate præsentisq; Tractatus vi, possessionem eorum accipere licitum futurum sit, & coram judice causam agere neutiquam necesse habituri; non obstantibus quibuscumque in Fiscum immissionibus, oppignorationibus, donationibus, contractibus, transactionibus ac traditionibus, quæcumque tandem renunciationes suprà dictis traditionibus, ad proprios Dominos excludendos, comprehensæ fuerint.

Nihilominus tamen conventum fuit, ut summè dictus Arausionensium Princeps, vel, si fortè, ante suprà memoratæ Pacis Tractationis Conclusionem ac Ratihabitionem, vitam cum morte commutaret, legitimi hæredes, vel quibus id jus competit, ad possessionem Marchionatus Bergozomiensis, in quantum summè memoratus Arausionensium Princeps eundem impræsentiarum tenet, promoveretur, utque Celsiss. Princeps, Ejusvè hæredes, quemadmodum dictum fuit, reliquæ partis Marchionatus Bergozomiensis, quæ Celsissimi Arausionensium Principis Imperio necdum subest, plenissimâ possessione donarentur; idque immediate post ipsam Pacis Tractationis Ratihabitionem. Contrà verò ad suprà dicti Marchionatus valorem exæquandum, ut Majestati Suæ subsequentium bonorum partium, quæ Celsissimo Principi propria sunt, plenissima possessio concederetur; nimirum, Civitatis & Baronatus Diestensis, Civitatis Regionisque Sichemiensis & Montaguensis, liberæ Ditionis Meerhoutensis & Vorstensis, liberæ Ditionis Harstalliensis, Baronatus Grimbergensis, Civitatis ac Baronatus Warnetonensis, cum omnibus ejusdem annexis locisq; subjacentibus, ædium quoque summè dicti Principis, quæ Bruxellis sunt, idque donec suprà memorati Marchionatus

natus omniumque eorum, quæ ab eo dependent, cum suprà dictis Celsissimi Arausionens. Principis bonis realem permutationem Majestas Sua procuraverit: eâ autem permutatione institutâ, suprà dictus Marchionatus summè memorato Principi, Ejusvè legitimis hæredibus, posteris, aut iis, quibus id jus competit, alia verò suprà dicta bona Majestati Suæ, vel iis, qui suprà memoratum Marchionatum petere possent, in perpetuum relinquerentur; Comite Penerandæ in se recipiente, realem permutationem intra decem Mensium spatium, post Pacis Tractationis Ratihabitionem, procuratam iri.

Summè dicta quoque Majestas Sua apud S. Cæsaream Majestatem ad id reipsâ operam daret, ut Meursiæ Ditioni Celsissimo Arausionensium Principi propriæ, aliquis S. Romani Imperii locus eidem adsitus, cujus reditus decem Florenorum millia quotannis exæquarent, addatur, utque ex iis simul Ducatu constituto dehinc pro bonis feudalibus à S. Romano Imperio concessis habeantur.

Eâ lege ac conditione, ut præsens Contractus ante suprà dictæ Pacis Tractationis conclusionem neutiquam obligaturus atque obstricturus; at verò, eâdem finitâ, omni ex parte observandus, ejusdemque cum suprà memoratâ Pacis Tractatione valoris futurus sit.

Dabantur Monasterii, octavo die Januarii, Anno 1647. Subsignatum erat, Comes Penerandæ, Frat. Josephus Archi-Episc. Camer. J. Knuytius.

Archi-Episcopus Mechliniensis, Episcopus Antverpiensis, & Abbates, quorum nomina infra inserentur, omnes tanquam Primi Status Ducatus Brabantiæ membra, viso perpensoq; Contractu, Januario proximè elapso Monasterii inito, inter Penerandæ Comitem, tanquam Regis Catholici Extraordinarium Legatum ac Plenipotentiariorum ad communem Pacem ordine primum, Nomine locoque Majestatis Suæ ab unâ, & Dominum Johannem Knuytium, Equitem, utriusque Vosmariæ Dominum, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinarium Legatum, & ad suprà dictam Pacis Tractationem Plenipotentiarium, Nomine locoque Celsissimi Arausionensium Principis ab alterâ parte, suprà memorato Contractu antè inserto cum à D. D. Contrahentibus, tum à Domino Archi-Episcopo Camer. Extraordinario quoque summè dictæ Majestatis Suæ Legato & Plenipotentiario, Infrà nominando, Serenissimo Principe Leopoldo Gulielmo, Archi-Duce Austriæ, &c. id petente, Nomine locoque Majestatis Suæ, utpote qui Ejusdem Vicarius atque Supremus Belgii ac Burgundiæ Gubernator existit, promiserunt & per præsentes spondent ac pollicentur, effecturos sese, ut Majestas Sua supradicto Contractui juxta tenorem suum satisfaciat. Dabantur Bruxellis, trigesimo die Augusti, Anno 1647. Jacobus, Archi-Episcopus Mechliniensis, Casparus, Episcopus Antverpiensis, Chrysostomus, Abbas S. Michaëlis, Christ. Abbas Grimbergensis, Augustinus, Advaticensis Tongrorum Abbas, Martinus, Abbas Deligemensis, Wynandus Mayellëus, Abbas S. Geertrudæ.

Ad modum autem suprà dictum Contractus ille particularis institutus atque à Præsulibus veluti stipulatus erat: at verò postquam Fredericus Henricus Celsissimus Arausionensium Princeps decesserat, idem cum Celsissimo Ejusdem gnato Guilielmo sequentem in modum renovatus ac commutatus fuit:

QUandoquidem Dominus Casparus de Bracamontio & Gusmaniâ, Penerandæ Comes, Nobilis Majestatis Suæ Hispaniarum Cameræ Custos, Eidemque à Secretis, Extraordinarius in Germaniam Legatus & D. D. Plenipotentiariorum ad communis Pacis Tractationem ordine primus, &c. Nomine locoque summè dictæ Majestatis Suæ, & Dominus Johannes Knuytius, utriusque Vosmariæ Dominus, Nobilium atque Equestrem Ordinem in Concilio Nobilium & Potentium Zelandiæ D. D. Ordinum repræsentans, Fœderati Belgii D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarius ad Pacis Tractationem, & Celsissimi Arausionensium Principis Consiliarius, Nomine locoque summè memorati Arausionens. Principis, Contractum quendam octavo die Januarii 1647. super prætensionibus & actionibus, quas summè dictus Princeps sibi in Majestatem Suam competere affirmabat, inierunt: at verò quoniam Celsitudo Sua interea temporis naturæ solvit, Idcircò suprà dicti D. D. Contrahentes, suprà memoratus scil. Penerandæ Comes, Nomine locoque Majestatis Suæ, & suprà dictus D. Knuytius, Nomine locoque Celsissimi Arausionensium Principis, impræsentiarum rursus convenerunt, ut suprà dictus Contractus, octavo die Januarii 1647. initus confirmatusque, vim ac vigorem suum plenè retenturus sit, quò omni ex parte observaretur atque executioni mandaretur, iis duntaxat exceptis, quæ per præsentem Contractum modo sequenti commutata percipientur.

Nimirum, quò omnes actiones, quæ summè dicto Principi in Majestatem Suam competunt, tollerentur atque amoverentur, summè memoratus Rex Celsissimo Arausionensium Principi, vel, si ante suprà dictæ Pacis Tractationis conclusionem ac Ratihabitionem vitam cum morte commutaret, Ejusdem hæredibus posterisque, vel quibus id jus competit, agros ditionesq; Montfurtenses, ad Rurmundam sitas, cum omnibus ejusdem privilegiis, juribusque, nullis exceptis, traditurus est, fidem daturus, Sese eorundem agrorum ditionumq; reditus, usque ad triginta supra duo Florenorum millia quotannis, imminutione aut exceptione seclusis, agris ibidem sitis adaucturum esse.

Insuper etiam summedicta Majestas in Celsissimi Arausionens. Principis Viduæ, summè dicti Principis Matris, commodum Civitate ac Ditione Sevenburgensi, cum omnibus suis privilegiis ac reditibus, qui eò pertinent, nullis exceptis, concessura atque traditura est.

In Ejusdem quoque Celsissimæ Viduæ commodum agros ditionesque Turnhoutenses in Brabantiâ, quinetiam Baucienseni & Schoonbroeckiensem, una cum locis eodem pertinentibus ac privilegiis omnibus, nullis exceptis, traditura est ac fidem datura, Sese, ut summedicti Principis Viduæ pagi, territoria aliaq; privilegia, quæ olim ad ditionem hanc pertinuerunt, quibus etiam comprehenduntur ea quæ summè dicta Majestas Sua vendidit, tradantur, curaturam, atque Semetipsam viginti, aut viginti supra quinque, ad summum, Florenorum millium exsolutioni, emptioni illi impendendæ, obligaturam ac devincturam esse.

Adhæc summè memorata Majestas Sua pollicetur, Sese, quibuscumque in suprà memoratas ditiones tres, Montfurtensem sc. Sevenbergensem & Turnhoutensem, jus aliquod competit, quique earum aliquas partes tenent, satisfacturam esse. Insuper etiam Rex, ad supradictas partes vectigalibus, oppignorationibus, ver-

verſuris reliquiſque aliis oneribus, iiſdem imperatis, liberandum, Sese obligat atque obſtringit, quo Celſiſſimus Arauſionenſium Princeps Ejuſque Mater, legitimi hæredes poſterique, vel quibus id jus competit, eas liberè ac plenè poſſideant, iiſdemque citra ullum impedimentum atque oppignorationem frui poſſint.

Eâ lege ac conditione, ut omnes illæ Regiones à ſummè dictâ Majeſtate Suâ feudi nomine accipiantur, exceptis tamen ejuſmodi Regionibus, quæ aliis tanquam feudalia bona conceſſa fuerunt, utque inſuper Romana Religio ibidem exerceretur ac conſervaretur, prout impræſentiarum exercetur ac conſervatur; utque Eccleſiaſtici omnibus ſuis bonis, muneribus, publicis exercitiis privilegiiſque gauderent.

Harum autem traditionum interventu ſuprà memoratus Dominus Knuytius, Nomine locoque Celſiſſimi Arauſionenſium Principis, &, ſi fortè ante Pacis Tractationis Ratihabitionem è vitâ decederet, Nomine locoque legitimorum hæredum, aut eorum, quibus jus hoc competit, pollicetur fidemque dat, Sese omnes actiones prætenſioneſque, quæ ſummè dicto Principi in Majeſtatem Suam Ejuſvè Subditos competere ullo modo poſſent, traditurum ac renunciaturum eſſe.

Quamvis autem viceſimo & quarto Pacis Tractatus Articulo ſtipulatum erit, ut iis, quorum bona belli cauſâ publicata fuerunt, vel Ipſi, eorumvè hæredes, vel ii, quibus jus id competet, durante Pace iiſdem bonis uti, & propriâ ſuâ Auctoritate ac vi præſentis Tractatus, poſſeſſionem eorum accipere, licitum futurum ſit, neque coram Judice cauſam agere neceſſe habituri ſint, non obſtantibus quibuſcumq; in Fiſcum immiſſionibus, oppignorationibus, donationibus, contractibus, tranſactionibus ac traditionibus, quæcumque tandem renunciationes ſupradictis traditionibus, ad proprios Dominos excludendos, comprehenſæ fuerint; nihilominus tamen conventum fuit, ut ſummè memoratus Princeps, vel, ſi forte ante ſuprà dictæ Pacis Tractationis concluſionem ac Ratihabitionem, vitam cum morte commutaret, legitimi hæredes, vel quibus id jus competit, in poſſeſſionem Marchionatus Bergozomienſis, in quantum ſumme dictus Princeps eundem impræſentiarum tenet, introducerentur, utque ſumme memoratus Princeps, Ejuſve hæredes, quemadmodum dictum fuit, reliquæ partis Marchionatus Bergozomienſis, quæ Ejuſdem Imperio necdum ſubeſt, pleniſſimâ poſſeſſione donarentur, idque immediate poſt Pacis Tractationis Ratihabitionem. Contrà verò, ut Majeſtati Suæ, ad ſupra dicti Marchionatus valorem exæquandum, ſubſequentium bonorum partium, quæ Celſiſſimo Principi propria ſunt, pleniſſima poſſeſſio concederetur, nimirum civitatis & Baronatus Dieſtenſis, civitatis Regioniſque Sichemienſis & Montaguenſis, liberæ Ditionis Meerhoutenſis & Vorſtenſis, liberæ Ditionis Herſtalienſis, Baronatus Grimbergenſis, civitatis ac Baronatus Warnetonenſis, cum omnibus ejuſdem annexis lociſq; ſubjacentibus, ædium quoque ſumme dicti Principis, quas Bruxellis habet, idque donec ſupra dicti Marchionatus omniumque eorum, quæ ab eo dependent, cum ſuprà memoratis Celſiſſimi Arauſionenſium Principis bonis realem permutationem Majeſtas Sua procuraverit; quâ permutatione inſtitutâ, ſupra dictus Marchionatus ſumme memorato Principi, Ejuſve legitimis hæredibus, poſteris, aut iis, quibus id jus

competit, alia verò suprà dicta bona Majestati Suæ, vel iis, qui suprà memoratum Marchionatum petere possent, in perpetuum relinquerentur: Comite Penerandæ in se recipiente, Majestatem Suam, ut intra decem Mensium spatium, post Pacis Tractationis Ratihabitionem, realis permutatio instituatur, procuraturam esse.

Summè dicta quoque Majestas Sua, apud S. Cæsaream Majestatem, ad id re ipsâ operam dabit, ut Meursiæ Ditioni Celsiss. Arausionensium Principi propriæ, quispiam S. Romani Imperii locus, non longe dissitus, cujus reditus decem Florenorum millia quotannis exæquarent, addatur, utque ex iis simul Ducatu constituto, dehinc pro bonis feudalibus à Sacro Romano Imperio concessis habeantur.

Eâ lege ac conditione, ut præsens Contractus, ante suprà dictæ Pacis Tractationis conclusionem, neutiquam obligaturus atque obstricturus sit, at verò, eâdem finitâ, omni ex parte observandus, ejusdemque cum dictâ Pacis Tractatione valoris futurus sit. Dabantur Monasterii, vicesimo & septimo die Decembris, Anno 1647. Subsignatum erat, Comes Penerandæ, Brun, Johannes Knuytius.

Septimo die Martii Dominus Roorda in Concilio præsidens Præpot. D. D. Ordinibus Gener. retulit, Sese juxta Eorundem Decretum præterito die confirmatum, Præpot. D. D. Ordinum Gener. sententiam ac desiderium exemplarium, in suo Originali, Contractuum eorum, quos Celsitudo Sua privatim cum alterâ Parte iniit, quorum quadragesimus & quartus, & quadragesimus & quintus Pacis Tractatus, trigesimo die Januarii conclusi confirmatique, Articulus meminit, Celsissimo Arausionensium Principi exposuisse, summè dictum autem Principem ad id respondisse, per se quidem licere, ut Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. eorum exemplaria traderentur. Quo cognito perpensoque, visum decretumque fuit, ut uterque suprà memoratus Celsissimi Arausionensium Principis Tractatus particularis Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Graphiario traderetur, quò Provinciis id petentibus describerentur; utque deinceps D. Graphiarius Musch eosdem Contractus, in suo Originali, summè dictæ Celsitudini Suæ traderet, quod à se factum fuisse, cum de hisce rursus ageretur, suprà dictus Dominus Graphiarius exposuit.

At verò decimo & septimo die Martii, Regis Galliarum Dominus Legatus sequentia proposuit.

PRæpotentes Domini, quanquam sufficere Mihi posset Vobis exponere, quod sæpius à me factum fuit, Tractatuum Nostrorum obligationem ac devinctionem, atque Regis Galliarum Plenipotentiariis Monasterii, qui verus est de Pace agendi locus, permittere, ut agant, prout maximè ipsis consultum videretur, iisque mediis utantur, quæ tanto tamque exoptato fini procurando inservire possent;

Nihilominus tamen, Præpotentes Domini, Rex & Regina Mater, apud animum suum revolventes ac reponentes maximam Propositionum partem, quas à suâ Parte ibidem instituerant, claræ ac perspicuæ nullique ambiguitati obnoxiæ licet

licet fuerint, aut *in malam partem raptam* aut *præposterè explicatam* fuisse, antequam ad concilium hoc sese contulerunt, quò magis magisque omnibus ac singulis *sinceram Suam voluntatem, quâ in Christiani Orbis Pacis restaurationem feruntur*, testatam facerent, speciatim autem quò Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. demonstrarent, sermones, qui de iis, quæ nuperrimè Monasterii in supradictæ Pacis Tractatione acciderunt, hîc habentur, *non verè sincerèque factos*, insuper etiam *tergiversationes, exceptiones ac mutationes*, cujus criminis adversa Nostra Pars sola rea existit, summâ injuriâ Gallis intendere nonnullos studuisse, Majestates Suæ, inquam, ut Vobis, Præpotentes Domini, cum viva voce tum Scripto declararem, mihi demandarunt, quò Vos, Præpotentes Domini, Pace, quam appetitis, citius frueremini, utque Vobis non solum media periculis plenas technas evitandi exhiberent, quas Hispani struxerunt, Vos à Rege separando, qui tot annis retro, quæcumque potuit, ad Vestram salutem, imperium, ac dignitatem promovendam contulit, insuper etiam hanc gloriam Vobis effectam reddidit, ut communis Pacis judices atque arbitri existeretis, in qua privatæ Vestræ majore cum securitate compotes fietis.

Ac primò quidem, Præpotentes Domini, Rex & Regina Mater, ea omnia re ipsâ concedunt, quæ Regis Galliar. D.D. Plenipotentiarii, Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis Monasterii indicabant: nempe, Duci Carolo sese Veterem Lotharingiam, dirutis ejusdem Fortalitiis, tradituros esse; quibus, ad majorem explanationem, ut cuivis notum est, Comitatus S. Claromontii, & loca Stenay & S. Jacobi comprehensa non reperiuntur, quæque cum Ducatu Barrensi, atque iis omnibus, quæ à tribus Episcopatibus dependent, Majestati Suæ reservabuntur.

Quod autem ad quinque Tractationis cum Hispanis Puncta, quæ necdum decisa sunt, quæ Regis Galliarum D. D. Plenipotentiarii Scripto, quod decimo die Januarii Præpotent. D. D. Ordinum Gener. D. D. Plenipotentiariis Judicio Intercessorum Arbitrorumque permittendum tradebant, exhibuerunt, Majestates Suæ eas Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ac Celsiss. Arausionensium Principis arbitrio permittere non recusant; ea lege tamen, ut suprà dictæ oblationes non nisi ante Tractatus Ratihabitionem, inter Vos & Hispaniarum Regem initi, traditionem ac commutationem locum non habituræ infectæq; censendæ sint, quod si Præpotent. D. D. Ordines Gener. suprà dictum Tractatum confirmando ac ratihabendo Societati Fœderique inter Gallos & Fœderati Belgii Præpot. D. D. Ordines Gener. inito quidquam detrahant: id autem futurum esse Majestates Suæ in animum sibi inducere nequeunt, præsertim quum ex præsenti hac declaratione ac Lotharingiæ traditione, (de quo Negotio hactenus, idque jure summo, ne verbum quidem audire voluerant, & propter quod Hostes, ac nonnulli Præpotent. D. D. Ordinum Gener. D. D. Plenipotentiarii *Paci ne unius quidem diei moram injectam iri* affirmarant) voluntas, quâ in eam feruntur, commodissima quæcumque media, quæ quotidie ei promovendæ proprio suo desiderio communique salute moti adhibuerant, manifestò conspici queant: quamvis externam speciem ac formam quod attinet, plus spei quam metus in armorum continuatione reliquum Sibi erat, si, quod ad bellum conficiendum conferunt, maximum hoc Ne-

gotium perficere nequeat. Dabantur Hagæ-Com. decimo & septimo die Martii, Anno 1648. Subsignatum erat, Thuillerius.

D.D. Hollandiæ Deputati loco responsionis ad propositiones illas vicesimo & tertio die Martii declararunt, quod etiam declarari oportebat, Præpot. sc. D. D. Ordines Gener. nihil magis desiderasse nihilque Ipsis potius fuisse, quam ut Pacis Tractatus inter utramque summam Partem, una cum Tractatu cum Hispaniar. Rege à Præpot. D. D. Ordinibus Gen. inito, compositus fuisset, idque propter rationes quas reipsa continet.

Atque ea propter Ipsorum Nomine à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis omnia studia officiaque, quò præmemoratæ summæ Partes componerentur, adhibita fuisse; at vero eadem hactenus cum summo Præpotentium D. D. Ordinum Gener. animi dolore effectu suo caruisse.

Proinde etiam Monasterii in supradictum finem nihil quicquam, quod eventum prosperum, vel ipsorum Intercessorum & aliorum judicio, qui Negotium cognitum perspectumque habent, pollicebatur, occipi potuisse.

Dominum Legatum Servientium, dum Hagæ-Com. de Securitatis Negotio ageretur, sæpius declarasse, quod si mutuo de præmemorato Negotio conveniretur, *viginti & quatuor horarum spatio post Pacem concludi posse.*

Hanc autem fuisse Præpotent. D. D. Ordinum Gener. sententiam, Tractatibus inter Galliar. Regem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. initis, per ea, quæ jam acta sunt, *satisfactum esse.*

Pacis Tractationem inter Hispanos & Præpotent. D. D. Ordines Gener. *confectam* haberi, & *publicam* D. D. Plenipotentiariorum *fidem* Monasterii comprobatam servari, effectumque, die ad id constituto, sortiri oportere omnes uno ore sensisse.

Eo non obstante tamen Præpotent. D.D. Ordines Gener. omnium, quorumcumque tandem officiorum continuationem etiamnum constituisse ac decrevisse, quò præmemorata utraque Pars summa ad finalem mutuamque compositionem perduceretur.

Ea quoque de causa Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. D.D. Plenipotentiarios Suos seriò rogare ac demandare visum fuisse, ut sese quamprimum Monasterium conferrent, additâ commendatione ac mandato, ut utriusque Partis conciliationem, quamprimum fieri poterit, procurarent.

Præpotent. D. D. Ordines Gener. *submissionem* sæpius dicta Propositione Domini Thuillerii Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. & Celsissimo Arausionensium Principi oblatam, neutiquam approbasse, siquidem ejusmodi submissio moram aliasque incommoditates, quæ propositæ conciliationi damno cederent, apportaret.

Nihilominus tamen, quo supradictum Negotium magis promoveretur, Præpotent. D.D. Ordines Gener. Plenipotentiariis Suis authoritatem potestatemque fecisse, qualemcumque Punctorum, quæ necdum decisa sunt, *submissionem* accipiendi, quæ à summis Partibus ipsis deferretur; eâ lege ac conditione, ne quid ea, quæ supradicta fuerunt, Ratihabitionum Pacis Tractatus, inter Regis Hispaniar. & Præpot. D.D. Ordinum Gen. Plenipotentiarios initi Conclusique, traditionem remorarentur. Præ-

Præterea etiam Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. Legato Suo Ordinario ad Regem Galliar. impræsentiarum in patriâ commoranti, præcipere visum fuisse, ut ad ea, quæ supradicta fuerunt, promovenda, quamprimum Parisios tenderet, apud Majestatem Suam, aut ubicumque opus erit, omnia ejusmodi officia, cujusmodi supradicto Negotio inservire judicabuntur, præstiturus.

Tandem verò Majestatem Suam omnesque summos Galliæ Ministros à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. etiam atque etiam rogari, ut ad totius Christiani orbis commodum tantum conferre velint, quantum summedicta Majestas Sua summique memorati Ministri Ipsius Nomine Paci universi orbis Christiani Sese deditos esse sæpius declarârunt.

Ad hæc etiam visum decretumque fuit, ut rationes supra allatæ *per modum Responsionis* Linguâ Gallicâ institutæ, Domino Thuillerio, per Dominum Agentem vander Burgh, vel prout Scripta Præpot. D.D.Ordinum Gen. Responsio aliorum Principum Legatis tradi consuevit, exhiberentur, neque ut ulteriore collatione supradictum Negotium hîc detineretur, verum Monasterii transigeretur, quemadmodum etiam summe memoratus Dominus Thuillerius supradictâ Propositione Suâ idem fieri debere innuebat.

Summememorati D. D. Ordines Hollandiæ narratione D. D. Plenipotentiariorum cognitâ perceptâque, ac super ea re deliberatione institutâ, gratias iisdem egerunt, omnia plene approbarunt, assidueque laborârunt, ut reliquarum Provinciarum D. D. Ordinibus eorundem approbationem persuaderent; quò semel ex hac disputationum ac dissensionum Labyrintho emergerent.

Hæc, inquam, de iis, quæ responsionis vices ad Propositionem à Regis Galliar. Legato institutam supplere debebant, sentiebant. Quod autem ad maximum Negotium, sive ad septuaginta & novem subsignatos Articulos ipsos, itemque ad studia, à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatis inter summas Partes adhibita, attinet: insuper etiam septemdecim, quadraginta & quinque, nec non septuaginta & quatuor Articulorum, elucidatione, tanquam ad alios Tractatus, qui ejus meminerunt, pertinente, auditâ: adhæc separato Commerciorum Articulo cognito: Ratihabitionum quinetiam, cum Hispaniar. Regis, tum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. formulis à Nobilibus ac Potentibus Provinciarum Ordinibus examini subjectis atque Eorundem Decreto approbatis, declarârunt, *Sese Omnipotenti Deo pro felici successu atque eventu, quem Divina Majestati Pacis Tractatui largiri placuerat, devoto humilique animo immortales gratias agere.*

Porrò sæpius memoratis D. D. Plenipotentiariis atque Extraordinariis Legatis, D. D. Mathenesio & Heemstedio, ut & reliquis Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis, qui subsignârant, pro labore, prudentiâ, officiis studiisque in supradicto Negotio adhibitis atque institutis, summam gratiam habuerunt.

Atque insuper præmemoratum Pacis Tractatum juxta modum & argumentum suum, ac supradicta Acta specialia, de Commerciis, cum Principibus ac Regionibus, quibus cum Rege Hispaniar. hostilitas intercedit, agentia, laudârunt, approbârunt atque confirmârunt, ea lege, ut juxta Præpotent. D. D. Ordinum General. Decretum vicesimi & septimi Decembr. 1647. ea, quæ respectu Celsiss.

Arau-

Arausionensium Principis, quorum quadragesimus & quartus, & quadragesimus & quintus supradicti Tractatus Articulus meminit, ante finalem ejus Conclusionem, Provinciarum D. D. Ordinibus, id petentibus, explanarentur, atque ab iisdem Actis publicis diurnis insererentur.

His autem omnibus non obstantibus, ut sæpius memorati Præpotent. D. D. Ordinum Gener. D. D. Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii omnem operam ac laborem ad id impenderent, quò dissensiones inter Galliar. & Hispaniar. Reges etiamnum componerentur, constituerunt ac decreverunt.

Adhæc, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Legatus Ordinarius rationes, ob quas Pacis Tractatus inter Regem Hispaniar. & Præpotent. D. D. Ordines Gener. Conclusio differri diutius non potuerat, plenissimè edoctus, in Galliam rursus delegaretur.

Quod autem ad juramentum, ad supradictum Tractatum ejusdemque promulgationem præstandum, attinet, de eo Nobiles ac Potentes D. D. Ordines decreverunt, ut supradictum juramentum, tum hîc Hagæ-Com. tum Bruxellis, uno eodemque tempore præstaretur.

Ad formalia quoque in præmemorati Tractatus promulgatione usurpanda quod attinet, ut ea de re Provinciarum D. D. Ordines ulterius inter se agerent atque convenirent, constitutum fuit.

Haud longe post Groningensium Civitatis Omlandiæque D. D. Ordines de iisdem Punctis sententiam suam dixerunt: sese scil. persuasum sibi habentes Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Extraordinarios Legatos & Plenipotentiarios juxta Tractatus ac Decreta omnem operam, curam atque industriam in conciliandis Galliæ & Hispaniæ Regibus fixisse ac locasse, atque etiam locaturos esse, quæcunque de præmemoratis Punctis acta fuerant, approbasse ac confirmasse; Seque ad ea, quæ Præpotent. D. D. Ordines Gener. de reliquis solennibus decernerent, retulisse.

At verò à Provinciæ Ultrajectensis D. D. Ordinibus Negotium altiori ac tardiori examini subjectum fuit, ut qui deputabant D. D. Arnoldum à Culenburch, Anthon. Caroli Parmentier, Dominum Rutgerum Wesselium à Boetselaer, Dominum in Langerack & Overleck, Gerardum à Reede, Dominum in Draeckensteyn, & Veurs, D. Adamum Lockhorstium, Dominum in Zuylen, Swefer, Enge, West-Broeck, Lockhorst & Lockhorst-Gerichte, Cornelium à Deuverden, Civitatis Ultrajectensium Consulem, Johannem Neoportium, ejusdem Civitatis Ex-Consulem, Gulielmum à Dam, Amersfordiæ Ex-Consulem, ut simul cum Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus agerent, Consilium inirent, &, quæcumque isti Negotio usui esse viderentur, decernerent.

Iidem sub finem Martii proposuerunt, Sese, omissis plurimis quæ Nobil. ac Potentium D. D. Ordinum variorum Tractatus Articulorum perpensionibus transmissis, siquidem ex impræsentiarum frustra moverentur, ut quæ antehac D. D. Plenipotentiarii Monasterium discedentes Instructionis loco acceperant, quæque proinde universæ Provinciæ approbarant, Provincialem hanc Suam sententiam dicere, neutiquam Sese in sexagesimum & sextum Articulum, prout sonat, tanquam huic Statui nequaquam ferendum, consentire posse, ac proindè dirutionem

nem

nem Fortalitiorum prope Sluysam sitorum nullo modo concedere, quum Fortalitia illa non nisi necessariæ defensioni inservire, neque sine maximo Status hujus incommodo destrui posse dicerent.

Quandoquidem autem Nobil. ac Potentes D.D. Ordines percipiebant, omnes Provincias id uno ore testari, omnia scil. studia adhiberi oportere, quò difficultates inter utrumque Regem necdum sublatæ componerentur; præmemorati Domini Præpotent. D.D. Ordinibus Gener. considerandum proposuerunt, num conduceret, ut ejusmodi media, quibus Galliar. Regi satisfieri posset, hîc confirmarentur, ac juxta Pacis Tractatum constituerentur, quibus eo pacto, & absque ulla temporis jactura, firma ac sincera Pax obtineretur; Nobil. tamen ac Potentium D. D. Ordinum Ratihabitionis ejusdemque modi ac formulæ examine salvo.

Eodem tempore, nempe trigesimo die Martii, Zelandiæ D. D. Deputati ad explicationem atque executionem nonnullorum Articulorum Pacis Tractatus, ut & super Articulo extra Tractatum *Navigationis Commerciorumque* in Regiones, quæ adversus Regem Hispaniar. bellum gerunt, importandorum aut exportandorum Securitatem concernente proposuerunt.

Nimirum, ut in ipso Tractatus initio vox *liberas*, scil. *Fœderatas Belgii Provincias liberas*, eum ad modum exprimeretur, quemadmodum in Ipsis cum Instructionis, tum Ratihabitionis Exemplaribus fuerat expressa.

Quocunque in loco vox (*Majestas Sua*, usurpatur; *Rex Hispaniarum* seu *Majestas Hispaniensis* poneretur:

Articulo tertio, Axelia pro Axeliensi Præfectura:

Atque ut hujusce Reipub. Præpotent. Dominor. D. Ordinum Gen. mens atque animus de Tractibus Trans-Mosanis tribus tantò clarius Hispanis innotesceret, disertis verbis declararetur, hujusce Reipub. Præpotentes D. D. Ordines Gener. Tractus illos Trans-Mosanos tres sibi stipulari, neque eorundem decisionem Cameræ Bi-Partitæ relinquere certo constituisse ac decrevisse:

Utque Articulus decimus & nonus, *super scandalis quæ adversus religionis exercitium utrinque committentur*, tantò dilucidius explicaretur; sequentem in modum institueretur; nimirum, *pro scandalo neutiquam habitum iri, quod si quis in agro, sive urbium aut pagorum vicus plateisve Sacramentum Papisticum præteriens, honorem seu reverentiam religiosam non exhibuerit.*

Ante Pacis quinetiam Tractatus Ratihabitionem ac Confirmationem super Cameræ Bi-partitæ conventus loco, similiter quoque super Ejusdem juramenti præstandi Instructione ageretur:

Acta & Confirmationes Neutralitatis, quæ à S. Cæsarea Majestate in hujusce Reipub. Securitatem concedentur, ante Tractatus Ratihabitionem utrinque commutarentur:

Utque Negotium terminorum Flandriæ & locorum similium decidendorum, ante Tractatus Ratihabitionem, conficeretur; Imprimis autem ut universæ Vriæ Pars, Orientem spectans, huic Reip. adjungeretur.

Ipsa quoque Fortalitiorum prope Sluysam dirutio, ante Pacis Tractatum certò statueretur; quibus etiam Sassæ prope *Contrascarpam*, Fortalitii Isabellæ adversus

Swyndam, disjectio comprehenderetur: quantum vero ad Fortalitiorum quorundam dirutionem, ea de causa ab hac Parte instituendam, attinet, cum Hispanis, ante Pacis Conclusionem, super eadem conveniretur: sic tamen, ut de transitu Sluysano, ac Fortalitiorum in Insula Cadsandriæ dirutione nihil quidquam ageretur, proindeque omnia, quæ Ejusce mentionem Articulo sexagesimo & octavo faciunt, omitterentur; quod si autem Præpotentes Domini D. Ordines Gener. super locorum munitorum ab Orientali Scaldis Parte, Lilloo tamen excepto, dirutione inter se convenire possent, ut Santvlitium quoque mœnibus Suis exeundum foret.

Agger similiter sive cataractæ Claustrum, prope Sancti Donatii Fanum, tolleretur, atque ejusdem loco alia quædam Sassa sive Claustrum, prout utrinque conveniri posset, exstrueretur.

Ut in ipsa Instructione ab hujusce Reipub. Plenipotentiariis, salvo tamen Dominorum D. Deputantium Suorum consensu, super Commerciorum ac Navigationum Securitate instituta, disertis verbis exprimeretur, quænam bona mercesque ab utraque Parte exportari vetarentur; eum ad modum quoque Commerciorum ac Navigationum in Gallias Securitas clarius paulò exponeretur, simul etiam adderetur, quænam bona mercesque Hispanienses, si bellum inter Regem utrumque exortum foret, in Gallias apportari non liceret.

Postero autem die in Concilio declarârunt, postquam Tractatum inter Regem Hispaniensem ac Præpotentes Dominos D. Ordines Gener. tricesimo die Januarii, proximè elapsi, Monasterii provisionaliter subsignatum, atque ea omnia, quæ inde dependent, simul etiam Propositionem à Legato Thuillerio, in Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. Concilio habitam, ac postmodum literis traditam, altiori examini subjecissent, Dominos D. Deputantes Suos decrevisse, idque Ipsis in Reip. Suæ commodum fore visum fuisse, ut ante Pacis cum Hispanis Tractatus Confirmationem ac Ratihabitionem, Nomine locoque Præpotentium D. D. Ordinum Gener. sive per literas, sive per legationem aliquam, Christianissimo Regi Galliarum satisfieret; quæque inter summedictos Galliarum, atque Hispaniarum, Reges difficultates inconfectæ superessent, penitus componerentur; ac denique Pacis universalis Tractatus communiter confirmaretur; quem in finem quoque omni ope annitendum foret, quò Partes utræque componi, seu res causæque earundem Generali cuidam Decisioni submitterentur, proindeque ab hac Parte ejusmodi oblationes, quas Legatus Thuillerius in novissima Sua Propositione exhibuerat, Hispanis exponerentur.

Rationes autem, quæ D. Deputantibus Suis in hocce Negotio plurimum posse videbantur, præcipuæ erant beneficia atque officia quæ Respublica hæc à Gallis perpetuo consequuta fuerat. Quæ licet ordine enarrare ac recensere omnia & singula nolebant, tanta tamen existere prædicabant, ut à posteris incredibilia haberentur, quæcunque tamen vera de iisdem Historiæ proderent. Quibus equidem beneficiis atque officiis ejusmodi labore, studio ac diligentia vel minima ex Parte responderi vix poterat.

Quod profecto officium, licet perexiguum, si denegaretur, atque ad Pacis Tractatus privati Conclusionem procederetur, haud aliud foret, præterquam à

Con-

Conventus Monasteriensis, eo quidem fine Instituti, quo Pax aliqua Universalis, saltem cum Gallis conjunctim firma ac perpetua conflari posset, primo & primario proposito longissimè discedere.

Quo insuper eveniret, ut Fœdera & Tractatus quondam cum Gallis initi ac confirmati omni prorsus effectu destituerentur penitusque abrogarentur; atque Resp. hæc summa fiducia, Societate atque affinitate optima, quæ ipsi cum Gallis hactenus intercessit, privaretur: quo hujusce Reipub. fundamenta ac Statuta, quæ tantopere in huncusque diem profuerant, penitus subverterentur.

Ad hæc accedit etiam, quod ejusmodi Tractatus Privatus cum summa Amicorum ac Sociorum Nostrorum offensione, directe vel indirecte saltem, utpote quorum maximi interest, solâ Regis Hispaniar. subsignatione sigilloque, absque ullo alio pignore, munitus, iniretur, quod nihilominus Anno 1609. in induciis componendis tam necessarium omnes duxerunt, quumque de Tractationis conversione cum Eorundem D.D. Deputantibus ageretur, tanquam primam ac præcipuam rationem allegârunt, quò Eos ad Pacis Tractatum ineundum adducerent, nimirum, *Præpotentes D. D. Ordines Generales alioquin Regis Galliar. Securitate destitutos iri.*

Quod si autem neutra summa Pars Pacem contraheret, sed verò utraque bellum continuaret, Præpotent. D.D. Ordines Gener. peroptato Pacis fine commodisque carerent, quandoquidem juxta Reipub. ordinem arma retinere, vel ab iisdem discedere volentes, Remp. summo periculo, ne aliquando quocumque modo opprimeretur, exponere necesse habituri sunt.

Insuper etiam quod Commercia ac Navigationes multimodis perturbarentur, ac præsertim in Regiones Occidentales instituendæ exscinderentur, atque ea omnia Negotium differre possent.

His omnibus de causis Dominos D. Deputantes Suos necessarium duxisse retulerunt, ut ante Pacis Tractatus, antehac Monasterii subsignati, Ratihabitionem omnia illa officia, quorum mentio supra facta fuit, præstarentur.

Siquidem autem hisce objici scirent, præmemoratum Tractatum juxta Præpotent. D.D. Ordinum Gener. Decreta rite recteque conclusum necessariò confirmari ac Ratihaberi oportere, ad hæc responderunt, verum quidem esse, Dominos D. Deputantes Suos, quamvis invitos atque necessitate quadam adactos in Decreta, quarto die Maji, & decimo ac decimo tertio Augusti, proposita consensisse, idque hac spe datâ, fore ut eo pacto utraque summa Pars citius componeretur, minime vero quod hisce omnibus privato Tractatui viam sterni ullatenus credebatur, aut quocumque modo prævidebatur, quæ Domini D. Deputantes Sui pro certissimis semper habuerant, quandoquidem Nobiles ac Potentes D. D. Ordines in hac sententiâ semper fuerant, atque etiamnum erant, nimirum, ullum Pacis Tractatum nisi *conjunctim* cum Gallis commodè feliciterque iniri neque posse, neque oportere.

Quibus addiderunt, neutiquam deprehensum iri, Dominos D. Deputantes Suos judicasse ac declarasse, ut *de Gallorum tergiversatione* judicium, eamque ob causam privatus cum Rege Hispaniar. componendus Tractatus, quo omnes cum Galliar. Rege initi, quinetiam Securitatis Fœdus, dissolverentur, *Præpoten-*

Mmmm 2 *tium*

tium D. D. Ordinum Gener. D. D. Plenipotentiariorum judicio arbitrioque permitteretur, utque iisdem suffragiorum pluralitate in eo Negotio quidquam agere, quemadmodum acciderat, liceret:

Contra verò, cum Provinciæ Ultrajectensis Domini D. Deputati, ut de præmemoratâ Gallorum tergiversatione judicium explicaretur, peterent, Zelandiæ Dominos D. Deputatos declarasse, Sese de eâ re sententiam dicendi autoritate destitutos fuisse; neque præterquam ut supradictum judicium Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. integrum reservaretur, quidquam intendisse: ex quibus satis superque liquet, Zelandiæ D. D. Deputatos, cum Mense Novembri, proximè elapso, de D. D. Plenipotentiariorum ad Monasteriensem Conventum discessu consilium caperetur, disertis verbis declarasse, *quod si difficultates reliquæ inter Galliar. & Hispaniar. Reges, quæ necdum decisæ restant, componi non possent, ut præmemorati D. D. Plenipotentiarii, tali quidem casu nullum Tractatum concluderent, verùm quosdam è Suis, qui Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. rem omnem exponerent, atque ulterius propiusque mandatum acciperent, delegarent.*

Quamvis autem reliquarum Provinciarum D. D. Ordines neutiquam id admitterent, nequaquam tamen compertum iri dixerunt, Nobiles ac Potentes Zelandiæ D. D. Ordines à præmemoratâ sententiâ recessisse; ac proindè, cum decimo & nono die Novembr. decerneretur, ut Domini D. Plenipotentiarii, Monasterium discedentes, omnia juxta Decreta decimo & octavo die Maji, quarto Julii, decimo, nec non decimo & tertio Augusti, proximè elapsi, constitutâ agerent, quibus suffragiorum pluralitate hæc verba inferentia adjungebantur, *ac proinde Pacis Tractatum inter Hispaniarum Regem & Præpotentes D. D. Ordines Generales juxta præmemorata Decreta finaliter concluderent*, Zelandiæ D. D. Deputatos hisce Se opposuisse, atque Actis publicis diurnis inseri curavisse, *Sese illationes aliquas aut additiones quascumque admittendi auctoritate destitutos esse.*

Hanc quoque Nobilium ac Potentium Hollandiæ D. D. Ordinum sententiam atque intentionem fuisse, ex eo colligi potest, quod Nobiles ac Potentes D. D. Ordines, postquam ea, quæ supradicta sunt, quarto die Julii, Anno 1647. decreverant, (prout percepisse Se ajebant) declaratoriam sententiam instituerant, atque eadem omnia illa, *in quibus Galli tergiversari existimarentur*, expresserant.

Adeò ut, de supradictâ *tergiversatione* judicium Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. integrum quum manserit, Nobiles ac Potentes Zelandiæ D. D. Ordines cum Dominorum D. Plenipotentiariorum literis ac relationibus Scripto institutis, tum Galliar. Regis Plenipotentiariorum Propositionibus Scriptisque serio examini subjectis, judicârint, quò omnes remoræ evitarentur, omnisque amicitia ac mutuus cum Eodem Rege consensus continuaretur ac deinceps coleretur, etiamnum officiis & persuasionibus quibuscumque summas Partes ad compositionem adduci, ac proinde Pacis Tractatus Ratihabitionem hactenus differri oportere.

Porrò etiam Zelandiæ D. D. Deputati sibi demandatum esse declarârunt, ut nonnullas D. D. Deputantium Suorum Pacis ipsius Tractatus perpensiones, quæ ejus-

ejuſdem Articulorum quorundam explicationi atq; executioni inſerviunt, prout ea omnia præcedentibus Scriptis plenius comprehenduntur, proponeret, quò ante Tractatus Ratihabitionem examini ſubjici deque iis decerni poſſet.

Primo autem die Aprilis, Pacis ipſius Tractatus ſcriptis perpenſionibus, pridie à D.D. Zelandiæ Deputatis traditis, atq; deliberationibus ſuper eodem Negotio hoc die à D. D. Provinciæ Ultrajectenſis Deputatis in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. exhibitis, quibus propiorem explanationem officiorum, quæ Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii ad Summas Partes in difficultatibus reliquis, quæque inter utramque Partem necdum deciſæ reſtant, componendas Monaſterii præſtiterant, petebant, perlectis; Domini D. Mathenesius, Knuytius & Heemſtedius, Domino Heemſtedio verba faciente (qui omnes Præpotent. D.D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii erant) pluribus, quæcumque ſtudia atque officia Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii atque Extraordinarii Legati variis temporibus Monaſterii in ſuprà dictum finem præſtiterant, expoſuerunt: quâ relatione tempus elapſum cum eſſet, poſtridie ejus diei idem Negotium propoſitum fuit, cujus reſpectu Provinciæ Vltrajectenſis D. D. Deputati nihil præterea declarârunt, quam Seſe Dominum Heemſtedium, & reliquos D. D. Plenipotentiarios in patriâ commorantes, rogare ut *ea omnia, in quibus ſummè dicti D. D. Plenipotentiarii Gallos tergiverſatos fuiſſe judicabant*, Scriptis traderent; quinetiam inſtitutam orationem exhiberent. De hiſce verò multis ac variis ſermonibus ultrò citròque habitis, ut ſuper Negotio hocce deliberatio in ſequentem diem differretur, quò D. Præſidens Celſiſſimum Arauſionenſium Principem, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Concilio, ad Provinciarum D. D. Ordines componendos, intereſſe dignaretur, unicè rogaret, viſum decretumque fuit.

Zelandiæ autem Extraordinarii D. D. Deputati in Concilio Præpot. D. D. Ordinum Gener. ut reſpectu Mandati ſui, quod de Pacis Tractatus *Ratihabitione* acceperant, atque ipſius Pacis Tractatus perpenſionum, quas propoſuerunt, Seſe explicare ac ſententiam Suam de eo Negotio dicere vellent, admoniti, ea, quæ de ſuprà dicto Negotio in Mandatis acceperant, expoſuiſſe Se declarârunt:. Deinde verò Dominus Heemſtedius, Nomine locoque Nobilium ac Potentium Hollandiæ D. D. Ordinum, ad perpenſiones ſuprà dicti Negotii, à Zelandiæ D. D. Deputatis propoſitas, oretenus reſpondit, in quâ reſponſione reliquarum Provinciarum D. D. Ordines acquieverunt.

Chriſtianiſſ. autem Regis Galliarum Legato nihil quidquam hactenus reſponſum fuit; quocirca tertio die Aprilis ſequens Memoriale tradidit.

Chriſtianiſſ. Regis Galliar. Extraordinarius Legatus Semetipſum devinctum obligatumque eſſe exiſtimavit, ad revocandum Vobis, Præpotentes Domini, in memoriam propoſitionem illam, quam Vobis decimo & ſeptimo die, Menſis proximè elapſi, exhibuit; atque eodem quoque tempore communi totius Concilii ſuffragio à Domino à Gent, qui Nomine locoque Provinciæ ſuæ primum locum tenebat, Ipſi regeſtum fuiſſe, Præpotent. D. D. Ordines General. eandem examini ſubjecturos, &, quamprimum fieri poſſet, ad ea reſponſuros eſſe, in quibus Rex Chriſtianiſſ. Regina Mater Ejuſdem, & Ipſe acquieſcerent. *Iam verò, Præpotentes Domini,*

mini, ex illo tempore, quod sufficiens maximèque molestum est ejusmodi hominibus, quibus nihil, præterquam officio suo fungi, potius est; quique nulla media, quæ eidem inservire ullo modo possent, negligunt, Provinciarum D. D. Deputatos sæpius convenisse atque de Negotiis variis egisse, neque tamen (quantum ille quidem novit) quidquam de suo Negotio decretum conclusumque fuisse percepit. Quapropter, Præpotentes Domini, ut disertâ sententia Vestra declaratione Majestates Suas eorum, quæ à benevolo Vestro animo, quo Easdem hactenus prosequuti fuistis, certiores reddendi medium optimum præbere dignemini, Vos etiam atque etiam rogat. Signatum erat, Tuillerius.

Iis, qui præcesserunt dies, de Pacis Negotio diu ac seriò actum fuit: adeo ut jure meritoque dici licuerit, Rempub. hancce eo tempore quasi *parturiisse*, quò maximum hocce Negotium eniteretur atque in lucem ederet:

Imprimis autem inde à die Lunæ, qui dies erat vicesimus & tertius Martii, quo tempore Nobiles ac Potentes Hollandiæ D.D Ordines præsidentes,eamque occasionem captantes,Negotium summopere urgebant; neque Concilium plerumque ante tertiam aut quartam pomeridianam dimittebatur. Ipse quinetiam Celsiss. Arausionensium Princeps Concilio sæpius intererat, atque hæc tria præcipuè commendabat, *Primò* Concordiam inter Provinciarum D D. Ordines Eorumque Membra singula, utpote quæ non solum universæ Reipubl. ejusdemque felicis regiminis fundamentum, verum etiam id ipsum existit, cui cum Hispanis ineunda Pax superstrui debet: cujus quoque cum Hispanis ineundæ Pacis perfectioni (*Secundò*) Celsissimus Arausionensium Princeps calculum suum adjiciebat, eamque commendabat, utpote quæ tanti tamque cruenti licet, attamen commodissimi belli, quod per octoginta jam annos gestum fuit, præmium ac corona existet: eâ lege tamen, ne (*Tertio*) Pacis ac Fœderationis, quæ Præpot. D. D. Ordinibus Gener. cum Rege Galliar. intercedit, aut jactura fieret, aut eadem posthaberetur.

Cujusmodi autem submissionem Galli obtulerunt, è Domini Legati Propositione, decimo & septimo die Martii institutâ, & præcedentibus insertâ, percipi potest. Per aliquot quoque dies in Concilio Nobilium ac Potentium Hollandiæ D. D. Ordinum literæ à Penerandæ Comite exaratæ perlectæ fuerunt, quibus etiam Ipse, sæpius dicta Puncta quinque Præpotent. D. D. Ordinum General. Plenipotentiariorum Monasterii commorantium (non verò Ipsorum Præpotent. D.D.Ordinum Gener.) Judicio Arbitrioque decidenda permittere Sese velle obtulit: quandoquidem, si Ipsorum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. vel Nobilium ac Potentium Provinciarum D. D. Ordinum judicio permitterentur, id nimis diuturnum foret, atque nimio Gallis commodo, utpote quorum Ministri Hagæ-Batav. commorantur, qui nullum Hispaniarum Regis Ministrum ibidem ferunt, cederet.

Hollandiæ D. D. Deputati jam inde à vicesimo & primo die Martii nihil maluissent, quam ut Domini D. Heemstedius & Mathenesius eâ de causâ Monasterium discessissent; at verò hanc rationem reddiderunt, nihil Se ibidem,antequam angustè quinque numero essent, agere posse.

Vices itaque Hollandiæ præsidendi, uti dictum fuit antè, quum venissent,diebus Lunæ & Martii, quò ad conclusionem ac finale Decretum deveniretur, maximè

ximè laboratum fuit, utpote quo D. D. Plenipotentiarii instructi discedere, atque ea omnia, quæ restabant, (merè formalia quum essent) Monasterii conficere possent.

Die autem Mercurii, qui dies erat vicesimus & quintus Martii, ea quæ sequuntur concluserunt, aut saltem concludere cœperunt: Nimirum, *Primò*, ut, quæcumque de D. D. Plenipotentiariorum, qui in patriâ commorantur, discessu antehac decreta fuerunt, integra manerent, declarare, ac *Secundò*, ut Dominus Meynersvicius ac Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii, Monasterii commorantes, status locique, in quo Pacis Tractatus cum Hispaniarum Regis D. D. Plenipotentiariis trigesimo die Januarii Monasterii initi, Ratihabitio à parte Præpotent. D. D. Ordinum Gen. sita esset, certiores redderentur: *Tertiò*, ut, postquam Monasterium advenissent, omnia studia adhiberent eademq; continuarent, quo uterque, Galliarum sc. & Hispaniarum, Rex in Punctis illis, de quibus inter Eos controvertitur quæque necdum decisa restant, componi posset: *Quartò*, Provinciarum D. D. Ordines in eâ esse sententiâ, diem scil. suprà memorati Tractatus Ratihabitionis commutationi destinatum assignatumque observari oportere, quò *fides publica*, à Dominis D. Plenipotentiariis, vi Eorundem Instructionis datæ, liberaretur.

At verò huic Hollandiæ D. D. Deputatorum, qui tunc præsidebant, sententiæ soli Gelriæ D. D. Deputati subscripserunt.

Zelandiæ autem, Provinciæ Ultrajectensis, Frisiæ, Trans-Ysulaniæ & Groningensium civitatis Omlandiæque D. D. Deputati adversus sive ad hæc Actis Publicis diurnis sequentia inseri curârunt.

Ac primò quidem Ordinarii Zelandiæ Deputati, qui aderant; Se nimirum, (quandoquidem Nobiles ac Potentes ejusdem Provinciæ D.D. Ordines, Domini D. Deputantes Sui, publicâ Auctoritate dies aliquot congregati fuerant, de Pacis Tractatus Ratihabitione deque iis omnibus, quæ eodem pertinent, consilium inituri ac decreturi, atq; Eorundem D. D. Ordinum Extraordinarior. D. D. Deputatorum adventus singulis momentis quasi coram oculis cernitur) in suprà memoratam conclusionem, contra quinque Provinciarum D. D. Deputatorum sententiam institutam, neutiquam consentire posse; contrà verò eidem omni ex parte adversari, ne hoc pacto suprà memoratorum D. D. Deputantium suorum Provincialibus perpensionibus decretisque in tanti ponderis Negotio quidquam præjudicii afferretur, Se teneri existimare.

D. Andreas Nomine locoque Nobil. ac Potent. Frisiæ D. D. Ordinum declaravit, Se D. D. Deputantium suorum Mandata, deque Negotio Ratihabitionis decreta quotidie exspectare, quum Nobiles ac Potent. suprà memoratæ Provinciæ D. D. Ordines de Negotio illo decernendo jam aliquamdiu occupati fuissent; ac proinde conclusioni, à duarum Provinciarum D. D. Ordinibus contra quinque Provinciarum D. D. Deputatorum sententiam institutam, quâ diem, Pacis Tractatus Ratihabitionis commutationi assignatum, exactè observari oportere declaratur, neutiquam Se subscribere posse: partim quod Negotio summo præjudicio cederet, partim quod insolens atque inusitatum foret, quod si Ratihabitiones præcisè intra constitutum terminum traderentur.

Pro-

Provinciæ quæque Ultrajectensis D. D. Deputati adversus Conclusionem à Domino de Wimmenum, tanquam Præsidente, institutam, utpotè quæ quinque Provinciarum D. D. Deputatorum sententiæ contrariatur, protestati fuerunt.

Trans-Ysulaniæ D. D. Deputati, Se in suprà dictam conclusionem, à duarum Provinciarum D. D. Deputatis institutam, neutiquam consentire posse, itidem declarârunt; Seque hoc sic habere, sententias à Provinciarum deficientium D. D. Deputatis super Ratihabitionis Negotio initas, quas quotidie Sese quasi coram oculis cernere ajebant, proponi prius oportere.

Dominus autem Eybenius Groningensium Civitatis Omlandiæque Deputatus Actis Publicis diurnis inseri jussit, quanquam tempus Ratihabitionis commutationi destinatum observandum foret, nihilominus tamen conclusionem hanc differri debere; quandoquidem Zelandiæ, Ultrajectensis Frisiæque D. D. Deputati, Provincialia sua super Ratihabitionis Negotio decreta brevi temporis spatio exhibita iri, spem maximam fecerant.

Iis omnibus, quæ in septimana hac dies supererant, Hollandiæ D. D. Deputati omnes simul atque Eorum singuli, ut quatuor ad minimum Provinciarum D. D. Deputatis aliquam duntaxat conclusionem suffragiorum pluralitate conficerent, summopere laborârunt. Quin imò die Dominico, qui erat vicesimus & nonus Martii, quo die Concilium convocatum erat, conclusionem instituere conati fuerunt: at verò suffragiorum pluralitatem consequi neutiquam potuerunt. Quamvis enim Nobilium ac Potentium Gelriæ, Hollandiæ, Trans-Ysulaniæ & Groningensium Civitatis Omlandiæque D. D. Ordinum sententiæ ea, quæ subsignata erant, approbantes, traditæ fuerant; Trans-Ysulaniæ tamen & Groningensium Civitatis Omlandiæque D. D. Deputati sic senserunt, præsens hocce Negotium suffragiorum pluralitate transigi neutiquam oportere: atque ita accidit, ut Septimana hæc absque ulla Negotii expeditione ac confectione quacumque consumpta fuerit; &, quandoquidem vices præsidendi ad Zelandiæ Dominos D. Deputatos die Lunæ, qui dies erat trigesimus Martii, devenerant, omnis concludendi spes penitus succisa fuit.

Adhæc quasi fatale quid visum fuit, quod eodem hoc tempore Regis Daniæ de morte rumor, qui vicesimo & octavo die Februarii horâ quintâ vespertinâ naturæ solverat, Hagam-Com. perferebatur: siquidem Rex ille primus ac primarius inter utramque Summam partem Mediator, Conventuum ac Pacis Tractationis Monasterii atque Osnabrugis institutæ, imprimis quoad *Præliminaria*, Auctor exstiterat, cujus proinde obitus tanquam malum Omen haberi poterat, perinde ac si cum Eodem Rege Pacis quoque Tractatio peritura esset: præsertim cum Avauciæ Comes, è Regis Galliar. D. D. Plenipotentiariis unus, atque ante Eundem Longevillæ Dux Monasterio jam discesserat; adeo ut Comes Servientius ibidem loci solus remanserat.

Sed ut sunt mortales, quanto minus rogantur, tantò magis ab iis quævis impetrantur. Gelriæ, Hollandiæ, Trans-Ysulaniæ & Groningensium Civitatis Omlandiæque D. D. Deputati Ratihabitionem in promptu habuerunt: atque à Frisiæ D. D. Ordinibus per Dominum Andreæ trigesimo die Martii sequens sententia in Concilio proposita fuit.

Domi-

Dominus Andreas, jussu & Mandato Nobilium ac Potentium Frisiæ D.D. Ordinum, Dominorum D. Deputantium suorum, Eorundem super Pacis Tractatus trigesimo die Martii, proximè elapsi, Monasterii conclusi confirmatique Ratihabitione Provincialem sententiam exaratam, prout sequentibus inseretur, in Concilio exposuit, perlegendam exhibuit, ac deinceps tradidit: præterea etiam rogavit seriòque commendavit, ut reliquarum Provinciarum D. D. Ordines posterius Provincialis ejus sententiæ membrum, de suprà dicti Tractatus divulgatione, diversas sententias continens, seriò examini subjicerent, deque eodem consilium inirent; quo cognito perpensoque Præpot. D. D. Ordines Gener. suprà memorato Domino Andreæ pro suscepto labore gratias egerunt.

Nobiles ac Potent. Frisiæ D.D.Ordines, ad Ordinaria Comitia congregati, viso, perlecto perpensoq; Pacis Tractatu, septuaginta supra novem Articulos continente, inter Præpotentium D.D. Ordinum Gener. & Regis Hispaniarum Extraordinarios Legatos ac Plenipotentiarios Monasterii inito, atque ibidem trigesimo die Januarii subsignato, simul etiam adjunctis Ratihabitionis, utrimque intra duorum Mensium spatium procurandæ atque commutandæ, Speciminibus, ut, eo peracto, juxta divulgationem de eadem ageretur, nullas in iisdem *difficultates, ob quas* eadem approbari ac confirmari aut non possent, aut non deberent, deprehenderunt, quum Præpot. D. D. Ordines Gener. non solum cruenti, diuturni funestique belli finem, verum etiam suprà memoratarum Provinciarum, finitimarum Regionum ac Civitatum jus Summum *obtinuerint*, in quas summè dictus Rex, neque in præsenti quidquam juris vendicat, neque in futuro Sibi, Successoribus suis posterisque unquam vendicaturus est; quin etiam summè dictus Rex cum Fœderati Belgii Provinciis haud secus ac cum liberis egerit.

Hoc autem unum in eo Negotio considerandum esse, Pacis Tractatum à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis solis atque sine Gallis confirmatum ac subsignatum fuisse, quum tamen Tractatuum cum Gallis initorum summa hæc esse videatur, Pacis sc. Tractationem cum Galliarum & Hispaniar. Regibus pari passu, conjunctim communiq; consensu promovendam ac subsignandam esse; cujus rei ratio à Præpot. D. D. Ordinibus Gener. semper habita fuit, adeò ut Regis Galliarum Plenipotentiarii totum Negotium assiduò edocti fuerint.

Ea propter Præpot. D.D.Ordinibus Gen. ad pleniorem omnium cognitionem visum fuisse, Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariorum studia officiaque Gallis præstita ritè perpendere, quo scire possent, utrum suprà memorata officia in debitâ formâ ac sufficientia præstita fuerint, quemadmodum id ex Præpotentium D. D. Ordinum Gener. decretis, decimo, duodecimo & septimo, & decimo & octavo die Februarii, proximè elapsi, constitutis, liquet.

Hisce verò omnibus deinceps altiori examini subjectis, insuper etiam Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinariorum Legatorum ac Plenipotentiariorum ac præsertim D. Francisci à Donia, qui à Provincia haccè cà de re delegatus fuit, sententiis oretenus propositis Scriptisque explicationibus cognitis perceptisque; adhæc Eorundem Regestis officiorum Gallis præstitorum, quæ etiam D. D. Mediatorum explanationem respiciunt, inspectis perlectisque, suprà

„ prà dicti Tractatus conclusionem ac subsignationem, juxta Præpot. D. D. Ordinum Gener. decreta, decimo & octavo die Maji, quarto Julii, septimo, decimo, & decimo & tertio Augusti, ac decimo & quinto Novembr. Anni 1647. institutam fuisse, Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. innotuit: quibus D. D. Plenipotentiarii concludere jubentur, quod proindè quoque fieri debuit, quoniam Regis Galliarum Ministrorum Actiones omnes, (aut earum variæ) *Galliarum Regem necdum ab armis decedere voluisse, idque ob rationes ipsi Regi cognitas, abundè testatum fecerunt,* quum huic Reipubl. impossibile fuerit bellum continuare, idque propter rationes aliis temporibus Galliarum Regis Plenipotentiariis expositas.

„ Hispanis quoque, Delegatorum auspiciis, omnia promissa & tractata, quæ antehac obtulerant atque promiserant, sine quibus Pacis Tractatus, inter Præpotent. D. D. Ordines Gener. & Regem Hispaniarum initus, juxta Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Instructiones non fuisset subsignatus, præstantibus.

„ Nobiles itaque ac Potentes Frisiæ D. D. Ordines, omnibus diligenti examini subjectis, Tractatum trigesimo die Martii Monasterii subsignatum, septuaginta suprà novem Articulos continentem, tanquam cum *Dominorum D. Plenipotentiariorum Instructione exactè convenientem, approbârunt ac confirmârunt,* eumque per præsentes approbant ac confirmant: Eundem quoque ad modum Nobiles & Potentes D. D. Ordines privatum de *Commerciis ac Navigationibus* Articulum, quarto die Februarii, Anno 1648. cum Hispanis initum conclusumque approbant, quò in omnes portus ac Regiones, Fœderati Belgii Provinciis Amicitiæ Fœderisque vinculo junctas, licet Ipsis cum Hispaniarum Rege hostilitas aut jam intercederet, aut postmodum intercessura esset, liberè secureque navigationes instituere, ibidemque commercia exercere liceret.

„ Præterea etiam Domino Francisco à Donia ejusdem Provinciæ Delegato pro præstitis officiis studiisque *gratiæ aguntur.*

„ At verò quandoquidem Galliarum Regis Ministri subsignationem cum Hispanis institutam ægrè ferre videbantur, Nobiles ac Potent. D. D. Ordines consultius fore existimârunt, ut *Legatus* quispiam, sive Ordinarius, sive Extraordinarius, à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. in Galliam primâ occasione delegaretur, qui Majestatem Suam rationes, quibus Præpotent. D. D. Ordines Gener. moti, subsignationem instituerunt, plenè edoceret, omnesque difficultates, quas Rex Christianiss. Sibi fortè imaginatus fuit, amoveret, atque satisfactionis acceptæque indignationis loco, possibilium quorumcumque officiorum, quæ ad utrumque Regem componendum, atque ut concluderet adducendum, perpetuò adhibita fuere, expositione, in qua Partis utriusque compositione non modo Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotent. atque Extraordinarii Legati, verum etiam ipsi Præpotent. D. D. Ordines Gener. omnibus mediis maxima quæcumque officia, studia, operam atque industriam assiduò sigent atque locabunt: Quandoquidem autem summè dictus Rex Hispaniensis quinquagesimo & tertio subsignati Tractatus Articulo Semetipsum reipsâ obligat atque obstringit effecturum Se, ut Neutralitas atque Amicitia, quæ S. Cæsareæ Majestati & S. Imperio Romano cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. intercedit, observaretur ac continuaretur, non abs re fore judicârunt, si media adhiberentur, quò id, quamprimum fieri

fieri poterit, effectum reddatur; præsertim cum S. Cæsareæ Majestatis, & S. Imperii Rom. Legati Monasterii vel Osnabrugis præsentes sint futuri. „ „

Quantum autem ad solennem Pacis divulgationem attinet, num eadem in majorem Galliar. Regis satisfactionem, quò interea temporis cum Hispaniar. Rege concluderetur, ad exiguum temporis spatium differri posset, super Eâ Provinciarum Deputati agere ac concludere poterunt, prout maximè è Fœderati Belgii Provinciarum re fore existimabunt, eâ lege tamen ac conditione, ut ad maximam securitatem imprimis attendatur; quod si verò Provinciarum D. D. Ordines de hac re dissentirent, Præpotent. D. D. Ordines Gener. sententiam dicent, ac Provinciale decretum exspectabunt: Paulo infrà, Dabantur in ædibus Publicis, decimo & septimo die Martii 1648. Subsignatum Nomine locoque Oostergoensium, T. ab Aylva, Abrahamus Roorda: Nomine locoque Westergoensium, Taillingius ab Eyssinga, A. Haarsma: Nomine locoque Zevenwoldensium, J. Crackius, D. à Baard: Nomine locoque Civitatum, Olphardus Hindema, Aasgius à Popma. Pauloque infrà; cum Originali suo convenit, me Secretario præsente, Subsignatum erat, D. L. Scheltinga. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

Deinde cum Hollandiæ Deputati rursus instare occiperent, Zelandiæ Deputati præsidentes, Provinciæ Ultrajectensis Deputatis suffragio suo Iisdem succurrentibus, loco Ratihabitionis perpensiones suas tam elucidationis quam dilationis eorum, quæ confirmata fuerant, proposuerunt, quemadmodum suprà dixi. Hisce autem, quinctiam Provinciæ Ultrajectensis sententiæ propositione dies Lunæ & Martis cum consumerentur, die quoque Mercurii cum à D. D. Mathenesio & Heemstedio Gallorum tergiversationes, atque adhibita à se in utrâque Summâ Parte componendâ studia officiaque, de quibus pluribus in antecedentibus relationibus actum fuit, fusius exponerentur, die Jovis, qui dies erat Mensis secundus, Provinciæ Ultrajectensis Deputati petierunt, ut suprà dicti D. D. Plenipotentiarii relationem suam Scriptis tradere, atque eidem puncta illa, in quibus Galli *tergiversati fuisse* judicantur, addere juberentur. De hisce, deq; aliis, quæ restabant, nihil quidquam eo die decretum fuit: verum in posterum diem, qui erat Veneris, omnia dilata fuerunt: ad hæc Celsiss. Arausionensium Princeps, ut Concilio interesse dignaretur, rogatus fuit.

Die autem Veneris, qui dies erat tertius Martii, Dominus Knuytius in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. præsidens, præsente Celsissimo Arausionensium Principe, quo in loco Ratihabitionis Negotium collocatum fuerat, tanquam deliberationis exordium proposuit; insuper etiam retulit, Provinciarum quarundam Deputatos in eâ esse sententiâ, nimirum, Galliarum Regis Plenipotentiariis satisfactum fuisse, reliquarum verò Deputatos contrarium ejus sentire; ac proinde Dominus Knuytius tria hæc puncta perpendenda proposuit, *Primò scil. quo pacto Galliarum Regi ulterius satisfieri: secundò, quo modo Provinciarum D. D. Ordines Summam concordiam colere: Tertiò, quo pacto de Ratihabitionis Negotio commodè mutuò conveniri ac concludi posset.* Quocirca etiam suprà memoratus Dominus præsidens, ut Celsissimus Arausionensium Princeps de hac re prudentissimam suam sententiam dicere dignaretur, rogavit. Ad hæc autem Celsitudo Sua declaravit, omnia in hoc tam insigni tantique ponderis consilio mutuo Provin-

ciarum D. D. Ordinum consensu agi oportere, neque præter concordiam hanc quidquam majoris momenti esse, quam ut Regis Galliar. Negotii ratio habeatur, cum veteris Amicitiæ & maximorum beneficiorum, tum Fœderationis respectu, quâ Præpot. D. D. Ordines Gener. Christianiss. Regi devincti obligatique tenentur; ac proindè, quo pacto Galliar. Regis Plenipotentiariis ulterius satisfieri posset, quò simul ac conjunctim Pacis Tractatio cum Hispanis concluderetur, id autem si non eveniret, at verò Præpotent. D.D. Ordines Gener. seorsim cum Hispanis concluderent, quomodo Gallis tunc satisfieri deberet, sedulo perpendendum esse, quò simul & conjunctim de hac re consilium iniretur ac decerneretur: Propositis deinde à Provinciarum D. D. Deputatis sententiis suis, variis quoque sermonibus ultrò citròque habitis, ut ulterius hujus rei examen in sequentem diem differretur, visum decretumque fuit: Suprà memoratus quoque Dominus præsidens, ut Celsissimus Arausionensium Princeps in Concilium Præpotent. D. D. Ordinum Gener. sequenti die redire, atque ineundis consiliis interesse dignaretur, etiam atque etiam rogavit.

Dies autem Saturni, qui dies erat quartus Mensis Aprilis, quum jam Concilium multo mane convocatum esset, supradictus Dominus Knuytius, Præsidens, Negotiorum, de quibus agendum erat, initium facturus, Celsissimo Arausionensium Principi ob oculos posuit, Celsitudinem Suam superiore die Nobilium ac Potent. Provinciarum D. D. Ordinum sententiarum de Punctis illis, quæ eodem die perpendenda proposita fuerant, explanationem percepisse, atque in eadem sententiarum discrepantiam annotare dignatam fuisse; insuper etiam supra memoratus Dominus Knuytius, ut Celsitudo Sua quidquam, quo omnium Provinciarum D.D. Ordines in supradictis Punctis conciliari possent, proponere vellet, rogavit: ad quod Celsissimus Arausionens. Princeps regessit, Sese in eâ esse sententiâ, in tanti ponderis Negotiis *suffragiorum pluralitate* nihil quidquam agi oportere, at verò Zelandiæ & Provinciæ Ultrajectensis Deputatis, qui in diversam à reliquarum Provinciarum sententiam ibant, *octo aut decem* dierum spatium, quò interea temporis cum D. D. Deputantibus Suis agerent Eosdemque omnia edocerent, concedi debere, atque deinde, tempore illo elapso, finaliter concludi posse: hisce insuper Provinciæ Ultrajectensis D. D. Deputati addiderunt, nullam Sese temporis moram sibi petiisse, neque ullam etiamnum petere, petitionem verò Suam, quam antehac instituerant, repetierunt; quod si etiam ab hoc tempore Pacis Tractatus Ratihabitio firma atque immutabilis constitueretur, Sese eadem rursus tractando, proximè subsequente die de eâ re sententiam Suam dicturos esse: Cum autem Hollandiæ D. D. Deputati, ut Dominus Præsidens suffragiorum pluralitate, juxta consuetum hujus Reip. agendi modum, puncta, quæ præterito die perpendenda proposita fuerant, concluderet, seriò rursus instarent, Zelandiæ D. D. Deputati declârarunt, in tanti momenti Negotiis *suffragiorum pluralitati* locum ademptum esse, neque se de Ratihabitionis Negotio Sententiam Suam tulisse; insuper etiam præmemoratorum punctorum conclusionem instituere, quamvis illa à Nobil. & Potentibus Hollandiæ D. D. Ordinibus tam seriò tamque constanter peteretur, recusârunt.

Deinde autem Hollandiæ D. D. Deputati cum *Præsidentis locum vacuum cernerent,*

rent,

rent, Dominus de Wimmenum eum occupavit, atque Hollandiæ Deputati concluserunt, ut Pacis Tractatus trigesimo die Januarii, proximè elapsi, Monasterii subsignatus, à quinque Provinciarum D. D. Deputatis juxta quinque *ejusdem tenoris* sententias confirmaretur, porrò etiam juxta Celsissimi Arausionensium Principis prudentissimum Consilium Zelandiæ Deputatis *octo aut decem* dierum spatium concederetur, quemadmodum Ipsis concessum fuit, utque, postquam tempus illud elapsum foret, finalis ac generalis Ratihabitionis Conclusio institueretur. Adhæc Celsiss. Arausionensium Princeps Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. sedulò perpendendum proposuit, num ipsis consultum magis videretur, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Decretum hocce Domino Thuillerio, Christianiss. Regis Galliar. Extraordinario Legato, quamprimum exhiberetur, quinetiam idem ille rogaretur, ut, utrum propius aliquod Mandatum, Pacis Tractatum inter Christianiss. Regem & Hispaniar. Regem concernens, accepisset, declarare atque exponere vellet; quod si autem ejusmodi Mandatum necdum accepisset, ut ad id apud Aulam in Galliâ operam dare dignaretur..

Deinde etiam Hollandiæ D. D. Deputati, uti ante, concluserunt, ut supradictum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Decretum Dominis D. de Capelle, de Wimmenum & Andreæ traderetur, quò suprammemoratum Dominum Legatum idem oretenus edocerent, Eumque rogarent, ne officia quæcumque optima tum literis, tum alio quocumque modo, apud summedictum Regem præstare recusaret, quò Majestas Sua D. D. Plenipotentiariis atque Extraordinariis Legatis, Monasterii commorantibus, mandare dignaretur, ut occeptos cum Hispanis Pacis Tractatus ad finalem ac felicem conclusionem promoverent, quoniam tres septimanæ jamjam elaberentur, quarum initium ab hoc die computaretur, antequam *Regis Hispaniar.. & Præpotentium D. D. Ordinum Gen.* præmemorati subsignati Tractatus Ratihabitiones traderentur atque commutarentur: præterea etiam tres aliæ hebdomadæ, antequam Pacis Tractatus à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. promulgaretur: Insuper etiam decreverunt, ut Domino Oostervicio Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Ordinario in Galliam Legato, ac tunc temporis in Patriâ, alibi tamen quam Hagæ-Com. commoranti, per literas indicaretur, ut sese, quamprimum fieri posset, ad suscipiendum in Galliam iter præpararet, quo ibidem, quæcumque Ipsi Instructione quâdam tradendâ, vel pro re natâ per literas mittendâ, mandarentur, à Christianiss. Rege impetraret; ac proinde præmemorati Domini D. de Capelle, D. de Wimmenum, simul etiam Domini D. Mathenesius, D. Heemstedius, D. Knuytius, D. Nederhorstius & D. Graphiarius Musch, unicè rogarentur, atq; sufficienti supradictam Instructionem concipiendi instituendique autoritate munirentur; Adhæc ut D.D. Doniæ, Ripperdæ & Clantio Literæ mitterentur, quibus, ut Monasterium Se quamprimum conferrent, rogarentur, quò ibidem supradictum Decretum, Ratihabitionis Negotium concernens, loco modoque debito indicarent atque exhiberent, porrò etiam una cum Domino Meynersvicio ac reliquis Præpotent. D. D. Ordinum Gen. D. D. Plenipotentiariis, qui eodem quoque adventuri essent, omnem operam, studium, atque industriam ad utrumque Galliæ scil. & Hispaniæ Regem in Punctis illis, quæ necdum decisa restant, componendum assiduè impenderent: eâ lege, ut

Præpotent. D. D. Ordinum Gener. D. D. Plenipotentiarii atque Extraordinarii Legati, qui Monasterii commorabuntur, aliquibus eorum vel absentibus, vel aliâ quacumque ratione impeditis, Negotium occiperent, &, quantum fieri poterit, promoverent: Tandem constituerunt, ut de supradictis Decretis proximè venturo die, *Dominicus* licet futurus erat, rursus ageretur; Provinciæ autem Ultrajectensis D. D. Deputatos, ut super eo Negotio sententiam Suam plenius exponere vellent, rogârunt: qui præter supradictam Negotii Tractationem rursus instituendam Actis Publicis diurnis inseri jusserunt, Sese supradictam sententiam Suam, propter temporis angustiam, exponere neutiquam posse, verum, ut exponere possent, anniti; Zelandiæ quoque D. D. Deputati declarârunt, Sese ad supradicta Decreta, simul etiam ad modum, quo constituta fuerant, Actis Publicis diurnis inseri curaturos esse, quæcumque ad D. D. Deputantium Suorum jus conservandum ac defendendum pertinere existimabunt. Concilium hocce, hora nona matutina convocatum, semioctava vespertina dimissum fuit.

Sententiæ autem expositio, postero die, *Dominico* licet, instituta, talis fuit.

Sibi tum Extraordinariis, tum Ordinariis Zelandiæ Deputatis, postquam viderunt Hollandiæ D. D. Deputatis, neutiquam ad id, utpote qui postrema vice in Concilio præsederant, præviâ suffragiorum collectione decretoque *instructis*, suffragiorum pluralitate, contra prudentissimam Celsiss. Arausionensium Principis sententiam concludere placuisse, ut Pacis Tractatus Ratihabitio, postquam octo aut decem dierum spatium elapsum fuerit, finaliter ac generaliter concluderetur; simul etiam supradictum Decretum Galliar. Regis D. Plenipotentiario per D. D. Deputatos exhiberetur, declarare visum fuisse, quemadmodum per præsentes declarant, sicuti ab una Parte gratissimum Sibi acciderat, Celsissimum Arausionensium Principem in Concilium Præpotent. D. D. Ordinum Gener. venire, Provinciarum D. D. Ordines ad concordiam adhortari, eumque in finem pro summâ suâ prudentiâ media nonnulla proponere dignatum fuisse; pro quo suscepto labore Celsitudini Suæ maximas gratias agunt; eundem quoque ad modum ab alterâ Parte, ne officio Suo deessent, neque in tanti ponderis perpensionibus D. D. Deputantibus Suis quidquam præjudicii afferrent, Actis Publicis diurnis inserere necesse habuisse, *Sese in supramemorato Decreto ac Conclusione formâque in iis adhibitâ tanquam D. D. Deputantium Suorum Decreto atque hujusce Reip. Regimini contrariis, & jam inde ab hoc tempore privati cujusdam Pacis Tractatus Ratihabitionem cum omnibus eò pertinentibus, comprehendente, intra certum ac determinatum temporis spatium neutiquam acquiescere posse, contra verò adversus ea omnia protestari, atque primæ Suæ sententiæ, quam de Pacis Tractatu omnibusque iis, quæ eodem spectant, tulerant, ac trigesimo & primo die Mensis elapsi, & primo hujus Mensis proposuerant, cujus singula membra ceu repetita ac præsentibus inserta habebant, insistere:* Addentes, *Sese D. D. Deputatos omnia fideliter relaturos esse, quò à supradictis D. D. Deputantibus Suis ita perpenderentur, ut, quæcumque Fœderati Belgii Provinciis maximo commodo cedere existimabunt, decernere possint.*

Postero etiam die rursus declarasse, Sese tum Extraordinarios tum Ordinarios Zelandiæ Deputatos neutiquam Sibi in animum induxisse, fore, ut, non obstante

feriâ

feriâ declaratione ac protestatione, Nomine locoque Deputantium Suorum die Saturni institutâ, atque hesterno die Scriptis traditâ, cum iis omnibus, quæ oretenus hisce addita fuerunt, reliquæ Provinciæ quinque, non modo *erroneæ ac nullius prorsus momenti Conclusioni*, de Pacis Tractatuum Ratihabitione omnibusque iis, quæ eodem pertinent, suffragiorum pluralitate institutæ, insisterent, verum etiam, cum Negotium illud secundò tractaretur, supradictam Conclusionem variis maximique momenti Punctis, quæ ne in Concilio quidem unquam proposita fuerant, aut super quibus Zelandiæ Deputati sententiam nunquam dixerant, extenderent; varia quinetiam, perinde ac si *Publica Decreta* fuissent, ut executioni mandarentur, præciperent; at verò viso horum omnium contrario, adversus ea omnia *de novo disertis verbis protestari* cupiisse, quemadmodum per præsentes protestantur, Se eorum omnium D. D. Deputantes Suos fideliter certiores reddituros esse.

Provinciæ autem Ultrajectensis Extraordinarii Deputati in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. eodem hoc die scriptas Suas Pacis Tractatus perpensiones, quarum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Decretum, primo hujus Mensis die constitutum, meminit, Actis publicis diurnis inseri jusserunt.

Sese, Provinciæ scil. Ultrajectensis Deputatos, peroptasse, ut Pacis Tractatus *simul ac conjunctim* cum Gallis, juxta explanationes, quas eâ de re in Concilio hocce variis temporibus instituerant, concluderetur: hisce verò non obstantibus nihilominus tamen perpendisse animoque revolvisse, in consiliis super Pacis Tractatu cum Hispanis composito initis; D. D. Deputantes Suos, juxta Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Decretum, decimo & septimo die Februarii, proximè elapsi, propiorem elucidationem desiderasse, quâ officia, quæ omnes Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii, ad difficultates, quæ inter Galliæ & Hispaniæ Reges necdum decisæ restant, componendas, atque hoc pacto utramque summam partem ad Pacis Tractatus Conclusionem adducendam, præstita manifestò conspici possent, ac proinde de tergiversatione, quæ à Gallis commissa creditur, quæ in Tractatus Ratihabitione haud exigui est momenti, sufficiens Se judicium ferre neutiquam potuisse, ac proinde petere voluisse, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Decreti vi, D. D. Plenipotentiarii, qui hîc commorantur, juxta habitam Suam orationem, officia Sua in finem supradictum præstita exponerent, quò Ultrajectensis Provinciæ Deputati cum reliquarum Provinciarum D. D. Deputatis de magno hocce Negotio, præviâ penitiore totius rei cognitione, absque ullâ tamen morâ, ea omnia decernere possent, quæ Fœderati Belgii Provinciarum commodum, Pax, concordia atque securitas exigere judicabuntur.

Supradicti autem Decreti, quarto die Aprilis constituti, vi ac vigore, Domini D. de Capelle, D. de Wimmenum, & D. Andreas, Regis Galliar. Legatum visitârunt, omnesque rationes, ob quas Pacis Tractatus Conclusio ac Ratihabitio diutius differri non potuit, Eidem reddiderunt: Siquidem hujusce Reipub. conditio in incerto assidue versari neutiquam patiebatur. Adhæc Dominus Legatus Ipsis respondit, *Se cum ad varias Propositiones quas instituerat traditaque Memorialia, tum*

Christia-

Christianiss. Regis literas responsionem exspectasse, mirari jam Se de subsignata ac confirmatâ Pace privata ab Ipsis certiorem reddi: petiiss, inquit, *ut simultaneam Pacis Conclusionem atque perfectionem Majestati Suæ commendarem; Vos autem separatam quandam jam misistis, subsignastis ac confirmastis; jam diu ante*, inquit, *communis Pacis compotes facti fuissemus, si Hispanis constanter declarassetis, Vos separatim cum Hispanis Tractatum inire neque posse, neque velle. Nunc verò, postquam seorsim cum Hispanis Tractatum confirmare ac ratihabere decrevistis, Nostra Vobis intercessio necessaria amplius non est.*

Ad hæc ipsi regesserunt, bellum continuari neque posse, neque in armis diutius versari quemquam velle, neutiquam ipsum latere: neque, quod amplius est, ut Copias educerent, ullo modo teneri; quemadmodum etiam superiore æstate maximus peditum equitumque numerus dimissus fuerat, adeò ut omnis bellum offensivum gerendi occasio penitus ablata sit. Eapropter cum res ita Sese habeat, seduloque perpendatur, Regi Galliarum à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. (si Copias non educerent ac bellum tantummodo defensivum gererent) nihil quidquam officii præstari posse, licet Pacis Tractationem non conficiendo bellum quasi continuaretur, ac Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. hujusce Reipub. Æraria publica modicâ quâdam parcimoniâ restituendi commoditas perpetuò eriperetur, ut Majestati Suæ ea rescriberet, in quibus acquiescere posset, rogârunt: quemadmodum etiam eum in finem sufficientem Instructionem paratam Se habere declarârunt, quò Dominum Oostervicium, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Ordinarium in Galliam Legatum, vel, si propter adversam, cum quâ conflictatur, valetudinem etiamnum se excusaret, alium quempiam Extraordinarium Legatum eâdem instructum auctoritate in Galliam mitterent.

Supramemorato octo aut decem dierum spatio præterlapso, Nobiles ac Potentes Zelandiæ Ordines in Comitiis Suis subsequentem hanc seriam sententiam concluserunt, instituerunt ac deinceps Hagam-Comitis per literas miserunt.

„ Nobilibus ac Potentibus Comitatus Zelandiæ Ordinibus, postquam in „ antecessum publicâ auctoritate convocati essent, iis omnibus, quæ Nobilium „ ac Potentium Zelandiæ Ordinum Extraordinarii Deputati, qui novissimâ vice „ in Hollandiam profecti fuerant, ut in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum „ General. Consiliis, super Pacis Tractatu trigesimo die Januarii, proximè elapsi, „ Monasterii subsignato, cum omnibus iis, quæ eodem pertinent, ineundis, in„ teressent, retulerunt diligenti examini subjectis, visum fuit declarare, quemad„ modum Nobiles ac Potentes D. D. Ordines per præsentes declarant, Sese ea „ omnia, quæ supradicti Domini D. Deputati Sui super præmemorato Negotio „ sententiis proposuerunt atque egerunt, in specie autem geminam illam protesta„ tionem, quam D. D. Deputati quarto & quinto die hujus Mensis instituerant, „ atque in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. tradiderant, laudibus ex„ tulisse atque approbasse, quemadmodum eandem per præsentes laudibus extol„ lunt atque approbant; porrò etiam supramemoratis Nobilium ac Potentium „ D. D. Ordinum Deputatis omnibus ac singulis pro præstitis officiis gratias „ egerunt.

„ Hac insuper occasione Nobiles ac Potentes D. D. Ordines indicare voluerunt, alie-

alienum planè Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum auribus accidisse, quod „ supradicti Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum Deputati Nomine locoque „ Provinciæ Suæ, quæ summi ac proprii Sui juris est, quæque integrum Generalitatis atque Unionis membrum constituit, neque ab ullo, qui ipsis æqualis est, in „ eâ qualitate, præterquam solis Nobil. ac Potentibus D. D. Ordinibus, ut qui Eorundem Deputantes sunt, accusari possunt, eo non obstante tamen nonnulli eorum contra omnem *æquitatem*, *decorum atque humanitatem*, quam Provinciar. Domini D. Deputati Sibi invicem in communibus publicis consiliis exhibere tenentur, privatim in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ab aliquibus Dominorum illorum, qui aderant, *indignis plane modis* excepti fuerunt, ac proinde „ Nobil. ac Potentes D. D. Ordines indignationem Suam eam ob causam comprobare; adhæc etiam Præpotent. D. D. Ordines Gener. unicè rogarunt, ut de eâ re sic decernere dignarentur, quò ejusmodi quid in posterum omitteretur, ne Reip. ordo ac libertas jacturam faceret, omnibusque noxiis ac perniciosis remoris, quæ ortum inde ducere possent, occurreretur. „

Porrò etiam Nobil. ac Potent. D. D. Ordinum Deputati declarârunt, Nobiles ac Potentes D. D. Ordines summa cum admiratione animique dolore è supramemorata relatione, & conclusionis, quarto die hujus Mensis institutæ, extensione, percepisse, quod, omissis difficultatibus prudentissimæ Celsiss. Arausionensium Principis sententiæ propositisque mediis, quæ eò imprimis collimant, nimirum concordiam inter Nobiles ac Potentes Provinciarum D. D. Ordines conservari, neque in Negotio tanti ponderis suffragiorum pluralitate quidquam agi, „ præterea quoque amicitiam, Securitatem mutuumque consensum cum Christianiss. Rege, prout ea omnia Actis publicis diurnis tertii & quarti diei hujus „ Mensis latius expressa habentur, coli oporteret, nullo quoque firmissimarum rationum Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum, quas Nobiles ac Potent. D. D. „ Ordines per Deputatos Suos Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. super eodem „ Negotio trigesimo & primo die Mensis, proximè elapsi, & primo hujus Mensis, tum verbis tum Scriptis proposuerunt, respectu habito; Quinimò æquis sincerisque oblationibus, à D. D. Deputatis ante initam conclusionem institutis, nequidem locum dare voluisse, asseruerunt, propter Mandati cujusdam propioris „ effectum; quemadmodum ipsimet declaraverant, Se, quantum properè possent, „ ad D. D. Deputantes Suos reverti, remque simul cum reliquarum Provinciarum „ D. D. Ordinibus componere velle. „

Præpotentes D. D. Ordines Gen. absque ullâ oppositione sive contradictione viderunt, Hollandiæ Deputatis *propriâ Suâ auctoritate*, neque sufficienter ad id, prævia suffragiorum collectione ac Decreto, utpote qui novissimâ vice præsederant, instructis (id autem, si omnium Nobil. ac Potentium D. D. Ordinum Deputati, Sua vice Præsidentes, absque ullâ ratione Conclusionem distulissent, quod „ tamen ita non accidit, quo Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum Decretis & „ Reipub. ordini satisfieret, atque omni confusioni occurreretur, fieri oportuerat) „ duarum Provinciarum suffragiorum pluralitate concludere placuisse, idque contra prudentissimam Celsiss. Arausionens. Principis sententiam, cui Sese quatuor „ Provinciæ simpliciter accommodârant, quæque proinde sola supramemoratæ

Oooo Con-

„ Conclusionis materia esse debebat, Pacis Tractatum trigesimo die Januarii, „ proximè elapsi, Monasterii subsignatum, juxta quinque Provinciarum sententias „ easdem confirmatum ac Ratihabitum fuisse, porrò etiam juxta prudentissimam „ Celsissimi Arausionensium Principis sententiam Zelandiæ Deputatis *octo aut decem* „ dierum spatium concessum, tempore autem illo elapso, Ratihabitionis finalem ac „ generalem Conclusionem absque ullâ morâ institutam iri: Ad hæc supradictam „ Conclusionem, præter reliqua, tempore præfigendo ac decernendo extendisse, „ intra quod Ratihabitio ab utraque Parte traderetur atque commutaretur, Pacis- „ que Tractatus promulgatio institueretur, eodem etiam *octo aut decem* dierum spa- „ tium, quod Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum Deputatis conceditur, „ comprehendentes, neque, in quem finem omnia hæc fierent, indicantes; perin- „ de ac si nullum super Pacis Tractatus Ratihabitione *Consilium liberum* Nobilibus „ ac Potentibus D. D. Ordinibus reliquum esset, neque de eadem ulterius aliquod „ Decretum exspectaretur, &, cum de iisdem quinto die hujus Mensis, qui erat *Do-* „ *minicus*, contra præcedens Præpotent. D. D. Ordinum General. Decretum rur- „ sus ageretur, supradictam Conclusionem pluribus aliis haud exigui ponderis „ punctis, quæ in Concilio proposita non fuerunt, & de quibus Provinciarum „ Deputati tantò minus sententiam Suam dixerunt, extendentes, idque in Negotiis „ maximi momenti, quæque Unione Ultrajectensi Provinciis speciatim reservata „ fuerunt, utpote quæ non solum finalem Pacis Tractatus cum Hispanis absolutæ „ Ratihabitionis Conclusionem concernunt, quem Tractatum Nobiles ac Poten- „ tes D. D. Ordines non exactè juxta Instructionem Decretumque, postmodum „ communi suffragio constitutum, confirmatum conclusumque esse judicant at- „ que demonstrant, ac proindè cum Nobil. ac Potentes D. D. Ordines super ejus- „ dem Ratihabitione sententiam nullam proposuerint, multò minus in Tractatum „ illum consenserint, ejus Conclusionem suffragiorum pluralitate certò institui „ non potuisse; at verò quandoquidem ab ejusmodi Ratihabitione *privati cujusdam* „ *Tractatus* compositio dependet, atque eadem amicitiæ, atque imprimis *Secu-* „ *ritatis* Fœdus, ad mutuam Securitatem cum Galliarum Rege initum, labascit „ penitusque corruit, ex quibus omnibus nihil, præterquam remoras ac diffi- „ cultates, firmæ amicitiæ mutuique consensus loco, qui summedicto Regi cum „ Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus hactenus intercessit, prævideri „ posse.

„ Hæc autem omnia cum Nobil. ac Potentes D. D. Ordines animo revolvissent, „ atque imprimis ea omnia, quæ ex ejusmodi agendi modo, quinetiam re ipsa pro- „ manare atque oriri possunt, sedulò perpendissent, Nobiles ac Potentes D. D. Or- „ dines, præcedentibus Suis Decretis inhærentes, protestationibus, quarum supra „ mentio facta fuit, insistentes easdemque renovantes, necesse habuisse declarare, „ Nobiles ac Potentes D. D. Ordines in supramemorata prætensa ac nullius pror- „ sus momenti Conclusione neutiquam acquiescere posse; contrà verò Nobiles ac „ Potentes D. D. Ordines adversus eandem *disertis verbis protestari*, quemadmodum „ per præsentes adversus eandem protestantur, quinetiam adversus ea omnia, quæ „ vi supradictæ Conclusionis aut jam acta sunt, aut postmodum agi vel decerni „ possunt, omnia illa *pro nihilo* reputantes; insuper etiam firmiter apud animum

Suum

Suum proponentes, Se, usquedum Nobilibus ac Potentibus D. D. Ordinibus in " præmemorata Conclusione ac modo, in eadem instituenda adhibito, satisfactum " fuerit, Domino Knuytio, Nomine locoque Nobil. ac Potentium D. D. Ordinum, " ceu Extraordinario Legato ac Plenipotentiario ad Pacis Tractatum delegato, " Monasterium discedendi veniam neutiquam daturos esse:

Sincero tamen animo declarantes, Nobiles ac Potentes D. D. Ordines Pacis " Tractatum eludere, prout crimen hoc Nobil. ac Potent. D. D. Ordinibus intendi " videtur, aut ejusdem progressum justo diutius remorari neutiquam velle, quum " Nobiles ac Potentes D. D. Ordines hoc unum intendant, nimirum, ut operam " dent atque reipsa efficiant, quo, antequam Pacis Tractatus finaliter conclusus " ejusdemque Ratihabitio constituta decretaque fuerit, quæcumque, Pax siquidem, " obtineatur, Fœderati Belgii Provinciis maximo commodo cedere potetunt, sti- " pularentur atque impetrarentur : ab altera quoque parte, juxta necessariam inter " Nobil. ac Potent. Provinciarum D. D. Ordines concordiam amicitia quoque & " mutuis cum Veteribus hujusce Reipubl. Sociis ac Fœderatis consensus pro me- " rito conservaretur atque excoleretur, petentes, ut hæc Nobilium ac Potentium " D. D. Ordinum Declaratio Actis Publicis insereretur, quò tempore, loco mo- " doque debito inservire possit. "

Dabantur ac confirmabantur in Concilio Nobilium ac Potentium D. D. Or- " dinum in Aula Zelandiæ Medioburgi, duodecimo die April. 1648 jussu & man- " dato summedictorum D. D. Ordinum, Subsignatum erat, de Brune.

At verò Provinciæ Ultrajectensis D. D. Deputati decimo & sexto die Aprilis " sequentem in modum sese accommodarunt. "

Nobil. ac Potent. Provinciæ Ultrajectensis D. D. Ordinum Deputati, viso per- " pensoque Pacis Tractatu, septuaginta supra novem Articulis comprehenso, inter " Regem Hispaniar. & Præpot. D. D. Ordines Gen. trigesimo die Januarii 1648. " Monasterii subsignato, declararunt, Nobiles ac Potentes D. D. Ordines semper " exoptasse, nihilque Ipsis potius fuisse, quam ut Galliarum Rex & Præpot. D. D. " Ordines Gener. simul ac conjunctim eodemque tempore Pacis Tractatum cum " Hispaniar. Rege conclusissent, eò etiam Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum " Decreta & sententias Provinciales spectasse, utpote quæ continent, quæcumque " à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis Monasterii agerentur ac " subsignarentur, veri Tractatus effectu destituta iri, usquedum Galli & Præpo- " tentes D. D. Ordines Gener. eodem tempore conjunctim cum Hispanis conclu- " sissent; quo remedio omnibus illis malis atque incommodis, quæ ex separata " Tractatione forsan orirentur, occurri potuisset, quorum Nobiles ac Potentes " D. D. Ordines auctores existere nunquam voluerunt, neque etiamnum volunt : " Quum autem quinque Provinciarum D. D. Deputati in supradictorum Articu- " lorum Ratihabitionem jam consenserint, &, quo pluribus nascituris incommodi- " tatibus occurratur, eandem concluserint; Idcirco Nobiles ac Potentes D. D. Or- " dines, propter ea quæ supradicta fuerunt, supradictos Pacis Articulos itidem " confirmare necesse habuerunt, quemadmodum Nobiles ac Potentes D. D. Ordi- " nes eosdem per præsentes confirmant, quinetiam Articulum privatum à Præpo- " tent. D. D. Ordinum General. Plenipotentiariis cum Hispanis initum, respectu "

 Navi- "

,, Navigationum in Regna, Status ac Regiones, quibus cum Hispaniar. Rege bellum intercedit, instituendarum, Commerciorumque in iisdem exercendorum, *& vice versa*, ad hæc Ratihabitionis Specimen, prout sonat, insuper etiam quæ Nomine locoque Celsiss. Arausionensium Principis acta fuerunt, quorum quadragesimus & quintus Articulus meminit, geminorum Fortalitiorum in agro Cadsandriensi, geminorum itidem prope Sluysam, dirutione exceptâ minimeque concessa: Eâ lege tamen ac conditione, ut etiamnum à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis omnia studia officiaque præstanda sint, quò Negotium inter utrumque Regem componeretur, atque ad peroptatam Pacem adduceretur. Dabantur Trajecti ad Rhenum trigesimo & primo die Martii 1648. Signatum erat, Nicolaus Berckius; paulòque infra, jussu & mandato Nobil. ac Potentium D. D. Ultrajecti Ordinum, subsignatum erat, Ant. ab Hilten.

Die autem 17, qui dies erat Veneris, Dominus Andreas, Nomine locoque D. D. Ordinum Frisiæ, in Concilio præsidens, maximi momenti punctum Pacis Tractatus, trigesimo die Januarii Monasterii subsignati, Ratihabitionem concernens, juxta decretum, proximè elapso die constitutum, rursus proponere cœpit; atque à D. Præsidente, cui id mandatum erat, decretum, quarto die ejusdem Mensis constitutum, perlectum fuit, quinetiam Nobilium ac Potentium Provinciæ & Zelandiæ Ultrajectensis D. D. Ordinum Provinciales sententiæ, pridie ejus diei cum Scriptis, tum ore propositæ ac traditæ eodemque die renovatæ, atque ex iisdem decretis percepit, decem dierum spatium iisdem expressum aliquamdiu elapsum fuisse, ac Pacis Tractatus Ratihabitionem, post elapsum hoc spatium, generaliter ac finaliter absque ulteriore morâ concludi oportere: ac proindè concepta propositaque Ratihabitio (*cum invocatione atque in Nomine S. S. Trinitatis,*) constituta ac confirmata, atque ulterius visum decretumque fuit, ut suprà dicti Tractatus Ratihabitionis traditio ac commutatio inter Regis Hispaniarum & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarios intra *trium septimanarum* spatium instituerctur, quæ initium caperent à *quarto* hujus Mensis die, cujus suprà mentio facta fuit: Suprà memoratus autem Tractatus *tribus septimanis* post divulgaretur: Eâ lege tamen, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii interea temporis officia quæcumq; efficacissima atque optima Monasterii adhiberent, quò reliquas difficultates, quæ necdum decisæ restant, inter utramque Summam Partem componerent, & Christianiss. Regi satisfacerent: porrò etiam ut, quamprimum fieri posset, Legatus sive Ordinarius, sive Extraordinarius à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. ad Christianiss. Regem delegaretur, qui Majestatem Suam rationes, quibus Præpotent. D. D. Ordines Gener. moti, suprà dictum Pacis Tractatum concluserant ac confirmârant, edoceret, simul etiam omnia officia, studia, operam atque Amicitiam, quæ omnia in Instructione Domino Plenipotentiario in Galliam discessuro tradendâ, latius explicabuntur, offerret: Adhæc D. D. Plenipotentiariis demandatum fuit, ut cum Hispanis de Fortalitiorum dirutione agerent, ac declararent, quadragesimum & quartum, & quadragesimum & quintum suprà dicti Tractatus Articulum acceptari, nihilominus tamen Præpotent. D. D. Ordinum Gener. *jure Summo, Religione, Bonis Ecclesiasticis* eorumque impensione atque administratione salvis.

Deinde

Deinde autem cum Actorum Ratihabitionis Specimina, tam Gallicâ quam Belgicâ Linguâ conscripta, alterâ vice in Concilio perlecta essent, Præpot. D.D. Ordines Gener. decreverunt, ut Specimina illa utrâque Linguâ conscripta secundum Tractatum Originalem subsignarentur, obsignarentur ac traderentur; eodem quoque modo Ratihabitionis Acta secundum *privatam compositionem*, Navigationis Commerciorumque Negotium concernentem, seorsim conscriberentur, subsignarentur, obsignarentur ac traderentur; quæ omnia ut D. D. Plenipotentiarii, qui hîc commorantur, subsignata Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. præpararent, jubebantur, similiter etiam ut Originalem Tractatum trigesimo die Januarii Monasterii utrâque Linguâ subsignatum præpararent, Ipsis demandatum fuit; id autem D. Mathenesius, D. Heemstedius & D. Clantius stante Concilio præstiterunt; utq; Domini illi & qui ex Eorundem Collegis in Patriâ forte commorarentur, postquam suprà memorata Scripta illa accepissent, iisdem instructi omnes simul, aut eorum singuli, quam primum fieri posset, Monasterium se conferrent, atque suprà dicti Tractatus Ratihabitionem mutò traderent ac commutarent. Ad ea autem, quæ suprà dicta fuerunt, Zelandiæ Deputati oretenus declarârunt, ac deinceps, cum eadem rursus proponerentur, Scriptum quoddam tradiderunt, quod sequentibus inseretur: Nimirum, Se, Zelandiæ sc. Deputatos, vidisse, quo pacto suprà memoratus Dominus præsidens suffragiorum pluralitate in concludendâ tanti ponderis Pacis Tractatus Ratihabitione egerat, eaque à reliquarum Provinciarum D. D. Deputatis absque ulla oppositione admissa fuerat: Se itaque, propter rationes, quæ D. D. Deputantium suorum superioribus Provincialibus sententiis pluribus continentur, primis suis decretis inhærere, quinetiam protestationibus, quarto, quinto, & decimo & sexto die hujus Mensis juxtà speciale Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum decretum duodecimo die hujus Mensis, hac septimana in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium traditis, insistere declararunt. Ultrajectensis Ordinarii Deputati, cum hæc rursus pertractarentur, respectu *suffragiorum pluralitatis* declararunt, utrum *in hoc neg[illegible]ulla locum habeat?* Se id omne D. D. Deputantium suorum Judicio Arbitrioque relinquere, neque, ut Eorum sententiæ hac in parte quidquam præjudicii afferretur, velle; insuper etiam necessarium fore Se existimare, ut ad Nobiles ac Potentes Zelandiæ D. D. Ordines delegationes instituerentur, quò tanti ponderis Negotium communi omnium Fœderati Belgii Provinciarum Ordinum consensu perficeretur.

Sed Provinciæ cum in Negotio convenissent, sola Zelandia defuit; quæ ut adduceretur, &, quantum fieri posset, Ipsi satisfieret, quo omnis cavillatio, perinde ac si in Unionem reliquæ Provinciæ impegissent, tolleretur atque amoveretur, in Zelandiam delegati fuerunt Domini D. à Gent, Kinschotius, Gravius, Hoolckius, Hauboysius & Beeckius: qui vicesimo & octavo die Aprilis, in Concilio Nobilium ac Potentium Zelandiæ Dominorum D. Ordinum, sequentiâ proposuerunt.

NOBILES AC POTENTES DOMINI,

„ PRæpotentes D. D. Ordines Gener. Deputantes Nostri, Nobis mandârunt
„ ut salutem Vobis impertiremus, omnemque Amicitiam ac mutuum consen-
„ sum, cum incolumitatis ac felicis prosperique Regiminis voto, offerremus; Præ-
„ potentes autem D. D. Ordines Gener. ut in Concilium Vestrum intraremus,
„ Nos delegârunt, quò haud exigui sanè ponderis Negotium Vobis proponeremus,
„ in quem etiam finem Literas Auctoritatis concesserunt; Celsiss. Arausionensium
„ Princeps hujus delegationis rationes tam sufficientes esse judicavit, ut Nobis lite-
„ ris suis commendatitiis succurrere dignatus fuerit, quemadmodum Vos, Nobi-
„ les ac Potentes Domini, id ex iisdem cognoscere poteritis, Negotium magnum,
„ quod literis Auctoritatis Nobis datis concessisque exprimitur, *Pax* est, bono-
„ rum omnium, quæ mortales in hac vitâ possidere queunt, *maximum*, *optimum*,
„ ac *pretiosissimum*; quantopere autem Præpotentes D. D. Ordines Generales
„ eam ex animo desiderent, id diuturna consilia, varii labores, sumptuosi admo-
„ dum conventus ac delegationes cum Fœderatis Belgii Provinciis, tum in alia
„ Regna, Status ac Regiones instituendæ, jam ab hinc aliquamdiu præstitæ atque
„ adhibitæ abundè satis testantur: adeò ut Deus Opt. Max. Sanctiss. illud opus co-
„ usque promovere dignatus fuerit, ut mutuâ Ratihabitionum commutatione ac
„ subsequendâ Pacis promulgatione perfici planè possit; nihil in hoc Negotio Præ-
„ potent. D. D. Ordines Gener. præterquam Provintiarum concordiam, quæ hu-
„ jusce delegationis fundamentum existit, desiderant; quoniam enim sex reliqua
„ Unionis membra de *Ratihabitionis* Negotio inter Se conveniunt, quantòperè Præ-
„ potent. D. D. Ordinibus Gener. singularis Vestra discrepantia ac dissensio cordi
„ est, hac solenni delegatione demonstratum faciunt. Summo animi dolore per-
„ ceperunt, quod loco spei, quam acceperant, fore, ut Vos, Nobiles ac Potentes
„ Domini, postquam Extraordinarii Vestri D. D. Deputati novissimè Monasterio
„ discesserant, idem sentientibus Provinciis accommodaretis, querelas ac prote-
„ stationes per literas mittere, Actis Publicis diurnis inserendas, per literas mittere
„ Vobis placuerit, quemadmodum decreto, duodecimo die Aprilis, cum publicâ
„ Auctoritate congregati essetis, in Concilio Vestro constituto, atque decimo &
„ septimo subsequente die, D. D. Deputatis Vestris id petentibus, in Concilio
„ Præpot. D. D. Ordinum Gener. Eorundem Regestis inserto, idem factum fuit,
„ *primo* in querela de *indignis atque inhumanis tractationibus*, quibus nonnulli è D. D.
„ Deputatis Vestris excepti fuerunt: *secundo* in occupando D. Præsidentis loco,
„ quem Hollandiæ D. D. Deputati quarto die hujus Mensis absque suffragiorum
„ collectione occuparant: *tertiò*, suffragiorum pluralitate, absque prævia in diffi-
„ cultatibus satisfactione Sociis Fœderatisque præstanda, deque Tractatu ipso
„ agentium, in Consilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. traditarum perpen-
„ sione, conclusum fuisse. Ad *primum*, Nobiles ac Potentes Domini, quod attinet,
„ paucis declarabimus, nunquam Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. hunc ani-
„ mum fuisse, ut D. D. Deputatos Vestros *inhumaniter exciperent*, neque id accidisse
„ scimus: verum quidem est, solere aliquando in rebus tanti momenti tantiq; pon-
„ deris consiliis perpensionibusque evenire, ut Negotium pro Reipubl. commodo
serius

ſerius perſtringatur ac vehementius, abſque ullo tamen quempiam lædendi propoſito, urgeatur; at verò ejuſmodi verba, quæ tantum apud Vos potuerunt, ut ſic rem hanc haberetis, nos planè latent: inſuper etiam Præpotent. D. D. Ordines Gener. Deputatos Veſtros ea ſemper reverentia atque humanitate excipere ſtatuerunt, qua tam Fidi Socii tamque arctè unita membra mutuò excipi debent. ,, ,, ,, ,, ,,

Quantum ad *ſecundum*, de occupando D. Præſidentis loco agens, verum quidem eſt, poſtquam Hollandiæ Deputati ſæpius rogaſſent, ut Zelandiæ Deputati concludere, vel loco cedere dignarentur, quò, Provinciarum ſuffragiis collectis, finaliter quidquam concludi poſſet, Zelandiæ Deputati loco aſſurrexerunt, atque in conclave ſe receperunt, quod Provinciarum Deputati eo fine factum fuiſſe exiſtimarunt, ut tantò commodius locum relinquerent, ac Præpotent. Dominorum D. Ordinum Gener. Concilii conſuetum agendi ordinem confirmarent. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Tertium quod ſpectat, Nobiles ac Potentes Domini, Dominus Conſiliarius Syndicus Catzius, Zelandiæ Deputatis in difficultatibus, cum de Sociis Fœderatiſque, tum de Tractatu Ipſo agentibus, pleniſſime ſatisfacere cupiens, Nomine locoque Hollandiæ, articulatim perpenſiones adverſus eas propoſuit, in quibus deinde Provinciæ, quæ confirmabant ac ratihabebant, acquieverunt, ac proindè eas ſatis approbarunt: præterea etiam Zelandiæ Deputatos, ut iis ſubſcribere ac reliquis Provinciis, quæ approbabant, accommodare ſeſe vellent, rogavit: adeo ut Supremi Syndici Catzii Sententia Provinciarum illarum, quæ antea confirmarant ac ratihabuerant, Sententia fuiſſe meritò dici poſſit: nulli dubitamus, quin Extraordinarii Deputati Veſtri ſuprà memoratam illam refutationem ita animo ſuo infixerint, ut Eorundem venia impetrata eandem à principio non repetituri ſimus, niſi Vos, Nobiles ac Potentes Domini, id petatis, quod ad petitionem Veſtram in conventibus cum D. D. Deputatis Veſtris commodè referre poterimus, ejus enim tam magnifico Concilio narrationem integram ſi contexerimus, nimis longum ac tædioſum foret: at verò Vos, Nobiles ac Potentes Domini, in eadem Nobiſcum ſententia futuros eſſe arbitror, commodius ſe. fore, ut eo ſuperſederetur, quò altercationes evitarentur, ubi concordiæ ſtudetur. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Unum ex omnibus, cujus Præpotent. D. D. Ordines Gener. Veſtra, Nobiles ac Potentes Domini, ex Veſtra ſententia, maximi intereſſe judicarunt, proponemus, nimirum, *geminorum Fortalitiorum prope Sluyſam & geminorum in agro Cadſandrienſi dirutionem:* de hac verò re Præpotentium D. D. Ordines Gener. conſtituerunt ac decreverunt, eorum dirutionem nunquam concedere, contra D. D. Plenipotentiarii in Mandatis acceperunt, ut de Fortalitiorum dirutione cum altera Parte agerent, adeo ut Vos, Nobiles ac Potentes Domini, obnixè etiam atque etiam rogemus, ut *tam neceſſariam concordiam atque unanimitatem* inter omnia Unionis membra tanti facere dignemini, quò tanti momenti ponderiſque Negotium unanimi conſenſu perficiatur, ut Reſpubl. Noſtra concordiæ beneficio in ſe *potens*, Zoilis *terribilis*, Amicis verò *gravis* exiſtere, atque hoc pacto extra ſe Pacis, atque intra ſe Concordiæ Coronâ cingi ac ſtabiliri poſſit. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Hæc primò vivâ voce proferebantur, deinde à Nobis, quorum nomina ſequentibus ,, ,,

„ quentibus inseruntur, vicesimo & octavo die Aprilis 1648. scripto tradebantur.
„ Subsignatum J. à Gent, Nic. Kinschotius, C. Gravius, G. Hoolckius, C. Hau-
„ boysius, Johannes Beeckius.

Responsionis decretique loco acceperunt, quæ sequuntur.

„ NObilibus ac Potentibus Zelandiæ D.D. Ordinibus, postquam propositionem vicesimo & octavo die Mensis, proximè elapsi, in Concilio institutam, ac deinde scripto traditam à Nobilissimis, Strenuissimis Prudentissimisque Dominis, *D. Iohanne à Gent, D. Nicolao Kinschotio, Delphensium Civitatis Consiliario & Syndico; D. Cornelio Gravio, Domino in Polsbroeck, Civitatis Amstelodamensium Consule, Hollandiæ VVest-Frisiæque Consiliario Deputato, D. Gisberto Hoolckio, Civitatis Trajecti ad Rhenum Ex-Consule, D. Cornelio Hauboysio, Civitatis Suecanorum Consule, D. Iohanni Beeckio, Toparchâ in Doornick & Crytenburgh, Civitatis Daventriensium Consule*, omnibus in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatis, Nomine locoque Provinciarum Gelriæ, Hollandiæ, Ultrajectensis, Frisiæ & Trans-Ysulaniæ, idque vi literarum Auctoritatis à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. vicesimo & secundo die Mensis proximè elapsi, ipsis datæ concessæque, sedulò perpendissent, seriò quoque Celsiss. Arausionensium Principis literis, eodem die exaratis, examini subjectis, visum decretumque fuit declarare, quemadmodum Nobiles ac Potentes D. D. Ordines per præsentes declarant, novum planè atque alienum Sibi proponi, quia quandoquidem Nobiles ac Potentes D. D. Ordines sibi persuaserant, fore, ut reliquæ Provinciæ, cognitis perpensisque sufficientissimis rationibus Unioni innixis, Ordini, modo Regiminis atque etiam ipsis Præpotent. D. D. Ordinum Gener. decretis, à Nobil. ac Potentibus D. D. Ordinibus quarto & quinto die Mensis, proximè elapsi, rumore tum Scripto, propositis, atque iis præsertim, quæ Nobilium ac Potent. D. D. Ordinum decreto ac declaratione, decimo & sexto ejusdem Mensis die propositis traditisque, continentur, adduci potuissent, ut *erroneam ac nullius prorsus momenti conclusionem*, quarto die Mensis, proximè elapsi, de Pacis Tractatus Ratihabitione, omnibusque iis, quæ eodem pertinent, institutam, immutarent ac renunciarent, quò, re integrâ relictâ, de novo ea omnia decernerentur, quæ communi sententiâ summo Fœderati Belgii Provinciarum commodo cedere judicabuntur, saltem ut suprà memoratam conclusionem distulissent, neque executioni mandassent, donec tantillum temporis spatium superesset, ut intra illud in difficultatibus, super præmemoratæ Ratihabitionis Negotio trigesimo die Martii, & primo Aprilis à Nobilibus ac Potent. D. D. Ordinibus propositis, iisdem satisfieri ac Negotium integrum inter Provinciarum D.D. Ordines componi posset; nunc contra perpeti coguntur, reliquis Provinciis placuisse, non solum suprà dictæ conclusioni, quarto die Aprilis institutæ, constanter ac si *firma & perpetua Lex* foret, inhærere atque eandem executioni mandare, verum etiam extra suprà memoratam conclusionem de punctis maximi momenti maximèque essentialibus, de quibus Nobiles ac Potentes D. D. Ordines nullâ ex parte sententiam suam dixerunt, ea decernere visum fuisse, quæ Nobil. ac Potent. D. D. Ordines hujusce Reip. officiis, gloriæ ac dignitati suæ summopere adversari existimant: Nimirum, Pacis Tractatum Monasterii, ubi

Præ-

Præpot. D. D. Ordines Gener. nullum Territorium, jus sive Imperium obtinent, „ utrinque juramento confirmatum iri, idque à parte Præpotent. D. D. Ordinum „ Generalium per omnes D. D. Plenipotentiarios, vel maximam eorum partem ef- „ fectum iri: cum contrà tam solennis actus, qualemcumque Juris Summi agni- „ tionem includens atque demonstrans, Nomine locoque Regis Hispaniarum, in „ Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Concilio majori, ex omnium Fœderati Belgii „ Provinciarum Deputatis composito, fieri deberet; quemadmodum etiam ab al- „ terâ parte Nomine locoque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. in loco quodam, „ qui Regis Hispaniarum imperio obtemperat, ad manus eorum, qui sufficiente „ ad id Auctoritate muniti forent, per Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Pleni- „ potentiarios & Legatos adhibitis solennibus, quæ simili casu adhiberi consueve- „ runt, juramentum præstari oporteret: „

Præsertim quum suprà memoratum haud exigui momenti decretum constitu- „ tum fuerit, antequam Provinciæ, saltem Nobiles ac Potent. Zelandiæ D. D. Ordi- „ nes, perlegerant, multò minus Iisdem in Negotio literarum Auctoritatis, cum in „ finem cum ab Hispanis tum à Præpot. D. D. Ordinibus Gener. concedendarum, „ satisfactum Ipsis fuerat; quin imo ne in juramenti formulâ quidem, juxta quam „ juramentum præstaretur, in quo Negotio, cum ob Religionis diversitatem, tum „ ob alias rationes, varia haud exigui ponderis perpendenda veniunt.

De Pacis Tractat. promulgationis formulâ concipiendâ ac confirmandâ (quæ „ hancce Rempub. solam spectat, & in quâ præliminarium atque introductionis lo- „ co ejusmodi clausulæ usurpari possunt, quas Hispani admittere nollent) cum „ Hispanorum Plenipotentiariis actum disceptatumque iri, neque in ea re ipsius „ Tractatus, verum eorundem beneplaciti, rationem habitam iri. „

Neque solum Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarios horum „ omnium Auctoritate muniri, licet Nobiles ac Potentes D. D. Ordines super eo „ Negotio consilium nullum inierint, neque sententiam suam dixerint, multo mi- „ nus in id consenserint; At verò insuper trium Provinciarum D. D. Ordinibus „ visum fuisse Domino Knuytio ejusmodi literas exarare, perinde ac si Nomine „ locoque Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum ceu Plenipotentiarius una cum „ reliquis Plenipotentiariis ad Pacis Tractationem delegatus, Nobilium ac Potent. „ D. D. Ordinum jure exemptus esset, ac qualitate illâ quasi notâ quâdam perpe- „ tua Præpotent. D. D. Ordinum Gener. mandatis solis ac privatim obtemperare „ teneretur; idque in ejusmodi Negotiis, ad quæ suprà memoratus Dominus Knuy- „ tius, uti etiam reliqui Domini Plenipotentiarii, neque Instructione, neque lite- „ ris Auctoritatis, communi omnium Provinciarum D. D. Ordinum suffragio ap- „ probatis confirmatisque, ullo modo devinctus obligatusque vel Auctoritate in- „ structus fuit; atque hæc omnia contra & præter Nobilium ac Potent. D. D. Or- „ dinum veniam commissa fuerunt. „

Quum ab altera parte Nobiles ac Potentes D. D. Ordines decretum, *Fortalitio-* „ *rum* prope Sluysam *dirutionem* spectans, ad hæc Auctoritatem, qua Præpotent. „ D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarios, ad puncta controversa inter Gallia- „ rum & Hispaniarum Reges, quæ necdum decisa sunt, componenda muniun- „ tur, quod in Nobilium ac Potent. D. D. Ordinum quasi gratiam factum fuit, ejus- „

 modi „

modi eſſe videant, ut propoſita difficultas, quæ iis, quæ de ſexageſimo & ſexto Articulo confirmata fuerunt, continetur, nullo modo tollatur, neque de ſuprà memoratâ Fortalitiorúm dirutione quidquam certi conſtituatur; ab alterâ quoque parte ſuprà memoratâ difficultatum *deciſionem* accipiendi Auctoritate Plenipotentiariis concedendâ, Regi Chriſtianiſſ. non *ſatisfiat*, verum hoc pacto, ſiquidem ejuſmodi ſubmiſſionem recuſaverat, magis magiſque inſtigetur.

Hiſce omnibus de cauſis, quinetiam iis, quæ Nobilium ac Potent. D. D. Ordinum ſuprà memoratis declarationibus ac proteſtationibus, quarto, quinto & duodecimo die Menſis, proximè elapſi, inſtitutis, continentur, Nobiles ac Potentes D. D. Ordines declarârunt, Seſe in *concluſiones, decimo & ſeptimo die ejuſdem Menſis in Concilio Præpotent. D.D. Ordinum Gener. de puncto maximi ponderis, Pacis Tractatus Ratihabitionem concernenti, inſtitutas,* neutiquam conſentire poſſe, verum eaſdem, utpote quæ in formâ & materiâ laborant, denuò improbare, quemadmodum etiam per præſentes ulteriora *erronea atque inutilia* decreta, quæ viceſimo & quarto, & viceſimo ac ſexto die Menſis, proximè elapſi, conſtituta fuerunt, aut conſtituentur, improbant; ac proinde Se proteſtationes, quarum ſuprà mentio facta fuit, repetere, iiſdemque inſiſtere, neque, priuſquam difficultates, quas Nobiles ac Potent. D. D. Ordines ſuprà memoratâ proteſtatione & præſenti hac reſponſione propoſuerunt, debito modo tollantur, Se ſuprà dictæ Ratihabitioni ullatenus ſubſcripturos; ſive, ut cum reliquarum Provinciarum D. D. Ordinibus componantur, paſſuros eſſe.

Quandoquidem autem Nobiles ac Potentes D. D. Ordines quotidie magis magiſque experiuntur, quæcumque Eorum Nomine locoque, variis temporibus jam inde à primis Tractationis Monaſterienſis initiis, loco Provincialis ſuæ ſententiæ propoſita fuerunt, inſuper etiam ſtudia atq; officia, quæ Nobil. ac Potent. D. D. Ordinum Deputati aliquoties præſtiterunt, quò Deputantium ſuorum voluntatem atque intentionem cum maximo hujuſce Reipubl. commodo effectam redderent, à nonnullis *odio haberi ac perverſe accipi* vel in alienum ſenſum detorqueri, perindè ac ſi Nobiles ac Potentes D. D. Ordines diverſum quid ab eo, cujus externam ſpeciem præ ſe ferunt, ſub iis celarent, diſertis verbis declarare voluerunt, Seſe hoc unum Sibi ſemper propoſitum habuiſſe, idque ſincere intendiſſe, atq; etiamnum intendere, ut ante Pacis cum Hiſpanis Tractationem, atque eadem durante, conſtituerentur ac ſtipularentur, quæcumque Nobiles ac Potentes Provinciarum Ordines Reformatæ Religionis defenſioni, atque Amicitiæ, Societatis ac mutui cum Chriſtianiſſimo Rege cæteriſque Fœderatis conſenſus conſervationi plurimum inſervire exiſtimabunt, idque ſine ullo rationum privatarum aut perſuaſionum reſpectu: quandoquidem autem ea omnia, quæ Nobiles ac Potentes D. D. Ordines de Tractatione Monaſterienſi, ſaltem de præcipuis perpenſionum punctis, ſenſerunt ac propoſuerunt, Scriptis tradita Actiſq; Publicis diurnis inſerta fuerunt, per Se quidē licere aſſeruerunt, ut perlegantur atq; examini ſubjiciantur, imprimis autem ea, quæ Nobiles ac Potent. D. D. Ordines ſententiæ loco, ſuper præliminaribus punctis, *Unionem* ac *Religionem* Tractationis *Induciarum* cum *Pacis* Tractatione permutationem, punctum *Spiritualis* in Majoratum Sylvæ-Ducenſem, *ſeparatam* Pacis Tractatus *concluſionem* ac ſubſignationem, ea omnia quæ

reſpe-

respectu *utriusque Indiæ* confirmata fuerunt, Fortalitiorū prope Sluysam *dirutionem*, *Limitum* hujusce Reip. extensionem ac confirmationem, hostilitatis actuum Terrâ Marique *continuationem*, usquedum Pacis Tractatus confirmaretur ac ratihaberetur, spectantibus, proposuerunt; quum certum sit nihil præterea deprehensum iri, quam quod hæc omnia firmis rationibus nitantur, atque cum Reipubl necessitate & antiquis hujus Status Legibus fundamentalibus conveniant: Interea Nobiles ac Potentes D. D. Ordines Deum Opt. Max. ut omnia illa incommoda, quæ ex hisce oritura clarè prævident, quæque Nobiles ac Potentes D. D. Ordines sententiis suis propositis indicârunt, ab hac Repub. universa, Ejusdem Provinciis ac Membris singulis clementer avertere dignetur, supplices rogant:

Tandem Nobiles ac Potentes D. D. Ordines, ut Præpot. D. D. Ordinum Gen. Deputati hocce Nobilium ac Potentium D.D. Ordinum decretum & responsionem modo locoque debito referre dignarentur, petierunt: & quemadmodum ab altera parte Præpotent. D. D. Ordinum General. Deputati laborem hunc suscipere dignati fuerunt, neque delegationem hanc recusârunt, quò Nobiles ac Potentes D. D. Ordines reliquarum Provinciarum D. D. Ordinibus accommodarent, pro quo labore Nobiles ac Potent. D.D. Ordines maximas iis gratias agunt, ut eundem quoque ad modum in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. & Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum negotium eò dirigere vellent, ut in difficultatibus, suprà propositis, Nobilibus ac Potentibus D. D. Ordinibus satisfiat, quò in tanti ponderis Negotio, quæcumque huic Reipubl. maximè inservire judicabuntur, unanimi consensu efficiantur ac promoveantur, & diuturna consilia, favente Deo Opt. Max. peroptata Pace conficiantur.

Dabantur ac confirmabantur in Concilio Nobilium ac Potentium Zelandiæ D. D. Ordinum, Medioburgi primo die Maji 1648. Pauloque infra, Eorundem jussu ac Mandato, Signatum *de Brune*.

Hanc responsionem ac declarationem Præpotent. D. D. Ordinum General. Deputati (tertio die Maji Hagam-Com. reversi) quarto die ejusdem Mensis in Concilio exhibuerunt. At verò siquidem omnes Provinciæ cuperent, ut Zelandiæ Ordines reliquis Sese accommodarent, paucis diebus post Celsissimo Arausionensium Principe Bredam discessuro, visum decretumque fuit, ut Celsitudo Sua rogaretur, ut in Zelandiam comitari Ejusdemque Provinciæ Ordinibus, quam fieri posset commodissimè, suprà memorata persuaderet: Ea de re cum Domini D. Huygenius & Ruyschius cum Celsissimo Arausionensium Principe egissent, Celsitudo Sua nono die Mensis in Concilium venit, Sese, ad Reipubl. commodum, tantumque negotium promovendum, iter suscipere velle declaravit: at verò quum Zelandiæ Ordines Gallis neutiquam satisfieri omnium ægerrimè ferrent, Celsissimus Arausionensium Princeps Præpot. D. D. Ordinibus Gener. perpendendum proposuit, an & quo modo in D. D. Ordinum Zelandiæ sententiam transiri posset.

Super hac re sex Provinciarum Ordines, consilium cum iniissent, Celsitudini Suæ pro suscepto labore gratias egerunt, adhæc, Gallis needum brevi satisfactum iri, animadvertentes, literas à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis exspectare decreverunt, sperantes ejusmodi lite-

ris illis contenta iri, quibus præcipuæ difficultates, à Zelandiæ Ordinibus propositæ, tolli possent: Quemadmodum etiam postmodum Zelandiæ Ordines Tractatus confirmationem ac divulgationem ultrò obtulerunt. Quandoquidem, ut Pacis Tractatui Sese excluderent, consultum Ipsis neutiquam fuerat.

Hisce omnibus non obstantibus, cùm ante delegationem ad Zelandiæ Ordines institutam, tum eâdem durante, Præpotent. D. D. Ordines Gener. quæcumque eorum omnium, quæ composita, subsignata ac conclusa & à singularum Provinciarum Ordinibus (Zelandiæ Ordinibus exceptis) confirmata fuerant, finali executioni inservire poterant, præparare non destiterunt.

Quam ob causam perpendendum quoque venit quo modo, tempore ac loco, post Tractatuum ac Ratihabitionum commutationem promulgatio instituenda foret: Quinetiam tam solennis æternæ Pacis confirmationis respectu: à quibus & quo loco juramentum præstaretur. De quibus omnibus constitutum decretumque fuit, ut promulgatio, juxta formulam, postmodum typis excussam in omnibus Fœderati Belgii Provinciis earumque districtu, atque etiam Monasterii institueretur. Adhæc D. D. Plenipotentiariis mandatum fuit, quod si puncta illa, de quibus inter Galliar. & Hispaniar. Reges controvertitur, quæque necdum decisa sunt, ipsorum judicio arbitrioque permitterentur, eadem decidere integrum ipsis fore.

Porrò etiam, ut tertius dies Mercurii post Pacis promulgationem jejunando, orando & Deo Opt. Max. pro impetratâ Pace gratias agendo celebraretur, quò benigne Eidem favere ac benedicere dignaretur: Insuper D. D. Plenipotentiarii variorum Fortalitiorum dirutionem, at sine prospero effectu, in Mandatis acceperunt. Tandem visum decretumque fuit, ut ante Pacis Ratihabitionum commutationem Regis Hispaniarum Plenipotentiariis declararent, *quadragesimum & quartum, & quadragesimum & quintum* Pacis Tractatus Articulos, atque etiam Tractatus iis comprehensos neque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. juri Supremo, neque bonorum Ecclesiasticorum administrationi atque impensioni quidquam præjudicii allaturos, verum Præpotent. D. D. Ordines Gener. eadem Sibi integra reservaturos esse; prætereaetiam ut D. D. Plenipotentiarii ad id operam darent, quo à Regis Hispaniar. Plenipotentiariis Acta quædam, quæcumque supradicta sunt, approbantia impetrare possent: quod si verò id denegarent, ut ab Hispanis ejusmodi Acta peterent, quibus Hispanorum Plenipotentiarii, declarationem illam ante Ratihabitionum commutationem institutam fuisse, confiterentur, quò tempore, modo ac loco debito inservire possent.

Die autem vicesimo & sexto April. Negotio juramenti, cum activi tum passivi, ab Hispaniar. Regis & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis ad Pacis Tractatum, trigesimo die Januarii proximè elapsi, Monasterii initum conclusumque, præstandi, ut examini subjiceretur, proposito, visum decretumque fuit, ut Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii Monasterii commorantes plenissima ad id autoritate munirentur, quò omnes simul vel eorum pars maxima, reliquis necessariâ de causâ absentibus, Nomine locoque Fœderati Belgii Præpotent. D. D. Ordinum Gener. supradictum Pacis Tractatum, juxta ejusdem Tractatus Ratihabitionum mutuam commutationem, quinetiam privatum Articulum

ticulum, Navigationem Commerciaque concernentem, vi præmemorati Tractatus initum, solenni juramento confirmarent: Insuper etiam ut Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii omnes, vel eorum Pars maxima, reliquis necessariâ de causâ absentibus, simile *juramentum*, modo ac tempore ante expresso, Nomine locoque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ab Hispaniar. Regis Plenipotentiariis atque Extraordinariis Legatis Nomine locoque Majestatis Suæ ac Successorum Suorum, idque juxta literas Auctoritatis, quas Majestatis Suæ D. D. Plenipotentiarii atque Extraordinarii Legati acceperunt, juramentum præstitum confirmatumque exciperent; in quem finem etiam literæ auctoritatis supradictis D. D. Plenipotent. atque Extraordinariis Legatis conscriberentur: Ac proinde quæ Præpot. D. D. Ordines Gen. de juramento Bruxellis & Hagæ-Com. præstando decreverant, revocata fuere: Ad hæc omnia constitutum fuit, ut utrumq; Pacis Tractatus originalis & privati Articuli exemplar Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis, hîc commorantibus, traderetur, quemadmodum per præsentes tradebatur, quo Monasterium referri, atque ibidem aut alio quovis loco debito inservire posset, eâ lege, ut D. D. Plenipotentiarii hîc commorantes aut eorundem aliquis Se eadem accepisse per literas testaretur, fide datâ, supramemorata cum Originalis tum privati Tractatus exemplaria Monasterio relata Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. restituta iri; deinde autem Domini D. Mathenesius, Heemstedius & Clantius, Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. valedixerunt, quò postero die Monasterium discederent, ac studia atque officia Sua ad Negotia quæcumque, Rempub. concernentia, promovenda, obtulerunt, quibus Præpotent. D. D. Ordines Gener. omnia fausta precati fuerunt: denique Præpotent. D. D. Ordines General. decreverunt, ut Dominis D. Knuytio, Doniæ & Ripperdæ, per literas indicaretur, tres D. D. Plenipotentiarios Collegas Suos Monasterium hinc discessisse, petitione, nec minus Mandato addito, ut iidem quoque, visis perspectisque literis hisce, Monasterium Se conferrent, quò reliquis Pacis Tractationis Negotiis interessent eademque, ceu ad Instructionem Suam, ad quam juramentum præstiterant, pertinentia, conficerent; utque literis, ad Dominum Knuytium mittendis, disertis verbis insereretur, *neminem præter Præpotent. D. D. Ordines Gener. de eâdem dispensare, aut contraria eidem Mandata dare aut posse, aut licere*, propterea quod Nobiles ac Potentes Zelandiæ D. D. Ordines una cum reliquarum Provinciarum D. D. Ordinibus in eandem, absque ullâ reservatione, consenserant; quod si autem Dominus Knuytius, præter opinionem, eadem negligeret, ut Præpotent. D. D. Ordines Gener. ab eodem hanc ob causam *rationem exigere* possent idque licitum foret; ac proinde Præpot. D. D. Ordines Gener. habitam à Domino Knuytio eorundem rationem, ac supramemoratas literas, absque præviâ earundem relectione, missas iri, firmiter Sibi persuaserunt: Ad hæc verò Gelriæ Deputati Actis publicis diurnis inseri curârunt, Sese in Conclusionem, super juramento præstando institutam, neutiquam consentire posse, siquidem alia à Deputantibus Suis Mandata acceperant; quantum autem ad literas ad Dominum Knuytium, absque relectione, exaratas attinet, Gelriæ Deputati, Negotium hoc fuisse propositum, declarârunt, simul etiam in eâ fuerunt sententiâ, non alias ad Dominum Knuytium literas mitti, quam quę ad reliquos Præpotent.

 potent.

potent. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarios, qui hîc commorantur, exaratæ fuerant, oportuisse; neque etiam clausulis, literis illis comprehensis, Se alligatos adstrictosque velle: Zelandiæ Dominus Deputatus in Concilio Præpot. D. D. Ordinum Gener. insertiones ac declarationes, Nomine locoque D. D. Deputantium Suorum super Pacis Tractationis Monasteriensis antehac institutas, repetiit ac renovavit; insuper etiam, Se in ea esse sententia, ut ad Dominum Knuytium nihil, præterquam quod ad D. D. Doniam & Ripperdam, scriberetur, declaravit.

Provinciæ Ultrajectensis Dominus Deputatus adhæc, cum Decretum hocce rursus tractaretur, Actis Publicis diurnis inseri jussit, ad Dominum Knuytium nihil aliud quam ad D. D. Doniam & Ripperdam scriptum oportuisse; At verò Dominus Mulartius, ut ad Dominum Knuytium literæ seriæ exararentur, neque relegerentur, Se altâ & clarâ voce conclusisse, &, præsidens cum esset, earundem scriptionem in se recepisse, iisdemque subsignasse declaravit.

Hoc autem Decreto (cujus Zelandiæ Deputati in Provinciali Suo Concilio certiores reddebantur, antequam Dominis D. Deputatis responderent, quapropter præcedentibus insertâ responsione ejusdem Punctis nonnullis adversantur eademque refellunt) ac literarum exaratione non obstante, nihilominus tamen Nobil. ac Potentes Zelandiæ D. D. Ordines Dominum Knuytium Monasterium rursus delegare recusârunt, at verò reliqui omnes eo discesserunt; cumque illuc quinto die Maji advenissent, primò omnium ad componendas inter utrumque Regem difficultates operam dederunt: Eam ob causam Nomine locoque eorum omnium Dominus Meynersvicius ad Comitem Servientium, Regis Galliar. Legatum, profectus fuit, plenis omni humanitate ac reverentiâ verbis Eidem proponens, Sibi, antequam cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis de Mandatis, quæ ad Tractatum conficiendum ipsis à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. data fuisse probe noverat, egissent, visum fuisse, ut ipse peculiari hac delegatione salutaretur, ac Præpotent. D. D. Ordinum Gener. sincera difficultates inter utrumque Regem decidendi intentio Eidem firmiter persuaderetur; unice rogantes, ut eâdem fiduciâ voluntatem Suam difficultates componendi, quò Hispani, officiis quibuscumque fieri poterit optimis, in plenissimam Gallorum satisfactionem adducerentur, declarare vellet.

Hanc verò gratiarum actionum propositionem verborum pompâ accepit, atque, ut Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotent. oblata officia continuarent, rogavit; quibus addidit, Eorundem officia post Ratihabitionum commutationem minoris effectus ponderisque futura esse: Deinde de quinque punctis controversis, quæ necdum decisa restant, generalioribus verbis egit: Ad Lotharingiam quod attinet, Domini Thuillerii propositioni inhæsit, nimirum, veterem Lotharingiam, Claromontio, Steneio, S. Jacobi Fano, Arnobæ Ducatu atque iis omnibus, quæ ad Episcopatus pertinent, reservatis, præcipuis quoque Fortalitiis dirutis, restitutam iri, quæ verba, *præcipuis Fortalitiis*, secretum Mandatum forent, præter ea, quæ Domini Thuillerii propositione dicta fuerant, & quæ loca Galli mœnibus suis exuenda fore senserant, neque solius Nanceji dirutione contenti fuerant; at verò quum Majestatis Suæ Mandata, supramemoratâ Domini Thuillerii

lerii propoſitione contenta, apud animum ſuum revolveret, nimirum, ut poſt Ratihabitionum commutationem ſupradicta Veteris Lotharingiæ, unâ cum Fortalitiorum dirutione, reſtituendæ oblatio ceſſaret; & propterea quod Hiſpani, durante temporis illius ſpatio, quod Tractatus Ratihabitionum commutationi, Scriptis eorum, trigeſimo die Januarii traditis, aſſignârant, cum Gallis agere recuſârant, non niſi *ante* commutationem illam cum proſperi eventus ſpe quidquam agi poſſet.

Adhæc præcipua, quæ ſuper quinque illis punctis, variis temporibus, at fruſtra propoſita atque tranſacta fuerant, ac præter quæ nulla alia excogitari potuerant, propoſita ac paucis repetita fuere; quod ſi autem partes Pacem inire vellent, punctis illis in iis terminis, in quibus relicta fuerunt, manentibus, nullis novis vel addendis, vel tranſactis repetendis, utrinque propius conjungi, neque præcedenti declarationi pertinaciter inſiſti oportere, omnes alioquin Tractationes fruſtra inſtitutas, omnemque Pacis ſpem ſuccifam iri, Hiſpanos Scriptis, trigeſimo die Januarii traditis, ad Ratihabitionum commutationem uſque fidem dediſſe, omnia Se, quæcumque Interceſſione ac per Mediatores Gallis promiſſa fuerant, præſtituros eſſe, & conditionibus, reſpectu Lotharingiæ à Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis exhibendis, quò eas ſummedictis Regibus proponerent, aures ſuas præbituros eſſe; Hiſpanos autem declaraſſe, Se Mandata iis, quæ ſuper Lotharingiæ ac Fortalitiorum dirutionis Negotio propoſita fuerunt, contraria à Rege accepiſſe; Lotharingiæ verò punctum à Parte Gallorum in aliis terminis propoſitum fuiſſe, quam ad quos Regis Hiſpaniar. Mandata accipere petierant; Hiſpanis equidem primo die Aprilis, proximè elapſi, Scriptis declaraſſe, Se ante Ratihabitionum commutationem nihil quidquam agere velle, Veteris quoque Lotharingiæ reſtitutionem præmemoratâ Domini Thuillerii propoſitione uſque ad Ratihabitionum commutationem reſtrictam ac limitatam fuiſſe; nihilominus tamen poſt primum diem Aprilis, atque anteRatihabitionum commutationem, mutuâ punctorum, quæ necdum deciſa reſtant, traditione ac declaratione Tractationem reipsâ continuatam eſſe ac Negotium in eodem loco, in quo ante fuerat, remanſiſſe, & eorum reſpectu, quæ ante trigeſimum Januarii diem Gallis conceſſa fuerant, ulteriorem Tractationem neutiquam neceſſariam fuiſſe: Quum autem mediis, quibuſcumque fieri poterat optimis, finalis Galliar. & Hiſpaniar. Regum intentionis declaratio peteretur, quò ex utriuſque collatione compoſitionis finis obtineretur, ſuper quo Negotio Dominum Servientium propius mandatum accepturum fuiſſe ſperabatur, utrum Se extendere auderet, ac de Veteris Lotharingiæ oblatione, ſupramemoratâ Domini Thuillerii propoſitione ad Ratihabitionum commutationem reſtrictâ, Mandatum poſt ſupradictam commutationem Chriſtianiſſ. Rex præſtaret, Dominus Servientius omnem reſpectu Lotharingiæ Tractationem, cum Duce in Gallia inſtitutam, ſuccifam, & Tractationum in hac civitate inſtitutarum finem Se exſpectaturos eſſe, declaravit: nihilominus tamen ejus reſpectu nihil Se, præterquam quod Secreto illo Mandato, cujus ſupra meminit, continetur, agere poſſe; & ſi Pax conflari poſſet, viſurum, num mandatum aliquo modo tranſgredi poſſet; credere etiam Se, Chriſtianiſſ. Regem ſupramemoratam extenſionem ſemper execu-

executioni mandaturum esse; respectu autem *quinque* illorum punctorum, supramemoratus D. Servientius declaraverat, difficultates inter Reges & Principes ab Arbitris decidi eo modo neutiquam posse, quomodo inter privatos lis confici potest: at verò eos, qui inter Reges & Principes Arbitros agunt, ad modum propositionis sententiam suam dicere debere, quò hoc pacto ad sententiam Suam Partes adducerent; quod si Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii ad punctorum illorum *quinque* singula proponere vellent, quomodo ea confirmari posse existimarent, forsan Se eorum uni accommodaturum, vel si ejusmodi essent, ut acceptari non possent, denegationis ac rejectionis rationes reddituturum esse; Hisce omnibus, ut supradicta sunt, bidui spatio variis conventibus Osnabrugis transactis, sub discessum Dominus Servientius indicavit, Se Monasterium reversurum & cum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis, qui ibidem commorantur, acturum esse.

Interea dum supradictus Dominus Meynersvicius præmemorato Negotio Osnabrugis occuparetur, D.D. Collegæ Ejus cum Regis Hispaniar. Plenipotentiariis de difficultatibus illis, quæ necdum decisæ erant, egerunt; qui questi fuerunt primo, *eas, ubi minui oportebat, adauctas fuisse* Scripto quodam quod Comes Servientius supradicto Domino Meynersvicio ante eorundem adventum tradiderat: ad quod ipsi etiam Scripto responderant, ex iisdem cognoscere volentes, utrum Negotium illud in eodem loco ac statu, in quo, cum Monasterio discederent, reliquerant, situm foret, an vero alio modo idem redintegrandum esse censerent: Quamvis autem ad hæc ante Domini Meynersvicii reditum nihil quidquam finaliter respondere potuerunt, huic tamen hypothesi innixi, Negotium sc. redintegrandum esse in eo, in quo novissimè, cum discederent, relictum fuerat, Hispanorum Plenipotentiarios rogare voluerunt, an & quid eo Negotio effici posset; quanquam etiam Hispanorum Plenipotentiarii animi Sui indignationem comprobarent, quod, propriis Suis posthabitis, aliena curarent; Nihilominus tamen primo in genere, deinde in specie varias ab iis detectiones acceperunt, quas temporis progressu prosperum ac felicem finem consequuturas esse sperabant: nimirum, *primo*, Sese ea omnia, quæ antehac eorum intercessione concesserant, eo non obstante quod res Suæ Neapoli meliore in loco essent quam dudum, etiamnum præstare velle; at verò Se non ulterius, quam usquedum Copiæ eductæ forent, obligare atque obstringere posse, Se non minus præsenti hoc tempore, quam antehac unquam, Paci cum Gallis ineundæ sincerè deditos esse, declarantes ac protestantes: *Secundo*, Se, ut puncta illa *quinque*, de quibus controvertitur, eorum arbitrio deciderentur, etiamnum promptos ac paratos existere, vel si Gallorum Plenipotentiarii id permittere gravarentur, intercessione, quamprimum fieri posset, eadem componerentur: quantum autem ad Negotium, Lotharingiam concernens, attineret, ut rursus juxta modum ab ipsis propositum, quem Regi Suo per literas indicarant, Ejusdemque responsum acceperant, tractaretur; at verò non posse Se quidquam in Mandatis habere de iis mediis quæ postmodum proposita fuere, qualia esse ajebant, *Veteris solius Lotharingiæ restitutionem, una cum omnium Fortalitiorum dirutione:* quum antea de Lotharingiæ restitutione in communi, sine *Barrensi Ducatu* & *Episcopatibus*, & de *solius* *Nan-*

Nanceji dirutione cum Ipsis actum fuisset. Postquam autem Comes Servientius reversus esset, ac Celsitudo Sua ipsos primæ visitationis honore affecisset, atque Eundem vicissim visitassent, ac secundò à summedicto Comite visitati fuissent, omnibus hisce occasionibus de difficultatibus, inter utrumque Regem necdum decisis, componendis egerunt, atque intercessionem Suam Nomine locoque Præpotent. D. D. Ordinum Gen. rursus obtulerunt: At Comes Servientius primo conquerebatur, quod Hispani, cum Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii Monasterio abessent, Tractationem promovere recusassent; atque eo tantum temporis spatium consumptum fuisset, ac Scripti cujusdam mentionem faciebat, quod Hispanis tradidisse Se vel dictasse D.D. Mediatores indicârant; cujus Scripti Galli Se ignaros esse prædicârant; tandem quoque Gallis eundem adhuc animum stare Seque idem mandatum habere indicabat, ut cum Gallis contraheret, Sese verò nullum, præter Præpotent. D. D. Ordinum Gener. judicium arbitriumque, admittere posse; quinetiam, ut puncta illa necdum decisa Eorum intercessione componerentur, per Se licere; quod Sereniss. Comes brevi, & quantum celerrimè posset, fieri oportere monuit; Quantum autem ad Negotium, Lotharingiam concernens, attinet, Sese Nomine locoque Christianiss. Regis fidem dare velle, durante ibidem Tractatione cum Duce Carolo, directè neutiquam, quò Hispanis omnis suspicio adimeretur, à Gallis actum iri; Ad reliqua Puncta, à Domino Meynersvicio Duci tradita, quæ Hispani nova Puncta esse contendebant, respondebat, Se non alio fine eadem proposuisse, quam ut sciri posset, quænam inter utrumque Regem necdum decisa restarent; neque tamen Se iisdem præcisè adstringere volebat: Quemadmodum autem Regis Hispaniar. Plenipotentiarii Articulorum, primò à se propositorum, perpensiones Scriptis tradiderant, eundem quoque ad modum Se, Comitem scil. Servientium, earum Refutationem, simul etiam rationes, ob quas Ratihabitionum commutationem differri oportere judicaret, Scriptis misisse affirmabat.

Ad ea autem, quæ supradictus Dominus Servientius oretenus ipsis proposuit, Domino D. Comiti, quæcumque Celsitudini Suæ, antequam discederent, obtulerant, proposuerunt, voluisse sc. sufficientem Suorum numerum ibidem manere, & Scripta Sua proposita invicem tradere; at verò tunc gratum cum non accideret, Se ulteriore Suâ intercessione, Scriptorumque traditione supersedere necesse habuisse, Hispani licet Præpot. D.D. Ordinum Plenipotentiarios sæpius id rogassent ac serio adhortati fuissent, ac proinde Gallos Scriptum quoddam Hispanis traditum, aut quidquam Ipsis dictatum fuisse, ignorasse: interea temporis proposita à Gallis media per Dominum Thuillerium Præpotent D. D. Ordinibus Gener. ac deinceps ibidem per D. D. Mediatores Hispanis, at omnia sine prospero eventu, exhibita fuisse; &, si, præteritis silentio transmissis, utraque Pars etiamnum Paci dedita foret, rem componi ac confici posse: cui etiam sententiæ Serenissimus Comes tandem subscribere velle videbatur.

Postquam decimo & quarto die Maji, Ratihabitionum commutatio, ac juramentum decimo & quinto die Maji in Curiæ aula majore apertis janus præstandum, postero autem die promulgatio ex eadem Curiâ instituenda cum Hispanis confirmata essent; eo, qui secutus est, die, Domini D. Meynersvicius &

Heemstedius horâ octavâ primi ad Curiam devecti fuerunt, cives ac milites armatos passim per plateas insuper etiam ante Curiam, jussu ac mandato Magistratus & Gubernatoris, longa serie dispositos conspicientes, atque uterque Consul iisdem ante Curiam gratulatus eos usque in Curiæ Aulam majorem deduxit, in quâ mensa, holoserico Tapeto viridi strata, sedes itidem, holoserico obductæ, collocatæ erant; inde autem in conclave quoddam venerunt, in quo mensa, Tapeto Damasceno albo strata, collocata erat; haud longe post Dominus de Brun advenit, exceptus atque à D. D. Consulibus, ad modum supradictum, in præmemoratum conclave deductus fuit, in quod Dominus de Brun cum primus ingressus esset, mutuæ cum Tractatus, tum privati de Commerciis Articuli Ratihabitiones & præmemorati jurisjurandi formulæ conferri cœperunt.

Horâ circiter post reliqui Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii in Curiam venerunt, atque eodem, quo supra, modo excepti atque introducti fuerunt; deinde Comes Penerandæ accessit, à Domino de Brun & D. D. Consulibus gratulatione exceptus atque in Aulam majorem introductus, atque ab omnibus Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis ante supradictum conclave exceptus fuit: ac postquam invicem amplexi fuissent, primò bini D. D. Plenipotentiarii, deinde Præpotentium D. D. Ordinum General. Plenipotentiarii in conclave introierunt; collatione autem illa finitâ, eodem ordine mensæ rotundæ, in Aulâ collocatæ, assederunt, & Dominus de Brun altâ voce ac linguâ Latinâ sequentia proposuit, nimirum Hispaniar. Regem, inito Pacis Tractatu viso perpensoque, eundem gratum habuisse, atque intra definitum tempus confirmasse, Sese insuper, Regis scil. Hispan. Plenipotentiarios, ad Ratihabitiones commutandas promptos ac paratos esse; & prævia super initâ Pace gratulatione, num Præpotent. D. D. Ordinum Gen. Ratihabitio in promptu esset, necne, rogavit; cumque sub eâdem gratulatione responsio institueretur, supradictum scil. Pacis Tractatum à Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. non minus gratum habitum, neque minori gaudio confirmatum fuisse, atque ut commutaretur paratum esse, apertis januis, atque innumerâ hominum multitudine affluente, primò Tractatus, deinde Regis Hispaniar. & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Ratihabitio Gallicâ Linguâ recitata fuit; porro etiam privatus *Articulus, Commercia spectans*, una cum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Ratihabitione, perlectus, adhæc Acta quædam, quibus D. D. Plenipotentiarii, ad Ratihabitionem literasque auctoritatis jurisjurandi in supradictum Articulum præstandi, intra duorum Mensium spatium, & Regis Hispaniar. literas auctoritatis juramenti, in confirmandi supradictum Tractatum & Præpotent. D. D. Ordinum Gen. eundem in finem Hagæ-Com. exhibendam, devincti obligatique tenentur, recitata fuere. Hisce omnibus perlectis, Hispani, utrum nomine locoque Regis Hispaniar. juxta recitatas literas auctoritatis in Tractatum solenniter jurare vellent, Latinâ Linguâ rogati fuerunt; qui cum *affirmando* responderent, à Sacerdote Comitis Penerandæ ipsi Comiti & Domino de Brun ingens quidam liber holoserico impactus, cui nomen *Euangelia*, cui argentea crux imposita erat, exhibitus fuit; duobus autem Regis Hispan. Plenipot. adstantibus ac manum Suam dextram Cruci argenteæ imponentibus, Comes Pene-

Penerandæ juramenti formulam Hispanica lingua recitavit, cumque ad verba illa *Deum Opt. Max. judicem invocasset, &c.* ambo D. D. Plenipot. dextram Suam sustulerunt & Crucem osculati fuerunt, quibus majora in juramento præstando solennia adhibere nunquam consueverunt; deinde quoque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii à Comite Penerandæ rogati fuerunt, utrum juxta literas auctoritatis Sibi datas concessasque Nomine locoque Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ad Tractatum juramentum præstare vellent, qui cum *annuendo* responderent, omnibus adstantibus & binos priores digitos tollentibus, Dominus Meynersvicius juramenti formulam Gallica Lingua recitavit, omnesque dixerunt, *ita Nos juvet Deus.*

Adhæc Originales literæ Tractatum ineundi eundemque juramento confirmandi, Originales Tractatus Ratihabitiones, Originalis Præpotent. D, D. Ordinum privati Articuli, Commercia spectantis, Ratihabitio, Acta, quibus D. D. Plenipotentiariis, ut supradicti Articuli Ratihabitionem atque eundem juramento confirmandi literas auctoritatis exhiberent, devincti obligatique tenentur, Acta, quibus Nomina illa, quæ à Parte Regis Hispaniar. Tractatu continentur, comprehenduntur, Retro-Acta in quadragesimum & quartum & quadragesimum & quintum Tractatus Articulum conscripta, Acta quædam Fortalitiorum & Domus Leutensis dirutionem concernentia, denique Acta promulgationis mutuo tradita fuerunt.

Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Scripta holoserica cistella rubri coloris, Regis verò Hispaniar. Scripta holoserica cistella rubri coloris, argento hinc inde obducta, tradita fuerunt: quibus peractis, utraque Pars cum surrexisset atque invicem salutem dixisset, primò Hispani, deinde Præpotent. D. D. Ordinum Plenipotentiarii descenderunt, atque ab utroque Consule extra Curiam usque educti fuerunt, utramque autem Partem civium militumque manipulus domum comitatus, ac bombardas Suas, atque etiam tormenta in mœnibus collocata, ter exonerarunt.

In posterum autem diem Magistratus ingens theatrum ante Curiæ introitum exstrui jussit, Tapetibus undique ornatum; quum verò in Curiam introitus theatro intercluderetur, alium introitum inde à platea, Tapetibus instructum atque stratum, usque ad cubiculum, à quo cum in theatrum tum in plateam prospectus patebat, Tapetibus itidem ornatum, ducentem, confici idem Magistratus jussit.

Die autem decimo & sexto primò Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii, deinde Hispani in Curiam venerunt, plateis, in quibus D. D. Plenipotentiariorum ædes erant, ad Curiam usque Tapetibus, corio deaurato atque omnibus id genus aliis instructis ac viridi quacumque herbâ stratis, atque inde ab ædibus Suis ad Curiam usque à civium militumque manipulo deducti, atque à D. D. Consulibus ante Curiam excepti in supradictum cubiculum introducti fuerunt, in quo, ut D. D. Consules promulgationi interesse dignarentur, D. D. Plenipot. rogârunt; Dato autem signo septem tubis atque uno tympano æneo (Belgis *Ketel-trom*) coram omnibus hominibus, qui in ipsâ Curiâ, in plateâ atque in fenestris circumquaque innumeri adstabant, Tractatus Belgica Lingua, deinde Regis Hispaniar. Ratihabitio Hispanica, Præpotentium vero D. D. Ordinum

Gener. Belgica Linguâ, insuper etiam privatus Articulus, Commercia spectans, una cum Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Ratihabitione & Actis, quibus Domini D. Plenipotentiarii, ad ejusdem Ratihabitionem ac juramentum in Articulum illum præstandum, devincti obligatique tenentur, tandem Acta promulgationis per utriusque Partis Dominos Secretarios recitata fuerunt. Quibus peractis, eodem ordine descenderunt, à D. D. Consulibus educti atque eodem civium militumque numero domum deducti fuerunt, ac rursus sclopeta & tormenta, in mœnibus collocata, ter exonerârunt.

Dominus Nederhorstius, qui, simulac in patriam rediisset, cum assiduo morbo conflictatus, decubuit, hisce omnibus interesse neutiquam potuit, ac proindè neque juramentum præstitit, neque eidem subscripsit; at verò Tractatu subsignato, Ultrajectum reversus fuit, neque diu post vitam cum morte commutavit.

Theatrum autem Magistratus jussu exstructum ac præparatum cum esset, qui summo id sibi honori ac dignitati duxerunt, Pacis Tractatum in Urbe sua initum, atque ibidem promulgatum fuisse; tempore autem pomeridiano Nassaviæ Comes, & S. Cæsareæ Majestatis Plenipotentiarii Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis super initâ Pace gratulati fuerunt: eundem quoque ad modum Regis Hispaniarum Plenipotentiarii iisdem gratulati fuere, atque ad subsequentis diei prandium invitârunt; qui die decimo & septimo illius Mensis in ædibus Comitis Penerandæ, tubarum sono, sclopeta ac tormenta, quæ à tribus ædium partibus collocata erant, exonerando, utroque etiam die vinum plebi publicè promendo, ignes triumphales incendendo, trophæa erigendo, & alio quocumque modo animi lætitiam demonstrantis, magnificè admodum excepti fuerunt; Iis autem omnibus Præpot. D. D. Ordinum Gen. Plenipotentiarii, Eorundem super hac re decretum hactenus ignorantes, supersedere voluerunt.

Initam quoque Pacem Summis Ministris, Monasterii atque etiam Osnabrugis tunc commorantibus, indicârunt, qui vicissim Iisdem gratulati fuerunt.

Juramenti aliorumque, quorum in præcedentibus mentio fit, Formulæ & Acta sequentibus inseruntur.

NOs, Bartoltius à Gent, *Loenii & Meynersvicii Dominus, Bommeliæ & Bommeliensis ac Tiletensis Insulæ Seneschallus aggerumque Præfectus, Gelriæ Nobilium in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatus*; Johannes Mathenesius, *Dominus in Mathenesse, Riviere, Opmeer, Souteveen, &c. ad Nobilium ac Potentium Hollandiæ VVest-Frisiæque Concilium Deputatus, & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque ejusdem Provinciæ Nobilium, Schielandiæ Consiliarius*; Adrianus Pauw, *Eques, Dominus in Heemstede, Hogersmilde, Rietvvijck, Nieuvverkerck, &c. Hollandiæ VVest-Frisiæque primus Præsidens, Consiliarius & Cameræ Computationum Præfectus, ejusdemque Provinciæ Nomine ac loco in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatus*; Franciscus Donia, *Toparcha in Hinnema & Heitsum, in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Frisiæ Deputatus*; Gulielmus Ripperda, *Dominus in Hongelo, Boxbergen, Boculo, Russenburg, &c. Nobilium Trans-Ysulanæ in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatus*; Adria-

Adrianus Clantius, *Dominus in Stedum, Nittersum, &c. Civitatis Groningensium Omlandiæque in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Deputatus Ordinarius: omnes Præpotentium D. D. Ordinum Generalium ad Pacis Tractationem inter Regem Hispaniarum & Præpotentes D. D. Ordines Generales instituendam Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii, sufficiente auctoritate, quam, originalium Scriptorum commutatione instituta, comprobavimus, juxta suprà memoratam Auctoritatem, Nomine locoque Præpotentium D. D. Ordinum Generalium* solenniter sanctèque juramus, *ab Ipsis Eorumque Parte, omnia & singula Puncta Articulosque Pacis Tractatus, trigesimo die Ianuarii initi, conclusi subsignatique, fideliter observata; insuper etiam executioni mandatum iri, privatum illum Articulum, vi ejusdem Tractatus initum, & quarto die Februarii vertentis Anni 1648. conclusum, atque ab utrâque Parte debitis formulis confirmatum, quem ad modum id ex Ratihabitionum commutatione, utrimque institutâ, liquet: quibus omnibus, ut tanto magis confirmarentur, communi utriusque Partis consensu, præsens & solennis juramenti præstatio è vestigio addita fuit, quod juramentum Partes illæ per D. D. Plenipotentiarios suos inter Se mutuò præstiterunt, Deum promissionum suarum sinceritatis & voluntatis Suæ easdem servandi constantiæ testem invocantes,* Ita Nos Deus juvet. *Dabantur Monasterii in Curiæ Aula majore, publicè atque apertis januis, plurimis cum ipsius Civitatis Incolis, tum aliis qui solennibus illis, dum peragebantur, interfuerunt, præsentibus, decimo & quinto die Maji, Anno 1648. Subsignatum atque obsignatum,* Bartoltius à Gent, Johannes Mathenesius, Adrianus Pauw, F. Donia, G. Ripperda, Adrianus Clantius.

NOs, *Dominus* Gasparus de Bracamontio *& Gusmaniâ, Comes Penerandæ, Dominus Aldenseca de la Frontera, Eques Ordinis Alcantarensis, perpetuus administrator imperii Daimiëliensis ordinis Calatravæ, Cameræ Regis Hispaniarum Nobilis Custos, Eidem Consiliarius Secretus, Extraordinarius Ejusdem in Germaniam Legatus, atque ad Pacis communis Tractationem Plenipotentiarius ordine primus, & Dominus* Anthonius Brun, *Eques, Regis Catholici in Consiliis & rebus, Belgii Provincias spectantibus, Consiliarius, Ejusdem ad Pacis Tractationem, cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. ineundam, Plenipotentiarius, sufficiente Auctoritate, cujus Exemplar authenticum exhibuimus, instructi juxtà Auctoritatem illam, Nomine locoque Regis Hispaniarum* solenniter sanctèque juramus, *in S. Cruce, & S. Evangeliis, à Nobis re ipsa ac corporaliter contactis, nec secus ac si Ipse adesset, ab Ipso Ejusdemque Parte omnia & singula Puncta Articulosque Pacis Tractatus, trigesimo die Ianuarii initi, conclusi subsignatique, Anno 1648. & ab utrâque Parte debitis solennibusque formulis confirmati, quemadmodum ex Ratihabitionum commutatione, utrimque institutâ, liquet: quibus omnibus, ut tantò magis confirmarentur, communi utriusque Partis consensu præsens & solennis juramenti præstatio è vestigio addita fuit, quod juramentum Partes illæ per D. D. Plenipotentiarios suos inter Se mutuò præstiterunt, Deum promissionum suarum sinceritatis, & voluntatis suæ easdem servandi constantiæ testem invocantes. Dabantur Monasterii in Curia Aula majore, publicè atque apertis januis, plurimis cum ipsius Civitatis Incolis, tum aliis, qui solennibus illis, dum peragebantur, interfuerunt, præsentibus, quinto die Maji, 1648. Subsignatum atque obsignatum,* Comes Penerandæ, A. Brun.

QVandoquidem *Pacis Tractatus, inter Regem Hispaniarum ab unâ, & Præpot. D.D. Ordines Gen. ab alterâ parte, trigesimo die Ianuarii vertentis Anni 1648. initi, conclusi confirmatique Articulo sexagesimo & octavo dictum fuit, ut à parte Regis Hispaniarum prope*

Sluysam *Flandriæ, Propugnacula* S. Jobi, S. Donatii, Stellæ, (*vulgò*, de Sterre-Schans) Teresense, Frederici, Isabellæ, S. Pauli, *itemque* Turris (*vulgò* Redoute) Papemuts, *mœnibus suis exuerentur, atque à parte Præpotent. D. D. Ordinum Gener. duo illa Propugnacula in Insula* Cadsandriensi, Auriaca & Fredericus *dicta*, duo illa prope Sluysam, omnia Fortalitia ad Fluvium Scaldensem à parte Orientali sita, Lilloo, *& Propugnaculo prope* Kieldrechtum, *cui nomen est* Spinolæ, *exceptis, diruerentur: de quâ Fortalitiorum dirutione, invicem instituendâ, inter Partem utramque, ad eorundem æqualitatem moderandam, conveniendum foret. At verò cum in eâ convenire non possent, interea temporis inter Se convenerunt ac decreverunt ne suprà dicta Propugnacula in Insulâ* Cadsandriensi, *& quæ prope* Sluysam *sita sunt, Præpotent. D. D. Ordines Gener. diruere tenerentur, at verò illa solum, quæ ad Fluvium* Scaldensem *à Parte Orientali sita sunt,* Lilloo *excepto, mœnibus suis exuerentur; in quorum commutationem à parte Regis Catholici oblata fuit dirutio eorum, quorum suprà dicto sexagesimo & octavo Articulo mentio facta fuit, propugnaculis* S. Jobi, S. Donatii *&* Isabellæ *exceptis, quorum loco à parte Regis Hispaniarum Propugnaculum* Margaritæ (*vulgò* Paarle-Schans) *deque reliquis omnibus quatuor septimanis post hæc Acta inter utramque Partem ulterius conveniretur.*

Quandoquidem autem suprà dicti Pacis Tractatus Articulo septuagesimo & tertio dictum fuit, ut, respectu domus Leutensis *cum omnibus bonis ac reditibus eò pertinentibus restitutionis ac traditionis Comiti à Flodrophensi Rege Hispaniarum præstanda, intra Pacis Tractatus conclusionem ejusdemque Ratihabitionem ab Hispaniarum Rege de Copiis præsidiariis, vel de novorum Fortalitiorum, quæ post domus illius expugnationem exstructa fuerunt, decerneretur; conventum fuit, ut suprà dicta domus restitueretur ac traderetur, neque milites præsidiarii ibidem locarentur, at verò nova illa Fortalitia ac munimenta intra duorum Mensium spatium, computationis initio facto à* quinto die Junii, *proximè venturi, ac vertentis Anni, quo die suprà dicti Pacis Tractatus promulgatio in Belgii Provinciis ab utrâque Parte instituetur, mœnibus suis exuerentur. Dabantur Monasterii quinto die Maji, Anno* 1648. *Subsignatum atque obsignatum erat in modum sequentem,*

Comes Penerandæ.	Bartoltius à Gent.
A. Brun.	Johannes Mathenesius.
	Adrianus Pauw.
	G. à Reede.
	F. Donia.
	G. Ripperda.
	Adr. Clantius.

Quum quadragesimo & quarto, & quadragesimo & quinto Pacis Tractatus, inter Regem Hispaniensem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. initi, conventum sit, ut duorum diversorum Scriptorum argumentum, quorum alterum octavo die Januarii, alterum vicesimo & septimo die Decembr. Anno 1647. inter Regis Hispaniarum Extraordinarios Legatos & Plenipotentiarios, & D. D. Deputatos, Nomine locoque Celsiss. Arausionensium Principis, eam vim ac vigorem habiturum esse, ac si ejusdem puncta omnia eorumque singula Pacis Tractatui à verbo ad verbum inserta forent, licet nonnullæ suprà dicti Tractatus clausulæ hisce

hisce contrarientur, quæ clausulæ pro abrogatis habentur, quemadmodum etiam suprà dicto quadragesimo & quinto Articulo disertis verbis abrogatæ fuerunt, quæque Scriptorum illorum respectu pro infectis habitæ fuerunt, atque infectæ censebuntur.

Quandoquidem autem è suprà dictorum verborum ac clausularum universalitate dubia ac dissensiones quædam oriri possent, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii, speciali Præpotent. D. D. Ordinum Gener. mandato, ante suprà dictæ Pacis Tractatus Ratihabitionum commutationem Regis Hispaniarum Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis declarârunt, quemadmodum per præsentes declarant, neutiquam Sese consensisse ut suprà dictorum duorum Articulorum Pacis Tractatus conciliatio ullo alio fine institueretur, quam ut Articuli juxta tenorem suum omnimodæ executioni mandarentur, neutiquam verò ut postmodum inferretur quidquàm actum aut concessum fuisse, cujus beneficio Fœderati Belgii Præpotent. D. D. Ordinum Generalium, aut Nobilium ac Potentium D. D. Ordinum juri Summo, Religionis ordini, aut bonorum Ecclesiasticorum administrationi sive impensioni, vel in præsenti vel in futuro, quidquam derogari aut præjudicium afferri posset; at verò Propot. D. D. Ordines Gener. hujus respectu omnia illa integra sibi reservaturos esse; Eapropter Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii præsentem hanc Declarationem, subsignatione ac sigillorum suorum obsignatione munitam, Regis Hispaniarum Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis ante Ratihabitionum commutationem exhibuerunt ac tradiderunt. Dabantur Monasterii, decimo & quinto die Maji, 1648. Subsignatum atque obsignatum, *Bartoltius à Gent, Iohannes Mathenesius, Adrianus Pauvv, G. à Reede, F. Donia, Gul. Ripperda, Adrianus Clantius.*

Nos, quorum Nomina infrà inserentur, Regis Hispaniarum Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii asserimus, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinarios Legatos ac Plenipotentiarios eodem hoc Mensis die, ante Pacis Tractatus, inter Præpotent. D. D. Ordines Gener. & Regem Hispaniarum initi, Ratihabitionum commutationem, Scripta, præcedentibus inserta, ab Iisdem subsignatione ac sigillorum suorum obsignatione munita Nobis exhibuisse, perlectaque tradidisse, eademque à Nobis accepta fuisse. Dabantur Monasterii, decimo & quinto die Maji, 1648. Subsignatum atque obsignatum, *Comes Peneranda, A. Brun.*

A parte Regis Hispaniarum præsenti hoc Pacis Tractatu, inter Majestatem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. inito, comprehendentur, Imperator Romanus, Bohemiæ & Ungariæ Rex, Archi-Dux Leopoldus Gulielmus, summè dicti Imperatoris Frater, etiam Nomine ac qualitate Summi Administratoris Ordinis Teutonici, Archi-Duces, Ejusdem Nepotes, una cum Eorundem Principatibus ac Ditionibus, Principes Electores & Principes, S. Romani Imperii Civitates ac Status, Comes Oldenburgensis, una cum Regionibus, Comitatibus & Baronatibus Ipsi propriis, Comes Swartsenburgensis, una cum Regione ac Ditione Hussiensi, & Civitates Hanzeaticæ; ea lege tamen, ut summè memorato Regi integrum futurum sit, alios ejusmodi à Parte Sua proponere, quos intra terminos

minos ac limites, septuagesimo & secundo Articulo expressos, contineri existimabit, integrum futurum sit. Dabantur Monasterii, decimo & quinto die Maji, 1648. Subsignatum atque obsignatum, *Comes Peneranda, A. Brun.*

Regis Hispaniarum Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii ad Pacis Tractationem, quorum Nomina sub finem exprimuntur, inter Majestatem Suam & Præpot. D.D. Ordines Gen. institutam, Deputati Nomine locoque Regis Hispaniar. promittunt ac pollicentur, effecturos Se, ut Articulus, Commercia ac Navigationes inter Suos & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Subditos Incolasque instituendas spectans, initus, conclusus atque ab utraque Parte confirmatus quarto die Februarii, 1648. à Majestate Suâ intra duorum Mensium spatium ratihabeatur; ejusdemque Articuli Ratihabitio, solennibus formulis conscripta, Hagæ-Comitis exhibeatur, insuper etiam sufficiens Auctoritas juramenti, Nomine locoque Majestatis Suæ, in suprà dictum Articulum, ut quoad tenorem fideliter atque inviolabiliter observetur, præstandi, ejusdemque Auctoritatis vi, sive per D. D. Extraordinarios Legatos ac Plenipotentiarios, sive per unum aliquem Eorum sive per ejusmodi aliquem Ministrum, cui id Negotium Majestas Sua dare dignabitur, jurandi concedatur.

In cujus rei majorem certitudinem, suprà dicti Regis Hispaniensis Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii præsentia hæc Acta Obligantia sigillorum suorum obsignatione muniêrunt. Dabantur Monasterii, decimo & quinto die Maji, 1648. Subsignatum, *Comes Peneranda, A. Brun.*

Horum omnium, quæ Monasterii acta fuerunt, Præpotent. D. D. Ordines Gener. certiores redditi cum essent, Hollandiæ Deputati, ut super Pacis Tractatus, trigesimo die Januarii Monasterii initi, executionis modo atque ordine consilium iniretur, petierunt. At verò quum Dominus Knuytius, Nomine locoque Nobil. ac Potentium Zelandiæ D. D. Ordin. præsidens, eadem proponere ac concludere gravaretur, reliquarum sex Provinciarum Deputatis, collectis suffragiis, visum fuit, ut Hollandiæ Deputati, utpotè qui novissimâ vice præsederant, eadem proponerent ac concluderent; quemadmodum id à Domino de Wimmenum, vi illius decreti, nimirum die Martis, decimo & quinto Maji, præstitum fuit, quo die Celsiss. Arausionensium Princeps, ac Præpot. D. D. Ordinum Gen. Consiliarii in Concilium venerunt; in quo visum decretumque fuit, ut suprà dicti Pacis Tractatus promulgationis formula, vicesimo & quinto die Aprilis, proximè elapsi, in Concilio confirmata, in Acta quædam promulgationis commutaretur, ac debito modo componeretur: at verò Acta illa extenderentur, ac commodo alicui loco insererentur, *suprà dicti sc. Pacis Tractatus Ratihabitionem, solennibus formulis conscriptam decimo & quinto die hujus Mensis Monasterii in suprà dictâ aulâ utrimque commutatam ac juramento confirmatam fuisse, omnium quinetiam hostilitatis actuum ex eodem illo die finem factum fuisse; suprà dictam autem Tractatus promulgationem intra Fæderati Belgii Provincias, quinto die Iunii, proximè venturi, institutam iri*; insuper etiam ut eodem die campanis sonus concitaretur, ignes incenderentur & alio quovis modo animi lætitia, juxta consuetum agendi ordinem, demonstraretur; adhæc ut horum omnium monerentur ac per literas certiores fierent omnium Provinciarum D. D. Ordines, Senatus Maritimus, Maris Pro-Præfectus Dominus Trompius,

pius,omnesq; Præfecti ac Duces maritimi; Quinetiam Regiones ac Civitates Fœderatæ,omnium Oppidorum limitancorum Gubernatores & Pro-Gubernatores, additâ petitione ac Mandato, ut pro uniuscujusq; statu ac conditione suprà dicto Pacis Tractatus promulgationis die campanas movendo,ignesq; triumphales incendendo omnis generis animi gaudium demonstraretur. Insuper etiam constitutum fuit, ut D. D. Deputati omnium Exterorum Regum, Principum ac Rerumpubl. *Legatis*, ac reliquis *minoris qualitatis Ministris*, hic commorantibus, Pacem Monasterii initam, conclusam confirmatamque esse indicarent, idque secundum consuetum indicandi ordinem, utque eorum omnium, quæ suprà dicta sunt, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. *Ministros*, qui *extra Patriam* commorantur, per literas certiores redderent, mandato addito, ut tempore, loco ac modo debito indicarent, ignes triumphales incenderent,& alio quovis modo animi lætitiam demonstrarent. Adhæc Præpotent. D. D. Ordines Gener. decreverunt, ut suprà memorata promulgationis Acta Belgicè, ipsus quinetiam Pacis Tractatus, literæ Auctoritatis utrimque traditæ, Tractatus quoque Ratihabitionis ac promulgationis Acta Belgicis & Gallicis typis excuderentur,utque ejusdem Pacis Tractatus impressa exemplaria suo tempore Provinciarum Ordinibus, Regionibus ac Civitatibus Sociis & Fœderatis, insuper etiam Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Ministris, extra patriam commorantibus, per literas mitterentur. Adhæc, ut Fœderatarum Belgii Provinciarum Societates Indiæ Orientalis & Occidentalis, Indiæ Orientalis Supremus Gubernator, Præsidens & Senatores summi, quinetiam militiæ in agro Brasiliensi Pro-Præfectus Supremus, Admirallus de Witte, Præfectus in oris Guineënsibus, Directores in Loanda S. Pauli & S. Thomæ, quinetiam Directores in Novâ Bataviâ ejusdem Pacis ac promulgationis per literas certiores redderentur. Denique Præpotent. D. D. Ordines Gener. constituerunt, ut juxta Præpotent. D. D. Ordinum Gener. decretum, vicesimo & quarto die Aprilis, proximè elapsi, constitutum, impræsentiarum dies supplicationis, in *decimum diem Iunii* celebrandus, per literas indicaretur ac præciperetur, quo Deus Opt. Max. eo die serio, ac sincero cordis affectu invocaretur & pro tot tantisque in Rempubl. hancce, Regiones Ejusdem & Civitates Socias ac Fœderatas, omnes simul indignas ex merâ gratiâ collatis beneficiis,nimirum, quod Tractatio Monasterii instituta, favente Ejusdem divinâ benedictione, ad Pacis usque conclusionem, Ratihabitionem ac promulgationem promota esset, Eidem immortales gratiæ agerentur: porrò etiam, ut humiles ac seriæ preces ad Omnipotentem Deum funderentur, quò conflatæ Paci pro paternâ suâ benignitate benedicere, atque, ut integrum hocce Negotium Fœderatis Belgii Provinciis atque Ecclesiis omnibus Orthodoxis, quæ Christo in iis colliguntur, insuper etiam omnibus Earundem Regionibus ac Civitatibus Sociis ac Fœderatis, omnibusque aliis commodo cederet, permittere, utque similiter eâdem suâ gratiâ *communem* universo Orbi Christiano Pacem, postquam Nostra inita esset, benignissimè largiri dignaretur. Zelandiæ verò D. D. Deputati, præsente Celsiss. Arausionensium Principe, & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Consiliariis, ad hæc Actis Publicis diurnis inseri jusserunt, Sese Provincialibus Declarationibus ac Protestationibus, Pacis Tractatus Negotium omniaque eo pertinentia spectantibus, ante-

Rrrr

antehac Nomine locoque Nobilium ac Potentium Zelandiæ D. D. Ordinum sæpius institutis, traditis Actisque Publicis diurnis insertis inhærere easdemque repetere.

Celsiss. quinetiam Arausionensium Princeps summopere Ipsis commendavit, ut media excogitarent, quibus *necessaria concordia* inter Provinciarum D.D.Ordines observari ac coli, & vetus Amicitia, Societas ac mutuus consensus, qui Præpot. D. D. Ordinibus Gener. cum Rege Christianiss. perpetuò intercessit, conservari posset; hæc locutus Celsissimus Arausionensium Princeps, simul etiam Præpot. D. D. Ordinum Gener. Consiliarii, quum Ipsis pro suscepto labore ingentes gratiæ actæ fuissent, è Concilio discesserunt.

Decretum etiam hocce D. D. Plenipotentiariis, Monasterii commorantibus, quò Sese juxta illud gererent, per literas indicatum fuit. Galliæ, & Portugalliæ Regum *Legati*, Regum quinetiam *Residentes* per Dominos D. à Gent, & D. ab Haren ejusdem certiores facti fuerunt: Equiti verò Wickefortio & *Mihi*, tanquam Hassiacarum & Hanzeaticarum Civitatum *Residentibus*, Comitis Oost-Frisiæ D. D. Ministris, qui hic commorantur; quinetiam Dominis D. Wekio, Cuylenburgio & Kinschotio, Principis Electoris Coloniensis, Principis Neoburgensis & Comitis Oldenburgensis Agentibus, per Dominum Verburgh indicatum fuit.

Rex autem Christianiss. quò separatam Præpotent. D. D Ordinum Gener. Tractationem Se ægrè ferre ostenderet, Dominum Tuillerium, Legatum suum, per literas octavo die Maji exaratas, accersivit; qui proindè, ut, antequam Pacis Tractatus promulgatio quinto Junii instituerentur, hinc discederet, properavit. Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Concilio vicesimo & tertio die Maji valedixit, simul etiam indicavit, Majestatem Suam ea, quæ præcipere vellet, Domino Residenti Brassetio dehinc mandaturam esse; Præpotent. quoque D.D.Ordines Gener. ut suprà memorato Domino Legato vicissim literæ Auctoritatis & Salvus-Conductus, Carrucis, equis, impedimentis & sarcinis Ejus quibuscumque concederetur, continuò jusserunt; quinetiam navem vectoriam (vulgò *Caravellam*) quâ omnia illa in Galliam transveherentur, publicis sumptibus conduxerunt, muneris autem loco Ipsi catenam auream, *sex millium Florenorum*, Secretario verò ejusdem *sexcentorum Florenorum Summam* exæquantem tradiderunt; quumque Ipsum Carrucarum aliquot numero ad pontem (vulgò *de Hoorn-Brug*,) comitari vellent, modestè recusavit. Deinceps quoque à latere quasi, sed apertè satis, indicavit, Regem, nullo fœdere Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. junctum, Legatum apud Eosdem detinere, neque necesse neque in animo habere, Residentem verò sufficere.

In præcedentibus dictum fuit, Nobiles ac Potentes Zelandiæ D. D. Ordines Dominum Knuytium, ad Pacis Tractatum secundùm præsentem suum tenorem confirmandum, Monasterium delegare noluisse, idque propter rationes, de quibus antea latius actum fuit; eo non obstante tamen trigesimo die Martii declarare statuerunt, quanquam Pacis Tractatus promulgatione hactenus supersedere, omnia sibi relinquere, eorumque eventum Divinæ providentiæ committere potuissent, nihilominus tamen Nobiles ac Potentes D. D. Ordines periculoso admodum,

modum, nec minus dubio hoc Rerum Statu, in quo Refpub. ſita erat, quinetiam, quanti intereſſet, ne, Pacem foris contrahendo, intus concordia ac Provinciarum Unio, contra ſinceram Suam voluntatem atque intentionem, perturbaretur, aut quocumque modo immutaretur, viſo perpenſoque, Se hiſce omnibus adductos, quinimò, *ut Pacis promulgatio etiam in Zelandiâ instituaretur*, quodammodo coactos eſſe, quæ die ad id conſtituto juxta formulam, à Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. eum in finem confirmatam, promulgaretur; utque Provinciarum Ordinibus ſuprà dictæ formulæ per literas, Nobilium ac Potent. Zelandiæ Ordinum decreto inſervientes, mitterentur.

Porrò etiam Deum hominesque obteſtati fuerunt, Seſe omnium illorum incommodorum ac calamitatum, quæ ex difficultatibus ſæpius à Se propoſitis huic Reipub. obvenire poſſent, reos neutiquam exiſtere. Inſuper declarârunt, Seſe promulgationem concedentes in erroneis ac nullius momenti concluſionibus, quas reliquarum ſex Provinciarum D. D. Ordines variis temporibus inſtituerant, neutiquam acquieſcere, Se verò eaſdem, *ut quæ etiamnum in materiâ ac formâ laborarent*, improbare, atque adverſus eas diſertis verbis proteſtari; firmiter ſibi perſuadentes, fore, reliquarum Provinciarum D. D. Ordines tandem rationes perpendentes, Nobilibus ac Potentibus Zelandiæ D. D. Ordinibus, eum ad modum ſatisfacturos eſſe, quemadmodum pro re natâ juxta Unionem ac Regiminis ordinem inter Socios exigeretur.

Quandoquidem autem Nobiles ac Potentes Zelandiæ D. D. Ordines in eâ ſemper fuerant ſententiâ, nullum Pacis Tractatum ſeparatim à Gallis cum Hiſpanis initum iri, ſaltem non antequam Nobil. ac Potentes D. D. Ordines plenè edocti eſſent, Gallos in Tractatione Sua, cum Hiſpanis inſtituta, conficienda rejicere: quod ſi autem ſeparatim cum Hiſpanis agi neceſſe foret, Gallis, quantum fieri poſſet, ſatisfactum iri; quum vero eorum quidquam præſtitum foret, ut reliquarum Provinciarum D. D. Ordines ſerio rogarentur, quò ſatisfactionis Galliar. Regi præſtandæ ratio haberetur & ſine ullâ morâ de eâdem ageretur, decreverunt, ac declararunt, Se Tractatibus cum Rege Galliar. initis inhærere, atque una cum reliquis Vnionis Membris *Fœdus Securitatis*, uſquedum ſummæ Partes de reliquis Punctis, quæ inter illas necdum decisa erant, conveniſſent, executioni mandare velle.

Nobiles ac Potentes D. D. Ordines Pacis Tractatum cum confirmaſſent ac promulgaſſent, at verò ignes triumphales non incendiſſent, (quos neque Magiſtratus Leydenſis incendit) opus illud omni ex parte confectum fuit.

Quos autem Amicos & Socios Hiſpaniar. Rex Tractatui includi juſſit, ex præcedentibus Actis; Quoſnam vero Præpotent. D. D. Ordines Gener. à Sua Parte eodem comprehenderunt, è viceſimo & ſeptimo Pacis Tractatus Articulo liquet: cui etiam poſtmodum, Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. id petentibus, incluſi fuerunt, Princeps Elector Brandenburgicus, Comites Benthemenſis & Teklenburgenſis, quinetiam Princeps Johannes Anhaltinus Serbeſtinus. Similiter quoque Comes Oldenburgenſis delegatione quâdam apud Præpotent. D. D. Ordines Gener. ad id operam dedit, ut Pacis Tractatu comprehenderetur; quemadmodum etiam à multis retrò Annis Neutralitatis Acta à Præpotent. D. D.

Ordinibus General. sollicitè petiit; quum è longinquo prævideret, palam fore Se inde ab Anno 1612. à S. Cæsareâ Majestate vectigal, mercibus per Vesarim pervehendis imperandum, precibus petiisse atque impetrasse; utque petitio S. Cæsareæ Majestati grata foret, libello Suo supplici disertis verbis inseruisse; *Sese vectigal hoc mercedis loco petere, quod Avus Suus quibusdam è Fœderatis Belgii Provinciis olim bellum intulerat, Se quoque eadem Avi Sui vestigia premere velle:* Adhæc, *vectigal hocce Fœderati Belgii Provinciarum Incolas Subditosque, ut qui omnium maximè merces suas per Vesarim pervehunt, omnium maximè male habiturum esse:* notissimum quinetiam esse quantoperè *in Fœderato Belgio S. Romani imperii Subditis (quod tamen falsissimum) nova vectigalia aut alia quæcumque onera imperari* (hisce verbis utebatur) *soleant.*

Quamdiu autem Præpotentes D. D. Ordines Gener. de eâ re certi non erant, cum omnibus Societatem sinceram ac Neutralitatem colere atque exercere non dubitârunt; insuper quoque Eum Tractatibus, quos Præpotent. D. D. Ordines Gener. cum Rege Daniæ Anno 1645. iniverant, comprehenderunt. At verò cum deinceps eorum, quæ supradicta sunt, Authentica atque à S. Cæsareæ Majestatis Regestorum præfecto subsignata supradicti libelli supplicis ac rationum, quas ad vectigal impetrandum atque imperandum allegaverat, exemplaria Præpot. D. D. Ordinibus Gen. demonstrarentur, ut Pacis Tractatui similiter includeretur Præpotent. D. D. Ordines Gener. ipsi denegârunt; insuper etiam ut vectigalis ejusdem imperandi petitio reipsa impediretur, &, quantum fieri posset, obviam iretur, decreverunt. Hæc decimo & quarto die Julii constituta cum essent, per D. Agentem Verburg, Comitis Oldenburgensis Ministro, D. Licentiato Hilersiegio, decimo & sexto die ejusdem Mensis, loco Ejusdem in Pacis Tractatu inclusionis petitæ, indicata fuerunt: Nobiles ac Potentes Hollandiæ D. D. Ordines juxta Decreta, decimo & quarto, & decimo & quinto die Julii constituta, in ea erant sententia, Comitem Oldenburgensem per literas certiorem reddi oportere, per *impediretur & obviam iretur* (quæ verba in Decretis usurpantur) *actualem oppositionem* intelligi. Quò supradictus Comes, quid Præpotent. D. D. Ordines Gener. hac de re sentirent, & quo animo vectigalis Ejusdem imperandi petitionem odio, duntaxat quo in Fœderati Belgii Provincias fertur, simul etiam quo Commercia, præcipuè à Fœderati Belgii Provinciarum Incolis Subditisque instituta, exscindere studebat, institutam acciperent, pernoscere posset.

Quum maximè absurdum foret, Negotium, de quo sub judice lis est, *à throno justitiæ* (prout Civitatum Collegium Osnabrugis in protestatione Suâ adversus vectigalis illius petitionis intentionem inferebat) ad Pacis Instrumentum deferri, atque eidem fraudulenter inseri: atque Comitem, cui diuturnum hoc bellum nihil quidquam mali apportaverat, ad miseram duntaxat atque afflictam Germaniam exhauriendam tanto ac tam pretioso beneficio affici: Comitem hunc, omnibus belli tempore imperatis vectigalibus, aliisque oneribus cessantibus, novo atq; ante id tempus inaudito vectigali imperando donari: Tot ac tam insignes S. Romani Imperii Ordines, quò tam exoptatam Pacem consequantur, haud exiguas Regionum Suarum partes tradere, hunc verò Comitem, qui Neutralitate semper fruitus fuit, universas Navigationes ac Commercia, prout à Præpotentium D. D. Ordinum Gen. Germaniæ aliorumque Regum finitimorum subditis atque Inco-

Incolis per Vesarim instituuntur atque exercentur, in potestatem Suam redigere.

Ac denique ipse Pacis Tractatus inseritur, prout trigesimo die Januarii subsignatus, decimo & octavo die April. in Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium confirmatus, decimo quinto Maji commutatus, decimo & nono ejusdem Mensis promulgatus, & decimo die Julii supplicationibus atque gratiarum actionibus celebratus, ac Deo Opt. Max. dicatus fuit, qui ut gratum semper & commendatum habere dignetur, omnes uno ore precamur. *Amen.*

Exemplar Pacis Tractatus inter Sereniss. ac Potentiss. Principem, Philippum IV. *Hispaniar. Regem, &c. ab una, & Fœderati Belgii Præpotentes D. D. Ordines Generales, ab altera Parte, trigesimo die Ianuarii 1648. initi.*

IN Nomine Omnipotentis Dei, atque ad Ejusdem gloriam: Notum sit omni- „
bus, quod post tam diuturna tamque cruenta bella, quibus tot Annos populi, „
subditi, Regiones ac Status, Regis Hispaniar. & Præpotentium D. D. Ordinum „
Gen. imperio obtemperantes, oppressi atque infestati fuerunt, summedictus Rex „
& Præpotent. D. D. Ordines Gen. intima misericordia impulsi, omniumque ca- „
lamitatum finem facere, simul etiam deplorandis malis, periculis atque incom- „
modis, quæ ejusdem belli continuatio apportare, atque ad alios Status, Regiones „
ac Maria extendere posset, terminos figere, ejusdemque effecta noxia in bonam, „
firmam ac sinceram Pacem, Ejusdemque effecta quietis firmissima in subdito- „
rum, Incolarum, qui Eorum imperio obtemperant, solatium, & damnorum, quæ „
ante hac perpessi fuerunt, reparationem, in communem non solum Belgii Pro- „
vinciarum, verum etiam totius Christiani Orbis incolumitatem, commutare de- „
siderantes; quinetiam omnes alios Principes, ut Sese similiter, quò ejusmodi mala, „
quæ diuturnum hoc bellum omnibus inflixit, averterentur, adduci permitterent, „
unice rogantes, ad finem hunc tam exoptatum consequendum summedictus Do- „
minus Philippus IV. Rex Hispaniar. & Præpotent. D. D. Ordines Gener. deputa- „
runt ac delegarunt, nimirum Rex Hispaniarum Dominum Gasparum de Braca- „
montio & Gusmania, Comitem Penerandæ, Dominum Aldesæ Secæ Fronteræ, „
Equitem Ordinis Alcantarensis, perpetuum Administratorem imperii Daymie- „
liensis Ordinis Calatravæ, Nobilem Majestatis Suæ Cameræ custodem, Extraor- „
dinarium Ejusdem in Germania Legatum, D. D. Plenipotentiariorum ad Pa- „
cem communem ordine primum, &c. Dominum Anthonium Brun, Equitem, „
Majestatis Suæ in omnibus consiliis atque in rebus, Belgii Provincias spectanti- „
bus, Consiliarium, Ejusdem ad Pacis Tractationem, Monasterii institutam, „
Plenipotentiarios: Præpotent. autem D. D. Ordines Gener. Dominos D. Bartol- „
tium à Gent, Loenii & Meynersvici Dominum, &c. Bommeliæ, Bommeliensis „
ac Tiletensis insulæ aggerum Præfectum, in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum „
Gener. Nomine locoque Nobilium atque equestris Ordinis Gelriæ Deputatum, „
D. Johannem Mathenesium, Dominum in Mathenesse, Riviere, Opmeer, Sou- „

,, teveen, &c. in concilio Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque ,, Nobilium atque Equestris Ordinis Hollandiæ Deputatum, Schielandiæ Consi- ,, liarium, D. Adrianum Pauw, Equitem, Dominum in Hogersmilde, &c. Consi- ,, liarium, Præsidentem & Cameræ Computationis Hollandiæ & West-Frisiæ Præ- ,, fectum, atque in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque ,, ejusdem Provinciæ Deputatum, D. Johannem Knuytium, Equitem, utriusque ,, Vosmariæ Dominum, primum atque Nobilium ac Equestrem ordinem Zelandiæ ,, repræsentantem, Celsiss. Arausionensium Principis Consiliariorum primum, in ,, Concilio Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Ordinarium Deputatum, ,, D. Godartium à Reede, Dominum in Nederhorst, Vredelant, Cortehoef, Over- ,, meer, Hostwaart, &c. Nobilium atque Equestris Ordinis Ultrajecti Præsiden- ,, tem, Eorumque Nomine ac loco ad Concilium Præpotent. D. D. Ordinum De- ,, putatum, D. Franciscum Doniam, Toparcham in Hinnema & Heitsum, &c. in ,, Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Frisiæ Deputatum, D. Gulielmum ,, Ripperdam, Dominum in Hengelo, Boxbergen, Boculo, Russenborg, &c. in ,, Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque Nobilium atque ,, Equestris ordinis Trans-Ysulaniæ Deputatum, D. Adrianum Clantium, Domi- ,, num in Stedum, Nittersum, &c. in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. ,, Nomine locoque Civitatis Groningensium Omlandiæque Ordinarium Deputa- ,, tum, omnes Extraordinarios in Germaniam Legatos, & Præpotent. D. D. Ordi- ,, num Gen. ad communis Pacis Tractationem Plenipotentiarios, sufficiente omnes ,, Auctoritate, cujus exemplar sequentibus insceretur, instructos. Qui, postquam ,, Monasterii, ad communis Pacis Tractationem communi consensu delecti, con- ,, venissent, vi literarum Suarum auctoritatis, Nomine locoque Hispaniar. Regis, ,, & Fœderati Belgii Præpotent. D. D. Ordinum Gener. in sequentes Articulos ,, convenerunt.

,, 1. Imprimis Rex Hispaniarum declarat atque agnoscit Unitarum Belgii Pro- ,, vinciarum Præpotentes Dominos D. Ordines Generales, Eorumque Provincias, ,, Regiones, Ditiones atque Oppida libera, nullique nisi summemoratis Præpoten- ,, tibus D. D. Ordinibus Gener. subjecta esse; in quos Præpotentes Dominos D. ,, Ordines Gener. Eorumve Provincias, Regiones, Ditiones Oppidaque, summe- ,, memoratus Rex neque præsenti, neque futuro tempore, sive pro Se Ipso, sive pro ,, Successoribus Suis Regibus quidquam prætendet; proindeque contentus cum ,, summedictis Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalib. ea conditione & quali- ,, tate agere, inire ac confirmare, quem ad modum per præsentes cum iisdem se- ,, cundum sequentes Articulos Pacem firmam & perpetuam agit, init ac con- ,, firmat.

,, 2. Quod nimirum Pax illa bona, firma ac perpetua sit futura; quapropter ,, etiam hostilitatis actu, quocunque tandem Nomine veniat, inter Regem Hispa- ,, niarum, & Præpotentes Dominos D. Ordines Gener. terra marique, in omnibus ,, Partis utriusque Regnis, Provinciis, Regionibus, Insulis, Ditionibus, absque ,, ullo locorum discrimine, atque inter Partis utriusque Subditos Incolasque cu- ,, juscunque tandem Status ac conditionis fuerint, prorsus abstinendum erit.

,, 3. Pars utraque reipsa Ditiones, Oppida, Regiones, loca munita ac Dominia omnia

omnia, & singula Sibi propria habebit ac possidebit, quæcunque hoc tempore „ tenet ac possidet; Sic tamen ut in Eorundem possessione, sive directè, sive indirectè, neutiquam turbetur, nullave molestia afficiatur, quocunque tandem Nomine seu prætextu illud fiat: Sub quibus similiter, vici, pagi, municipia, ager patens, omnesque viciniæ quæ ad supradicta loca pertinent, comprehenduntur: proindeque universus Sylvæ-Ducensis Majoratus, cum omnibus Suis Dominiis, Oppidis, Castellis, vicis, pagis, municipiis, viciniis, agroque patente, ab Eadem Urbe & Majoratu dependentibus; nec non universus Marchionatus Bergozomanus, Baronatus Bredanus; Oppidum Trajectum ad Mosam, Ejusque Territorium universum; Comitatus Vroenhoviensis; Urbs Graviensis, Ditioque Cuyckiensis; Hulstum Ejusdemque Præfectura; Ambachta Axeliensis, ab Australi & Septentrionali Geulæ parte sita: omnia denique Fortalitia & loca munita, quæ summedicti Præpotentes Domini, D. Ordines Gener. hoc tempore in Ditione Waasiensi, quæque Oppida ac Fortalitia in Brabantiâ, Flandriâ, aliisque in locis tenent, Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. propria sunt futura, in omnibus Suis Privilegiis, jure atque Imperio supremo, tam Politico quam Ecclesiastico; quem ad modum Fœderatas Suas Provincias tenent ac possident.

4. Præpotentium D. D. Ordinum Gener. uti etiam Regis Hispaniarum Incolæ Subditique optimam familiaritatem, Amicitiam ac Societatem mutuam colent, eamque sine ulla offensionum damnorumque antehac illatorum vel acceptorum recordatione seu commemoratione sincero inter se animo conservabunt. Liberum quinetiam Partis utriusque Incolis Subditisque erit, in Regnis, Provinciis, Insulis, locisque omnibus Partis utriusque tutò commorari, ibidemque Negotia & Commercia Sua omni cum Securitate terra marique exercere.

5. Navigationes & Commercia in utraque India, tum Orientali tum Occidentali, juxta privilegia eum in finem concessa, vel in posterum concedenda, integra cuique Parti reservabuntur; quorum Securitati præsens Tractatus Ejusdemque Ratihabitio ab utraque parte exhibenda & tradenda inserviet. Atque in præsentem Pacis Tractatum omnes Reges, Principes, Respublicæ ac Nationes, quibuscum Præpotentib. D. D. Ordinibus Gen. vel Indiæ utriusque, tum Orientalis tum Occidentalis, Societati intra Privilegii Sui limites ac terminos Amicitia seu Fœdus quodcunque intercedit, adsciscentur. Porrò etiam summedictus Rex Hispaniarum, atque Unitarum Belgii Provinciarum Præpotent. Domini D. Ordines Gener. ejusmodi Dominia, Oppida, Castella, Fortalitia, eum ad modum propria retinebunt, atque ad Utramque Indiam tum Orient. tum Occident. in agrum Brasiliensem, atq; oras Asiæ, Africæ & Americæ maritimas Navigationes & Commercia cum omni securitate instituent, quemadmodum supradicta loca ab utraque Parte jam nunc retinentur ac possidentur, & Navigationes instituuntur Commerciaque exercentur. Ejusmodi autem locis, cujusmodi Portugalli ab Anno 1641. Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. sive vi, sive dolo eripuerunt, seu quæ summememorati Præpotentium D. D. Ordinum Generalium dehinc, Pacis Tractatu salvo, occupabunt atque expugnabunt, hoc Tractatu comprehensis. Similiter quoque Indiæ utriusque tum Orientalis tum Occidentalis Societatis administratoribus ac Præfectis, superioribus atque inferioribus, militibus,

„ tibus, navarchis, Sociisque navalibus, quorum opera utraque Societas hactenus „ usa fuit, sive in posterum alicubi utetur, ad omnia & singula Regis Hispaniarum „ Regna, Insulas, Ditiones ac Provincias, Navigationes non minore cum Securitate instituere, ibidemque commorari & Commercia Sua exercere, haud minus „ quam reliquis Præpot. D. D. Ordinum Gen. Incolis Subditisque licebit. In„ super etiam conventum ac stipulatum est, ut Regis Hispaniarum Incolæ Sub„ ditique Navigationes Suas ad Indiam Orientalem, absque ulla tamen exten„ sione, eum ad modum continuent, quem ad modum hactenus easdem conti„ nuârunt, ibidemque Commercia Sua exercuerunt; ac vice versa, Præpotentium „ D.D.Ordinum Gen. Incolæ Subditique omni Navigatione, ad loca Regi Hispaniarum in India Orient. subjecta, prorsus abstineant.

„ 6. Quantum autem ad Indias Occidentales attinet, Regnorum, Provinciarum „ ac Regionum, quæ Regis Hispaniensis & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. „ imperio obtemperant, Incolæ Subditique omnibus Commerciis ac Navigatio„ nibus in portus & loca quæcumque, in quibus alterutra Pars Fortalitia, Tuguria „ (vulgò *Logien*) Castella aut alia quævis possidet, instituendis abstinebunt: nimi„ rum, Regis Hispaniar. subditi atque Incolæ nullas Navigationes instituent, aut „ Commercia exercebunt in portubus locisvè, quæ Præpotent. D. D. Ordines Gen. tenent, neque vicissim Præpotent. D. D. Ordinum Gener. subditi atque Incolæ „ in ea loca Navigationes instituent aut Commercia exercebunt, quæ Rex Hispa„ niar. possidet: sub locis autem illis, quæ Præpot. D.D. Ordines Gener. tenent, „ omnia illa comprehendentur, quæ Portugalli inde ab Anno millesimo, sexcente„ simo quadragesimo & primo, à Præpot. D. D. Ordinibus Gen. ceperunt, quin„ etiam omnia alia loca, quamdiu Portugallorum imperio obtemperabunt, eâ lege, „ ne præcedens Articulus præsenti quidquam derogaturus sit.

„ 7. At vero quum non exiguum temporis spatium requiratur, antequam ii, „ qui extra supradictos limites Copiis militaribus navibusque instructi sunt, initæ „ Pacis certiores reddi possint, quò ab omnibus hostilitatis actibus abstineant, con„ ventum utrimque fuit, ut Pax intra præmemorati Privilegii, Societati Indiæ „ Orientalis Unitarum Belgii Provinciarum concessi, sive posthac concedendi, li„ mites haud prius, quam Anno post Pacem conflatam, initium captura sit; Ac „ quantum ad limites Privilegii, Societati Indiæ Occidentalis à Præpotent. D. D. „ Ordinibus Gener. concessi, sive posthac concedendi, attinet, ut semestri, post„ quam Pacis Tractatus initus ac conclusus fuerit, initium habitura sit: Eâ lege tamen ac conditione, quod si supradicta Pax ab utraque Parte composita, pu„ blico Nomine intra præmemoratos Indiæ utriusque limites prius annuncietur, „ omnibus ex illo tempore hostilitatis actibus abstinere necesse habituri sint; quod„ si verò post Anni, ac semestris spatium intra supradictos privilegii, Societati In„ diæ Orientalis & Occidentalis concessi, limites quidam hostilitatis actus com„ missi fuerint, illatum damnum, omni morâ seposita, resarcietur ac repara„ bitur.

„ 8. Summedicti Regis Hispaniar. & Præpotent. D.D. Ordinum Gener. Sub„ diti atque Incolæ, in Partis alterutrius Regnis, Provinciis ac Regionibus Com„ mercia exercentes, non majora vectigalia sive onera, quam ipsi Incolæ, exsolvere „ tene-

teneb*u*ntur; adeò ut Unitarum Belgii Provinciarum Incolæ Subditique à vectigali quodam, (quod vulgò *viginti par cento* vocant) vel ejusmodi, majori, minori, aut alio quocumque onere, quod Hispaniarum Rex Induciarum, in duodecim Annos compositarum, tempore imperavit, sive posthac Unitarum Belgii Provinciarum Incolis Subditisque, directe sive indirectè, præ cæteris Regni Sui Incolis Subditisque imperare vellet, immunes plane existant, ac mansuri sint.

9. Summedictus Rex ac Præpotent. D.D. Ordines Gener. extra imperii Sui limites nulla mercibus bonisque exportandis sive apportandis vectigalia aut onera quæcumque imperata exigent.

10. Regis Hispaniar. ac Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Subditi atque Incolæ utrimque antiquâ vectigalium onerumque libertate gaudebunt, cujusmodi ante belli initium cum omni tranquillitate gavisi fuerunt.

11. Negotiatio, conversatio Commerciorumque exercitium inter utriusque Partis Subditos neutiquam impedietur; quod si autem impedimenta quædam in iis oborta fuerint, reipsa tollentur.

12. A primo quoque confirmatæ hujus Pacis die, Hispaniar. Rex curabit atque efficiet, ut vectigalia sive onera mercibus per *Rhenum* & *Mosam* devehendis, quæ ante belli initium sub Unitarum Belgii Provinciarum districtu fuere, imperata, imprimis autem illa remittantur; adeo ut neque in Civitate Antverpiensium neque etiam alibi Nomine locoque Regis Hispaniar. posthac imperanda sint; Eâ lege tamen ac conditione, ut Zelandiæ D. D. Ordines à primo Pacis confirmatæ die in se recepturi, Suoque ære exsoluturi sint annuas illas versuras, quæ ante Annum millesimum, quingentesimum & septuagesimum supradictis vectigalibus imperatæ fuerunt, & quas earundem Proprietarii ante belli initium possederunt ac receperunt; idem quoque reliquorum vectigalium, ante memoratorum, Proprietarii facient.

13. Sal albus ac digestus, qui è Fœderati Belgii Provinciis in Regna Ditionesque Regis Hispan. apportabitur, ibidem recipietur atque admittetur; neque majora ei onera, quam Sali nigro atque indigesto, imperabuntur. Similiter quoque Sal, qui è Regis Hispaniar. Regionibus in Fœderati Belgii Provincias apportatur, recipietur ac divendetur; neque majora ei onera, quam Fœderati Belgii Incolarum Sali, imperabuntur.

14. Scaldensis Fluvius, uti etiam Canales Sassæ, Swyndæ aliaque Ostia maritima hisce respondentia, à parte Præpotentium D. D. Ordinum Gener. occlusa tenebuntur.

15. Navibus mercibusque per portus Flandriæ apportandis, sive exportandis, omnia ejusmodi vectigalia atque onera ab Hispaniar. Rege imperabuntur, cujusmodi navibus mercibusque per Scaldensem Fluvium aliosque Canales, quorum præcedenti Articulo mentio facta fuit, apportandis sive exportandis imperantur. De imperandorum autem onerum æqualitate postmodum inter utramque Partem convenietur.

16. Civitates Hanzeaticæ, una cum omnibus earundem civibus, Incolis ac Regionibus, respectu Navigationis Commerciorumque in Hispaniâ, atque ejusdem Regni Statibus ac Regionibus, omnibus iisdem juribus, Privilegiis atque

„ immunitatibus gaudebunt, quæ præsenti Pacis Tractatu Unitarum Belgii Provinciarum Incolis Subditisque concessæ fuerunt, ac vicissim Unitarum Belgii Provinciarum Incolæ Subditique omnibus iisdem juribus, privilegiis atque immunitatibus fruentur, tam respectu Consulum in præcipuis seu Mari adsitis Hispaniæ Civitatibus, atque etiam alibi, ubi opus fuerit, creationis, quam Mercatorum, nautarum, Sociorumque navalium respectu; & quemadmodum supramemoratæ Civitates Hanzeaticæ omnes earumque singulæ antehac impetrârunt atque effectum dederunt, aut postmodum in Navigationis, Commerciorum, Mercatorum ac Commissariorum, omniumque eo pertinentium Securitatem, commodum ac conservationem impetrabunt atque executioni mandabunt.

„ 17. Unitarum Belgii Provinciarum Incolæ Subditique eadem libertate ac Securitate in summedicti Regis Hispaniarum Regnis & Regionibus gaudebunt, quæ Regis Magnæ Britanniæ Subditis atque Incolis novissimo Tractatu, & secretis quibusdam cum Comite-Stabili Castiliæ initis Articulis, data concessaque fuit.

„ 18. Summedicta Majestas Sua commoda honestaque loca sepulturæ eorum, qui à Parte Præpotent. D. D. Ordinum Gener. in Regnis atque imperiis summedicti Regis, vitam cum morte commutârunt, assignari ac præparari quam primum curabit.

„ 19. Regis Hispaniarum Subditi atque Incolæ, ubi in Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Provincias Ditionesque pervenerint, respectu Publici Religionis exercitii modeste Sese gerent, neque ullum scandalum sive verbis, sive factis, præbebunt atque à convitiis abstinebunt: idem quoque Præpotentium D. D. Ordinum Gener. subditi, Majestatis Suæ Catholicæ Regiones intrantes, observabunt.

„ 20. Mercatores, Nautæ, Naucleri, vadorum Exploratores Sociique Navales, Eorumve bona mercesque ipsis propriæ, nullo modo, sive vi generalis aut specialis alicujus mandati, sive bellica aut alia quacumque de causâ, ne quidem eo prætextu quod Regis Ejusdemque Regni conservationi ac propugnationi inservire queant, detinebuntur; Cui tamen eximuntur apprehensiones ac detentiones à justitiæ Administratoribus viis mediisq; ordinariis institutæ propter privata debita, Chirographa solidosque Contractus eorum, adversus quos apprehensiones ac detentiones ejusmodi institutæ fuerint: in quibus omnibus quod justum & æquum est, juxta consuetum ordinem agetur ac decernetur.

„ 21. Utrimque judices nonnulli æquali numero ad modum Cameræ Bi-partitæ delegabuntur, qui in Belgii Provinciis commorabuntur, idque per vices, in locis nunc sub Regis Hispaniar. nunc sub Præpotent. D. D. Ordinum Gener. imperio dominioque sitis, prout mutuo consensu de eâ re convenietur: qui quidem ab utraque Parte constituti judices secundum Mandatum atque Instructionem ipsis tradendam, in quam etiam, idque juxta formulam utrimque decernendam ac confirmandam, jurare tenebuntur, in Belgii Incolarum Subditorumque acta, quinetiam vectigalium aliorumque onerum, ab alterutra Parte mercibus imperandorum, exactionem inquirent, eorumque omnium rationem habebunt. Quod si autem supradicti judices ab alterutra vel utraque Parte in vectigalibus oneribusve imperandis modum excedi compererint, excessum illum benignioris animi

animi moderamine conficient: Porrò etiam supradicti judices de non-executione Tractatus lites ac contentiones Ejusdemque violationes, si quæ subinde tam in Belgii Provinciis, quam in aliis longe dissitis Regnis, Regionibus, Provinciis & Europæ Insulis obortæ fuerint, examini Suo subjicient, atque easdem, prout juxta Tractatum fieri oportebit, breviter ac dilucidè decident. Præmemoratorum autem judicum sententię per ordinarios justitiæDirectores ac Ministros loci illius, in quo violatio commissa fuerit, quandoque etiam adversus violatores ac transgressores ipsos, prout rei necessitas id exigere videbitur, executioni mandabuntur; neque supradictis ordinariis justitiæ Ministris deesse ullo modo licebit, quò minus sententias latas vel ipsi executioni mandent, vel, ut ab aliis mandentur, & quod ex violatione Tractatus detrimentum fuerit illatum, sex Mensium spatio, postquam ordinarii justitiæ Directores id rogati fuerunt, reparetur ac resarciatur, permittant. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

22. Quodsi sententiæ quædam inter personas diversarum Partium, sive in Negotiis Civilibus sive Criminalibus, indicta causa latæ forent, adversus condemnatos ipsos, Eorumve bona executioni neutiquam mandabuntur. Nullæ quinetiam Literæ Violentæ Repetitionis,seu Repressalia,nullæque Literæ Marcæ, ut vocant, nisi res antea cognitæ perspectæque fuerint, atque in Negotiis ejusmodi in quibus Cæsareis Legibus ac Statutis ejusmodi quid promissum, idque juxta ordinem in iis præscriptum, concedentur. „ „ „ „ „ „ „

23. Alteri alterius Partis Portus, Sinus, Navium Stationes, &c. Navibus ac Militibus, quorum numerus suspicionem movere posset, absque venia illius, cujus imperio supradicti Portus, Sinus Naviumque Stationes, &c. subsunt, intrare atque in iisdem commorari neutiquam licebit, nisi tempestate acti, aut alia quacumque necessitate, ad Maris pericula evitanda, cogantur. „ „ „ „ „

24. Quorum bona belli causa detenta ac publicata fuerint, ii ipsi eorumve hæredes, vel quibus id jus competit, iisdem bonis opibusque fruentur, eorumque omnium possessionem propriâ suâ auctoritate ac vi præsentis Tractatus capient, neque judicum opem implorare necesse habebunt, non obstantibus quibuscumque judicis Provincialis possessionibus, Oppignorationibus,Donis,Contractibus, Conventibus & Transactionibus, aut quæcumque tandem renunciationes præmemoratis Transactionibus, ad Proprietarios à Parte istorum bonorum opumque excludendas, contineantur: Omnia quinetiam bona ac jura, quæ vi præsentis Tractatus Proprietariis, eorum hæredibus, vel quibus id jus competit, utrimque restituta fuere, aut deinceps restituenda sunt, iisdem bona ac jura illa vendere integrum erit, neque specialem ad id veniam petere sive impetrare necesse habebunt. Ac proinde cum usurarum proprietate, quas judex Provincialis venditorum bonorum loco constituit, quinetiam usuris ac prætensionibus, in Provincialem judicem ipsis competentibus, propriis eorundem Dominis venditione vel alio quocumque modo, haud secus ac cum reliquis Suis bonis opibusque, agere licitum erit. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

25. Quod similiter cedet in commodum hæredum Celsiss. Arausionensium Principis, respectu jurum, quæ ipsis in *Salinas*, in Comitatu Burgundiæ sitas, competunt, quæ iisdem una cum silvis eodem pertinentibus, respectu eorum, „ „ „

 quæ „

„ quæ à Majestate Sua neque empta, neque exsoluta fuisse deprehendentur, restituentur ac propria relinquentur.

„ 26. Quibus etiam comprehensa habebuntur bona juraque omnia, quæ in Comitatibus Burgundiæ & Charolesiæ sita sunt; insuper etiam quæcumque juxta Tractatum nono die Aprilis Anno 1609. & septimo die Januarii 1610. initum, necdum restituta sunt, ea omnia Proprietariis, hæredibus vel quibus jus eorum competit, utrinque optima fide quamprimum restituentur.

„ 27. Hisce quoque comprehendentur bona juraque omnia, quæ post Induciarum, in duodecim Annos compositarum, exspirationem, juxta Supremæ Mechliniensis Curiæ judicum sententiam in judicis Provincialis præjudicium, Comiti Johanni Nassaviæ adjudicata fuere, sive quocumque modo summedictus Comes eorundem possessionem consecutus fuit, quibuscumque tandem in locis, Regionibus ac Ditionibus, bona illa adjudicata sita sunt, & à quibuscumque tandem possidentur, quæ sententia vi præsentis Tractatus, haud secus ac si lata non esset, habebitur, omnisque possessio alia acquisita, ut supradictum fuit, derogabitur.

„ 28. Ad Chastel-Belini autem causam, à Celsissimo Arausionensium Principe adversus Regis Catholici Procuratorem Generalem, coram Supremæ Mechliniensis Curiæ judicibus institutam, quod attinet, quum lis illa intra Anni spatium, postquam instituerunt, decisa non sit, quemadmodum decimo & quarto Induciarum, in duodecim Annos compositarum, Articulo promissum fuerat, conventum fuit, ut, simulac præsens hicce Tractatus conclusus confirmatusque fuerit, judex Provincialis Nomine locoque Majestatis Suæ, aut cujuscumque tandem, omnia bona, quæ præmemorata lite petierat, à quocumque tandem & quocumque jure possideantur, traderet, quinetiam omnibus actionibus & prætensionibus, quæ supradicto judici Provinciali in præmemorata bona ullo modo competere possent, renuntium diceret, quò à Celsissimo Arausionensium Principe, Ejusdemve Hæredibus, posteris, vel quibus jus id competit, immediatè post præsentis Tractatus Conclusionem ac confirmationem, ac vi Ejusdem absque ulla judicum auxilii petitione, liberè securèque possideantur; eâ lege ac conditione, ut recepti reditus eorumque onera usque ad diem quo præsens Tractatus initus conclususque fuerit, judici Provinciali commodo cessura sint.

„ 29. Quod si bona juraque restituenda quibusdam in locis ægre ac gravatim redderentur, eorundem locorum judices absque ulla morâ restitui curabunt, atque Negotium illud quam fieri poterit brevissimo temporis spatio conficient, neque *non-exsoluta summa*, aut alio quocumque prætextu restitutionem different.

„ 30. Unitarum Belgii Provinciarum Incolis Subditisque in omnibus Regnis, Regionibus ac Locis, quæ Hispaniarum Regis imperio obtemperant, pro libitu suo de Advocatis, Procuratoribus, Scriptoribus Publicis, Sollicitatoribus atque Executoribus sibi prospicere licebit, quibus illud (si necessitas id exegerit, ipsique judices rogati fuerint) ab ordinariis judicibus imperabitur: eundem quoque ad modum Hispaniarum Regis Subditi Provincias ac Regiones, quæ Præpotent. D. D. Ordinum Gener. imperio obtemperant, intrantes, simili auxilio operâque gaudebunt.

31. Quod

31. Quod si alterutrius Partis judex Provincialis publicata bona vendiderit, ii, ad quos bona illa vi præsentis Tractatus pertinent, nihil quidquam præter Summæ versuras, quæ semisses exæquabunt, exigent, quæ ipsis quotannis ab iis, qui suprà memorata bona possident, diligenter exsolventur; cæteroquin venditos fundos appropriare integrum ipsis erit: adhæc loco venditorum bonorum, versurarum, sive ipsius Summæ quæ exsoluta erit, Nomine locoque judicis Provincialis in Proprietariorum, eorumque hæredum, vel quibus eorundem jura Actionesque competunt, commodum Acta tradentur, quæ Ipsis Literarum Declaratoriarum loco, idque secundum præsentem Tractatum, futura sunt, una cum Assignationibus, ut vocant, annuæ exsolutionis, quæ à Quæstore quodam in iis Provinciis, in quibus bona illa vendita, aut versuræ Summæque exsolutæ fuerint, exsolventur, cujus similiter nomen Assignationibus inseretur; pretium autem juxta venditionem publico, sive alio quocumque modo legitimo institutam computabitur; ac prima versura annua, non nisi Anno post conclusum confirmatumque præsentem Tractatum, cedet atque exsolvetur.

32. Quod si verò suprà dicta bona à judicibus propter vera ac legitima debita eorum, quibus bona illa ante publicationem propria erant, vendita forent, Ipsis, vel hæredibus, vel quibus jus id competit, bona illa ad se recipere integrum erit, pretio intra Anni spatium, computatione facta à primo hujus Tractatus die, exsoluto; neque, temporis illius spatio elapso, ad id amplius admittentur: suprà dictâ autem bonorum receptione atque redemptione institutâ, cum iisdem pro libitu & arbitrio suo agere licebit, neque specialem aliquam eâ de causâ veniam impetrare necesse habebunt.

33. Suprà memoratæ tamen receptiones in Oppidis neutiquam admittentur, idque propter maximas incommoditates ac damna, quæ Receptores ex mutationibus atque reparationibus, quas in suprà dictis ædibus nonnunquam adhibuerunt, perciperent, cujus rei compositio nimium diuturna ac molesta foret.

34. Quantum autem ad aliorum bonorum venditorum, quorum redemptio permissa fuit, reparationes ac refectiones attinet, quod si repetantur, ordinarii judices, re cognitâ perspectâque, quod æquum ac justum est, decernent, fundis nihilominus oppignoratis manentibus ob Summam, in quam pro reparationibus ac refectionibus utrimque convenietur; adversus suprà dictos tamen Emptores detentionis jus, usquedum exsolverint, instituere nemini licebit.

35. Bona quæcumque silentio transmissa, Jura, Opes, Versuræ, Actiones, Credita, omniaque alia, quæ judices Provinciales ante diem, quo præsens Tractatus conclusus ac confirmatus fuerit, plenè edocti non occupârunt, Proprietariis, hæredibus, aut quibus eorum Jura Actionesque competunt, cum omnibus Ususfructibus, Versuris, Reditibus commodisque propria ac libera reliquentur: Illi quinetiam, qui bona ejusmodi silentio præterierunt, eorumvè hæredes, vel quibus eorundem Jura Actionesque competunt, eam ob causam à judicibus Provincialibus nullâ molestiâ afficientur; Proprietarii verò, hæredes seu quibus jus id competit, unicuique in jure eorum respectu, utpote quæ ipsis propria sunt, præferentur.

36. Arbores, post diem illum, quo præsens Tractatus conclusus confirmatusque

que fuerit, succisæ, quæq; eodem die in fundo jacuerunt; quinetiam quæ venditæ, sed eodem die necdum succisæ erant, Proprietariis, non obstante venditione, & absque ullâ pretii exsolutione, propriæ relinquentur.

37. Fructus, locationis pretium reditusque ditionum, prædiorum, decimarum, piscinarum, ædium, versurarum aliorumque proventuum bonorum eorum, quæ vi Tractatus restitui debent, post diem illum, quo Tractatus conclusus confirmatusque fuerit, exsolvendi, Proprietariis, hæredibus, aut quibus eorundem Jura Actionesque competunt, pro universo Anno exsolventur.

38. Publicatorum seu annotatorum bonorum locationes institutæ (licet in multorum Annorum spatium contractæ sint) eo ipso Anno, quo præsens Tractatus conclusus confirmatusque fuerit, pro more in locis, in quibus bona illa sita sunt, recepto, exspirabunt, Locationum autem pretium post diem illum, quo Tractatus confirmatus fuerit, exsolvendum, uti suprà dictum fuit, Proprietariis exsolvetur: Eâ lege ac conditione, ut, si is, qui bonis illis utitur, fructibus istoc Anno proventuris sumptus quosdam impenderit, sumptus illi à Proprietariis, pro more recepto, sive æquitate Judicum loci istius, in quo bona illa sita sunt, bonis illis utenti restituendi sint.

39. Publicatorum seu annotatorum bonorum post Tractatus conclusionem institutæ venditiones, ut & illæ, quæ contra pactiones ac conventiones, cum nonnullis Civitatibus privatim initas, antè institutæ fuerunt, nullius prorsus valoris, quinimò ac si institutæ non fuissent, habebuntur.

40. In ædibus autem privatorum, quæ restitutæ fuerint, sivè vi præsentis Tractatus restituendæ erunt, utrimque non plures milites locabuntur, neque majora iisdem onera imperabuntur, quam in ædibus reliquorum Incolarum, qui ejusdem sunt conditionis, locantur, aut iisdem imperantur.

41. Nemo in mutando domicilio ab alterutra Parte directè vel indirectè impedietur, si onera, ei rei imperata, exsolverit; quod si verò impedimentum, aut mora quæcumque post Tractatus confirmationem injecta fuerit, extemplò tolletur ac removebitur.

42. Quod si Fortalitia quædam, sive opera publica ab alterutra Parte, permissu atque Auctoritate Superiorum, exstructa ac confecta fuerint in iis locis, quæ vi præsentis Tractatus restitui debebunt, eorundem Domini in æstimatione, ab ordinariis istorum locorum ac jurisdictionum, quas ibi possederunt, judicibus instituenda, nisi fortè Partes inter Se consentiant, acquiescere tenebuntur: Similiter quoq; Proprietariis bonorum illorum, quæ Fortalitiis, operibus publicis aut Cœnobiis ac Monasteriis exstruendis impensa atque adhibita fuere, satisfiet.

43. Quantum autem ad Templorum, Collegiorum aliorumque locorum Sacrorum, in Fœderati Belgii Provinciis sitorum, quæ quidem membra erant, atque à beneficiis ac muneribus Ecclesiasticis & Collegiis, quæ summè dicti Regis imperio obtemperant, dependebant, bona attinet, quæcumque ante Tractatus conclusionem non fuere vendita, Ipsis restituentur, eaque omnia propriâ suâ Auctoritate, sine Justitiæ ope recipient, quò iisdem, absque ullo tamen dispositionis jure, uti suprà dictum fuit, frui possint; Eorum verò, quæ ante suprà dictum tempus vendita, aut à D. D. Ordinibus alicujus Provinciæ in exsolutionem

data

data fuere, annuæ versuræ, quæ semisses exæquabunt, à Provincia illa, quæ venditionem instituit, vel suprà dicta bona in exsolutionem dedit, ipsis exsolventur, debitæque Assignationes in securitatem ipsorum tradentur: Idem quoque à Parte summè dicti Regis observabitur. „ „ „

44. Quantum ad prætensiones, res causasque (vulgò *Interesse*) quæ Celsiss. Arausionensium Principi respectu partium quarundam, quas non possidet, competunt, attinet, de iisdem particulari quadam Tractatione, quò Celsitudini Suæ satisfiat, convenietur: quantum verò ad reliqua bona atque effectus, quos Celsissimus Arausionensium Princeps è Præpotent. D. D. Ordinum Gener. privilegio ac concessione, in Balivatu Hulster-Ambachtano atque alibi possidet, quorum confirmationem Præpotent. D. D. Ordines Gener. haud diu antè Eidem concesserunt, omnia illa Celsiss. Arausionensium Principi, Ejusdem hæredibus ac Successoribus, vel quibus id jus competit, propria relinquentur, neque quidquam in ea, vi quorumcumque tandem hujus Tractatus Articulorum, prætendi poterit. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

45. Quantum ad alia quædam puncta, de quibus seorsim extra præcedentem Articulum duobus Scriptis, altero octavo die Januarii, altero vicesimo & septimo Decembris, Anno Millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & septimo exarato, actum atque utrimque conventum fuit, quæque subsignata fuerunt, attinet, Scripta illa, & quæcumque in iis continentur, secundum tenorem suum conficientur, confirmabuntur atque executioni mandabuntur, haud secus ac si omnia, eorumque singula præsenti Tractatui à verbo ad verbum inserta forent; Non obstantibus quibuscumque hujus Tractatus clausulis contrariis, quibus clausulis vis ac vigor derogabitur, quem ad modum per præsentem Articulum iisdem expressis verbis derogatur, quæque respectu utriusque illius Scripti, ac si neutrum institutum fuisset, habebuntur, neque suprà memoratarum clausularum causa suprà dictorum duorum Scriptorum, quorum alterum octavo die Januarii, alterum vicesimo & septimo Decembris, Anno 1647. exaratum fuit, executio ullo modo impedietur, aut differetur. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

46. Illi, quibus publicata bona restituenda erunt, ullas versuras, onera, impensaque, speciatim bonis illis, antequam iisdem fruerentur, imperata, exsolvere neutiquam tenebuntur; quod si autem in jus vocentur, atque ab alterutra Parte molestia aliqua afficiantur, tanquam absoluti dimittentur: ubi verò cognitum perspectumque fuerit, omnia alicujus bona ab alterutra Parte publicata atque annotata fuisse, adeò ut nihil ei reliquum fuerit, unde debitorum suorum versuras annuas, durante publicatione atque annotatione, exsolvere potuit, Ille non solum realibus oneribus ac versuris, juxta Tractatum, verum etiam generalibus ac personalibus oneribus versurisque annuis exemptus erit. „ „ „ „ „ „ „ „ „

47. Nihil quidquam pro bonis illis, quæ vendita sunt, aut de quibus conventum fuit, ut vel primâ, vel secunda vice aggeribus cingerentur, præter nummos illos, quorum exsolutioni possessores Contractibus, eum in finem initis confirmatisque, sese obstrinxerunt, una cum erogatorum nummorum, si qui erogati fuerint, versuris, semisses exæquantibus, uti dictum fuit suprà, repetere cuipiam licebit. „ „ „ „ „

48. Sen- „

48. Sententiæ de bonis publicatis ac prætensionibus inter Partes, quæ Judicem Legitimum cognoverunt, quæque legitimè coram Judice defensæ fuere, latæ, ratæ firmæque habebuntur; neque etiam iis, qui causa sua ceciderunt, ut eandem non nisi modo procedendi ordinario secundò defendant, permittetur.

49. Summè dictus Rex Hispaniensis cedit ac renunciat omnibus Redemptionis prætensionibus, juribus aut aliis quibuscumque prætensionibus, quæ Majestati Suæ in Graviam, Ditionem Cuyckiensem, omniaque eò pertinentia, Antiquum Brabantiæ Baronatum, antehac Celsissimo Arausionensium Principi oppignoratum, cujus pignoris redemptio in proprietatem commutata, atque in Celsissimi Arausionensium Principis *Mauritii*, gloriosiss. memoriæ, commodum, Mense Decembri, Anno 1611. ullo modo competere possent, à Præpot. D. D. Ordinibus General. tanquam Supremis Graviæ Ditionisque Cuyckiensis Dominis, juxta patentes eâ de re concessas literas, tradita fuit; Hujus autem conversionis ac cessionis vi Celsissimus Arausionensium Princeps, Ejusdem hæredes & successores, aut quibus jus id competit, deinceps suprà dictam Graviam Ditionemque Cuyckiensem atque ea omnia, quæ eodem pertinent, tanquam bonis propriis integrè fruentur.

50. Insuper etiam summè dictus Rex Hispaniensis renunciat ac tradit omnia & singula jura, ac prætensiones sive proprietatis ac cessionis, sive alias quascumque, quæ in urbem, Comitatum ac Dominium Lingæ, omniaque privilegia eo pertinentia, quinetiam urbem Dominiumq; Bevergardæ & Cloppenburgi, aliasque prætensiones in quemcumq; tandem Majestati Suæ competere possent, quo ea omnia reipsa ac perpetuò Celsissimo Arausionensium Principi, Ejusdem hæredibus & successoribus, aut quibus jus id competit, juxta literas Donationis Caroli Quinti, tertio die Martii, Anno 1546. ac deinceps conventiones inter Buranum & Tecklenburgensem Comites institutas, quinto die Martii, Anno 1548. exaratas, ac denique juxta cessionem super eo Negotio Mense Novembri 1578. factam, quam summè dictus Rex, quantum quidem ad Ipsum attinebat, confirmavit, ac per præsentem Tractatum confirmat, propria relinquantur.

51. Summè dictus Rex & Præpotent. D. D. Ordines Gener. quisque in locis ac Regionibus, quæ Imperio Suo obtemperant, militum Præfectis & Magistratibus mandabit, ut Politiæ atque Justitiæ administrationi in iis Civitatibus ac locis munitis, quæ vi præsentis Tractatus Proprietariis, quo iisdem fruantur, restituenda erunt, operam dent.

52. Superior Gelriæ Tractus cum loco aliquo ejusdem momenti permutabitur; quod si autem de eo mutuò conveniri non posset, ad Cameram Bipartitam, quo intra sex Mensium spatium post Tractatus hujusce confirmationem, Negotium illud componatur ac decidatur, remittetur.

53. Summè dictus Rex Hispaniensis Semetipsum præsenti Tractatu devincit atque obligat, effecturum Se, ut S. Cæsarea Majestas, similiter etiam universum Romanum Imperium Neutralitatem, quam vocant, ac mutuam Societatem cum Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus, quam hactenus inter Se conservârunt, continuet: ad quam Neutralitatem ac mutuam Societatem continuandam & colendam Præpotent. D. D. Ordines Gener. Sese vicissim obligant atque obstringunt.

gunt. Horum autem omnium S. Cæsareæ Majestatis confirmatio intra sex menses, „ S. verò Imperii intra Annum, post præsentis Tractatus conclusionem ac Ratihabitionem, tradetur. „

54. Mobilia bona publicata, quinetiam reditus fructusque, ante præsentis Tractatus confirmationem parati, non necessariò restituentur. „

55. Actiones ac prætensiones in bona mobilia, à summè memorato Rege vel Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus, in privatorum Creditorum commodum ante Tractatus hujusce conclusionem remissæ, ab utrâq; Parte deletæ atque extinctæ prorsus habebuntur. „

56. Nulla autem ratio habebitur, aut computatio instituetur ejus temporis, quod durante bello, facto initio ab Anno Millesimo, quingentesimo, sexagesimo & septimo, ad præteritarum Induciarum, in duodecim Annos compositarum, initium, ut & illius, quod post Induciarum exspirationem ad præsentis Tractatus Ratihabitionem effluxit, quò alicui detrimento aut præjudicio cedere possit. „

57. Quicumque, durante bello, in Neutralium Partium Regiones commigrârunt, Tractatus hujus effectu gaudebunt, atque, ubicumque libuerit, habitare, quinetiam in domicilium pristinum reverti, quò ibidem securè degere possint, si modò loci istius Leges observent, licebit; adeò ut habitationis ergò (quocumque tandem loco eam habuerint) bona eorum publicari, aut ipsi eorundem usu privari neutiquam queant. „

58. Nulla nova Fortalitia in Belgio ab alterutrâ Parte exstruentur, neque fossæ novæ effodientur, per quas alterutri Parti obsisti, aut quocumque modo occurri posset. „

59. Domus Nassavicæ Domini, quinetiam Comes Johannes Albertus Solmensis, Gubernator Trajecti ad Mosam, nullo modo insectabuntur, neque Ipsi, Eorumvè bona, propter debita privata à Celsissimo Arausionensium Principe Gulielmo, ab Anno Millesimo, quingentesimo, sexagesimo & septimo usque ad obitum suum contracta, neque propter onera, quæ, durante illorum bonorum publicatione & annotatione, iisdem imperata fuere, ullâ molestiâ afficientur. „

60. Quod si præsentis Tractatus violatio quædam à privatis quibusdam, citra summè dicti Regis seu Præpotent. D. D. Ordinum Gener. mandatum, commissa fuerit, detrimentum illud ibidem loci, ubi transgressio facta fuit, si fortassis in loco illo, aut in quo domicilium suum habent, apprehendantur, resarcietur ac reparabitur, non tamen alibi aut ipsi, aut bona eorum, quocumque tandem modo id fiat, insectabuntur; neque eam ob causam ad arma devenire, seu Pacem dissolvere, at verò, (quod si Publica Justitia denegetur) per Repressalia Literasque Marcas, ut vocant, prospicere sibi licebit. „

61. Exhæredationes ac dispositiones quæcumque, belli odio institutæ, nullius valoris, imò haud secus ac si institutæ non fuissent, habebuntur: Sub Exhæredationibus autem, belli odio factis, ejusmodi quoque comprehenduntur, quæ propter ea, ex quibus bellum ortum duxit, aut quæ inde dependent, factæ fuerunt. „

62. Summè dicti Regis Castiliensis & Præpot. D. D. Ordinum Gener. Subditi, cujuscumque tandem status ac conditionis fuerint, habiles censentur, qui sibi „

 mutuò,

„ mutuò, sive vi Testamenti, sive absque Testamento, pro locorum statutis ac re-
„ cepto in iisdem more, succedere possint; quod si autem successiones quædam
„ eorum cuipiam antè obtigissent, eædem ipsis integræ conservabuntur, atque in
„ iisdem defendentur.

„ 63. Omnes bello capti, nullis eorum, qui extra Belgii Provincias, idque sub
„ aliis, quam Præpotent. D. D. Ordinum Gener. signis, militârunt, exceptis, ab
„ utrâque Parte, nullo redemptionis pretio exsoluto, relaxabuntur ac dimit-
„ tentur.

„ 64. Quantum autem exsolutionem eorum, quæ ex tributis, quæ ipso die, quo
„ Tractatus confirmabitur, respectu utriusque Partis Subditorum atque Incolarum
„ Eorumvè bonorum, exsolvenda restabunt, eam ii omnes, qui ab utrâque Parte
„ tributorum exactioni atque exsolutioni præsunt, component ac conficient.

„ 65. Nullius quoque commodo vel incommodo, directè sive indirectè, ce-
„ dent, quæcumque, durante Tractatione, oretenus vel etiam Scriptis ab alteru-
„ trâ Parte proposita, aut allegata fuerunt; at verò tam summè dictus Rex, quam
„ Præpotent. D. D. Ordines Gener. & Provinciarum D. D. Ordines, quam omnes
„ reliqui Principes, Comites, Barones, Nobiles, Cives cæterique suprà dictorum
„ Regnorum ac Regionum Incolæ, cujuscumque tandem status ac conditionis fue-
„ rint, juxta Tractatum Ejusdemque conclusionem jus suum integrum Sibi reser-
„ vabunt, nec quidquam ei derogabitur.

„ 66. Summè dicti Regis ac Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Incolæ Subditi-
„ que, decimi & quinti Induciarum, in duodecennium compositarum, quæ jam ex-
„ spirarunt, Articuli effectu, quinetiam effectu decimi Conventionis, septimo die
„ Januarii, Anno 1610. post easdem institutæ, Articuli reipsa fruentur, quatenus
„ durante supradictarum Induciarum tempore suprà memoratus effectus ab alteru-
„ trâ Parte præstitus non fuit.

„ 67. Limites in Flandriâ & alibi eo modo, prout ad alterutrius Partis distri-
„ ctum pertinere existimabuntur, componentur; in quem finem instructiones ac
„ documenta, suprà dictis limitibus postmodum discernendis inservientia, profe-
„ rentur atque exhibebuntur.

„ 68. Nomine locoque Regis Hispaniarum Fortalitia, prope Sluysam Flan-
„ driæ sita, nimirum, Propugnacula S. Iobi, S. Donatii, Stellæ (vulgò *de Sterre-
„ Schans*) S. Teresæ, S. Frederici, S. Isabellæ, S. Pauli & Turris (vulgò *Redoute*) Pa-
„ pemuts, mœnibus suis exuentur: à parte autem Præpot. D. D. Ordinum Gener.
„ sequentia, nempe duo illa Fortalitia in Insula Cadsandriensi sita, quorum nomina
„ sunt Orangie & Frederici, quinetiam duo in transitu, omniaque ad partem orien-
„ talem Fluvii Scaldensis sita (excepto Lilloo) & Fortalitium, Spinola nuncupa-
„ tum, ad Kieldrechtum sita, diruentur; de quâ mutuâ Fortalitiorum dirutione
„ inter utramque Partem, quò ejusdem æquivalentiam componant, convenietur.

„ 69. Omnia Regesta, tabulæ Publicæ, chartæ, archiva, quinetiam lites ac caus-
„ sæ, quasdam è Fœderati Belgii Provinciis, Regionibus Sociis, urbibus aut mem-
„ bris, sive earundem privatos quosdam Incolas Subditosque concernentes, quæ
„ in Aulis, Cancellariis, Cameris Politiæ, Iustitiæ, Feudorum, Archivorumvè,
„ aut alibi uspiam Aviennę, Mechliniæ, seu in aliis locis summè memorati Regis im-
perio

perio obtemperantibus exstant, fide, quæ est optima, iis tradentur, qui à Præpot. „
D. D. Ordinibus Gener. delegabuntur ac sufficiente ea omnia exigendi Auctori- "
tate munientur: idem quoque à parte Præpotent. D. D. Ordinum Gen. in Pro- "
vinciarum, urbium ac privatarum Civitatum, in quas summè dicta Majestas Sua "
imperium obtinet, commodum præstabitur. "

70. Jus aquaticum Sluysanorum Civitati, prout eidem competet, proprium "
relinquetur. "

71. Agger prope S. Donatii Fanum ad obstruendum Fluvium (vulgò *de Soute*) „
diruetur, ejusdemque loco Cataracta exstruetur; deque illius præsidio, uti ante „
de diruendis Fortalitiis dictum fuit, convenietur. "

72. Pacis hocce Tractatu ii omnes, quorum Nomina ante Ratihabitionum "
commutationem, sive tribus Mensibus post, ab alterutrâ Parte dabuntur, compre- "
hendentur; intra præmemoratum autem temporis spatium summedictus Rex "
eorum omnium Nomina exprimet, quos Majestas Sua eodem comprehendere "
volet. A Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. nominantur Nobiliss. atque Illustr. "
Landgravius Hassiæ & Casseliæ, una cum Ejusdem Statibus, Urbibus ac Regio- „
nibus, Comes Oost-Frisiæ, Emdanorum civitas, Comitatus ac Regio Oost-Fri- „
siæ, Civitates Hanzeaticæ, & speciatim Lubecensium, Bremensium & Hambur- „
gensium Civitates: Insuper Præpotent. D. D. Ordines Gener. ejusmodi nomi- "
nare, cujusmodi ipsis visum fuerit, integrum sibi reservant. "

73. Quantum autem ad prætensiones ac petitiones Comitis Flodrophensis, "
quò ipsi Domus Leuthensis, cum bonis eodem pertinentibus, quinetiam reliqua "
bona omnia ac municipia, quæ non longe inde dissita, Eidem propria, atque Ma- "
jestatis Suæ Nomine locoque occupata ac detenta sunt, attinet, eorum omnium, „
simul etiam ipsius Domus, restitutio Comiti Flodrophensi data concessaque fuit; „
eâ lege tamen ac conditione, ut intra Tractatus hujus conclusionis Ejusdemque „
Ratihabitionis tempus, de præsidiario milite ibidem locando, sive de Fortalitio- "
rum, quæ, postquam præmemoratum Castellum occupatum fuit, exstructa fue- "
re, dirutione à Majestate Sua decerneretur. "

74. Quantum ad ea, de quibus octavo die Januarii, Anno 1648. inter Regis "
Hispaniar. & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinarios Legatos & Ple- "
nipotentiarios actum ac conventum fuit, Dominum Rutgerum Huygens, No- „
mine uxoris Suæ, Dominæ Annæ Margaretæ à Stralen, concernentia, attinet, „
omnia eandem vim ac vigorem obtinebunt, atque executioni mandabuntur, haud „
secus ac si præsenti Tractatui à verbo ad verbum inserta forent. "

75. Quò autem præsens Tractatus fidelius observaretur, summedictus Rex "
& Præpotent. D. D. Ordines Generales promittunt ac pollicentur, Sese auxilium "
operamque omnem ad id collaturos esse, ut viæ omnes ac maria ab invasionibus "
& deprædationibus perturbatorum, piratarum, prædas agentium, aut quorum- "
cumque tandem latronum, libera ac secura reddantur; quodsi autem quisquam „
eos assequi atque apprehendere possit, ut severè graviterque puniantur, curatu- „
ros esse. "

76. Insuper etiam pollicentur fidemque dant, nihil se adversus Tractatum "
hunc commissuros, neque, ut directè sive indirectè quidquam committatur, "

,, permissuros, quodsi vero quidquam adversus eundem commissum foret, absque ,, ulla morâ reparaturos ac resarcituros esse. Ad ea autem omnia, quæ supradicta ,, fuerunt, fideliter observanda Semetipsos (quinetiam ipsa Majestas Sua Se & Successores Suos) obligant atque obstringunt, utque tantò firmius sese devinciant, ,, Legibus, Statutis, cæterisque omnibus, obligationi præsenti adversantibus, re- ,, nunciant.

,, 77. Præsens Tractatus à summedicto Rege Hispaniensi & Præpotent. D. D. ,, Ordinibus Gener. confirmabitur ac ratihabebitur, literæ Ratihabitionis, debitis ,, formulis conscriptæ, intra duorum Mensium spatium utrimque tradentur; quodsi ,, autem supradictæ Ratihabitionis literæ maturius exhiberentur, ex illo tempore ,, omnes hostilitatis actus inter utramque Partem, etiam ante præmemorati tempo- ,, ris spatii exspirationem, cessabunt; Eâ lege tamen ac conditione, ne post Tra- ,, ctatus Conclusionem ejusdemque subsignationem hostilitatis actus utrimque ,, ullo modo cessent, antequam Regis Hispaniensis Ratihabitio, debitis formulis ,, conscripta, exhibita & cum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Ratihabitione ,, commutata fuerit.

,, 78. Adcò ut interea temporis res utrimque in eodem Statu, in quò ante Tra- ,, ctatus hujusce Conclusionem sitæ comperientur, idque donec supradicta Ratiha- ,, bitio utrimque tradita ac commutata fuerit, mansuræ sint.

,, 79. Præmemoratus Tractatus circumquaque locis solitis statim post Ratiha- ,, bitiones utrimque permutatas traditasque promulgabitur, atque exinde omnes ,, hostilitatis actus cessabunt.

Exemplum literarum Auctoritatis Regis, Hispaniar. D. D. Plenipotentiariis datæ concessæque, tale est.

PHilippus, Dei Gratiâ, Castiliæ, Legionis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierosolymorum, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Galliciæ, Majoricæ, Minoricæ, Sevilliæ, Cerdenæ, Cordubæ, Corregæ, Murciæ, Iaënæ, Algerbiorum, Algeciræ, Gadium, Insularum Canariarum, Orientalis & Occident. Indiæ, Insularum & Terrarum Oceani firmarum, &c. Rex; Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ & Mediolani, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis & Barcilonia, Dominus Biscayæ, Molinæ, &c. Quandoquidem Belgii Provinciarum Incolarum Subditorumque Pacem & tranquillitatem, quò tam gravi tamque diuturno bello liberarentur, tantòque commodius Pax communis in Europâ, Christiani Orbis commodo, obtineri posset, promovere desideramus; Monasterio VVestphalorum, ad conventum & suprà memoratæ Pacis Tractationem, mutuo consensu delecto, visum Nobis fuit Dominos quosdam delegare, qui plenissimâ Auctoritate ac potestate muniti, speciatim autem cum liberarum Fœderati Belgii Provinciarum, Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. sive Earundem D. D. Legatis ac Plenipotentiariis, speciali eam in rem auctoritate instructis, Nostro Nomine locoque præmemorato conventui interessent. Nos itaque singulari fidelitate, providâ animi circumspectione, & in rebus gerendis experientiâ, quas sitas esse cognovimus in Dominis D. Gasparo de Bracamontio & Gusmania, Comite Penerandæ, Nobili Cameræ Nostræ, Cameræ & justitiæ Nostræ Consiliario, Extraordinario Nostro in Germania Legato; Fratre Iosepho de Bargaigne, Archi-Episcopo Cameracensi; Antonio Brun,

Brun, Consilii Nostri Supremi Flandrici Consiliario, insuper etiam summâ Eorundem benevolentiâ, quâ Nos Nostrasque res hactenus prosequuti fuerunt, & singulari, quo in Pacem communem feruntur, Zelo, majorem in modum freti, firmiterque Nobis persuadentes, Eos omnes simul, eorumque singulos, aliquibus necessario absentibus, maximam cum Christiani Orbis, tum Nostri commodi rationem habituros esse, Eos omnes Legatos ac Plenipotentiarios Nostros constituimus, ac per præsentes iis omnibus eorumque singulis, aliquibus necessario absentibus vel impeditis, potestatem plenissimam fecimus, liberarum Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. Eorumve D. D. Legatis ac Plenipotentiariis, qui specialim ad id delegabuntur, ac sufficiente itidem auctoritate instruentur, exponendi, atque ex iisdem percipiendi, quæcumque ad diuturnum cruentumque in Belgii Provinciis gestum bellum, quinetiam illa, quæ adversus Præpotent. D. D. Ordines Gener. in aliis longe dissitis Regionibus ac Maribus ortum inde duxerunt, pacanda spectant: Insuper etiam cum liberarum Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. agendi, proponendi, transigendi, ineundi ac concludendi, bonum, firmum & inviolabilem quietis Tractatum sive Pacis sive Induciarum: Nostro ac Successorum Nostrorum Nomine locoque spondentes ac promittentes, Nos ea omnia, quæ à supradictis D. D. Legatis ac Plenipotentiariis Nostris, sive omnibus, sive eorum singulis, reliquis eorum necessario absentibus aut impeditis, cum liberarum Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. Eorumve D. D. Legatis ac Plenipotentiariis super præmemorato Tractatu acta, conventa conclusaque fuerint, rata, grata firmaque semper habituros, fideliter quoad tenorem suum observaturos, Eundemque Tractatum intra tempus, de quo utrimque convenietur, ratihabituros, ac juramento reliquisque solennibus, quæ tali casu adhiberi consueverunt, confirmaturos esse. In cujus rei testimonium præsentes hasce, à Nobis subscriptas, secreto Nostro Sigillo munitas, atque à supremo Regni Nostri Secretario, cujus nomen infra exprimitur, subsignatas, exarari curavimus. Dabantur Saragossæ, septimo die Iunii, Anno 1646. Nos Rex, Pedro Coloma, *Regis sigillo, in Obelia rubrâ, charta obtecta, expresso, obsignatum.*

Exemplum literarum Auctoritatis, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis data concessæque, tale est.

VNitarum Belgii Provinciarum Præpotentes D.D. Ordines Generales, Omnibus & singulis, quibus continget præsentes legere audireve, salutem: Quandoquidem antehac semper Nos sincerè deditos fuisse comprobavimus, ut diuturno huic cruento bello, à multis retrò annis in Belgii Provinciis concitato, atque hactenus continuato, quinetiam bellis ejusmodi, quæ in aliis longè dissitis Regionibus Maribusque adversus Hostes Nostros inde originem traxerunt, finis imponeretur, atque Monasterio Westphalorum ad Tractationem super communi orbis Christiani Pace instituendâ constituto, visum Nobis fuit Dominos quosdam delegare, qui sufficiente auctoritate muniti supradicto conventui ac Tractationi, ad præmemoratum cruentum, diuturnum funestumque bellum restinguendum, interfuturi essent: Idcirco Nos, pro summa illâ fidelitate, rerum gerendarum experientia, & singulari, qua Unitarum Belgii Provinciarum commodum promovere student, diligentiâ, quas sitas esse cognovimus in Dominis D. Bartoltio à Gent, Loenii & Meynersvici Domino, Bomme-

liæ ac Bommelienſis & Tiletenſis Inſulæ aggerum Præfecto, è Membro Nobilium Gelriæ in Concilio Noſtro Deputato; D. Johanne Mathenesio, Domino in Matheneſſe, Riviere, Opmeer, Sonteveen, &c. è Nobilium atque Equitum Ordine Hollandiæ ac Weſt Friſiæ Deputato, Schielandiæ Conſiliario; D. Adriano Pauw, Equite, Domino in Heemſtede, Hogerſmilde, Rietwijck, Nieuwerkerck, &c. Conſiliario, Præſidente & Cameræ Computationis Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Præfecto, atque in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque ejuſdem Provinciæ Deputato; D. Johanne Knuytio, Equite Utriuſque Voſmariç, Principis Conſiliario primo, in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Ordinario Deputato; D. Godartio à Reede, Domino in Nederhorſt, Vredelant, Cortehoef, Overmeer, Hoſtwaart, &c. Nobilium atque Equitum Ordinis Ultrajecti Præſidente, Eorumque Nomine ac loco in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputato; D. Franciſco Donia, Toparcha in Hinnema, & Heitſum, &c. in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Friſiæ Deputato, D. Gulielmo Ripperda, Domino in Hengelo, Boxbergen, Boeulo, Ruſſenburg, &c. in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque Nobilium atque Equitum ordinis Tranſ-Yſulaniæ Deputato; D. Adriano Clantio, Domino in Stedum, Nitterſum, &c. in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Nomine locoque Civitatis Groningenſium Omlandiæque Ordinario Deputato; Omnibus ac ſingulis in Concilio Noſtro Deputatis, atque Extraordinariis in Germania Legatis, quibus omnibus vel ſaltem maximæ eorum Parti (ſi fortaſſis aliqui præ morbo aut alio quocumque impedimento Tractationi intereſſe non poſſent) omnimodam ac pleniſſimam poteſtatem, atque generale & ſpeciale mandatum dedimus ac conceſſimus, Nomine locoque Noſtro, Præpot. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariorum qualitate, in ſupradicta Monaſterienſium Civitate, ea omnia cognoſcendi ac percipiendi, quæ Potentiſſ. ac Sereniſſ. Principis Philippi Quarti Hiſpaniar. Regis D. D. Plenipotentiarii, ad tam diuturnum, cruentum funeſtumque bellum, in Fœderati Belgii Provinciis concitatum, inſuper etiam illa, quæ in aliis longe diſſitis Regionibus ac Maribus adverſus Hoſtes Noſtros inde ortum duxerunt, tollenda proponent; adhæc cum præmemoratis ſummedicti Regis Plenipotentiariis agendi, conveniendi ac concludendi bonum, firmum atque inviolabilem Pacis Tractatum, prout ſupramemorati Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiarii maxima Unitarum Belgii Provinciarum, Earumque Incolarum, quinetiam Earundem Fœderatorum, atque eorum omnium, quorum intereſt, diuturnum hocce Funeſtumque bellum reſtingui, & ſaluti atque incolumitati cedere exiſtimabunt. Inſuper etiam fidem dedimus, quemadmodum per præſentes optimâ fide pollicemur, ad id Nos Noſtroſque Succeſſores omnes ac ſingulos obligando, quæcumque à D. D. Plenipotentiariis Noſtris ejus reſpectu acta, conventa ac concluſa fuerint, ea Nos ſemper grata, rata firmaque habituros, confirmaturos atque inviolabiliter obſervaturos, utque obſerventur curaturos, neque adverſus Tractatum illum quidquam ullo modo commiſſuros, vel ut, directè ſive indirectè, committatur permiſſuros eſſe. In cujus rei teſtimonium hiſce ſubſcribi, ſigillo Noſtro majore muniri, atque à Graphiario Noſtro Subſignari curavimus. Dabantur in Concilo Noſtro Hagæ-Com.

Com. vicesimo & secundo die Martii, Anno 1646. Subsignatum, Johannes à Reede. Pauloque infra, jussu ac mandato Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Signatum C. Musch, Sigillo Magno Præpotentium D. D. Ordinum Generalium, rubra cera impresso, atque è duplici rubro auroque mixto filo serico pendente.

In eorum verò omnium, quæ supradicta fuerunt, testimonium, Nos, Regis Hispaniar. & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Extraordinarii Legati & Plenipotentiarii, vi literarum auctoritatis Nobis datæ concessæque, præsenti Tractatui subsignavimus eumque sigillis Nostris munivimus. Dabantur Monasterii Westphalorum, trigesimo die Januarii, Anno millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & octavo. Subsignatum atque obsignatum erat.

Comes Penerande.	*Bartoltius à Gent.*
A. Brun.	*Iohannes Mathenesius.*
	Adrianus Pauvv.
	I. Knuytius.
	G. à Reede.
	Fr. Donia.
	Guilielmus Ripperda.
	Adrianus Clantius.

Exemplum Ratihabitionis Regis Hispaniar. tale est.

PHilippus quartus, Dei gratia, Castiliæ, Legionis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Majoricæ, Minoricæ, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Jaënæ, Algarbæ, Algericæ, Gadium, Canariarum Insularum, Indiæ Orientalis & Occident. Insularum Firmæque Oceani Terræ, &c. Rex; Archi-Dux Austriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani; Comes Habspurgi, Flandriæ, Theriæ, Barcinonæ; Domini Biscayæ, Molinæ, &c. Omnibus & singulis, quibus continget præsentes literas legere audireve, Salutem: Quandoquidem ad Belgii Provincias à tam diuturno bello liberandas, easque omnibus calamitatibus ac miseriis inde promanantibus eximendas, atque ad Pacem, incolumitatem & prosperitatem promovendas, quinetiam bella in longe dissitis Regionibus ac Maribus restinguenda, cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. sinceram firmamque Pacem inire jam dudum desideravimus, idque in solatium eorum, qui belli incommoda utrimque perpessi fuerunt, Oppidumque Monasteriense ad conventum atque Tractationem instituendam communi consensu delectum fuit; Negotia ibidem tam prosperum eventum sortita fuere, ut Extraord. Nostri Legati ac Plenipotentiarii, vi literarum Auctoritatis, à Nobis datæ concessæque, cum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Plenipotentiariis Tractatum, sequentibus à verbo ad verbum insertum, inierint ac concluserint.

Tractatum autem illum exaratum atque præcedentibus insertum, postquam à D. D. Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis Nostris exhibitus Nobis atque in Concilio Nostro diligenti animi perpensioni atque examini subjectus fuisset,

„ ſet, Noſtro ac Succeſſorum Noſtrorum, omnium ac ſingulorum, quinetiam Vaſallorum, Subditorum & Incolarum, Regnorum, Ditionum ac Dominiorum Noſtrorum, tam intra quam extra Europam, nullis exceptis, ſecundum omnes ejuſdem Partes ac Puncta univerſa & ſingula, ceu bonum firmum ac ſtabilem acceptavimus, approbavimus ac confirmavimus, eundemque per præſentes acceptamus, approbamus ac confirmamus, Noſtro, Succeſſorum Noſtrorum, Regum, Principum atque hæredum Nomine locoque, fide, quæ eſt optima, promittentes ac Regio verbo ſpondentes, Eum Nos conſtanter atque inviolabiliter juxta tenorem ſuum obſervaturos, atque, ut obſervetur, curaturos eſſe, haud ſecus ac ſi Ipſi de eo conveniſſemus, neque ullâ, quacumque tandem, ratione, ſive directâ, ſive indirecta, contraventuros, neque, ut ab aliis contraveniatur, permiſſuros eſſe. Quod ſi autem ejus violatio quædam commiſſa foret, vel ullo modo committeretur, damnum illud Nos, omni morâ ſepoſitâ, reparaturos, quinetiam transgreſſores gravi ſupplicio affecturos, vel, ut afficiantur, curaturos eſſe, cum obſtrictione atque obligatione omnium ac ſingulorum Regnorum Noſtrorum, Regionum, Ditionum, ac reliquorum Noſtrorum bonorum præſentium ac futurorum, quinetiam hæredum, Succeſſorum poſterorumque, omnium quoque Vaſallorum, Subditorum, atque incolarum omnium Regnorum, Regionum ac Ditionum Noſtrarum, nullis exceptis, quocumque tandem loco, ſive extra ſive intra Europam eæ ſitæ forent. Quo autem ſupradicta obligatio eo magis confirmetur, Legibus, Statutis & reliquis omnibus, iis adverſantibus, renunciamus. In eorum autem omnium, quæ ſupradicta ſunt, teſtimonium, literas haſce propriâ Noſtrâ manu ſubſcriptas ac ſigillo Noſtro ſecreto munitas, inſuper etiam à Regni Noſtri Secretario, cujus nomen paulo infra inſeritur; ſubſignatas exarari juſſimus. Dabantur . . . .

Exemplum Ratihabitionis Præpotentium D. D. Ordinum Generalium, tale eſt.

„ VNitarum Belgii Provinciarum Præpot. D. D. Ordines Gener. Omnibus ac ſingulis, quibus continget præſentes legere audireve, Salutem: Quandoquidem ad id ſemper operam dedimus, ut diuturnum, cruentum funeſtumque Belgii bellum uſque in alias Regiones ac Maria extenſum, ad Dei Opt Max. Pacis auctoris, gloriam, ac tot miſerorum hominum, qui belli incommoditates pertulerunt, conſolationem, reſtingueretur, quinetiam Belgii Provinciæ incolumes exiſterent, ac deinceps florerent, Monaſterio Weſtphalorum ad conventum atque ad Tractationem inſtituendam communi conſenſu delecto, tam proſperum tamque felicem eventum labori, ab Extraordinariis Noſtris Legatis ac Plenipotentiariis, in Tractatione cum ſummedicti Regis Hiſpanienſis, Philippi quarti, Extraordinariis Legatis ac Plenipotentiariis inſtituta, adhibito, Deus Opt. Max. largiri dignatus fuit, ut poſt varios conventus utrimque inſtitutos, Pacis Tractatum, præcedentibus à verbo ad verbum inſertum, compoſuerint ac concluſerint.

„ Tractatum autem illum exaratum atque præcedentibus inſertum, poſtquam D. D.

D. D. Extraordinariis Legatis & Plenipotentiariis Nostris exhibitus Nobis Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. atque in Concilio Nostro diligenti animi perpensioni & examini subjectus fuisset, Nomine locoque Unitarum Belgii Provinciarum, Earumque Fœderatarum Regionum, Ditionum ac Civitatum, quinetiam Regionum, quæ Nostro imperio obtemperant, insuper etiam Vasallorum, subditorum & Incolarum, tam intra quam extra Europam, nullis exceptis, secundum omnes ejusdem partes ac puncta universa & singula, ceu bonum, firmum ac stabilem acceptavimus, approbavimus, ac confirmavimus, eundemque per præsentes acceptamus, approbamus ac confirmamus; fide, quæ est optima, spondentes ac promittentes, Nos supradictum Tractatum constanter atque inviolabiliter juxta tenorem suum observaturos, atque ut observetur curaturos esse, haud secus ac si ipsi, publica auctoritate congregati, Eundem in Concilio Nostro iniissemus deq; eodem convenissemus; neque ulla quacumque tandem ratione, sive directâ, sive indirectâ, contraventuros, neq; ut ab aliis contraveniatur, permissuros esse; Quod si autem ejus violatio quædam commissa foret, vel ullo modo committeretur, damnum illud Nos, omni morâ sepositâ, reparaturos, quinetiam transgressores gravi supplicio affecturos, vel, ut afficiantur, curaturos esse, cum obstrictione atque obligatione singularum Unitarum Belgii Provinciarum, Regionum Fœderatarum, Ditionum ac Civitatum, quinetiam omnium Vasallorum, Subditorum atque Incolarum, tam intra quam extra Europam, nullis exceptis; Quò autem supradicta obligatio eo magis confirmetur, Legibus, Statutis reliquisque omnibus, iis adversantibus, renunciamus. In quorum omnium, quæ supradicta sunt, testimonium, literas hasce exarari curavimus, iisdemque subscripsimus, & Graphiarii Nostri subsignatione sigillique Nostri appendice muniri jussimus, in Concilio Nostro Hagæ-Com. decimo & octavo die Aprilis, Anno Millesimo, sexcentesimo, quadragesimo & octavo. Subsignatum, Joh. Andreas, pauloque infra, jussu ac mandato Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Signatum, Cornelius Musch. Sigillo Magno Præpotent. D. D. Ordinum Gener. rubræ ceræ impresso, atque è duplici rubro auroque permixto filo serico pendente, & capsulæ, ex argento confectæ, cui Leo, septem sagittas sinistrâ, ac gladium dextra manu tenens, insculptus erat.

In majorem quoque Patriæ Nostræ honorem ac gloriam, atque ad Pacis initæ confirmatæque Securitatem, primam Regis Hispaniar. propositionem & literas publicas ab Ejusdem Legato Ordinario sequente Anno exhibitas hisce omnibus inserere visum fuit. In quibus hoc sedulo notandum venit, quod literæ illæ publicæ Linguâ Gallica, cum tamen omnes & singulas Hispanica proponere consueverat, exaratæ fuerant.

Præpotentes Domini,

Anno jam proximè elapso, eodemque Mense, Pax in hisce Provinciis inter Regem Hispaniensem, Dominum Meum, atque inter Potentissimam hanc & longè Celeberrimam Rempublicam solenniter summoque omnium hominum gaudio & applausu conflata ac confirmata fuit. Iam autem maturè satis me advenisse confido, quò annuum, nec minus exoptatum illud gaudium Vobiscum celebrem, meque ipsum coram tam ingenti & magnifico Ordinum conventu

ventu sistam, ad memoriam illam suavem ac jucundam publici commodi mutua animorum omnium concordia recordandam. Illud autem ut effectum darem, omniaque, quantum in me esset, ad id conferrem, En Regis Hispaniensis, Domini Mei, voluntatis animique sinceri confirmationem jam nunc exhibeo; quo omnia & singula, seu quæcunque Ipsius Nomine locoque cum Celeberrima ac Potentissima hac Republica composita fuere, non tantum sincerè ac religiosè in omnibus Suis Regionibus, Ditionibus, Dominiisque observare Se ac conservare, verum etiam quo mediis queiscunque optimis atque honestissimis Consensum ac Societatem mutuam, atque adeò fraternam Amicitiam inter liberum utrumque Statum, atque imprimis in hisce Belgii Provinciis effectam reddere velle ostenderet; Queis Status utriusque incolumitas confirmabitur, atque ad Commercia, præter cæteras commoditates exinde orituras, quas ab optimis Sociis ac Fœderatis Affinibus exspectari oportet, quam maximus in dies cumulus accedet. Eapropter igitur Majestati Suæ Ordinarium quendam Legatum in hasce Provincias mittere Eundemque, prout apud reliquos sibi Fœderatos Status Liberos consuevit, Ordinarium constituere placuit. Ad quod profectò Majestas Sua, præter quas commemoravi rationes causasque, hac similiter impulsa fuit, nimirum gloria ac dignitate hujusce Reip. cui postrema hæc Legati Hispaniensis Ordinarii commoratio Universum Pacis compositæ Negotium penitus confectura esse videtur, & magnum insuper sigillum, ac confirmatio eorum futura, quæ ab utraque Parte concessa, renunciata ac tradita fuerunt; quemadmodum Vos, Præpotentes Domini, pro solitâ Vestrâ prudentia, ingeniique sagacitate judicare melius, quam ego declarare, poteritis. Hoc solum asserere Vobis possum, Majestatem Suam in universa hac Tractatione illud primò ac primariò intendisse, quo Vobis omni ex Parte satisfaceret; quemadmodum etiam Partis utriusque Subditorum atque Incolarum Salus & tranquillitas, gloria insuper ac fama pergrata semper extitere, atque dehinc existent; quod omni ex Parte omnique loco & tempore ostendere conabitur.

Verum enimvero inter tot ac tam insignes ordine locoque Viros, ac longè digniores, Majestas Sua Me ad tantum munus Negotiumque promovere dignata fuit; quod equidem munus cæteris omnibus longissimè præferrem, Idque propter spem quam mihi propositam habeo, Me de voluntate ac favore Vestro aliquam saltem partem consecuturum esse; atque idcirco, uti quoque propter summum studium, curam ac diligentiam, à me in Negotio hocce præstitam, quam omnes & singuli cognitam satis perspectamque habent, Provinciam hujusmodi humeris meis impositam firmiter credo; eò quod Majestas Sua neutiquam dubitet, quin eandem curam, diligentiam ac sedulitatem in Pacis initæ conservationem atque observationem adhibiturus sim, quam in ejusdem compositionem me adhibuisse cognovit. Cui profectò Majestatis Suæ fiduciæ, quantum maximè potero, respondere, atque omnes meas actiones & Negotia, Vobis non minus Vestrisque Subditis, quam Majestati Suæ grata, commoda atque utilia reddere, idque secundum Instructionis & voluntatis animique mei sinceri præscriptum, studebo. Quapropter etiam omnes & singulas meas petitiones & instantias in nullum finem alium intendam, præterquam in satisfactionem, conservationem atque observationem eorum omnium, quæ inter Majestatem Suam atque inter Vos mutuò promissa, concessa ac tradita fuere: Meque insuper Ipsum tanquam instrumentum constituam, quod observationi & conservationi ejusmodi rerum quam maximè inservire poterit, quæ summam totius Negotii, & Pacis tam legitimæ, tam honestæ, tamque perpensæ conservationem, atque utriusque commodum, salutem & incolumitatem complectuntur.

Quod si Vobis, Præpotentes Domini, quemadmodum Majestas Sua, Legatum quempiam Ordi-

Ordinarium in Hispanias ad Regem, Dominum meum, mittere, Ejusdemque opera in eodem Negotio, quod ego hodierno die in Concilio hocce tam insigni tamque magnifico, Nomine locoque Majestatis Suæ, suscipio, uti visum fuerit, illud profectò unicum ac promptissimum omnium difficultatum, transgressionum & violationum, quæ aliqua saltem ex Parte adversus Monasteriensem Pacis Tractatum dehinc suboriri poterunt, remedium existet. Ipse quinetiam Legatus, qui à Vobis illuc missus fuerit, Majestatis Suæ voluntatis animique sinceri in omnium & singulorum, quæ utrinque composita ac concessa sunt, observatione & conservatione Verus ac Perpetuus Testis existere poterit; ab altera quoque Parte Majestas Sua majorem in modum gaudebit, eo quod tempus Ipsi opportunum datum fuerit, ejusmodi beneficia Vobis in Legato Vestro reddendi, Eundemque tam magnificè tamque liberaliter excipiendi, Ego prout à Vobis hoc tempore excipior: quibus omnibus respondere duntaxat occipio; sperans atque exoptans ejusmodi mihi tempus dari, quo mihi Vobis majores gratias agere, ac Majestati Suæ, cui hæc omnia per literas quamprimum indicabo, Regium Suum animum benignum ac gratum ostendere liceat. Horum quoque omnium Serenissimum atque Illustriss. Archi-Ducem Leopoldum, cujus Nomine Summa Vos salute impertio, certiorem reddam; qui Vobis indicare atque asserere me jussit, Se optimam Vobiscum Amicitiam ac Societatem mutuam colere, atque in regimine & gubernatione, ad perpetuam nostri Incolumitatem, Majestatis Suæ intentioni Sacræ mediis quibuscunque poterit optimis succursurum atque opitulaturum esse.

Neque etiam dubito, quin Iustitiæ administrationem animique Vestri benignitatem (ubi opus fuerit) ad omnes & singulos Majestatis Suæ Subditos atque Incolas, absque ullo personarum, locorumque discrimine extensuri sitis; Vobis promittens ac pollicens neminem è Vobis, Vestrisque Subditis, ad Nos tendentem, fore, qui, ubi advenerit, peregrinum Se atque alienum Hispanis fuisse dicturus sit; quandoquidem Vobiscum Vestrisque Subditis benedictiones quascunque cœlestes in nos exspectare atque exorare cupimus: Omnesque Europæ Principes ac Populi agnoscent, nulla dehinc inter Nos bella, nulla certamina, nulla denique prælia, nisi super fidelitate animique sinceritate, officiis ac beneficiis queiscunque dandis atque conferendis exoritura esse; quæ, quantum in Nobis utrisque erit, utrinque omni studio conferre annitemur, neque imposterum certabimus nisi super hoc uno, quænam Pars concessa, composita ac promissa Sua optimè servarit. Quod quidem felicem ac fortunatam, nec minus miram, propter egregium atque utilem conciliationis fructum, rerum commutationem apportabit, nec non commodiorem atque utiliorem multò, ac illa esse potest, quam Alchymistæ in metallorum transubstantiatione quærunt, ubi è ferro aurum Se elicere posse credunt: quam similitudinem huic rei summopere accommodatam esse duxi; eamque eò libentius adhibui, quod Veteres bellum ferreis, Pacem vero aureis assimularint seculis. Deus Optimus Max. faxit ut Nostra jam nunc secula perennia sint, quemadmodum pretiosum illud carumque metallum, utque insuper per radios suos reflexos, animum ac libidinem incendat, quo Pax altera cum utroque Rege componi ac conflari possit: ad quam omne studium, curam, diligentiam, operam denique omnem Majestas Sua conferet, dummodo honesta ac legitima sit; quæ profectò honestas unicum remedium est, quo firma ac perpetua reddi poterit. Literæ autem, quas à Majestate Sua Vobis tradendas habeo, eadem illa, quæ Ejusdem Nomine locoque jam nunc proposui, affirmabunt. Qualitatem meam, quâ huc à Majestate Sua missus adveni, confirmabunt, ac denique fiduciam illam declarabunt, quam Vos, Præpotentes Domini, in me posthac positam habebitis, Me scil. huc venisse, quo verbis quidem ab omni affectatione atque exornatione alienis, sinceritate vero ac fidelitate plenis, attamen reipsa officium Meque ipsum Vobis

atque omnibus & singulis Ordinibus, è quibus universum hoc florentissimum corpus consistit, ex intimo cordis mei affectu offerrem.

Exemplum Literarum Auctoritatis Regis Hispaniarum, quas Legatus de Brun, in Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Concilio tradidit.

Amici & Fœderati Nostri summi,

Rerum Nostrarum necessitas, in quibus operâ atque auxilio Consiliarii Nostri de Brun Monasterii hactenus usi fuimus, nonnihil Ipsum remorata fuit, quo minus maturè Legationis Suæ munere, quod Ipsi ut apud Vos commoraretur mandavimus, fungi potuerit. At postquam semetipsum ex omnibus curis ac Negotiis expedivit, praecepimus ut iter Suum ad Vos quamprimum institueret; utque omnia, quæcunque posset, ad satisfactionem Vestri conferret, majorem in modum commendavimus, quemadmodum in Tractatus Articulor. omnium observationem, & Societatis, Amicitiæ, & Consensus mutui Conservationem fieri jubemus. Denique iis Omnibus, quæ à Consiliario Nostro & Legato Ordinario hunc in finem proponentur, acquiescentes, hoc unicum addemus, pergratum scil. Nobis futurum, si summedicto Legato Nostro in iis omnibus fidem plenissimam habueritis, quæcunque Nomine Nostro Regio Vobis enarrabit; quemadmodum etiam neutiquam dubitamus quin omnem Ipsi honorem ac reverentiam, utpote Ministro Nostro, cui & Nos plenissimè confidimus, exhibituri sitis. Quod Facturos Vos, Amici & Fœderati Nostri Summi, persuasum Nobis habentes, Vos divinæ protectioni commendamus. Dabantur Madriti, decimo & tertio die Decembris, Anno 1648. Subsignatum erat, Amicus & Fœderatus Vester Summus, Philippus.

Pacis Tractatu trigesimo die Januarii concluso, paulò post, quarto scil. Februarii, D. D. Legati de Articulo quodam separato, *Commerciorum ac Navigationum libertatem* concernente, qui superioribus fuit insertus, convenerunt: at verò quoniam Articulus ille varios casus, è quibus Lites emergere possent, non continebat, plenius de iis postmodum convenire visum fuit. Quocirca supremi Senatus Maritimi à Parte Hispanorum Senator, D. de Corte, Bruxellis aliquoties Hagam-Com. delegatus fuit: ac denique Regis Hispaniar. Legatus & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Commissarii supradictum Commercii ac Navigationis Articulum privatum, Monasterii quarto die Februarii Anno 1648. initum, vicesimo & secundo die Januarii Anno 1650. Hagæ-Com. reviserunt, ac de eodem convenerunt.

Quandoquidem post Pacem inter Regem Hispaniensem & Præpotent. D. D. Ordines Gener. Monasterii initam confirmatamque contentiones nonnullæ, verum ac genuinum Articuli, quarto die Februarii Anno 1648. super Navigatione & Commerciis, eorumque Securitate ac libertate, separatim initi, sensum spectantes, obortæ fuerunt, Idcirco summedicto Regi ac Præpot. D. D. Ord. Gen. visum fuit, præmemoratum Articulum privatum quodammodo explicare, quò omnis querelas instituendi ansa tolleretur, ad mutuum inter Eos consensum & Subditos Eorum, per sinceram ac fidelem præmemorati Pacis Tractatus, quoad omnes ejusdem Articulos, præcipuè autem quoad tantæ utilitatis ponderisque punctum obser-

observationem, colendum: Idcircò summedictus Rex Hispan. delegavit D. Antonium Brun, Equitem, Consiliarium Regni Sui in supremo circa res Belgicas & Burgundicas Consilio, ad Pacis communis Tractatum Plenipotentiarium, & apud Præpotent. D. D. Ordines General. Legatum Ordinarium, & Præpotent. D. D. Ordines Gener. Dominos D. Rutgerum Huygens, Equitem; D. Franciscum Banningium Cock, Equitem, Purmerlandiæ & Ilpendamiæ Dominum, Civitatis Amsterodamensium Consulem, D. Cornelium Ripperse, Consulem Hornæ West-Frisiorum; D. Jacobum Veth, Civitatis Medioburgensium Zelandorum Syndicum & Consiliarium; D. Gisbertum ab Hoolck, Civitatis Ultrajectensium Ex-Consulem, D. Joachimum Andream, Equitem, nuper primarium Curiæ Frisicæ Consiliarium; D. Johannem Beeckium, Dominum in Doornick & Crytenborg, Civitatis Daventriensium Consulem; D. Adrianum Clantium, in Stedum & Nittersum, Toparcham, omnes in Concilio Præpotent. D. D. Ordinum Gener. Deputatos: Supradicti autem Domini D. Legatus & Commissarii, variis conventibus institutis, tandem Nomine locoque summedicti Regis & Præpotent. D. D. Ordinum Gener. præsentem Tractatum Articulis & conditionibus sequentibus inierunt ac concluserunt.

1. Unitarum Belgii Provinciarum Incolæ Subditique omni libertate ac securitate ad omnia Regna, Status ac Regiones, quæ Pace, amicitiâ aut Neutralitate cum Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. gaudent, omni libertate ac Securitate Navigationes instituent, atque in iisdem Commercia exercebunt.

2. Neque in præmemorata libertate per Regis Hispaniar. naves aut Subditis hostilitatis causâ, quæ postmodum inter summedictum Regem & Subditos, Regna, Regiones ac Status, aut eorum aliquos, qui Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. amicitiæ vel Neutralitatis vinculo juncti erunt, oboriri posset, ullo modo perturbabuntur.

3. Id autem se quoque, respectu Galliæ, ad omnigena mercium & commeatuum genera, quæ illuc, antequam Galli adversus Hispanos bellum gererent, vehi consueverant, extendet.

4. Eâ lege tamen ac conditione, ne Unitarum Belgii Provinciarum Incolæ Subditique è Regis Hispaniarum Regionibus oriundas merces, quæ iisdem contra Majestatem Suam Ejusque Statum inservire possent, illuc devehant.

5. Quantum autem ad alia Regna, Respub. ac Regiones Amicitiâ vel Neutralitate Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. junctas, licet adversus summedictum Hispaniar. Regem bellum gererent, attinet, merces interdictæ sive exportari vetitæ ad easdem neutiquam devehentur: Cui ut tantò commodius præcaveretur, Præpotent. D. D. Ordines Gen. Edictis Publicis prohiberi atque interdici curabunt.

6. Quò autem orituris inde quæstionibus ac dissensionibus tantò facilius occurreretur, quoad mercium prohibitarum atque exportari vetitarum designationem conventum fuit, ut eo Nomine comprehenderentur omnia arma ignita eorumque apparatus; qualia sunt; tormenta, bombardæ, mortaria, petarda, bombi, granata, saussitæ, circuli picati, tormentorum sustentacula, furcæ, baltea,

„ pulvis tormentarius, restes ignariæ, sal nitrum & globi, insuper etiam sub No-„ mine mercium prohibitarum atque exportari vetitarum contineri censeantur „ omnia alia armorum genera, cujusmodi sunt, hastæ, gladii, galeæ, cassides, lo-„ ricæ, hastæ securiculatæ, spicula, aliaque similia: Adhæc milites, equos, catapul-„ tarum thecas, balteos & instructus omnigenos, ad belli usum factos, exportare „ neutiquam licebit.

„ 7. At verò ut omnis prorsus litis ac contentionis ansa tolleretur, conventum „ fuit, ut sub Nomine mercium prohibitarum atque exportari vetitarum compre-„ hendantur, frumentum, triticum, vel alia genera & legumina, sal, vinum, oleum, „ nec quidquam quod nutriendæ ac sustentandæ vitæ ullo modo inservire posset, „ verum una cum reliquis mercibus omnibus, Articulo præcedente non designa-„ tis, libera erunt, atque ad ipsa hostium loca transvehere permissum erit; quibus „ tamen urbes ac loca obsessa, circumsepta vel investita excipientur.

„ 8. Quò autem impediatur ne supradictæ merces interdictæ atque exportari „ vetitæ, juxta designationem proximè præcedentibus Articulis institutam, ad „ summedicti Hispaniar. Regis hostes perveherentur, neve sub ejusmodi impedi-„ menti prætextu Navigationum ac Commerciorum libertati ac securitati remora „ injiceretur, conventum fuit, ut naves, quibus Fœderati Belgii Incolarum merces „ impositæ sunt, in portum quempiam Regis Hispaniarum imperio obtempe-„ rantem, appellentes, atque inde ad loca Eidem inimica solventes, Portus Hi-„ spanienses aut aliorum Statuum summedicti Regis, unde solvent, Præfectis, „ Salvos-Conductus Suos, qui oneris Sui specificationem certificatam, & signo ac „ sigillo ordinario & cognito Senatus Maritimi Præfectorum loci illius, è quibus „ primum solverunt, cum expressione loci ad quem destinatæ sunt, idque ordinaria „ ac consueta formula, signatam exhibebunt; postquam verò Salvos-Conductus „ eo, quo dictum fuit, modo exhibuerint, nullâ molestiâ afficientur, neque explo-„ rabuntur, detinebuntur, aut, quocumque sub prætextu, quò minus iter suum „ conficiant, impedientur.

„ 9. Supradictæ quoque Fœderati Belgii Incolarum Subditorumque naves, „ quum in aperto mari erunt, sive ad oras aliquas maritimas appellentes, non ta-„ men portus intrare volentes, sive intrantes onera Sua exponere seu vendere no-„ lentes, onerum Suorum rationem reddere non tenebuntur; nisi suspicionem „ moverint, se velle interdictas merces ad Regis Hispaniensis hostes transvehere, „ uti supradictum fuit.

„ 10. Quod si autem suspicionem manifestè moverint, Unitarum Belgii Pro-„ vinciarum Incolæ Subditique in portubus Salvos-Conductus Suos, modo supra-„ memorato, exhibere necesse habebunt.

„ 11. Progressæ verò ad oras maritimas, aut navibus summedicti Regis, aut pri-„ vatorum Ejusdem subditorum armatorum in pleno mari obviam factæ, supra-„ dictæ naves, manentes, ad malum evitandum, extra tormenti bellici jactum, ad „ Fœderati Belgii Incolarum naves scapham mittent, easque cum duobus aut „ tribus duntaxat hominibus conscendent, quibus Salvi-Conductus à Magi-„ stro navium Fœderati Belgii Incolarum, modo, præcedentibus Articulis ex-„ presso, quinetiam literæ maritimæ, juxta formam, præsenti Tractatui inseren-dam,

dam, exaratæ, demonstrabuntur, quibus non tantum de onere, verum etiam „ de habitationis in Fœderati Belgii Provinciis loco, & de Nomine, tam Nautæ, „ quam Ipsius Navis, constare poterit: ut hisce duobus cognosci, utrum merx aliqua interdicta sit, & Navis Nautæque qualitas sufficienter apparere possit: Quibus „ Salvis-Conductibus literisque maritimis plenissima fides habebitur; idque eò „ magis, quod tam à Parte summedicti Regis, quam Præpotentium D. D. Ordinum Generalium, Certificationes contra signatæ concedentur, quò earundem „ valor commodius pernoscatur, neque ullatenus spuriæ tradantur. „

12. Quodsi autem in supradictis Fœderati Belgii Incolarum Subditorumque „ navibus, uti ante dictum fuit, merces quædam, juxta præmemoratam designationem interdictæ, reperirentur, eædem exonerabuntur, condemnabuntur atque „ à Senatus Maritimi judice, aut alio quocumque cui id jus competit, fisco addicentur: neque tamen propterea navis, sive alia bona mercesque liberæ ac permissæ, quæ in præmemorata navi reliquæ erunt, ullo modo detinebuntur vel fisco „ addicentur. „

13. Insuper etiam conventum fuit, ut, quidquid ab Unitarum Belgii Provinciarum Incolis Subditisque summedicti Regis hostium navibus, merces licet „ interdictæ non sint, impositum fuerit, una cum reliquis omnibus, quæ in supradictis navibus deprehendentur, absque ullâ exceptione vel reservatione, fisco „ addicerentur.

14. Ac vice versa, quidquid præmemoratorum Fœderati Belgii Incolarum „ Subditorumque navibus, quamvis onus, aut pars ejus summedicti Regis hostibus propria esset, vehetur, exceptis mercibus interdictis, liberum foret; quarum respectu, ea, quæ superioribus Articulis cauta fuerunt, observabuntur. „

15. Vicissim quoque Regis Hispaniar. Subditi iisdem privilegiis ac libertate „ in Navigationibus ac Commerciis Suis respectu Præpotentium D. D. Ordinum „ Gener. gaudebunt, quibus Eorundem Subditi respectu summedicti Regis gaudent; æqualitatem autem hanc mutuam utraque Pars in omnibus, licet summememorato Regi postmodum amicitia sive Neutralitas cum Rege, Principe „ aut Statu quopiam, qui in bellum cum Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. incidere possent, intercederet, in omnibus observabit, atque iisdem conditionibus ac limitationibus, superioribus Articulis expressis, gaudebit. „

16. Præsens Tractatus Articuli, quarto die Februarii, Anno 1648. Monasterii separatim conclusi, elucidationi atque explicationi inserviet, quatenus ei „ per præsentem explicationem quidquam derogatum comperietur.

17. Præsens Tractatus non minorem vim ac vigorem habebit, ac si Tractatui Originali, inter summedictum Regem & Præpotentes D. D. Ordines Generales inito, insertus foret; eâ lege ac conditione, quodsi temporis progressu „ dissensiones aut fraudes nonnullæ in Navigationibus sive Commerciis sese proderent, quibus non satis cautum esse posset, ut aliæ conditiones seu cautelæ, quas „ huic Negotio convenire atque inservire utraque Pars existimabit, adhiberi possint; Tractatu hocce vim ac vigorem Suum reservante. „

18. Præsens Tractatus summedicto Rege Hispaniar. atque Unitarum Belgii „ Provin- „

„ Provinciarum Præpotentibus D. D. Ordinibus Gener. intra quatuor Mensium „ spatium, cujus computatio ab hoc die initium capiet, ratihabebitur ac confirma- „ bitur.

Exemplum formulæ Certificationis Marinæ, cujus undecimo Articulo mentio facta fuit, tale est.

„ SErenissimis, Illustrissimis, Illustribus, Potentissimis, Potentibus, Nobilissimis, „ Honorabilibus & Prudentibus Dominis, Imperatoribus, Regibus, Rebuspubl. „ Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Dominis, Consulibus, Scabinis, „ Consiliariis, Judicibus, Prætoribus ac Præfectis, tam Ecclesiasticis, quam Secu- „ laribus, quibus continget patentes hasce legere audireve, Salutem: Nos, Con- „ sules ac Senatores Urbis N. N. constare volumus, N. N. Magistrum navis co- „ ram Nobis solenni juramento declarasse, navem N. dictam, ... „ circiter vehium, capacem, cujus ipse est Magister, ad Fœderati Belgii incolas per- „ tinere, utque adeo Deus ipsum juvaret. Quoniam autem præmemoratum Ma- „ gistrum bene riteque in Negotiis Suis justis excipi vellemus, Vos omnes ac sin- „ gulos, ubicunque præmemoratus Magister cum navi Sua appulerit, rogamus, „ ut benignè eum recipiatis, eumque per portus, Dominia ac fluvios Vestros na- „ vigare, meare ac remeare, commorari Commerciaque, prout visum ipsi fuerit, „ exercere permittatis; quod gratissimum Nobis futurum est. In cujus majorem „ certitudinem præsentes literas Civitatis Nostræ sigillo muniri curavimus.

Exemplum Mandati, quod C. Anthonius Brun, Regis Hispaniar. Legatus Ordinarius, accepit, tale est.

„ ANtoni Brun, Consilii Nostri Flandrici Supremi Consiliarie, Nomine locoque „ Nostro in Hollandia Legate, cum literis tuis, vicesimo & septimo die Maji, „ proximè elapsi, exaratis, Tractatus, super Navigationibus ac Commerciis cum „ Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus initi, „ exemplar ad Nos misisti, quibus responderi jussimus, decretum ac bene pla- „ citum Nostrum brevi temporis spatio ad te missum iri; Nunc autem id, quod „ consultum fore existimavimus atque in præsenti existimamus, visum Nobis „ fuit declarare, nimirum, ut suprамemoratum Tractatum concludas, eun- „ demque confirmes ac ratihabeas; adhæc necessarium commodumque fore „ duximus, quemadmodum etiam per præsentes jubemus ut horum omnium Præ- „ potentes D. D. Ordines Generales certiores reddas atque iisdem, lubenter Nos „ in hæc consensisse, insuper etiam Domino Johanni, Filio Nostro, cæterisque „ Præfectis summis, ut ante Tractatus Conclusionem ac Ratihabitionem juxta „ eum se gererent, mandata dedisse indices: Nosque id unum intendere, ut Navi- „ gationes ac Commercia promoveantur, omniaque fausta ac commoda, quæ ob- „ tingere possunt, sequantur, &, quæcumque à Pace inita contra hunc novissi- „ mum Tractatum capta fuerint, restituantur: Atque hæc omnia iis, quorum „ interest, significes, quò bona sibi erepta repetere possint: fidem dans ipsisque

asse-

afferens, quodsi sciremus quænam ea essent, (nulla licet petitione institutâ) ut restituerentur, ultrò Nos curaturos esse. Quid autem de hisce actum fuerit, eâ, quâ soles, diligentiâ, Nos certiores reddes. Dabantur Madriti, decimo & octavo die Augusti, Anno 1650. Nos Rex, Signatum, Hieronymus Torræus.

Exemplum Mandati, quod Unitarum Belgii Præpotentium D. D. Ordinum Gener. D. D. Deputati acceperunt, tale est.

Unitarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines Generales, Omnibus & singulis, quibus continget præsentes legere audireve, Salutem: Quoniam plene edocti ac majorem in modum freti fidelitate, dignitate & providâ animi circumspectione & in Nostris gerendis experientiâ ac sedulitate Dominorum D. Rutgeri Huygenii, Equitis, D. Francisci Benningii Cock, Equitis, Purmerlandiæ & Ilpendamiæ Domini, Civitatis Amsterodamensium Consulis ac Consiliarii, D. Cornelii Ripperse, Hornæ West-Frisiorum Consulis, D. Jacobi Veth, Civitatis Medioburgensium in Zelandiâ Consiliarii & Syndici; D. Gisberti ab Hoolck, Civitatis Ultrajectensium Ex-Consulis; D. Joachimi Andreæ, Equitis, nuper in Curiâ Frisiæ Consiliarii primi; D. Johannis Beeckii, Domini in Doornick & Crytenborg; Adriani Clantii, Domini in Stedum & Nittersum, qui omnes Concilii Nostri membra sunt, Eos omnes elegimus, ac delegavimus, ut Nostro Nomine locoque, ceu Deputati Nostri, de iis omnibus, quæ Commercia ac Navigationes inter Hispaniar. Regem ac Præpotent. D. D. Ordines Gener. spectant, agant, transigant ac decernant: At verò cum ad Tractatum hunc juxta propositum finem instituendum ac promovendum plenissimâ Nostrâ potestate, mandato atque auctoritate indigeant; Idcirco ipsis per præsentes eum in finem plenissimam potestatem atque auctoritatem damus ac concedimus agendi, ineûndi & concludendi cum Domino Antonio Brun, Regis Hispaniarum apud Nos Legato Ordinario, Articulos necessarios, in Concilio Nostro exhibitos, Navigationes Commerciaque concernentes, deque iis omnibus instrumenta contractuum & promissionum, solennibus formulis conscripta, conficiendi, insuper etiam in iis omnibus, quæ supradicta sunt, generaliter agendi, quidquid ipsi, si coram essemus, ageremus, aut agere possemus; Negotio licet ulteriora mandata exigente: bona ac sincera fide pollicentes, Nos, quæcumque à supradictis D. D. Deputatis Nostris hac in Parte atque ea qualitate acta, conventa promissaque fuerint, grata, rata firmaque semper habituros, atque inviolabiliter observaturos, neque ullâ ratione, sive directâ, sive indirectâ, contraventuros esse, verum omnia, si necesse foret, confirmaturos, atque ejusmodi Acta instrumentaque, solennibus formulis conscripta, tradituros, quibus summedictæ Majestati Suæ plenissimè satisfieri queat. Dabantur Hagæ-Com. in Concilio Nostro septimo die Decembris, Anno 1650. Magno Nostro Sigillo in cerâ rubeâ obsignatum atque à Graphiario Nostro Subsignatum; Signatum, B. J. Mulartius vidit; pauloque infra, absente Graphiario, J. Spronsen.

In cujus rei testimonium Nos, Legatus ac Deputati, supra Nominati, vi literarum

rarum auctoritatis Nobis datæ concessæque, præsentes hasce, solitis Nostris subsignationibus ac sigillis munivimus. Hagæ-Com. decimo & septimo die Decembris Anno 1650.

A. Brun.

Rutgerus Huygenius.
F. Benningius Cock.
C. Ripperse.
Iacobus Veth.
G. ab Hoolck.
Ioach. Andreas.
Iohannes Beeckius.
Adrianus Clantius.

Contentionibus, quas mare, Navigationes ac Commercia gignere possent, eo, quo dictum est modo, occursum fuit. Querelas autem & frequentiores & majores non tantum Limites, sed & alia, quæ Pacis Articulis omnia prævideri, multo minus determinari ac decidi poterant, produxerunt. Idcirco D. D. Extraordinarii Legati ac Plenipotentiarii, ejus rei neutiquam ignari, de *Camera Bi-Partita* erigenda, vicesimo & primo Pacis Tractatus Articulo, caverant, cujus formam, finemque seu scopum sequens Instructio exhibet.

Exemplum Instructionis Dominis D. Deputatis ad Cameram Bi-Partitam datæ concessæque.

QUandoquidem Pacis Tractatus, inter Regem Hispaniar. & Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentes D. D. Ordines General. trigesimo die Januarii, Anno 1648. Monasterii initi, Articulo vicesimo & primo conventum fuit, ut utrimque judices nonnulli æquali numero ad modum Cameræ Bi-Partitæ delegarentur, qui in Belgii Provinciis sedem ac conventum habebunt, idque per vices, in locis nunc sub Regis Hispaniensis, nunc sub Unitarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinum Gen. imperio dominioque sitis, prout mutuo consensu de ea re convenietur: qui quidem ab utraque Parte constituti judices secundum Mandatum atque Instructionem Ipsis tradendam, in quam etiam, idque juxta formulam utrimque decernendam ac confirmandam, jurare tenebuntur, in Belgii Incolarum Subditorumque acta, quinetiam vectigalium aliorumque onerum, ab alterutrâ Parte mercibus imperandorum, exactionem inquirent, eorumque omnium rationem habebunt, atque ab alterutra Parte in Negotio illo commissos excessus benignioris animi moderamine conficient; Porrò etiam de non-executione supradicti Tractatus lites ac contentiones, quæ subinde oborirentur, examini suo subjicient.

„ 1. Idcirco ab Hispaniar. Rege & Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. utrin-
„ que octo insigni ordine locoque Viri, Politiæ ac Justitiæ gnari, ad id delega-
„ buntur, qui utrimque auctoritate ac potestate munientur, idque in Negotiis
„ Statum utrumque concernentibus ac majoris ponderis, at verò in rebus levioribus

ribus ac minoris momenti, communi mutuoque conſenſu pauciores numero Viri, eâdem qualitate atque auctoritate inſtructi, conſtituentur.

2. Præmemorati autem judices Inſtructionem Suam accipiendo, à ſummedicto Rege ac Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. quantum ad officia eorum, quæ juxta Inſtructionem Suam præſtare tenebuntur, eorumque omnium, quæ eodem pertinent, juramento, quod ſummememorato Regi ac Præpotent. D. D. Ordinibus Gener. præſtiterunt, liberabuntur: Inſuper etiam in ſupradictam Inſtructionem, ipſis tradendam, idque juxta formulam ab utraque Parte eum in finem confirmatam ac ſequentibus inſertam, utrimque Mechliniæ jurabunt.

3. Inter ſupramemoratos judices neque Pater & Filius, neque Fratres, neque Fratrum Filii, neque Conſobrini, neque ejuſmodi qui æquali affinitatis gradu juncti ſunt, conſtituentur.

4. Inter ſupradictos autem ſedecim illos Viros, unus erit præſidens, qui ſuffragia colliget, & ſecundum eorundem pluritatem concludet.

5. Præmemoratus præſidens ſingulis ſeptimanis mutabitur: prima autem hebdomada eorum aliquis præſidebit, qui à Parte Regis Hiſpanienſis conſtituti erunt; proximè vero ſequente ſeptimana vices præſidendi ad eos devenient, qui, à Parte Præpotentium D. D. Ordinum Generalium delegati erunt: eundem quoque ad modum deinceps ſingulis ſeptimanis alternatim vices præſidendi devolventur.

6. Is autem qui præſidens erit, ſive is, qui ejuſdem abſentis vices ſupplebit, ſuffragia colligens, primò præſidentem Conſiliarium Partis illius, quæ præſidet, deinde alterius Partis præſidentem, & ſic alternatim, ea lege tamen, ut præſidens ſemper ſententiam Suam poſtremus laturus ſit, adeò ut duo poſtremi Partis illius, quæ non præſidet, immediate poſt ſe invicem ſententiam Suam dicturi ſint.

7. Quodſi autem ſententiæ diverſæ æquali numero ferrentur, ſecunda vice ſuffragia colligentur; ſin verò Negotium neque tunc confici poſſet, iis, qui cauſæ examini interfuerunt, tres alii, rerum experientia pollentes, Viri bini ab unâ, unus ab altera Parte, adjungentur: ſorte autem decidetur, quænam Pars duos, quænam verò binos conſtituet. Supramememorati quoque Viri tres, qui reliquis adjungentur, ſimiliter ſupradictum juramentum præſtabunt: integra autem cauſa à reliquis & iis, qui adjuncti erunt, judicibus relegetur atque ab omnibus ſimul decidetur.

8. In ſupradicta Camerâ duo Scribæ ſeu Graphiarii, ab utraque Parte unus, conſtituentur, quibus ſimiliter Inſtructionem ſibi traditam accipient, ac juramentum præſtabunt, quemadmodum reſpectu judicum dictum fuit, ſingulis quoque ſeptimanis per vices dignitatibus ac loco gaudebunt. At verò uterque ejuſdem erit qualitatis, ac Graphiorum emolumenta inter ſe æqualiter dividet, omnibuſque Negotiis uterque ſimul ſemper intererit; quinetiam ea omnia, quæ in Concilio judicum tranſigentur, exactè Regeſtis inſeret, ac ſimul de ſententiarum, quæ latæ erunt, extenſione aget, iiſque ſimul ſubſignabit, utrique etiam Parti Regeſta Authentica conficiet, quò ab utrâque Parte aſſerventur, atque Parti, cujus intereſt, neceſſitate id exigente, inſervire poſſint.

„ 9. Eundem quoque ad modum bini janitores, ab utraque Parte unus, juxta
„ judices constituentur, qui Cameram & Regesta asservabunt, quibus etiam sti-
„ pendium assignabitur: supradicti autem Custodes, quæcumque in Negotiis, su-
„ pradictam Cameram spectantibus, agenda sunt, exequentur, idque intra locum
„ illum, quo Judices convenient, neque extra eum. Ea autem, quæ extra præ-
„ memorata loca agenda erunt, ordinarii janitores Curiæ Justitiæ in supradictis
„ Provinciis, idque intra Curiæ districtum executioni mandabunt, ad quod præ-
„ memorati januæ Custodes juxta supradictam Instructionem auctoritate ac po-
„ testate munientur.

„ 10. Mandata decretaque temporaria à supradicta Camera sub Nomine Præsi-
„ dentis ac reliquorum judicum præmemoratæ Cameræ Bi-Partitæ, à summedicto
„ Hispaniar. Rege & Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinibus
„ Gener. constitutæ, concedentur ac conscribentur.

„ 11. Supradictæ Cameræ judices Nomine locoque Regis Hispaniar. & Fœde-
„ rati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinum Gener. quod æquum ac ju-
„ stum est decernent, atque in hunc modum sententiæ extendentur, neque ullo
„ modo provocabuntur, aut recognoscentur.

„ 12. Præmemorati judices duobus diversis sigillis utentur, quorum uni Regis
„ Hispaniar. alteri Unitarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinum Ge-
„ ner. insignia insculpta erunt, quæque juxta se invicem pendebunt; omnia autem
„ Acta, quæ obsignari necesse habebunt, iisdem munientur.

„ 13. Supradicta autem Camera primo Anno Mechliniæ, proximè vero sequen-
„ te Anno Dordrechti commorabitur, atque ita deinceps quotannis locus com-
„ morationis mutabitur, nisi ob rationes alias, quæ oboriri possent, aliter inter
„ summedictum Regem ac Præpotent. D. D. Ordines Gener. conveniretur.

„ 14. Præmemorati judices, prima vice delegati, in loco quodam, summedicti
„ Regis Hispaniar. imperio obtemperante, secunda verò vice delegati, in loco
„ quodam, Præpotent. D. D. Ordinum Gener. imperio obtemperante, commora-
„ buntur, atque ita deinceps alternatim locus, in quo sedes ac conventus habebi-
„ tur, mutabitur.

„ 15. Summedictus Hispaniar. Rex primo Anno Mechliniæ commodum ali-
„ quem locum, in quo conventus haberi poterit, assignabit, omnesque sumptus,
„ igni, candelis reliquisque rebus necessariis impendendos feret: idem quoque
„ Præpotent. D. D. Ordines Gener. Dordrechti facient; atque ita deinceps quo-
„ tannis fiet.

„ 16. Præmemorati autem judices inter se transigent; quodsi autem, postquam *viâ*
„ *concordiæ* omnia componere tentarunt, convenire non poterunt, quæstiones ac dif-
„ ficultates *summariè de plano*, prout juxta Pacis Tractatus atque æquum ac justum
„ & salva conscientia fieri oportere existimabunt, atque citra personarum acce-
„ ptionem, omni favore, odio aut dissimulatione depositis decident.

„ 17. Quodsi verò Negotia sive lites ulteriorem inquisitionem exigerent, vel
„ tanti ponderis essent, ut per literas indicari, in eas inquiri, sive ulterius differri
„ oporteret, supradictis judicibus, habita deliberatione, de iisdem, quæcumque
„ necessitas exigere videbitur, decernere integrum erit; tam exiguum verò tempo-
ris

ris spatium iisdem assignabunt, ut Negotia intra trium aut ad summum sex Mensium spatium decidantur, ac proinde omnes moras ac dilationes non necessarias succident.

18. Causæ ac lites exaratæ, cum de iisdem sententia brevi dicetur, neutiquam tradentur, ut à quopiam è judicibus perspicerentur, earumque contentum referretur; at verò ad Abacum delatæ, absque prævià relatione percipiendâ, in Concilio perlegentur, examini subjicientur, tantaque in iis diligentia adhibebitur, ut Negotia illa, quam fieri poterit maturè, postquam ad sententiam de iis ferendam promotæ fuerint (si fieri possit) decidantur.

19. Supradictorum autem judicum Concilium non dimittetur, ac quotidie tempore matutino & pomeridiano singulis vicibus tres horas inter se agent, usquedum Negotia, ipsis demandata, transacta confectaque fuerint; atque deinde unicuique ad eum locum, in quo commorari consuevit, discedere licebit.

20. Præmemorati judices nullas sententias ferent, nisi æquali numero ab utraque Parte, neque minore quam utrimque senario, qui omnes à principio ad finem usque causis perlegendis atque examinandis interfuerunt.

21. Quò autem causæ litesque, quantum fieri potest, ab integro Concilio examini subjicerentur, præsidens, seu qui ipsius absentis vices supplet, judices absentes per literas convocabit; quodsi verò aliquando unius Partis judicum numerus alterius Partis numerum superaret, major cum minore numero, & vice versa, majore minuendo, vel minore supplendo adæquabitur, prout utrimque singulis vicibus de eo conveniri poterit.

22. Quodsi aliqui è supradictis judicibus Parti uni tam arcto consanguinitatis seu affinitatis vinculo juncti forent, ut jure recusari possent ab eâ Parte, quæ judicem illum, qui recusabitur, aut seipsum recusabit, constituit, alium seu alios quosdam ejus loco eundem in finem substituet.

23. Negotia autem illa, quæ summedictum Hispaniar. Regem atque Unitarum Belgii-Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines Gener. immediatè spectant, ab iis instituentur debitoque procedendi modo conficientur, quos summedictus Rex ac Præpotent. D. D. Ordines Gener. ad id delegabunt: illa verò, quæ Nobiles ac Potentes Provinciarum D. D. Ordines & Civitates, quinetiam insignes ordine locoque Viros aut privatos nonnullos concernunt, in quantum uniuscujusque intererit, ab iis præcipuè instituentur, quibus ad id auctoritas concedetur: eâ lege ac conditione, ut summedicto Regi ac Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. iisdem se adjungere integrum futurum sit: at verò si id fiat, privatis Actis indicari necesse erit.

24. Præmemoratorum autem judicum sententiæ, quodsi literis id petant, ab ordinariis justitiæ Ministris locus illius, in quo violatio commissa fuerit, aut violatores domicilium habuerint, prout necessitas id exiget, executioni mandabuntur.

25. Ordinarii verò justitiæ Directores neutiquam deerunt, quominus vel ipsi supramemoratas sententias exequantur, vel, ut ab aliis executioni mandentur, ac violatio intra sex Mensium spatium, postquam ordinarii justitiæ Directores id rogati fuerint, resarciatur.

26. Quodsi autem sententiæ latæ summedictum Regem ipsum, vel Præpotentes

„ tentes D. D. Ordines D. D. Ordines Generales, vel Nobiles ac Potentes Provinciarum D. D. Ordines immediatè spectarent, summedictus Rex Præpotentes D. D. Ordines Generales sententias illas executioni omni mora seposita ipsi mandare vel, ut ab aliis mandentur, curare tenebuntur, idque sub pœna septuagesimo & sexto Pacis Tractatus Articulo inserta atque expressa.

„ 27. Quodsi judicum quisquam, tempore delegationis Suæ, vitam cum morte commutaret, sive in eum locum redigeretur, ut ulterius agere non posset, ejus loco alter quispiam ab iis, quorum hoc erit, delegabitur.

„ 28. Præmemoratis autem judicibus Eorumque Secretarii seu Graphiarii nulla munera sive dona, neque directè, neque indirectè, neque ulla commoda cibi, potus aut cujuscumque tandem rei, sive à Provinciis, Civitatibus, Collegiis, sive personis publicis aut privatis, quarum causam coram præmemorata Camera agi, aut secundum apparentiam brevi agenda erit, tam ante quam post latam sententiam, accipere licebit; quodsi verò vetitorum munerum quæpiam ab amicis quibusdam acceperint, quorum causam coram supradicta Camera postmodum agi perciperent, cujus eo tempore, quo dona acciperent, ignari fuerant, Præsidentem ac reliquos præmemoratæ Cameræ judices ejus rei certiores reddere, donaque illa eorumve valorem, prout ipsi à Camera imperabitur, in pauperum commodum erogare ac restituere tenebuntur; præterea etiam supradictarum causarum, illos, à quibus præmemorata dona acceperint, examini, nisi à Præsidente ac reliquis judicibus ad id admittantur, interesse neutiquam licebit: Ad hæc, qui in hisce forte impegerint, perjurii erunt, atque ejusmodi censebuntur, &, pro rei necessitate, supplicio afficientur.

„ 29. Supradicti judices, propterea quod Negotiis illis vacent, singulis diebus, durante delegatione Sua, singuli octo florenis, Secretarii verò seu Graphiarii singuli quatuor gaudebunt, qui à D. D. Deputantibus Suis, nimirum, Rege Hispaniar. ac Præpotent. D. D. Ordinibus Generalibus, insuper etiam quatuor & duobus florenis, qui à Partibus, inter quas lis ac contentio est, exsolventur. Adhæc præmemorati octo, & quatuor, quinetiam quatuor, & duo, floreni à judicibus qui ceu Commissarii una cum Scribis seu Graphiariis sententiis mandatisque conscribendis vacabunt, singulis diebus, accipientur; eâ lege ac conditione, ut tres horas matutino, & tres pomeridiano tempore Negotiis tractandis impensuri sint.

„ 30. Præterea etiam Graphiarii pro omnibus Actis stipendium à Partibus quibuscumque, idque juxta summam huic rei assignatam traditamque sive in posterum eidem assignandam ac tradendam accipient, idque provisionaliter, atque è stipendio illo amanuensibus Suis exsolvere tenebuntur.

„ 31. Summedicto autem Hispaniar. Regi ac Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. Instructionem hanc communi consensu extendere, corrigere, augere ac minuere, prout Negotii temporisque necessitas id exiget, integrum erit.

Exem-

Exemplum Mandati atque Auctoritatis, à summedicto Hispaniar. Rege D. D. Legatis ad Cameram Bi-Partitam data concessæque, tale est.

PHilippus IV. Dei gratia, Castiliæ, Legionis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierosolymorum, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Gallæciæ, Majoricæ, Minoricæ, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Jaënæ, Algarbæ, Algeziræ, Gadium, Canariarum Insularum, Orientalis & Occidentalis Indiæ, Insularum Firmæque Oceani Terræ, &c. Rex; Archi-Dux Austriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani; Comes Habspurgi, Flandriæ, Theriæ & Barceloniæ; Cantabriæ & Molinæ Dominus; Omnibus ac singulis, quibus continget præsentes hasce legere audireve, Salutem: Constare volumus, quod, cum Pacis Tractatus, inter Regem Hispaniensem & Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines Generales trigesimo die Januarii, Anno 1648. Monasterii initi, Articulo vicesimo & primo conventum sit, ut utrimque judices nonnulli æquali numero ad modum Cameræ Bi-Partitæ delegarentur, qui in Belgii Provinciis sedem ac conventum habebunt, idque per vices, in locis nunc sub Regis Hispaniens. nunc sub Unitarum Belgii Provinciar. Præpot. D.D. Ordinum Gen. imperio Dominioq; sitis, prout mutuo consensu de eâ re convenietur; atque adeò necesse sit, probata fide, cæterisque animi ingeniique dotibus instructos Viros eligi ac delegari, idcirco Nos, cognitâ perspectâque dexteritate, prudentiâ, doctrinâ & rerum gerendarum experientiâ N. N. majorem in modum freti eorundem studio ac æquitate supradictos delegimus, constituimus ac delegavimus, atque per præsentes deligimus, constituimus ac delegamus, ad Deputatorum in supramemorata Camera Bi-Partita munus & officium, juxta Instructiones aut jam confirmatas aut postmodum confirmandas, obeundum, præmemoratis N. N. plenissimam auctoritatem ac potestatem concedentes, sententiam Suo tempore ad Præsidentis monitum dicendi, consiliis rerumque ac Negotiorum, quæ in eâdem Camerâ proponentur, tractabuntur atque examini ac deliberationi subjicientur, confectioni; adhæc omnia obeundi, quæ, quoad Leges, dignitates, prærogativas, jura atque immunitates quæ eò spectant ac pertinent, probos ac fidos judices delegatos obire decet. Quocirca ut in supradicto munere fideliter se gerant, eodemque, uti par est, defungantur, præmemorati N. N. utrique parti Mechliniæ in delegationem atque Instructionem hanc, idque juxta formulam eum in finem utrimque confirmatam, jurare tenebuntur. Mandantes atque imperantes eam ob causam omnibus ac singulis Judicibus, Prætoribus, Officiariis ac Subditis omnium Regnorum Nostrorum, Ditionum dominiorumque, omnibus quinetiam aliis, quorum intererit, ut supramemoratos N. N. plenè ac tranquillè supradicto munere, cæterisque ad id pertinentibus, sublatis quibuscumque obstaculis, fungi ac frui permittant. In cujus rei testimonium, præsentes exarari ac sigillo Nostro & Regni Nostri Graphiarii subsignatione muniri curavimus. Dabantur Bruxellis . . . . . Anno 1652.

Exem-

Exemplum Mandati atque Auctoritatis, à Fœderati Belgii Provinciarum Præpot. D. D. Ordinibus Gener. Delegatis in Camera Bi-Partita judicibus data concessaque, tale est.

„ VNitarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines Generales, Omnibus & singulis, quibus continget præsentes hasce legere audireve, Salutem: Constare volumus, quod, quum Pacis Tractatus inter summedictum Hispaniar. Regem ac Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines Generales trigesimo die Januarii, Anno 1648. Monasterii Westphalorum initi, Articulo vicesimo & primo conventum sit, ut utrimque judices nonnulli æquali numero ad modum Cameræ Bi-Partitæ delegarentur, qui in Belgii Provinciis sedem ac conventum Suum habebunt, idque per vices in locis, nunc summedicti Regis Hispaniensis, nunc Unitarum Belgii Provinciarum Præpot. D.D. Ord. Gen. imperio dominioq; obtemperantibus, prout mutuo consensu de eâ re convenietur, atque adeò necesse sit, probata fide, & reliquis animi ingeniiq; dotibus instructos Viros eligi ac delegari; Idcirco Nos, propter singularem dexteritatē, prudentiam, doctrinam ac rerum gerendarum experientiam, quas in N. N. sitas esse cognovimus, majorem in modum freti eorundem studio atque æquitate supradictos delegimus, constituimus ac delegavimus, atque per præsentes deligimus, constituimus ac deputamus, ad Deputatorum in supra memorata Camera munus & officium juxta Instructiones aut jam confirmatas, aut postmodum confirmandas, obeundum, præmemoratis N. N. plenissimam auctoritatem potestatemque concedentes sententiam suo tempore ad Præsidentis monitum dicendi, Consilia rerumque ac Negotiorum, quæ in eadem Camera proponentur, tractabuntur atque examini ac deliberationi subjicientur, confectionem promovendi: adhæc, omnia obeundi, quæ, quoad Leges, dignitates, prærogativas, jura atque immunitates, quæ eo spectant ac pertinent, probos ac fidos judices delegatos obire decet. Quocirca ut in supradicto munere fideliter se gerant, eodemque, uti par est, defungantur, præmemorati N. N. utrique Parti Mechliniæ in præmemoratam delegationem atque Instructionem hanc, idque juxta formulam eum in finem utrimque confirmatam, jurare tenebuntur. Mandantes atque imperantes eam ob causam omnibus ac singulis Unitarum Belgii Provincarum judicibus, Prætoribus, Officiariis ac subditis, omnibus quinetiam aliis, quorum intererit, qui imperio Nostro obtemperant, ut suprememoratos N. N. plene ac tranquillè supradicto munere, cæterisque eò pertinentibus, sublatis quibuscumque obstaculis, fungi ac frui permittant. Dabantur sub sigillo Nostro Majori, & Graphiarii Nostri subsignatione, Hagæ-Com. . . . . Anno 1652.

Exem-

Exemplum Mandati atque Auctoritatis, à summedicto Hispaniar. Rege Secretariorum seu Graphiariorum in Camera Bi-Partita uni datæ concessæque, tale est.

PHilippus IV. Dei gratia, Castiliæ, Legionis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierosolymorum, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Gallæciæ, Majoricæ, Minoricæ, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Jaënæ, Algarbæ, Algeziræ, Gadium, Canariarum Insularum, Orientalis & Occidentalis Indiæ, Insularum Firmæque Oceani Terræ, &c. Rex; Archi-Dux Austriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani; Comes Habspurgi, Flandriæ, Theriæ & Barceloniæ; Cantabriæ & Molinæ Dominus; Omnibus ac singulis, quibus contingit præsentes hasce legere audireve, Salutem: Constare volumus, quod, quum Pacis Tractatus, inter Regem Hispaniensem ac Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines Generales trigesimo die Januarii, Anno 1648. Monasterii Westphalorum initi, Articulo vicesimo & primo conventum sit, ut utrimque judices nonnulli æquali numero ad modum Cameræ Bi-Partitæ delegarentur, qui in Belgii Provinciis sedem ac conventum habebunt, idque per vices in locis nunc sub summedicti Hispaniar. Regis, nunc sub Unitarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinum General. imperio dominioque sitis, prout mutuo consensu de eâ re convenietur; atque adeo necesse sit, fidum aliquem ac idoneum Virum, qui in supramemorata Camera Scribæ seu Graphiarii munus dextrè obeat, deligi ac delegari; idcirco cognita perceptaque singulari dexteritate, peritia, fide, æquitate ac studio N. N. iisdem majorem in modum freti, ipsum delegimus, constituimus ac deputavimus, atque per præsentes deligimus, constituimus atque deputamus, ad Scribæ seu Graphiarii munus in præmemorata Camera Bi-Partita obeundum: plenissimam ipsi auctoritatem ac potestatem facientes, ac speciale mandatum conferentes, ut præmemoratum munus obeat, exerceat atque administret; literas quascumque, sive patentes, sive obsignatas, definitivas, interlocutorias, & alia quævis Acta, ex Præsidis cæterorumque ad supradictam Cameram deputatorum judicum jussu ac præscripto, exaret atque subscribat; maturè exarata, ad quos spectant, illicò tradat; exacta fideliaque decretorum omnium & Conclusionum, quæ in Camera Bi-Partita instituentur, Regesta observet; uti etiam Actorum omnium, Conventorum, sententiarum, aliorumque in supradicta Camera occurrentium; litigantium sacculos & litium instrumenta summa fide asservari curet, atque ad Abacum, ad Præsidis mandatum, deferat, quò perpendi ac decidi possint. Denique ut omnia illa præstet, quæ probum fidumque Scribam seu Graphiarium præstare decet; idque juxta præmemoratæ Cameræ Bi-Partitæ Instructiones, aut jam institutas, aut postmodum instituendas; ac pro stipendio annuo . . . . . . à Quæstore Nostro Generali suo tempore annumerando. Præterea etiam una cum dignitatibus, juribus, immunitatibus, utilitatibus ac commodis, eodem pertinentibus, juxta summam, quæ ipsi una cum præsentibus traditur, aut postmodum tradetur. In quæ, simul etiam munus Suum fideliter Se administraturum esse, supramemoratus,

„ N. N. utrique Parti solenniter jurare tenebitur. Eapropter judicibus ad Bi-Partitam Cameram delegatis, cæterisque omnibus, quorum quoquo modo intererit, mandantes atque imperantes, ut supradictum N. N. præmemorato Scribæ seu Graphiarii munere cæterisque ad id pertinentibus plenè ac tranquillè, remotis obstaculis, quibuscumque, oppositionibus atque in contrarium factis, fungi ac frui permittant. In cujus rei testimonium præsentes exarari, ac sigillo Nostro & Regni Nostri Graphiarii Subsignatione muniri jussimus. Dabantur Bruxellis ...... Anno 1652.

Exemplum Mandati atque Auctoritatis, à Fœderati Belgii Præpotent. D. D. Ordinibus Gen. Scribarum seu Graphiariorum in Camera Bi-Partitâ uni datæ concessæque, tale est.

„ VNitarum Belgii Provinciarum Præpot. D. D. Ordines Gen. Omnibus ac singulis, quibus continget præsentes legere audireve, Salutem: Constare volumus, quod, quum Pacis Tractatus inter Regem Hispaniensem ac Fœderati Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordines Generales trigesimo die Januarii, Anno 1648. Monasterii Westphalorum initi, Articulo vicesimo & primo conventum sit, ut utrimque judices nonnulli æquali numero ad modum Cameræ Bi-Partitæ delegarentur, qui in Belgii Provinciis sedem ac conventum habebunt, idque per vices in locis nunc sub summedicti Hispaniar. Regis, nunc sub Unitarum Belgii Provinciarum Præpotent. D. D. Ordinum General. imperio dominioque sitis, prout mutuo consensu de eâ re convenietur, atque adeo necesse sit, fidum aliquem ac idoneum Virum, qui in supramemorata Camera Scribæ seu Graphiarii munus dextrè obeat, deligi ac delegari; idcirco cognita perceptaque singulari dexteritate, peritia, fide, æquitate ac studio N. N. iisdem majorem in modum freti, ipsum delegimus, constituimus ac deputavimus, atque per præsentes deligimus, constituimus ac deputamus, ad Scribæ seu Graphiarii munus in præmemorata Camera Bi-Partita obeundum: plenissimam ipsi auctoritatem ac potestatem facientes, ac speciale mandatum conferentes, ut præmemoratum munus obeat, exerceat atque administret; literas quascumque, sive patentes, sive obsignatas, definitivas, interlocutorias, & alia quævis Acta, ex Præsidis cæterorumque ad supradictam Cameram deputatorum judicum jussu ac præscripto, exaret atque subscribat; maturè exarata, ad quos spectant, illicò tradat; exacta fideliaque decretorum omnium & Conclusionum, quæ in Camera Bi-Partita instituentur, Regesta observet; uti etiam Actorum omnium, Conventorum, sententiarum, aliorumque in supradicta Camera occurrentium; litigantium sacculos & litium instrumenta summa fide asservari curet, atque ad Abacum, ad Præsidis mandatum, deferat, quò perpendi ac decidi possint. Denique ut omnia illa præstet, quæ probum fidumque Scribam seu Graphiarium præstare decet, idque juxta præmemoratæ Cameræ Bi-Partitæ Instructiones, aut jam institutas, aut postmodum instituendas; ac pro stipendio annuo . . . . . . à Quæstore Nostro Generali suo tempore annumerando. Præterea etiam una cum dignitatibus, juribus, immunitatibus, utilitatibus accommodis, eodem pertinentibus, juxta summam,

mam, quæ ipsi una cum præsentibus traditur aut postmodum tradetur. In quæ, „
simul etiam munus Suum fideliter Se administraturum esse, supramemoratus „
N. N. utrique Parti solenniter jurare tenebitur. Eapropter judicibus ad Bi-Par- „
titam Cameram delegatis, cæterisque omnibus, quorum quoquo modo intererit, „
mandantes atque imperantes, ut supradictum N. N. præmemorato Scribæ seu „
Graphiarii munere cæterisque ad id pertinentibus plenè ac tranquillè, remotis „
obstaculis, oppositionibus atque quibuscumque in contrarium factis, fungi ac „
frui permittant. In cujus rei testimonium præsentes exarari, Nostro sigillo & Gra- „
phiarii Nostri Subsignatione muniri jussimus. Dabantur Hagæ-Com. . . . . . „
Anno 1652. „

Exemplum juramenti, à Cameræ Bi-Partitæ judicibus præstandi, tale est.

NOs juramus per nomen omnipotentis Dei, ac fide, honore & conscientiâ in- „
terpositis, promittimus, Nos exactè fideliterque observaturos, quidquid „
continetur in præscriptis atque Instructionibus hujusce Cameræ Bi-Partitæ, juxta „
Pacis Tractatus, inter Regem Hispaniensem & Fœderati Belgii Præpotent. D. D. „
Ordines Gen. initi, Articulum vicesimum & primum institutæ; insuper etiam „
juramento Nos adstringimus, Nos ex æquo ac sincere jus omnibus dicturos, & „
de omnibus controversiis ac difficultatibus, quæ à Nobis decidentur, citra ullam „
personarum acceptionem, omni favore atque odio seposito, absque ullo privato „
respectu, verum tantummodo ex jure, veritate, ratione & æquitate cuivis, cujus- „
cumque tandem ordinis atque originis sit, adjudicaturos esse, quod Nos ex æquo „
& justo illi competere existimabimus; captiones omnes, cavillationes, dilatio- „
nes, ambages ac litigationum intricationes, quantum in Nobis erit, rescinden- „
tes; denique id omne præstituros, quod probi atque æqui judices præstare „
possunt ac debent, idque non minus in causis, in quibus de jurisdictione summo- „
que imperio summedicti Regis ac Præpotent. D. D. Ordinum Generalium, „
quam privatorum agetur, dignam æquis judicibus neutralitatem in omnimodis, „
profitentes, nulla alia in sententiæ de jure pronunciatione Superiorum No- „
strorum habitâ ratione, quam si privati essent, utpote quos minimè lateat, „
quodsi secus faceremus, conscientias Nostras violatas iri, rationemque Nobis co- „
ram Deo judice reddendam esse. ITA NOS DEUS JUVET. „

Exemplum juramenti, à Cameræ Bi-Partitæ Scribis seu Graphiariis præstandi, tale est.

EGo juro per nomen Omnipotentis Dei, ac fide, honore & conscientia inter- „
positis, promitto, Me exactè fideliterque observaturum, quidquid conti- „
netur in Instructione Cameræ Bi-Partitæ, juxta Pacis Tractatus, inter summe- „
dictum Hispaniarum Regem ac Fœderati Belgii Provinciarum Præpotentes „
D. D. Ordines Generales initi, Articulum vicesimum & primum, institutæ, Me- „
que omnia facturum, prout fidum ac probum supradictæ Cameræ Bi-Partitæ „
Scribam decet. ITA ME DEUS JUVET. „

Dabantur ac confirmabantur à Nobis, infra nominandis, Regis Hispaniar. Legato Ordinario ac Fœderati Belgii Provinciarum Præpot. D. D. Ord. Gen. Commissariis; salvo tamen summedicti Regis ac Præpot. D. D. Ord. Gen. consensu. In cujus rei testimonium præsentibus propria Nostrâ manu subsignavimus & sigillis Nostris munivimus Hagæ-Com. 12. die Julii, Anno 1652. Subbsignatum atque obsignatum sequentem in modum.

A. Brun.

Rutgerus Huygenius.
A. Bouckhorstius.
H. Beverningius.
G. à Nisse.
Iohannes à Reede, à Rensvvoude.
C. Hauboysius.
Henr. VVolfsen.
I. Tiassenius.

Quandoquidem Pacis Tractatus inter Regem Hispaniar. ab unâ, & Fœderati Belgii Provinciarum Præpot. D.D.Ordines Gener. ab alterâ Parte, trigesimo die Januarii 1648. Monasterii Westphalorum initi, Articulo vicesimo & primo conventum fuit, ut judices nonnulli ad modum Cameræ Bi-Partitæ utrimque delegarentur, eo fine, qui in præmemorato Articulo exprimitur; cumque in finem concepta, mutuoque consensu, duodecimo Julii, Anno 1652. confirmata fuit Instructio quædã, juxta quam supradictæ Cameræ judices sese gererent actionesque suas instituerent; Deinde verò, cognito perceptoq; ad præmemoratæ Cameræ erectionem necessario requiri, ut Articuli punctaque nonnulla, è supradicta Instructione sequentia, propius confirmarentur, inter summedicti Regis Legatum Ordinarium ab unâ, ac Præpot. D. D. Ord. Gen. Deputatos, quorum Nomina infra inserentur, ab alterâ Parte, Nomine locoq; D.D.Deputantium Suorum conventum fuit:

1. Ut præmemorati judices ad supradictam Cameram delegati mandato atque „ auctoritate munirentur, quemadmodum per præsentes muniuntur, Tractationum „ Suarum initium à Tractibus Transf-Mosanis faciendi, neque quidquam, Statum „ concernens, tractandi, antequam difficultates, super eo Negotio propositæ, sub- „ latæ ac decisæ fuerint; nisi interea temporis speciali ad id mandato instruerentur; „ Insuper etiam particularium Provinciarum, Corporum, Collegiorum, Civita- „ tum, locorum, pagorum, Magnatum sive privatorum lites ac contentiones acci- „ piendi vel decidendi, prout easdem ad supradictam Cameram spectare, vel non „ spectare existimabunt.

„ 2. Ut præmemoratorum judicum singulis, vi Articuli primi supradictæ Instru- „ ctionis, exemplum Mandati atq; Auctoritatis, tam à summedicto Rege quam Præ- „ pot D. D. Ordinib. Gen. datæ concessæque, conjunctim traderetur; Quò autem „ præmemoratorum judicum nemo, propter Mandati atque Auctoritatis defectum, „ Tractatione abstinere aliquando necesse haberet, supradictus D. Legatus promisit „ fidemque dedit se effecturum, ut sibi exemplaria nonnulla ad modum præmemo- „ ratum Nomine summedicti Regis solennibus formulis conscripta, spatio, cui ju- „ dicũ Nomina inseri poterunt, relicto, quam fieri poterit celerrimè mittantur, quò „ non solum judicibus, qui à Præpot. D.D. Ord. Gen. ad Cameræ munus obeundum

jam

jam delegati sunt, verum etiam iis, qui quocumque casu iisdem substituerentur, „ Nominibus eorum insertis, absque ullâ temporis jactura seu Negotiorum Cameræ „ transigendorum interruptione, tradi possent: Eâ lege ac conditione, ut lites ac „ contentiones, quarum examen nonnulli è delegatis judicibus instituere occeperunt, ab iisdem judicibus, qui easdem inquisiverunt, componerentur ac deciderentur, ne intempestiva judicum mutatione ulla ponderis alicujus Negotiorum „ interruptio, in partium litigantium præjudicium maximum, efficiatur, neq; supradictis substitutionibus impediatur, quo minus, quod justum & æquum est, fieret. „

3. Ut procuratores, qui coram supradictæ Cameræ judicibus agent, quinetiam „ Eorundem janitores, cum in loco aliquo, summedicto Regi obtemperante, sedem ac conventum suum habituri sunt, Curiæ Supremæ Mechliniensis ordinem „ consuetū observarent; at verò cum in Unitis Provinciis vel in loco aliquo sub Præpot. D. D. Ord. Gen. imperio dominioque sito, supradicta Camera commoratura „ est, ex præscripto atque ordine Curiæ Supremæ Hollandiæ, Zelandiæ ac West-„ Frisiæ sese gererent, idque ut Negotia tantò commodius conficerent; Insuper „ etiam, ne in terminis observandis error quispiam committeretur, nullis aliis coram supradictis judicibus causidicum agere permitteretur, quam qui à præmemoratis judicibus, re cognitâ perspectâque ac præviâ eorundem causas agendi „ experientiâ, aliarumque qualitatum requisitarum indagine, ad id admitterentur; „ integrum quinetiam judicibus foret, eosdem constituere sive ad numerum illum „ admittere, quem Negotia exigere existimabunt; janitores autem duorum florenorum stipendio singulis diebus gauderent. „

4. Ut ad supradictæ Instructionis Articuli vicesimi & octavi elucidationem „ declararetur, quemadmodum per præsentes declaratur, Partis utriusque Contrahentis mentem atque intentionem in præmemorato Articulo constituendo fuisse, ut sub ejusdem dispositione præcipuè summedictus Rex ac Præpotent. D. D. „ Ordines Gener. comprehensi censeri debeant, ac proinde Eorundem præmemoratis judicibus nulla vel minima ab iisdem dona accipere liceat. „

5. Ut bona, libri, chartæ aliaque omnia, quæ supradicti judices ad locum illum, in quo sedem ac conventum suum habituri sunt, transportari, sive deinceps „ accersiri, quinetiam ex eodem loco exportari, omnibus vectigalibus, tributis „ reliquisque oneribus utrimque exempta advehi atque evehi liceret; ac proinde, „ postquam eorundem manus ac sigillum exhibitum fuerit, meatui ac remeatui libero inservientes Salvi-Conductus conscriberentur. „

6. Quandoquidem autem Instructionis Articulo octavo innuitur, utrumque „ Cameræ Graphiarium omnibus Negotiis interesse debere, ac proinde secundum „ Articuli diserta verba, alterutro Graphiariorum morbo aut alio quocumque „ modo impedito, supradictæ Cameræ Negotia differri oportere viderentur, quod „ tamen Partes contrahentium neutiquam voluisse liquidò apparet; ut tali casu, absentis vices à judicibus Partis illius, à quâ delegatus fuerit, vel alterius substitutione supplerentur, vel alioquin Negotia unà cum præsente Scriba seu Graphiario, prout supradicti judices commodum fore existimabunt, promoverentur, „ quæ omnia, uti etiam illa, quæ in iisdem alicujus ponderis esse possent, eorundem judicio permitterentur. „

7. Ut Decretis ac literis quibuscumque, quæ à supradicta Camera concedentur, summedicti Regis Hispaniensis sigillum primo semper loco appenderetur atque imprimeretur; at verò Scribæ per vices nunc primi, nunc secundi subsignarent, idque singulis septimanis, prout ipsis dignitas ac præsidendi ordo competit, juxta præmemoratæ Instructionis Articulum octavum.

8. Ut supradicti judices auctoritate instruerentur, quemadmodum per præsentes instruuntur, ut quotannis quinque aut ad summum sex Septimanarum spatium, quo Negotiis forensibus ac juri dicendo supersederetur, eligerent.

9. Quoniam autem variæ super argumento vicesimi & noni præmemoratæ Instructionis perpendenda proponi possunt, respectu quatuor florenorum judicibus, & duorum Scribis seu Graphiariis, quæ à Partibus litigantibus exsolvenda venient, assignatorum, ut proinde, ejus loco, supradicti judices pro eo, quod Negotiis tractandis ac componendis operam dent, singuli duodecim florenos singulis diebus, à summedicto Rege ac Præpot. D. D. Ordinibus Gen. exsolvendos, præmemorati verò Scribæ seu Graphiarii, singuli sex florenos singulis diebus, ab iisdem exsolvendos, acciperent, adeò ut Partes litigantes à supradictis quatuor & duobus florenis immunes sint, ac maneant. Eâ lege ac conditione, ut supramemoratis judicibus specialis auctoritas concederetur, quemadmodum per præsentes conceditur, ab iis, qui manifestis calumniis ac dolo malo coram supradicta Camera litem instituisse deprehendentur, mulctam, pro rei necessitate augendam, exigendi: Eâ lege, ne præmemorata mulcta decimam valoris rei illius, super quâ lis ac causa instituta fuerit, quodsi æstimari queat, aliàs mille florenos, partem excedat; eâ conditione, quodsi præmemorata pars decima, vel supradicti mille floreni, summam judicibus pro eo, quod Negotiis illis vacârunt, exsolvendam superaret, ne mulcta illa ultra summam judicibus pro datâ operâ exsolvendam augeatur: Insuper etiam ut supradicta mulcta judicibus absolvendis impenderetur, atque summedictus Rex & Præpotent. D. D. Ordines Gener. impensorum exsolutione ex æquo liberarentur.

10. Ut supradicti Judices auctoritate munirentur, quemadmodum per præsentes muniuntur, constituendi atque augendi pretium, quod Cameræ Scribis seu Graphiariis pro conscribendis sententiis aut aliis quibuscumque exsolvetur.

Dabantur ac confirmabantur Hagæ-Com. decimo & septimo die Octobr. Anno 1653. atque in veritatis testimonium propriis supradicti Legati ac Deputatorum manibus subsignabantur, Eorumque sigillis obsignabantur.

Subsignatum atque obsignatum sequentem in modum.

A. Brun.

A. Schoockius.
A. Bouckhorstius.
Iohannes de VVit.
G. à Nisse.
Iohannes à Reede.
Ioachimus Andreae.
Iohannes Beeckius.
I. Isbrandus.

Vis

Vix è bello Hispanico Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentes Domini D. Ordines Generales Seque Suosque expediverant, quin turbæ ingentes maritimæ cum Britannis inciderent. Quæ profecto, cum sub Nomine ac prætextu *Retorsionis* in dies singulos magis magisque foverentur, damna ac detrimenta quovis bello cum aliis hactenus gesto deteriora multò, idque tam exigui temporis spatio, intulerunt. Verum enimvero cuncta illorum quamvis ordine enarrare neutiquam constitui, nihilominus tamen omnium veluti Specimen quoddam exhibere decrevi, sive, ut cum Poëta loquar, *summa sequi fastigia rerum.*

Celsissimus Arausionensium Princeps Fredericus Henricus, eo quod Filius Ipsius unicus Caroli I. Regis Magnæ Britanniæ Gnatam majorem Anno ferme millesimo sexcentesimo, & quadragesimo, in uxorem duxerat, Britannorum dissidiis domesticis magis magisque pullulantibus, non potuit quin pietatem atque animum in afflictam Domum Regiam singularem omni ex parte ostenderet. Illo autem defuncto, Filius Ejus Gulielmus,, utpote vinculo ac nexu propiore Serenissimo Regi Socero Suo devinctus obligatusque, omnem Ipsi opem studiumque contulit. Quæ quidem res Eos, qui Parliamenti partibus summopere favebant, maximam succensendi causam præbuit; animo oppido iniquo ferentes, quod Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentes Domini D. Ordines Gener. W. Stricklandii Parliamenti Deputati Propositioni exaudiendæ nullum in Concilio Suo Ordinum Gener. locum concessissent. Quapropter Stricklandio in Britanniam per literas revocato, Præpotentium D. D. Ordinum Gener. Legatus Albertus Joachimi, Oedekenskercæ Dominus, eo quod nullis Deputantium Suorum ad Parliamentum & Remp. Britannicam literis publicis munitus aderat, Britanniâ discedere jussus fuit. Hinc plurium continuo malorum Nobilibus ac Potentibus Hollandiæ Ordinibus suspicio incidit: quibus ut in tempore, ac quantum in Se esset, occurrerent, Dominum Scaapium Civitatis Amsterodamensium Cos. & Zelandici Senatus Archithalassi Deputatum, literis auctoritatis publicis, solennibus conscriptis formulis ad Rempub. Britann. ablegârunt. Quod profecto Britannis perquam gratum accidit. Ac quamvis *Commissarii* duntaxat titulo & qualitate, atque unius solummodo Provinciæ Ordinum Nomine locoque accederet, veruntamen ut Legatum Ordinarium solito honore exceperunt, eaque qualitate cum Eodem egerunt. At postquam Celsissimus Arausionensium Princeps Gulielmus ipso ætatis Suæ flore decessisset, à supramemorato Parliamento Oliverius S. John, & Gualterus Stricklandius, Ejusdem Parliamenti Ordines, Legatorum titulo Supremo muniti, ac Comitatu splendidissimo, & plus quam Regio adaucti, ad Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentes Dominos D. Ordines Gener. Hagam-Com. missi fuerunt: qui juxta Deputantium Suorum Mandatum atque Instructionem Fœdus quoddam mutuæ defensionis ac propugnationis adversus hostes quoscunque inire cupierunt. Sed, ut ejusmodi rerum casu fieri plerumque cernimus, *Scinditur incertum studia in contraria Vulgus:* Alii quippe Regis, alii Parliamenti studio ducebantur. Ipsi quinetiam Provinciarum Ordines, quorum tamen plerique Regiis Auriacisque partibus favebant, supradictos Legatos ægre admittebant. Quin & illi, qui animum Suum à Fœdere ineundo haud longe alienum habebant, belli tamen Scotici finem exspectandum duce-

ducebant. Quocirca cum Parliamenti Legati Unitarum Belgii Provinciarum Præpotentes Dominos D. Ordines Gener. propositioni ac petitioni suæ nihil quidquam, vel parum saltem vel lentè concedere animadverterent, discessuros Se esse indicârunt. Quo cognito perceptoque, Præpotentes D.D. Ordines Gener. majora exinde oritura mala suspicantes, superioris Fœderis, Anno 1495. inter Britannos Belgasque Fœderatos sanciti renovationem ac confirmationem, cujus Exemplar sequentibus inseretur, tam Legatis hisce, quam Parliamento per Commissarium suum Scaapium obtulerunt. Interea dum hæc inter Præpotentes Ordines Generales, & Britannorum Legatos aguntur, tempus Hagæ Com. diutius paulo commorandi Legatis Britannorum à Parliamento datum concessumque fuit.

Exemplum Pacis & Mutui Commercii, Initi Confirmatique Londini vicesimo & quarto die Februarii, Anno 1495. inter Henricum VII. *Magnæ Britanniæ Regem, & Philippum Archi-Ducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, &c.*

Omnibus & singulis præsentes literas visuris, audituris & inspecturis, Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Richardus Duvelmensis Episcopus, Custos privati Sigilli Magni Illustrissimi Regis Angliæ, Joann. Welles, Vice-Comes de Welles, Joannes Kendal, Prior domus S. Joan. Jerusalem in Anglia, Wilhelmus Warham legum Doctor, Magister ac Custos Rotulorum Cancellar. Domini Regis, Christophorus Urswick Archi-Diaconus Richemond, & Joannes Rijsley, Miles, Ambassiatores, Procuratores, & Commissarii, in hac parte Serenissimi ac metuendissimi Domini Nostri Supremi Henrici, Dei gratia, Regis Angliæ & Franciæ, Domini Hiberniæ Sabitten: Notum facimus, quod cum potiora mortalibus dona à superis tradi nequeant, quam bona pacis, & longo rerum usu ac ratione semper cognitum sit, pacem esse summum illud præcipuum munus, quod humano generi conducere queat: Satisque compertum sit, quod calamitates & ærumnæ passim è bello exoriantur; quod vero commoda, pax certa & stabilis undique contulerit: Idcirco nos, quantum fructus & utilitatis Regni Angliæ, & terrarum ac provinciarum domini Archi-Ducis Austriæ, Incolis & Subditis, ex Pace & amicitia, antehac inter ipsos Principes prædictos, inito & contracto, accreverit, plene cognoscentes, nos pro prædicto Serenissimo Principe nostro Angliæ Rege antedicto, Suisque Hæredibus & Successoribus, atque ejus Nomine, & eorum auctoritate nobis ab eodem Rege Nostro per literas Suas patentes commissa, quarum Tenor inferius sequitur,

Cum Nobili Viro Domino Philippo, Domino de Bevres, locum tenente Gubernatore & Capitaneo Generali Arthesiæ, & Admirallo, Domino Paulo de Beansi, Domino de Vermisselii, Præside Flandriæ, Roberto de Mellum, Domino de Ronny, Camerario, Daniele de Prat, Domino de Mervved Camerario, & superiore Ballio Flandriæ, Ioanne de Cortavilla, Thoma Portunar, Conciliario & Magistro Florentio, Hauvel Secretario ordinar. Ambassator. Procurator. Legatis & nunciis, ac infra scripta, per ipsius Domini Archi-Ducis literas

literas patentes deputatis, quarum etiam Tenor inferius sequitur, convenimus, contraximus, & conclusimus, & per præsentes convenimus, contrahimus, & concludimus omnes, & singulos pacis, amicitiarum, Mercium Intercursus, & Mercatorum communicationes, sequentes Articulos.

C O P I A.

C A P. I.

Vera & integra Pax.

In primis Conventum, concordatum, & conclusum est: Quod ab hoc die sit bona, sincera, vera & integra, perfecta & firma amicitia, liga, confœderatio, Pax & unio, per terram, mare, & aquas dulces, futuris temporibus perpetuo duratura, inter dictos Dominos Regem & Archi-Ducem eorumque successores & hæredes, Regna, patrias & Dominia, terras, Vasallos & subditos quoscunque præsentes, & futuros, tam Clericos quam Seculares, cujuscunque gradus seu Conditionis existant, etiamsi Archi-Episcopali, Ducali, vel minori dignitatum statu aut gradu præfulgeant. Ita quod prædicti Vasalli & Subditi hinc inde ubique locorum sibi invicem favere, sesque mutuis officiis prosequi, & honesta affectione pertractare teneantur, *possintque tam per terram, quam per Mare & aquas dulces, ad dicta Regna, patrias, dominia & terras, Civitates, Oppida & Villas, munitas & non munitas, firmatas aut non firmatas, portus & districtus quoscunque, & eorum quodlibet, hinc inde tutò, libere, & secure accedere, intrare, & in eisdem quamdiu voluerint commorari & conversari, ac ibidem Victualia, & alia eis necessaria quæcunque, sine quacunque contradictione, emere & vendere: Nec non ab ejusdem Regnis, patriis, dominiis, terris, Civitatibus, Oppidis, Villis, portubus & districtibus, & eorum quodlibet toties quoties eis libuerit ac partes proprias vel alienas quascunque cum suis conductis aut accommodatis* navigiis, plaustris, vehiculis, equis, armaturis, mercimoniis, farcinulis, bonis & rebus quibuscunque, *ire, recedere, ac remitti, quemadmodum propriis in patriis, hæc omnia eis facere licet, & sicut proprii subditi locorum & patriarum illarum facere possint.* Ita quod nullo Salvo-Conductu, aut licentia generali vel speciali indigeant; nec in aliquo locorum prædictorum Salvum-Conductum vel licentiam petere teneantur.

C A P. II.

Nihil attentabitur contra hanc Pacem.

Item, conventum, concordatum, & conclusum est: Quod neuter dictorum Principum, nullusque Hæredum aut Successorum Suorum, contra alium, ejusve Hæredes aut Successores, quicquam aget, faciet, tractabit vel attentabit, quocunque in loco, sive in terra, sive in Mari, portubus, vel aquis dulcibus, occasione quacunque, nullumque præstabit auxilium, consilium, favorem vel assensum, quod per alium vel alios quoscunque aliquid fiat, agatur, tractetur vel attentetur, in injuriam vel damnum, alterius ejusve Hæredum aut Successorum:

Sed quibuſque (ſicut præmittitur) contra alium, intra Regnum, patrias, dominia, aut terras ſuas prædictas, aliquid agentibus, tractantibus vel attentantibus expreſſe & cum effectu contradicet, renitetur, & impedimentum realiter præſtabit.

CAP. III.

Non invaduntur hoſtes, ſed auxilium rogatus Princeps præſtabit.

Item, conventum eſt ut ſupra: Quod neuter, imo nulla partium prædictarum, præſtabit auxilium, conſilium vel favorem notoriis hoſtibus vel inimicis alterius partis, tam per mare, terram, vel aquas dulces, infeſtare vel invadere volentibus: ſed bona fide, & mutuis auxiliis militaribus gentium, armatorum, expenſis tamen opem interpellantis quoties opus fuerit adjuvabunt, in quorum auxiliorum præſtatione, quod ad numerum attinet armatorum, habenda erit facultatis ratio illius partis, quæ ad ferendam opem rogabitur ſeu interpellabitur, ut ſcilicet ad non plus teneatur, quam tunc commodè facere poterit, conſiderata temporis & locorum opportunitate, ac ſtatu rerum ſuarum.

CAP. IV.

Rebelles non recipiendi.

Item, conventum eſt ut ſupra: Quod neutra partium prædictarum Rebellem vel Rebelles, profugum vel profugos alterius partis, in ejus Regna, patrias, dominia, terras, portus aut diſtrictus, aut eorum aliquem recipiet; nec eis, aut eorum alicui, in eiſdem, eorum vel aliquo aut alio quocunque loco, etiam extra eorum Regna, patrias, dominia, terras, portus aut diſtrictus, auxilium, conſilium, hoſpitium, gentes armorum, naves, pecunias, vel Victualia præſtabit ac miniſtrabit, nec ab alio aut aliis quibuſcunque in ejus Regna, patrias, dominia, terras, portus aut diſtrictus recipi; nec eis, aut eorum alicui, in eiſdem auxilium, conſilium, favorem, hoſpitium, gentes armorum, naves, pecunias, ac Victualia, dari, præſtari, miniſtrari, & concedi permittet, ſed expreſsè & cum effectu contradicet, obſtabit, & impedimentum realiter præſtabit.

CAP. V.

Rebelles per literas renuncias amovendi & proſcribentur.

Item, conventum, concluſum eſt, &c. Quod ſi altera partium prædictarum aliquem vel aliquos, ſuum vel ſuos fuiſſe, & eſſe Rebellem vel Rebelles, profugum vel profugos, & in ſua Regna, patrias, dominia, terras, portus vel diſtrictus, aut eorum aliquem receptum eſſe, vel receptos, aut ibidem latitare, aut ſe tenere, per litteras ſuas alteri ſignificaverit & declaraverit: tunc pars illa quæ hujuſmodi literas receperit, vel cui taliter ſignificatum aut declaratum fuerit, hujuſmodi Rebellem vel Rebelles, profugum vel profugos, intra menſem à die ſignificationis præcedente, proximo, & continuè numerandi tenebitur dicto Rebelli

belli vel Rebellibus, profugo vel profugis, præcipere & mandare; vel præcipi & mandari facere, ut extra sua Regna, dominia, patrias & terras, & eorum quodlibet recedat & exeat, recedant & exeant, & si intra quindecimam diem à die hujusmodi præcepti non recesserit & exierit, tenebitur illum & illos illico proscribere & bannire sub pœna capitali, & talem proscriptionem sive Bannum contemnentem vel contemnentes eadem pœna effectualiter puniet, seu puniri faciet:

Cap. VI.

Quod Rebelles non recipiantur in aliquo Territorio.

Item, præfati Oratores, Commissarii, Procuratores & Legati dicti Domini Archi-Ducis, & pro eodem Archi-Duce, ac ejus Nomine: hæredumque & Successorum Suorum Oratoribus, Commissariis, Procuratoribus & Legatis dicti Illustrissimi Regis Angliæ, & pro eodem Rege & Nomine, ejusque Hæredum & Successorum Suorum stipulantibus, palam & expresse promiserunt: quod nullus Rebellis præfati Illustrissimi Regis Angliæ, ejusque Hæredum & Successorum, in aliqua castra, oppida, villas, portus, districtus, vel alia loca, quæ Illustrissima Domina Margareta, Illustrissimi Domini Caroli Ducis defuncti, relicta, aut aliqua persona cujuscunque status aut dignitatis existat, infra patrias, Dominia & terras dicti Domini Archi-Ducis, jure Dotalitio, vel alio Titulo quocunque, habet, tenet seu possidet, aut in aliquod de cætero recipietur, nec per eam, aut per aliam quamcunque personam, recipi permittetur aut tolerabitur: nec alicui hujusmodi Rebelli in locis prædictis, aut aliis quibuscunque in navibus, gentibus armorum, pecuniis, victualibus, aut alio quocunque modo, consilium, favorem, aut auxilium per ipsam Dominam Margaretam, vel aliam quamcunque personam, de cætero dari aut præstari permittet aut tolerabit, sed eam aut aliam quamcunque personam hoc facere palam & expresse prohibebit & impediet.

Et si contra hujusmodi conventionem dicta Domina Margareta, aliæ personæ quæcunque præfato Domino Archi-Duci subditæ, aliquid attentaverit, vel attentari fecerit: Quod tunc præfatus Dominus Archi-Dux, tam dictam Dominam Margaretam, quam alios sic attentantes, omnibus & singulis, quæ jure Dotis, aut alio Titulo quocunque in Castris, Villis, Oppidis, & aliis locis prædictis, se habere, tenere aut possidere prætendet, aut prætendent, posteaquam eum aut eos aliquid contra hujusmodi Conventionem attentasse constiterit, realiter & cum effectu perpetuo privabit, & privari faciet. Et Regis Commissarii, Procuratores deputati Illustrissimi Regis Angliæ, pro eodem Domino Rege ejus Nomine, ac Hæredum & Successorum Suorum Oratoribus, Commissariis, Procuratoribus & Legatis Illustrissimi Domini Archi-Ducis, pro eodem dicto Archi-Duce, & ejus Nomine, nec non Hæredum & Successorum Suorum, stipulantibus, palam & expresse promiserunt: Quod nullus Rebellis præfati Domini Archi-Ducis, ejusve Hæredum aut Successorum, in aliqua Castra, Oppida, Villas, portus, districtus, vel alia loca, quæ Subditi prælibati Domini Regis cujuscunque status aut dignitatis fuerit, infra Regna, patrias & Dominia Sua, quocunque Titulo tenent, habent, aut possident, aut in posterum habere, aut possidere

dere continget, aut in eorum aliquid de cætero recipietur, nec per eos aut eorum aliquem recipi permittetur aut tolerabitur: Nec alicui hujusmodi Rebelli in Navibus, gentibus armorum, pecuniis, victualibus, aut alio quocunque modo, consilium, auxilium vel favorem per ipsos subditos aut eorum aliquem, dari aut præstari permittet aut tolerabit, sed ipsos & singulos quoscunque facere palam & expressè prohibebit & impediet. Et si contra hujusmodi Conventionem subditi Illustrissimi Regis Angliæ aut eorum aliquis, aliquid attentaverit, vel attentari fecerit, Quod tunc præfatus Dominus Rex, omnes & singulos sic attentantes, omnibus & singulis, quæ quocunque Titulo in Castris, Oppidis & Villis, & aliis locis prædictis, se habere, tenere, aut possidere prætendant, illum, illosve ipsius Subditos, contra hujusmodi Conventionem attentasse constiterit, Realiter & cum effectu, perpetuo privabit, & privari faciet.

CAP. VII.

In omni confœderatione cum aliis Principibus reservatio, si voluerint.

Item, Conventum est ut supra: Quod dictus Illustrissimus Dominus Rex Angliæ Suique Hæredes & Successores, in quibuscunque confœderationibus & amicitiis cum quovis Principe, Universitate, communitate, societate, aut aliqua alia persona deinceps contrahendis, dictum Dominum Archi-Ducem, Suosque Hæredes & Successores, reservabunt & comprehendent, si reservari & comprehendi voluerint: Et pari modo idem Serenissimus Dominus Archi-Dux, ejusque Hæredes & Successores, in quibuscunque Suis Confœderationibus & amicitiis cum quovis Principe, universitate, communitate, societate, aut alia qualibet persona deinceps contrahendis, præfatum Illustrissimum Regem Angliæ, ejusque Hæredes & Successores, reservabunt & comprehendent, si reservari & comprehendi voluerint.

CAP. VIII.

Amici & Confœderati utriusque Partis comprehenduntur in hoc fœdere.

Item, Quod ipsi præsenti Tractatu Pacis & amicitiarum comprehendantur alligati, amici & Confœderati utriusque Partis, illi, & videlicet qui in literis confirmatoriis hujus præsentis Tractatus per ipsos Principes denominabuntur, si comprehendi voluerint.

CAP. IX.

Licet attentatum sit contra, tamen fœdus durabit.

Item, Conventum est ut supra: Quod si durantibus Pace & amicitiis præfatis, aliquid contra vires & effectus eorundem, per terram, Mare & aquas dulces, per aliquem ipsorum Principum eorumve Hæredum & Successorum, vel eorundem

dem

dem Vasallos, subditos alligatos, aut eorum alligatorum Hæredes seu Successores, in his amicitiis comprehensione Subditos vel Vasallos fuerit attentatum, actum & gestum, nihilominus hæc Pax & amicitia in suis viribus & effectu permanebunt, & pro ipsis attentatis solummodo punientur ipsi attentantes & damnificantes, & non alii.

CAP. X.

Item, Conventum est ut supra: Quod omnes Mercatores, tam Regni Angliæ, Dominii Hiberniæ Villæ & Marschalliæ, Calisiæ, &c. quam etiam Mercatores terrarum & patriarum, Brabantiæ, Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Villæ & terræ Mechliniæ, & aliarum patriarum & dominiorum Domini Archi-Ducis prædicti tam Mercatores *Lanarum, Coriorum, Victualium, quam aliarum Mercantiarum quarumcunque, nec non eorum factores familiares, Negotiorum gestores & ministri, poterunt deinceps per terram pedestres aut equestres, aut alio modo quocunque, armati vel non armati* (dummodo armati simul incedentes quadragenarium numerum non excedant) *cum & sine Bonis & Mercantiis secure & libere ire & venire, invicemque communicare, & mercari, emere & vendere, ac Commercium facere & habere, tam de mercantiis Lanarum, Coriorum, Victualium, armorum, equorum, jocalium, quam aliis quibuscunque, ipsaque ducere & reducere, sive duci & reduci facere, ad eorum libitum & voluntatem,* de Calesia & Marchia ejusdem, ac aliis quibuscunque Partibus Regni Angliæ & Dominii Hiberniæ in Brabantiam: Flandriam, Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam, Mechliniam, ac alia dominia præfati Archi-Ducis: Et è contra de Brabantia: Flandria, Hollandia, Zelandia, & Mechlinia, ac dominiis præfati Archi-Ducis in Villam & Marchiam Calisiam, & alias quascunque Partes Regni Angliæ & dominii Hiberniæ, *absque aliquo impedimento aut prohibitione quacunque in contrarium, & absque eo quod propterea aliquam mulctam vel pœnam incurrant,* seu quod per dominos patriarum terrarum & dominiorum prædictorum hinc inde redargui, accusari, puniri vel mulctari queant, *statutis & ordinationibus locorum in omnibus semper salvis.*

CAP. XI.

Liber mercatus in locis ubi telonia solvuntur.

Item, Conventum est ut supra: Quod omnes Mercatores Regni Angliæ, Dominii Hiberniæ, Villæ & Marchiæ, Calisiæ, &c. tam Mercatores Lanarum, Coriorum, Victualium, armorum, equorum, jocalium, quam aliarum Mercantiarum quarumcunque, nec non eorum factores, familiares, Negotiorum gestores & ministri, nautæ, Magistri navium, & Marinarii, poterunt navigare, ire, transire, & redire per Mare & aquas dulces, eundo & redeundo conversari, esse, & morari securè & liberè in patriis, dominiis, & terris præfati domini Archi-Ducis, & etiam in portubus & littoribus patriarum, terrarum, & dominiorum prædictorum, per ipsum Dominum Archi-Ducem auctoritatis, in Villis videlicet ubi Custumarii & alii Officiarii Archi-Ducales sunt ordinati, ad vacandum &

attendendum pro & ſuper introitu & exitu Navium, Mercatorum & Mercantiarum, & non alibi, nec in aliis locis cum eorum bonis, Mercantiis & navibus prædictis quibuſcunque. Et cum Mercatoribus patriarum, terrarum & dominiorum præfati Domini Archi-Ducis, ſeu eorum Factoribus, familiaribus, Negotiorum geſtoribus & Miniſtris: nec non cum omnibus aliis Mercatoribus, cujuſcunque Nationis exiſtant, & eorum Factoribus, familiaribus, Negotiorum geſtoribus & Miniſtris de quibuſcunque Mercantiis, tam Victualium, quam aliis liberè mercari, emere, habere & vendere, ac Mercantias facere: poteruntque ad & in prædictos portus & littora patriarum, terrarum & dominiorum præfati Domini Archi-Ducis, *tam eorum propria bona, quam aliena ducere, vel duci facere,* & ab ipſis portubus ſeu littoribus, quotieſcunque, quandocunque & quocunque voluerint, ſecurè recedere & redire, cum eorum bonis, Mercantiis & Navibus prædictis quibuſcunque. Et pari modo Mercatores patriarum, terrarum & dominiorum præfati Domini Archi-Ducis, tam *Lanarum, Coriorum, Victualium, & aliarum Mercantiarum quarumcunque*; nec non eorum Factores, familiares, Negotiorum geſtores & Miniſtri, Nautæ, Magiſtri navium & marinarii, poterunt de cetero ſecurè & liberè navigare, ire, tranſire & redire Mare & aquas dulces, & eundo & redeundo converſari, eſſe, & morari in dictis Regni Angliæ & Hiberniæ dominio, Villa & Marchia, Caleſia, &c. in portubus & littoribus ipſorum per præfatum Dominum Regem Angliæ auctoriſatis, in Villis videlicet. *Vbi Cuſtumarii & alii Officiarii Regii* ſunt ordinati, ad vacandum & attendendum pro & ſuper introitu & exitu Navium, Mercatorum & Mercantiarum & non alibi, cum eorum bonis, Mercantiis & Navibus prædictis quibuſcunque, & cum Mercatoribus Angliæ, Hiberniæ, Caleſiæ & Marchiæ ejuſdem, ſeu eorum factoribus, familiaribus, Negotiorum geſtoribus & Miniſtris de quibuſcunque Mercantiis, tam Victualium quam aliis, liberè mercari, emere & vendere, ac Mercantias facere, poteruntque ad & in prædictos portus Angliæ, Hiberniæ & Caleſiæ, *tam eorum bona propria quam etiam aliena ducere, vel duci facere,* & ab ipſis portubus, ſeu littoribus, quotieſcunque, quandocunque & quocunque voluerint, liberè & ſecurè recedere & redire, cum eorum bonis, Mercantiis & Navibus, abſque eo quod ipſi propterea per Dominos Regnorum, dominiorum, patriarum & terrarum prædictarum, ſeu eorum Officiarios, quovis pacto redargui, vel aliqua pœna mulctari poſſint: Seu quod per eoſdem ipſis mercatoribus aliquod damnum, præjudicium, vel impedimentum fieri aut inferri poſſit, per viam facti occaſione guerræ vel deprædationis, aut attentatorum factorum vel fiendorum, vel alio modo ex cauſa quacunque, ſolvendo tamen quantum attinet ad mercatores utriuſque Partis partium prædictarum pro rebus, bonis & mercantiis ſuis, jura & telonia, quæ ante 50 annos proxime elapſos, *ſtatuta, ſolita, & conſueta fuerunt, & non alia.* Et nihilominus poterunt utriuſque Partis Principes in Dominiis Suis, quoad Subditos Suos, talia jura & telonia, quæ voluerint, de novo inſtituere; poterunt etiam non obſtantibus prædictis, cauſa neceſſitatis, victualia & alia (juſta & rationabili cauſa) prohibere, & defendere; ne tale genus Victualium, quod eis magis videbitur expedire, à dominiis extrahatur.

CAP.

CAP. XII.

Victualia defendere causa necessitatis.

Item, Conventum est ut supra: Quod Mercatores utriusque Partis partium prædictarum, & eorum factores, familiares, Negotiorum gestores & Ministri, nec non Magistri navium, marinarii & nautæ, poterunt licite ducere, portare & habere cum illis & super illos in eorum navibus arma invasiva, defensiva, cujuscunque generis fuerint, ad se, eorum corpora, bona, mercantias & naves, salve & secure contra quoscunque servandum & defendendum tam eundo, & redeundo per mare & aquas dulces, quam morando in aliquo portu partium prædictarum, ac cum applicueriut, quotiescunque, ubicunque, quandocunque, & quacunque hora id contigerit, eorum gladios, dagatios, lanceas, & cultellos secum usque ad terram & per terram ad eorum hospitia, libere & impune deferre & portare, prius tamen quod in eorundem hospitiis, gladios & lanceas deponent & relinquent, quousque ad eorum naves redierint.

CAP. XIII.

Mercatoribus utriusque Principis tutum libere habitare.

Item, Conventum est ut supra: Quod Mercatores utriusque Partis partium prædictarum, ac eorum factores familiares, Negotiorum gestores & Ministri, nautæ, Magistri navium & marinarii tuto & secure morabuntur in Regnis, dominiis, terris & patriis Principum prædictorum, & eorum utriusque. Nec non in eorum portubus & littoribus cum eorum bonis, navibus & mercantiis quibuscunque, absque eo quod ipsi vel eorum aliquis ullum damnum, injuriam, vel præjudicium aliquod, aliis mercatoribus cujuscunque alterius nationis, aut eorum factoribus, Negotiorum gestoribus, ministris, nautis, Magistris navium aut marinariis facient, aut fieri procurabunt. Et quod Mercatores aliarum patriarum, nationum, eorum factores, Negotiorum gestores, ministri nautæ, Magistri navium & marinarii, Mercatoribus & Subditis alicujus Principis, Principum prædictorum, nullum damnum, injuriam, vel præjudicium aliquod in locis prædictis inferant, aut inferri procurent.

CAP. XIV.

Piscatoribus utriusque Principis subditis tam per Mare quam terram liberum commeatum fore.

Item, Coventum est ut supra: Quod Piscatores utriusque Partis partium prædictarum, cujuscunque conditionis existant, poterunt ubique ire, navigare, per mare secure piscari, absque aliquo impedimento, licentia, seu Salvo-Conductu. Et si contingat aliquos ex Piscatoribus unius Partis, per fortunam, tempestatem maris, vim hostium aut alio modo compelli intrare in aliquem portum vel districtum alterius Partis, Iidem pacifice & amicabiliter recipientur & tractabuntur,

buntur, solvendo in locis ubi applicabunt jura & telonia prædicta, & ab aliis portubus & locis poterunt libere recedere, & redire cum eorum navibus & bonis, sine impedimento vel contradictione quacunque: Dummodo tamen per ipsos Piscatores non committatur fraus neque dolus, seu per eos aliis damnum minime fiat.

CAP. XV.

Piratæ non recipiendi.

Item, Conventum est ut supra: Quod in nullis portubus aut littoribus partium prædictarum, aut eorum alterius Piratæ, aut alii, sine auctoritate Suorum Principum guerram super mare facientes, sive Natione partium prædictarum, aut alterius Nationis cujuscunque fuerint, aliquo modo receptabuntur, neque ipsis, aut eorum alicui, ibidem seu alibi, in Regnis, patriis, dominiis, & terris, Principum prædictorum, in pecunia, armis, instrumentis bellicis, victualibus, aut alia re quacunque, aliquo pacto auxilium præstabitur, nec favor quo quis quæsito colore præbebitur sub pœna resartionis & restitutionis omnium damnorum, expensarum, & interesse subditis prædictis, aut eorum alicui, per hujusmodi Piratas aut violentos deprædatores illatorum & fiendorum, tam per ipsos Piratas, si deprehendantur, & solvendo sint, quam etiam per eorum receptatores, factores & auxiliatores. Qui quidem Piratæ & deprædatores, eorumque factores & auxiliantes, ad hæc præcisa & summaria cognitione cogentur tam in personis quam bonis per locorum seu districtuum Officiarios, ubi talia contigerint. De quibus damnis, expensis & interesse, si aliàs probari non poterunt, stabitur fidei & juramento damnificatorum. Et si contingat hujusmodi Piratas, deprædatores, eorum factores & auxiliantes, super hujusmodi Piratica deprædatione, favore vel auxilio ut permittitur convinci, quod tunc hujusmodi Piratæ, deprædatores, eorum fautores & auxiliatores, damna & expensas restituent. Et si hujusmodi resartionem & restitutionem intra quatuor dies proxime & immediate sequentes diem, quod de hujusmodi Piratica deprædatione favore vel auxilio conjuncti fuerint, cum effectu facere recusaverint, tunc hujusmodi Piratæ, deprædatores, factores & auxiliatores, ad restitutionem duplicium damnorum, expensarum & interesse sic damnificatis faciendis per locorum & districtuum Officiarios compellantur & cogantur.

CAP. XVI.

Bona per Piratas capta.

Item, Conventum est ut supra: Quod si per aliquos Piratas, aut alios ut permittitur guerræ operam dantes, aliqua bona Mercatorum vel Subditorum unius vel alterius partium prædictarum super mare capiantur, & in aliquem portum unius vel alterius partium prædictarum adducantur, non poterunt bona sic capta & deprædata ibidem per ipsos Piratas, vel alios quoscunque, poni ad terram, ponantur, ibidemve vendantur, vel alienentur, de ipsis bonis, seu vero valore

lore eorundem, cum damnis & interesse per deprædatos in ea parte sustentis & habitis. De quibus, valore, damnis & interesse (constito tamen prius de ipsa prædatione) licebit per eorum juratam assertionem, si alias probari non poterit, per Officiarios locorum restitutio fiet, ipsis damnificatis & deprædatis: ad quas Restitutiones faciendas habebunt Officiarii locorum, & alii, quos Principes ipsi in Oppidis & portubus suis deputare voluerint, commissiones speciales in tali casu requisitas, & hunc Articulum de verbo ad verbum in se plene continentes, quibus mediantibus prædicti Officiarii restitutionem hujusmodi facere tenebuntur, sub pœna ab eis recuperandi verum & justum valorem omnium spoliatorum & ablatorum hujusmodi, una cum prædictis damnis & interesse sic damnificatis. Fient insuper edicto publico prohibitiones pœnales in portubus & littoribus utriusque Partis partium prædictarum, ne quisquam, cujuscunque nationis aut conditionis is existat, talia bona per Piratas, aut alios ut præmittitur guerræ operam dantes, capta & deprædata, & ad terram posita, vel infra portum inventa, emere, vel quovis alio Titulo recipere præsumat in præjudicium vel detrimentum damnificatorum, seu aliorum quorumcunque interesse habentium. Et quod Officiarii locorum, quoties casus acciderit, sub pœna recuperandi ab eis bona & mercimonia hujusmodi capta, & adducta in portum aliquem partium prædictarum, pro damnis interesse statim ipsam navem, magistros & marinarios ejusdem, necnon bona & mercimonia quæcunque in eadem nave reperta, sub tuto Arresto & salva custodia ponant, servanda ad utilitatem damnificatorum, & eorum quorum interit: Idemque locorum Officiarii procedent ad correctionem Piratarum & delinquentium in navi repertorum secundum casuum exigentiam.

Cap. XVII.

Cautio præstanda pro Navibus in Mare exituris.

Item ad finem, ut Captiones Navium, personarum & bonorum unius partis super alteram de cætero cessent, conventum, concordatum, & conclusum est, quod quandocunque aliqua Navis, cujuscunque Indigenæ, unius vel alterius partis partium prædictarum, exitura est ab aliquo portu sive districtu Principum prædictorum, seu eorum, alterius Majores & Gubernatores Civitatis, Oppidi, sive Villæ, quibus portus sive districtus hujusmodi adjacent, quibuscunque Nominibus, Officiis aut appellationibus iidem Gubernatores censeantur, capiant sufficientes securitates de & pro dominis, proprietariis possessoribus, magistris Bursariis & Victuellariis navis hujusmodi, ad duplum valoris navis apparatus, & victualium ejusdem: Quod Magister ejusdem Navis, Capitanei, Marinarii, & omnes in eadem Nave existentes, cujuscunque status aut conditionis existant, servabunt Pacem erga quoscunque Subditos Principum prædictorum, & quod nullam eis injuriam seu violentiam in terra, Mari, fluminibus, aut portu aliquo facere vel inferre præsumant. Quod si hujusmodi Securitatem præstare noluerint, non permittent, imo impedient expresse ipsos Mercatores & gubernatores navium hujusmodi quoquo modo exire, nisi proprietarii sive Bursarii ejusdem navis Regalem vel Archi-Ducalem licentiam respective suo sub sigillo

per tempeſtatem maris, hoſtium, vel aliam cauſam, compellantur in aliquem portum unius Partis vel alterius applicare vel intrare; Naves illius partis quibus talia contigerint, cum Mercatoribus, & Nautis ſeu Marinariis, aut aliis perſonis quibuſcunque, non probabiliter ſuſpectis, id ipſis exigentibus, in alterius Partis portubus ſecure erunt & recipientur, & ab ipſis portubus poterunt libere recedere cum eorum bonis & Mercantiis, ſine contradictione & impedimento proviſo, quod bona & Mercandiſæ, quæ in ipſis Navibus erunt, niſi urgente neceſſitate, non ponentur ad terram, nec in alias Naves, ſine licentia Officiorum Principis illius patriæ, ubi talia contingent, vel aliorum ad hoc poteſtatem habentium.

Cap. XXII.

Naves alterutrius libertatem Subditorum habere.

Item, Conventum eſt ut ſupra: Quod Nautæ, Magiſtri Navium & Marinarii, Subditi præfatorum Principum, poſt adventum ipſorum ad portus unius vel alterius Principum eorundem, poterunt libere imponere & ligare eorum Naves tam oneratas & non oneratas, quam ad guerram diſpoſitas, dummodo non fuerint Piraticæ, in eiſdem portubus & littoribus eodem modo, quo poterunt ipſius Principis Subditi proprii.

Cap. XXIII.

Non licere diſſimulare bona inimicorum.

Item, Conventum eſt ut ſupra: Quod Subditi unius Principum prædictorum, ſive Mercatores fuerint, ſive Nautæ Magiſtri navium aut marinarii, non adducent, ſeu adduci facient per mare fraudulose, vel quorumcunque colore, aliqua bona ſeu marcandiſas inimicorum alterius eorundem Principum: Et ſi ſecus egerint, & per ſubditos alterius Principis guerræ licitè operam dantes ſuper hoc interrogati fuerint, tenebuntur facere veram, planam & juſtam confeſſionem & declarationem, cui in ea parte pro tunc ſtabitur, iidemque interrogantes ulterius ſcrutamen in ea Parte non facient. Sed ſi poſtea eundem interrogatum falſo reſpondiſſe conſtiterit, tunc idem interrogatus interroganti, quem per falſam reſponſionem defraudavit, tantum de ſuo erogare tenebitur, quantum merces inimicorum per eum vectas, & ut præmittitur celatas, valuiſſe conſtabit.

Cap. XXIV.

Si Navis naufragium fecerit.

Item, Conventum eſt, &c. Quod quotieſcunque contigerit, aliquam Navem unius Partium prædictarum cum bonis & mercandiſis oneratam, per fortunam tempeſtatis maris, vel alio caſu quocunque tangere terram & naufragium facere, periclitari, aut alio modo quocunque perire: prope portus, limites & coſteras, vel in portubus, limitibus aut coſteris alterius Partis, licet in ipſa navi

non remaneat vir, mulier, puer, cattus, canis, vel gallus vivens, bona tamen & Mercandisæ qualiacunque, quæ ad terram applicabunt, vel aliter servari aut recuperari continget, non propter hoc dicentur confiscata, nec pro confiscatis reputabuntur, sed per Officiarios locorum, in quibus sic casus acciderit, salvæ & securæ custodiæ committentur, sub eadem sic remansura per annum unum, & diem tunc proxime & immediate sequentem: Intra quem terminum si quisquam supervenerit, & si rerum ac bonorum ipsorum certum proprietarium fuisse constiterit, res & bona ipsi sine difficultate vel dilatione aliqua plene restituentur, solvendo tamen iis, quorum opera & diligentia res & bona ipsa recuperata, salvata & custodita fuerint, rationabiles expensas, & custodibus salarium competens, prout ratio & æquitas postulabit.

CAP. XXV.

Mercatores alterutrius licere domos habere.

Item, Conventum est ut supra: Quod Mercatores, qui Subditi sunt uni Principum prædictorum, poterunt tenere & habere in villis & oppidis alterius Principis domos & habitationes, pro ipsis & rebus suis in iisdem recipiendis, servandis & exponendis, ibidemque iisdem Privilegiis, libertatibus & Franchisiis, utentur & gaudebunt quibus ibidem usi & gavisi sunt ante quinquaginta annos ultimè & immediatè præcedentes, adeoque benigne & amicabiliter tractabuntur in iisdem, sicut aliæ nationes ipsas Villas & patrias frequentantes.

CAP. XXVI.

De Scrutatoribus.

Item, Conventum est ut supra: Quod Officiarii Principum prædictorum, & eorum utriusque, ad scrutandum mercandisas, per terram, mare vel aquas dulces, vectas vel vehendas ordinati in visitando mercandisas vel naves, nihil damnificabunt de bonis seu mercibus subditorum unius vel alterius Principum prædictorum, sed ea bene & honeste tractabunt & visitabunt, absque violentia, frangendo pugionibus vel aliis quibuscunque instrumentis, Barellos, saccos, cistas, sarcinulas, seu alias Paccaturas quascunque, & temere contravenientes teneantur pœna incarcerationis per unum mensem, una cum damnis & interesse partis læsæ: Qui vero ex nulla rationabili & probabili causa hujusmodi Barellos, cistas & alias Paccaturas fregerint, aperuerint vel dissolverint, ad hujusmodi Barellos, saccos, cistas & alias Paccaturas, resarciendas, reparandas suis sumptibus, & expensis teneantur. Scrutatores autem hujusmodi in exequendo suo Officio in patriis partium prædictarum, nullas exactiones super ipsos, quorum bona seu merces scrutantur, facient. Nec eosdem cogent ad venditionem rerum suarum, aut alicujus partis, pro aliquo pretio per ipsos scrutatores contra voluntatem venditorum statuto.

CAP.

CAP. XXVII.
Si debitor de fuga sit suspectus.

Item, Conventum est ut supra: Quod quotiescunque Mercatores, & Subditi Illustrissimi Regis Angliæ, pro solutione habenda suos conveniunt debitores, in terris, patriis & dominiis dicti Domini Archi-Ducis, coram Judicibus & Legislatoribus ad hoc ordinatis & deputatis, allegabunt debitores suos suspectos, & si judicium subire cogantur, tunc hujusmodi Judices & Legislatores, si requisiti, probationes dictorum Angliæ Subditorum, si quas obtulerint, ad probandam hujusmodi suspectionem fugæ, sine aliqua mora & difficultate eas admittent: Et si nullas habuerint, tunc ipsorum Angliæ Subditorum juramento, quoad prædictam fugæ suspicionem stabitur, præstita per eos primitus idonea cautione de solvendis expensis & interesse iis, quot sic ad judicium trahere poterint casu, quo ex eventu, se litem injuste movere, constiterit. Et hoc facto, debitores ponentur absque aliis monitoribus statim sub Arresto, donec sufficientes cautiones de judicio sisti & judicato solvendo præstiterint. Privilegiis, quoad effectum præsentis Articuli, sub quacunque verborum serie, Civitatibus, Castris, Oppidis, villis, burgis, in contrarium concessis, vel postea concedendum, usu aut consuetudine quibuscunque non obstantibus: quibus tamen debitoribus sic arrestatis, & sub arresto manentibus, si petant, dabitur terminus octo dierum, ad probandum se de fuga non esse suspectos; & hoc probato, cessabit arrestum. Et nihilominus propter hujusmodi dilationem octo dierum, processus sub debito principali nullatenus retardabitur, & similis in Regno Angliæ ministrabitur justitia Mercatoribus & Subditis patriarum terrarum, dominiorum præfati Domini Archi-Ducis, adversus eorum debitores, in tribus Curiis, videlicet, *in curia Cancellariæ, Constabularii, & magni Concilii*, etiam super omnibus obligationibus factis ultra Mare, & in Moneta Flandriæ, etiam quorum solutio destinata est ad aliquem locum patriarum terrarum, & dominiorum Domini Archi-Ducis, dummodo dies solutionis sit præterita, non obstantibus quibuscunque ordinationibus vel consuetudinibus Civitatum, Oppidorum, seu locorum Angliæ in contrarium, in quibus quidem Curiis tenebuntur Angliæ debitores peremptorie procedere absque eo quod ipsas seu earum alteram possunt declinare.

CAP. XXVIII.
De damno illato.

Item, Conventum est, &c. Quod quotiescunque contigerit, Subditis Domini Regis Angliæ à Subditis præfati Domini Archi-Ducis, vel Subditos ejusdem Domini Archi-Ducis à Subditis prædicti Domini Regis Angliæ, quoquo modo lædi vel damnificari; non debent propterea per literas Represaliorum, Marcæ, vel contra Marcæ, aut alia Mandata quæcunque (debitis admonitionibus & submonitionibus non præcedentibus) qui damna non tulerunt, ad petitionem damni-

damnificatorum, vel alio modo in personis vel bonis arrestari, vel quovis modo impediri aut molestari. Nec guerra ob id fieri vel moveri debet, sed per Principes unius vel alterius partis attentata, ipsa debite reparabuntur, & in priorem statum reponentur, hujusmodique literæ Represaliorum Marcæ, & contra Marcæ & similia mandata quæcunque, nisi prædictis admonitionibus, quoad ipsas partes; submonitionibus, quoad Principes præcedentibus & legitime factis, deinceps omnino cessent: Et si aliter concedantur, pro nullis habeantur.

CAP. XXIX.
Præterita Represalia in suspenso habeantur.

Item, conventum est ut supra: Quod omnes & singulæ literæ Represaliorum, aut de Marca vel contra Marca, ex Cancellaria vel alia curia Principum prædictorum, aut eorundem prædecessorum, aut cujuscunque prosecutionem, vel ob causam quamcunque ante concessæ vel emissæ, in suspenso tenebuntur, nec poterit earum aliqua fieri executio, nisi super earum meritis habita cognitione indicta, ad hoc per ipsos Principes specialiter deputandum, aliter fuerit ordinatum: Et pari modo omnes & singulæ deprecationes & violentæ captiones super mare hinc inde, ante diem Octob. decimum tertium ultimo præteritum factæ, similiter tenebuntur in suspenso: nec poterit super iisdem aut eorum aliqua actio intentari aut admitti. Nec literæ Represaliorum dari, nisi super eorum meritis habita cognitione indicta, ad hoc per ipsos Principes specialiter deputandum, aliter fuerit ordinatum.

CAP. XXX.
De castro Sclusa.

Item, Conventum est ut supra: Quod authoritate dicti Domini Archi-Ducis sufficienter provideatur (sive mandato ejusdem aut alia valida via & effectuali) Capitaneo Castri de Sclusa, Quod quotiescunque contigerit, Mercatores vel Subditos Regis Angliæ, per ignorantiam, vel alio modo fraudulento, vel malitiose intrare portum ipsius Castri de Sclusa, quæ si intrantes tam in personis, bonis & rebus, honeste & cum omni decentia tractet, absque eo quod quicquam de eis propterea exigat.

CAP. XXXI.
De transportatione.

Item, Poterunt Mercatores Regis Angliæ deinceps quascunque massas auri vel argenti, vocata, Billion, extra patrias Domini Archi-Ducis, per eos seu eorum deputatos vel factores emptas, vel aliter acquisitas, seu in posterum emendas vel acquirendas, licenter & impune per quæcunque loca patriarum Domini Archi-Ducis ducere, vel duci facere, & ab iisdem locis & patriis in Regnum Angliæ totiens quotiens voluerint conducere & transportare poterunt & valebunt, pro-

proviso quod dicti Anglici, seu eorum factores, hujusmodi Billoniam per se vel factores suos emptam, seu ut præmittitur acquisitis, una cum certificatione authentica villæ & oppidi, ubi ipsam Billoniam emerunt, vel aliter acquisiverunt, & quantitatis ejusdem principali Officiarii dicti Domini Archi-Ducis, vel in ejus absentia suas vices gerentibus proximæ villæ, post introitum suum in patrias Domini Archi-Ducis, exhibeant & ostendant. Super qua ostensione ipsi ostendentes testimoniale seu certificatorium manu Domini Officiarii, vel ipso absente suas vices gerentis signatum, vel ipsius sigillo sigillatum, ab eo cui talis ostensio fiet recipient & habebunt: nihil penitus, pro dicto testimoniali aut alia quacunque causa, solvendum, præter unum solidum grossorum Flandriæ. Et casu quo dictus Anglicus hujusmodi Billoniam per se vel suos factores emptam, seu ut præmittitur acquisitam educere voluerit, & in exitu à patriis testimoniale seu certificatorium prædictum non exhibuerit, tunc pœnam illam incurret, quam incurrent extrahentes Billoniam, intra Partes Domini Archi-Ducis, Anglia.

Cap. XXXII.

Pondera debere justa, non fraudulenta esse.

Item, Conventum est ut supra: Quod omnes Mercatores & Subditi dictorum Principum, vero, publico, legali, & non privato pondere, in terris, & patriis illis ab antiquo usitato & consueto, sine quocunque dolo, fraude & machinatione, aut duorum digitorum ad hujusmodi pondera fraudulenta appositione de cætero utantur. Et si aliqui Mercatores & Subditi dictorum Principum contrarium facere præsumserint; Princeps cujus subditus hoc facere tentaverit Subdito alterius Principis, qui se per hujusmodi pondus damnificatum probaverit, expeditam justitiam faciet, & partem sic damnificantem ad plenam & perfectam restitutionem omnium damnorum, expensarum & interesse, sine dilatione quacunque compellet.

Cap. XXXIII.

Deputati convenient pro sedandis discordiis inter Mercatores stapulæ Calesiæ.

Item, Conventum est ut supra: Quod in sedandum & componendum lites, discordias & differentias inter Mercatores stapulæ Calesiæ & Subditos Domini Archi-Ducis, stapulam concernentes in villa Calesiæ, primo die Maji proxime futuro convenient Deputati Mercatorum utriusque partis: & casu, quo per ipsos Deputatos hujusmodi lites, discordiæ & differentiæ, sedari & componi non possint, fiet relatio Principibus prædictis qui aliter pro hujusmodi litibus, discordiis & differentiis sedandis, prout ratio & æquitas dictabunt, providebunt.

Cap.

CAP. XXXIV.

Idem Capite nono dicit.

Item, Conventum est ut supra: Quod si, durantibus Pace & amicitiis prædictis, aliquid contra vires & effectus earundem, per terram, mare, & aquas dulces, per aliquem ipsorum Principum eorumve Hæredum aut Successorum, vel eorundem Vasallos, Subditos vel alligatos, aut illorum alligatorum Hæredes seu Successores, in iis amicitiis comprehensorum, contra Subditos vel Vasallos fuerit attentatum, actum & gestum, nihilominus hæc Pax in suis viribus & effectu permanebit, & pro ipsis attentatis ipsi damnificantes solummodo punientur, & non alii.

CAP. XXXV.

Obligatio Nobilium & Civitatum.

Item, ad securiorem & firmiorem tam amicitiarum quam Mercium Intercursus observantiam, præfatus Dominus Rex per Suas literas Mandatum dabit speciale, Reverend. in Christo patri Domino Joanni Cardinali, Cantuariensi Archi-Episcopo, & Apostolicæ sedis Legato, Reverendiss. in Christo patribus, D. Richardo Duvoliensi Episcopo, custodi privati sigilli; D. Thomæ Wintoniensi Episcopo Joanni Dinham, Domino Dinham, Thesaurario Angliæ, Thomæ Domino Marchioni Dorset; Joanni Comiti Oxoniensi, magno Camerario, Edmondo, Comiti Suffock; Thomæ Comiti Arundel, Thomæ Comiti Derbyæ; Georgio Comiti Salisburiæ, Joanni Wallis Vice-Comiti Dabney, Ægidio, Domino Dabney, Joanni, Priori Domus Sancti Joan. Jerusalem in Anglia: Nec non Majoribus, Ballivis Civitatum ac Oppidorum sequentium ut supra, Londinum, Eboracum, Bristollium, Wintonium, Cantuaria, Rochestria, Southamptonia, Santwichum, Doberium, Linna, Derthmouth, Plemouth, Hulla, Winchelsa, Bostonia, Yermouth & Bervicum: Quod se obligabunt & quilibet eorum se obligavit, in formam sequentem. *Omnibus Christi fidelibus has literas inspecturis, visuris & audituris*, Joannes Cardinalis Archi-Episcopus Cantuariensis; Rich. Duvolniensis Episcop. Thomas Winton, Episcopus; Joannes Dynham; Thomas Marchio Dorset, Joannes Vice-Comes Oxoniensis, Edmundus, Comes Suffok, Thomas, Comes Arundel, Thomas, Comes Derbyæ, Thomas, Comes Salisbur. Joann. Welles, Vice-Comes; Ægydius Dabney, Joannes, Prior Domus Sancti Joann. Jerusalem in Anglia; Nec non Majores, Ballivus Villarum seu Oppidorum, de Lond. Eborac. Bristol. Winton, Cantuar, Rochest. Southampton, Sandwinch, Douvre, Linnen, Derthmouth, Plemouth, Hulle, Winchelse, Boston, Yermouth & Barvike, *salutem in Domino sempiternam.* Cum inter Illustr. Principem Henricum, Dei gratia, Angliæ, Franciæque Regem, & Dominum Hiberniæ, ex una, & Sereniss. Principem Philippum, Dei gratia, Austriæ Archi-Ducem, Burgundiæ Ducem, &c. ex altera partibus quædam amicitiarum, intelligentiarum, & Merciarum Intercursus, Mercatorumque communicatio,

catio, ac alia etiam eosdem Principes, & Subditorum Suorum, Regnorum patriarumque utilitatem concernentia, Tractatus & Fœdera, de data 24. die Mensis Februarii Anno Domini 1495. Londini inita, conventa, conclusa, & finaliter determinata fuerint, quos quidem Tractatus amicitiarum, & Mercium Intercursus, vidimus & intelleximus & hic pro insertis habere voluimus. Noveritis nos præfatos Joannem Cardinalem, Archi-Episcop. Cantuar. Richar. Duvolniens. Episcop. &c. Et Majores, Ballivus Villarum sive Oppidorum prædictorum, ad Requestam & Mandatum præfati Domini Regis; ac suarum literarum nobis in ea Parte directarum & deliberatarum, quas pro insertis habere voluimus, contemplatione in bona fide promisisse, ac nos & quemlibet Nostrum, Hæredes & Successores Nostros, præfato Illustriss. Principi Philippo, Archi-Duci Austriæ, Duci Burgundiæ, &c. ejusque Hæredibus & Successoribus, sub hypotheca & obligatione omnium bonorum Nostrorum præsentium & futurorum obligasse, sicque, per præsentes, promittimus & obligamus, quod effectualiter procurabimus, instabimus, ac quantum in nobis erit efficiemus; Quod idem Dominus Rex, ejusque Hæredes & Successores, omnia & singula prædicta, tam amicitiarum quam Mercium Intercursus, omniaque & singula in eisdem contenta & specificata, bene & fideliter tenebunt, & observabunt & adimplebunt, ac per Nos Subditos, Vasallos, quantum eos concernit, ac in posterum concernet, bene & fideliter facient teneri, observari & adimpleri, in contravenientes justitiam ministrabunt, seu ministrari facient. In cujus rei testimonium, &c. Et pari modo Illust. Dux, Archi-Dux, per suas literas mandatum dabit speciale, Reverend. in Christo Patri & Domino Henrico de Bergis, Episcop. Cameracensi, Carolo de Croy, Principi de Chimay, Philippo de Burgundia, Domino de Bevres, Joanni, Domino Egmondo, Gubernatori Hollandiæ; Wilhelmo de Croy, Domino de Chievre, Antonio de Rellin, Domino de Emeri; Baldowino de Lannoy, Domino de Molenbays; Francisco de Busleyden, Domino præposito Leodiens. & Sancti Donatiani, ac Joan. de Tinare, Denteville Domino Capitaneo de Brugis, nec non Burgimagistris Villarum seu Oppidorum de Gandavo, Brugis, Ypres, Dunkercke, Nieupoort, Antverpia, Berges, Dordrecht, Delft, Leyden, Amsterdam, Middelborch, Ziericzee, Vere, Mechlinia, & Bruxella vel Briela, quod se obligabunt, & quilibet eorum se obligabit, secundum vim, formam & effectum obligationis prædictæ, mutatis quæ in ea Parte mutandis: Quas quidem omnes & singulas obligationes, modo & forma præmissis, conceptas 35. die Maji proxime futura idem Illustrissim. Rex Angliæ, in Ecclesia beatæ Mariæ virginis Calesiæ Deputato, vel Deputatis dicti Domini Archi-Ducis tradet & deliberabit, & tradi & deliberari faciet: Et pari modo Illustrissim. Dominus Archi-Dux omnes & singulas obligationes, modo & forma præmissis, conceptas 15. die Maji prædicto, in Ecclesia prædicta Deputato, vel Deputatis ejusdem Regis, tradet & deliberabit, aut tradi & deliberari faciet.

CAP. XXXVI.
De confirmatione.

Item, Conventum est ut supra: Quod Sereniss. Princeps Rex Angliæ, omnia & singula, tam amicitiarum quam Mercium Intercursus, Capitula, sic inter eum, ejus Hæredes & Successores, ut præmittitur, inita & contracta, per suas literas patentes sub magno sigillatas, ac manu propria subscriptas, ratificabit & confirmabit, ea sic sigillata, subscripta & confirmata, 15. die Mensis Maji, proxime futura, post datum præsentium, in Ecclesia B. Mariæ Virgin. in villa Calesiæ Deputato vel Deputatis dicti Domini Archi-Ducis tradet & deliberabit, ac tradi & deliberari faciet: Et simili modo Illustriss. Dominus Archi-Dux omnia & singula, tam amicitiarum quam Mercium Intercursus, Capitula, sic inter eum, ejusve Hæredes & Successores, ut præmittitur, inita & contracta, per suas literas patentes sub magno sigillo sigillatas, & manu propria subscriptas, ratificatas & confirmatas, 15. die Mensis Maji, proximè futura, post datum præsentium, in Ecclesia B. Mariæ Virginis in villa Calesiæ, Deputato vel Deputatis dicti Sereniss. Principis Regis Angliæ tradet, ac deliberabit, ac tradi & deliberari faciet.

Sequuntur tenores Commissionum de quibus supra fit mentio Henrici VII.

Commissio Serenissimi Regis Angliæ.

Henricus, Dei gratia, Rex Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Dominus, Omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint salutem. Sciatis quod nos de fidelitatibus, industriis, & providis circumspectionibus dilectorum & fidelium Conciliatorum Nostrorum, Reverendi in Christo Patris Richardi Duvolniensis Episcopi, custodis privati Sigilli Nostri; Joannis Vice-Comitis Wellis, & Joannis Kendal prioris domus Sancti Joannis Jerusalem in Anglia; nec non dilectorum & fidelium Nostrorum Cancellariæ Nostræ, Christophori Urswijcke Archidiaconi, Richimondi & Joannis Risley militis, quam plurimum confidentes ipsos Nostros veros & indubitatos Commissarios, Oratores, Procuratores, Factores actorum, & Deputatos assignavimus; facimus, constituimus, ordinamus & deputamus per præsentes, dantes & concedentes eisdem plenariam potestatem & auctoritatem, ac mandatum generale & speciale, pro nobis, regnis, terris, dominiis, subditis, vasallis & amicis alligatis, faventibus & adhærentibus Nostris quibuscunque, cum Nobili Viro Domino de Bevres, locum tenente, Gubernatore, & Capitaneo generali Arthesiæ, & Admirallo, ac dilectis nobis, Paulo de Beanst, Domino de Vermizelle, Præside Flandriæ, Roberto de Mellum, Domino de Ronny, Camerario, Domino Daniele, Domino de Patris, Domino de Mertode, Camerario, & superiore Ballivo Flandriæ, Joanne Cortwijcke, & Thoma Portunarii, Cancellario, & Magistro Florentio Hauvel, Secretario, Ordinanciarum Ambassiatoribus, Procuratoribus, Legatis & Nun-

Nunciis, Illuſtriſſ. Philippi, præclariſſimi conſanguinei Noſtri Philippi, Archi-Ducis, Auſtriæ, Burgundiæ, &c. poteſtatem ſufficientem & auctoritatem ab eo conſanguineo noſtro habentibus, tam de & ſupra vera, firma & reali Pace, amicitia atque concordia, ac etiam ligis, amicitiis, confœderationibus, Treugis, & guerrarum abſtractis, Fœderibus, affinitatibus & intelligentiis, quoniam de & ſuper quibuſcunque Commerciis, exercitiis Commerciorum, ac mutuo & amicabili Intercurſu Mercandiſarum, inter hos & Succeſſores Noſtros, atque Regna, terras & dominia, patrias & loca Noſtra quæcunque, & dictum Illuſtriſſimum Principem conſanguineum Noſtrum, Hæredem, & Succeſſores Suos, atque Regna, terras, & dominia, patrias, & loca ſua quæcunque, Subditos, Vaſallos, Confœderatos, & Suos quoſcunque capiendis Pacis, ſeu de conveniendis, celebrandis, componendis, concordandis, concludendis, & habendis, nec non de & ſuper omnibus & ſingulis contentionibus, quæſtionibus, guerris, cauſis, querelis, litibus, attentatis, injuriis, gravaminibus, & de mendis, una cum ſuis circumſtantiis, emergentibus, incidentibus, dependentibus & connexis, quæ inter nos & præfatum conſanguineum noſtrum, ac Regna, loca, terras, dominia, patrias, Subditos, Vaſallos, alligatos, confœderatos, amicos, faventes & adhærentes noſtros & ſuos prædictos, hinc inde pendere dignoſcuntur, communicandi, tractandi, & concordandi atque omnia & ſingula componendi, paciſcendi, appunctandi, ac plenarie & integre determinandi, & finaliter concludendi, prout eis expedire viſum fuerit, & opportunum, nec non & ſuper hujuſmodi appunctuatis & concluſis, cæteriſque omnibus & ſingulis qualitercunque concernentibus, Legatis, Deputatis, & Nunciis prædicti conſanguinei noſtri, appunctuata præmiſſa & concordata fuerint, literas validas & efficaces, per partem noſtram tradendi & deliberandi, literaſque alias, conſimilis vigoris & effectus, ex altera Parte petendi, exigendi & recipiendi, & generaliter omnia præmiſſa, & præmiſſorum ſingula qualitercunque concernent faciendum expediendi & exercendi, ita & eodem modo ſicut Nos ipſi faceremus & facere poſſemus, ſi in perſona noſtra propria intereſſemus, etiam ſi talia ſint, quæ de ſe mandatum exigant magis ſpecialiter: promittentes bona fide & cum verbo Regio, omnia & ſingula, quæ per præfatos Commiſſarios, Oratores, Procuratores, Factores noſtros, appunctuata præmiſſa, concordata, conventa & concluſa fuerint in hac Parte, nos grata, rata, & firma habituros, & obſervaturos, & inſuper literas noſtras patentes confirmatorias & approbatorias, in forma debita & authentica, prout opus fuerit, daturos, in cujus rei teſtimonium has noſtras literas fieri fecimus patentes per me ipſum apud Weſtmond. 20. die Febr. Anno Regni noſtri XI.

In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium, fidem & approbationem, nos Ambaſſiatores prædicti Sereniſſimi Regis Angliæ ſuperius nominati, præſentes literas ſigillis, & ſignis noſtris manualibus, ſigillavimus & ſubſignavimus. Datum Londini vigeſimo quarto die Februarii. Anno CIↃ CCCCXCV. ſic ſignatum,

Rich. Duvolnienſis, Ioannes VVelles, Ioannes Kendal, VVilhelmus VVarham, Chriſtophorus Vrſvvyck, Riſley.

Confirmatio Regis Angliæ.

Et quia præfati Ambassiatores Nostri, per eorum literas eidem consanguineo Nostro, sic ut præmittitur datas, expeditas sibi literas Nostras, omnium & singulorum præmissorum confirmatorias & ratificatorias expedite facere promiserunt. Notum facimus, quod Nos, consideratis omnibus supradictis, omnia & singula Capitula, per prædictos Ambassiatores Nostros, cum Ambassiatoribus & Commissariis præfati consanguinei Nostri, in ea parte gesta, inita, tractata, & conclusa, firma, stabilia, & rata habentes confirmavimus, ratificavimus, & approbavimus literas per ipsos Ambassiatores nostros, sic ut præmittitur, expeditas, ac omnia & singula in eis contenta. Promittentes insuper bona fide, & in verbo Regio, omnia & singula Capitula & puncta in dictis literis, & aliis hic insertis, expressata, & quodlibet eorum tenere, adimplere, & observare, & facere teneri, adimpleri, & inviolabiliter observari, secundum eorum formam & tenorem: Neque contra hæc aut eorum aliquod facere aut venire, aut fieri & veniri ullo unquam tempore permittere. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium, his præsentibus manu propria subscriptis, magnum sigillum Nostrum apponi fecimus. Datum apud Westmon. 26. die Mensis Martii, Anno Domini 1496. & Anno Regni Nostri XI.

Sic scriptum, & per ipsum Regem subscriptum & signatum sub plica Henricus.
Et erant sigillata magno sigillo ejusdem Regis in fulva cera.

Iste, inquam, Tractatus proponebatur renovandus & ad hodiernum tempus applicandus. Angli denuo, ut ante, urgebant arcta & stricta: Fœderati Belgæ laxiora: magis Commercia & Navigationem concernentia respicientes: Angli potius personalia; præsertim quia in his oris erat *Princeps Regia*, è Domo *Stuartica*, & ex eâ natus Princeps Arausionens. posthumus; Regis exstincti è filia nepos. Quem aliquando Successurum in functiones, quas Pater, Avus, Proavusque obierant, in hisce Provinciis prævidebant, & sibi inimicum futurum timebant. Belgæ tandem problema Fœderis in 36. Articulos distinctum proponebant, quod sequitur.

Problema sive Conceptum Tractatuum cum Republ. Angliæ ineundorum.

1. Ut inter Rempublicam Angliæ & D.D. Fœderatarum Belgicarum Provinciarum Ordines, atque omnes utrinq; Socios, & Subditas Regiones atque Urbes, nec non uiversos utrorumque cujuscunque Ordinis aut Conditionis Subjectos & Incolas, *citra ullam Locorum hominumve distinctionem deinceps*, ac semper sit, maneatque sincera, firma, integra, atque æterna amicitia, concordia, mutua Officio-

Officiorum Observatio, atque Conjunctior Strictiorque, quam hactenus fuit, Conventio, Confœderatio, atque Unio.

2. Ut utrique porro sint, ac maneant Confœderati, Amici, Conjuncti, & mutuo obligati ad defensionem & Conservationem utriusque hinc inde Populi Libertatum, mutuorum Commerciorum, Navigationis & quæcunque ad utrumque pertinent, *contra omnes quicunque in his* alterutrius Statum ausuri sunt turbare; secundum Pacta, de quibus hic porro agetur & conveniet.

3. Inter memoratam Remp. & Fœderatas Belgii Provincias, ut & utrarumque hinc inde Subditos atque Incolas, cujuscunque ordinis aut conditionis sint, erit semper bona ac sincera amicitia, & observantia, adeo ut utrique in omni loco mutuo favore amicitiaque se invicem prosequi teneantur; possintque terra atque mari mutua hinc inde territoria, urbes, oppida & municipia, vallata vel non vallata, munita vel immunita, portus, omnesque tractus liberè & tuto adire, inque iis commorari & versari, quoad placuerit, ibique absque ullo impedimento aut oblocutione annonas victuales, & quæcunque opus habebunt, emere, vendere, utque ex iisdem Regionibus, urbibus, oppidis, vicis, portubus, ac tractibus liceat reverti in suas aliasque Regiones, quocunque quotiesque libuerit: sive cum propriis instructis, sive conductis navibus, curribus, equis, armis, mercimoniis, sarcinis, & omnigenis bonis. Ut decedant inde redeantque eodem, atque haud secus ac domi Suæ, & prout omnino ipsis utrinque Subditis & Incolis liberum est, omnia ista agant: citra ullum commeatum, aut ullam, sive communem, sive privatam, concessionem ad hoc in alterutris locis impetrandam.

4. Nulla prorsus ratione, sive privata, sive publica, quicquam contra sese invicem agent, tractabunt, aut attentabunt, quocunque loco, terra, marive, quocunque utrinque portu aut flumine, & quacunque ratione id fiat, neque ulla ope, aut Consilio favebunt; aut assentientur ut per alium aliosve quoscunque tale quid fiat, agatur, aut perficiatur, quod in alterutrius incommodum aut damnum redundet: quin contra id obloquentur, prohibebunt impedientque, si quid tale ab ullo intra utramque ditionem constituto fiat, agatur, aut attentetur.

5. Nullo etiam auxilio, nullove Consilio aut favore prosequentur alterutrius Partis manifestos hostes, qui terra marive eos aggredientur aut oppugnabunt: verum invicem rogati, bona fide, armata manu, suppetias ferent, sumptibus ejus qui opem rogaverit; juxta modos & pacta, quibus, pro temporum rerumque statu, mutuo convenerit.

6. Neuter alterutrius rebellibus Consilio aut opera, ullis copiis, armis, nummis, navibus, annonis militaribus aut aliis mercibus illegitimis, mox recensendis, Domi, forisve assistet, aut opitulabitur, neque patietur ut per quemquam alterutrius Subditum, aut Incolam, Domi forisve talem ullam opem consequantur.

7. Si forte aliquando dicta Angliæ Respublica, aut memorati Fœderatarum Belgicarum Provinciarum Ordines, cum alio aliquo *Rege, Respublica, Principe*, aut *Statu* ullum Tractatum amicitiæ, Fœdus, contractumve ineat, altera Pars alterutram, prout illi videbitur, in eo comprehendet.

8. Tractatus hic complectetur omnes utriusque Partis amicos, Fœderatos ac Socios,

Socios, qui in Confirmatione ejus utrinque nominatim exprimentur, & comprehendi in hoc voluerunt.

9. Quod si durante hac amicitia, Fœdere, vinculo, & unione alterutra partium vel earundem Subditi, aut Socii comprehensi, eorumve Subditi vel Successores contra hunc Tractatum, terra vel mari, vel in aliis aquis quicquam commiserint aut tentaverint, non idcirco tamen hæc amicitia, Commercium, & Fœdus, inter utrumque populum rescindentur, sed integra, & in vigore suo manebunt; Eoque casu transgressores, & qui damna dederunt, non item alii plectentur.

10. Subditi & Incolæ utrinque alterutrius ditionis liberè, securè, atque tuto peragrabunt, terra, mari, perque alias aquas, atque fluvios; idque mercaturæ ubique exercendæ ergo; ut & eorum institores, & famuli, pede vel equo; vel alio quocunque libitum fuerit modo, vecti; Armati vel inermes (sed cum Armati erunt, non plures quam XL. simul in uno Comitatu) tam sine, quam cum bonis, mercibus, mercimoniis, quocunque illis lubitum fuerit.

11. Incolis Subditisque præfatæ Reip. Angliæ & Fœderatarum Belgii Provinciarum Ordinum, Liberum, nulloque modo prohibitum erit *Caribicas Insulas & Virginiam* navibus suis adire, ibique Commercari, quemadmodum hactenus abierunt, & mercaturam ibi exercuerunt, absque ulla distinctione uter Populus vel Incolæ sive Angli, sive Belgæ ea loca prius occupaverint, possederintve, aut postmodum occupent, possideantve: non obstante ullo contrario interdicto ab alterutra parte facto vel promulgato.

12. Et ut pari modo optima amicitia, quies & vicinitas inter utramque gentem in Continenti Septentrionalis Americæ plaga observetur, recti, certi, immotique limites ibi quam primum constituentur & stabilientur.

13. Liberum quoque erit utriusque Partis Subditis & Incolis *solitis & consuetis* hactenus locis alternas mutuò Regiones, urbes, maria, portus, & flumina adire ac intrare, inque iis anchoras jacere, terræque naves appellere, merces venum dare, naves onerare, & mercari, atque inde naves quibuscunque mercibus ac mercimoniis onustas solvere utcunque libuerit, & citra ullius impedimentum.

14. Sic nec utriusque Partis Mercatores, nautæ, naucleri, socii navales, naves, eorum merces, & mercimonia, & cujuscunque generis bona ad ipsos spectantia, ullo modo detineri, aut arresto subjici poterunt, nullo nec universalis nec specialis mandati authoritate, nec belli quidem aut cujuscunque rei prætextu, nisi forte inevitabilis necessitas cogat, ad debitam compensationem; sub quo nihilominus nequaquam comprehensa intelligitur arrestum aut detentio justitiæ ordinario modo administratæ in causis privatorum debitorum, obligationum & Solemnium Contractuum eorum, contra quos prædictæ detentiones vel arresta facta erunt, in quibus procedetur, secundum jus, fasque.

15. Incolæ quoque, & Subditi tam prædictæ Reip. quam Ordinum Generalium Unitarum Belgii Provinciarum, in alterutrius territoriis mercaturam exercentes, non tenebuntur majora aut graviora solvere *telonia*, impositiones, vel quæ Phari, vasorum, onerum, vel cujuscunque alius rei nomine debentur, quam proprii utriusque Reipublicæ Subditi.

16. Utriusque Partis Mercatoribus, eorum Negociorum gestoribus, famulis, ut

ut & nautis cæteræque pubi nauticæ iter ultro citroque facienti tam mari, quam aliis aquis, ut & in portubus alterutrius, etsi in terram exscendant, liberum erit secum ferre, cujuscunque generis arma, tam ad defendendum quam offendendum apta; & iis uti ad sui, & bonorum suorum defensionem: ita tamen, ut, cum in hospitia sua pervenerint, prædicta arma ibi reponant & relinquant, usque dum ad naves suas redire cupient.

17. Liberum erit utriusque Partis Subditis & Incolis in alterius territoriis *habitare*, & firma ibi domicilia habere, proprias ad inhabitandum domos, & horrea recondendis mercibus & mercimoniis, possidere, exercere quoque ibidem mercaturam omni debitâ securitate, & sine cujusquam impedimento, tam mari & aliis aquis, quam terra; fruentes ibidem, & ubicunque, iisdem Privilegiis & immunitatibus cum utriusque Partis propriis Incolis & Subditis; ita quidem, ut Sociis navalibus permissum utrinque sit in alterius Partis navibus navigare & inservire, absque ulla inquisitione vel impedimento; &, si quod forte impedimentum accidat, quam citissime hoc & re ipsa auferetur.

18. Utriusque Partis Subditis & Incolis, cujuscunq; tandem illi generis & conditionis sint, liberum erit *mari libere ubique sine ullo gravamine, prævia permissione protectionis aut Salvi-Conductus literis, navigare, & piscari tam haleces, quam alios omnis generis pisces capere*, magnos minoresque: & si forte iidem piscatores tempestate, prædonibus, hostibus, vel alio quocunque casu è mari expulsi, in alterutrius portus aut territoria appulerint, bene, & amice ibidem recipientur, & tractabuntur; & inde liberè rursum sine ullorum vectigalium aut Onerum Solutione, cum navibus, piscibus, & aliis instrumentis ad piscationem spectantibus, eoque allatis mercibus, hoc casu, etsi nullas ibi merces exposuerint, discedere poterunt.

19. Ut libera Navigatio & Commercia mari, fluminibus, & ubique cò tutiora reddantur, prædicta Respublica, & Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum, non recipient, neque permittent, ut in eorum portubus, terris, urbibus aut Dominiis recipiantur, auxilium aut hospitium præbeatur aliquibus *piratis* aut *prædonibus*, sed eosdem (æque auxiliatores quam prædones) persequi, assequi, & apprehendi curabunt, & ad exemplum aliis præbendum, puniri ut æquum videbitur. Naves quoque, bona & merces quæ captæ fuerant, quæ adhuc extant & in promptu sunt, sine ulla temporis distinctione (quamvis veris ibidem Dominis vel mandatariis aut cessionariis eorum venditæ essent) iis, qui dictas naves, bona, & mercimonia persequuntur, vindicant, sub juratoria vindicantis assertione, si deficiant aliæ probationes, absque ullis damnis aut impensis restituentur aut compensabuntur.

20. Omnes ab utraque Parte, qui cum privatorum authoritate & mandatis navigant, tenebuntur, antequam è terra solvant, sufficientem præstare cautionem apud judicem loci, è quo solvere ipsos continget, ut omnia detrimenta, si forte mandata sua excedere sustinuerint, eo modo resarciantur.

21. Et ut mare ab omnibus *piratis* & *prædonibus*, cujuscunque tandem illi nationis esse possint, purgetur, & libertas utriusque Nationis, Commercia & Navigationes, & liberæ piscationes eorundem defendantur, & tutiora reddantur, tam in Septentrionali Oceano, quam in Mediterraneo Mari & omnibus intercurrentibus

bus fretis & Angustiis, prædicta Respub. Angliæ, & Ordines Generales Uniti Belgii *quisque instruet* & singulis annis in mare producet Classem validam ad minimum . . . . . . navium bellicarum, & unamquamque navem ad minimum . . . . onerum, & secundum cujusque proportionem militibus, armis, annona, & omnibus necessariis rite instructam, cum quibus quæque, sub suo Architalasso & vexillo, prædicta maria pernavigabit, & tuta præstabit. Angliæ nimirum à . . . . usque ad . . . . & Belgæ à . . . . usque ad . . . . initium facientes à primo . . . . & perseverantes usque ad ultimum . . . . ita quidem, ut teneantur cum iis, omnes, quos obvios habent, *piratas* aggredi, & superare, naves ab ipsis ab alterutra nationum captas, justis dominis restituere, invicem, ubi opus erit, aut alter auxilium petierit, suppetias ferre, sibi quisque retinere, quam ab hostibus ceperit prædam, & hoc modo prædicta maria, & Angustias ab omnibus *piratis* & prædonibus purgare, & liberare.

22. Et ad majorem adhuc libertatis utriusque nationis, Commerciorum, Navigationis & liberæ piscationis defensionem & promotionem, prædictæ classes, ut & aliæ naves bellicæ, & quicunque tandem cum mandatis alterutrius Partis navigant, hoc non tantum eo quo supradictum est modo (adversus piratas) præstabunt sed adversus omnes & singulos, quicunque tandem illi sint, qui utrumque, aut alterum in prædicta Libertate, Commerciis, Navigationibus, & *piscationibus* turbare, molestiæ iis, vel impedimento esse, *contra jus Gentium* exactionibus eos onerare, & aggravare sustinebunt. Eo tamen sensu, ut Pars, quæ damnum passa est, prius conqueratur ei parti quæ non est damno affecta; ut sic conjunctim curam gerant intercessionibus, & viâ quam maxime fieri potest amicâ, ut ii, qui ipsos turbaverunt, id ipsum ad plenam satisfactionem resarciant; quod si id ipsum intra VI. Menses non fiat, ut tunc non tantum prædictis classibus, sed omnibus Copiis navalibus, quas in mare producendi facultas erit, naves illas & bona ejus ditionis & Incolarum ejusdē, quæ damnum intulit, in prædictis maribus adoriantur, & capiant, inque eo perseverent donec damno affecta Pars plenam consequuta erit satisfactionem, & omnia in pristinam restituta erunt libertatem.

23. Naves bellicæ utriusque Partis, si quas naves onerarias aut mercatorias alterutrius Partis Subditorum aut Fœderatorum hoc Tractatu comprehensorum in mari obvias habebunt, vel alicubi invenient, eodemque cursu una pergent, tenebuntur eas, quamdiu eandem viam simul prosequuntur, contra quoscunque protegere, & tueri.

24. Si qua navis aut naves alterutrius Partis Subditorum, aut neutralis alicujus in alterutrius portubus vel ditionibus per tertium aliquem (neutri subjectum) capiantur, tum ille, in vel ex cujus portu vel ditione illa navis vel naves captæ erunt, tenebitur cum altera Parte curare, & efficere ut captam illam navim vel naves assequantur, apprehendant, & Domino restituant.

25. Quod si naves mercatoriæ unius aut alterius Subditorum, per tempestatem, vel piratas, vel aliam quamcunque necessitatem causamve, portum unius vel alterius dominii intrent, inde securè recedant, non coacto quoquam terram con-

conſcendere, eas exonerare, mercimonia divendere, ulla jura vel vectigalia ſolvere; qua occaſione ſufficiet literas maritimas, & Salvi-Conductus monſtrare, ne expoſitæ erunt cuicunque ulteriori Inquiſitioni.

26. Nec petendi, nec intrandi erunt portus unius aut alterius regionis, nec ibidem commorandum navibus bellicis & militibus cum ſunt tanto numero, ut juſtam dent ſuſpicionem, ſine venia & permiſſu iſtius Partis, cui præſcripti portus ſubſunt, niſi tempeſtate aut alia neceſſitate ad id compellantur, & ad evitanda maris pericula fiat.

27. Navibus Bellicis utriuſque Partis, ſi non ſint in eo numero quo juſtam moveant ſuſpicionem, utrobique portus, flumina, & ſtationes ſemper patebunt, & in eorum arbitrio erit iſtic navigare, morari, & anchoras jacere, & rurſus recedere ſine impedimento aut ulla mora injecta: Eædemque naves Bellicæ nihilominus ſe gerent ſecundum conſtitutiones, jura, & mores locorum.

28. Subintellecto nihilominus Naves Bellicas, aut alia authoritate emiſſas unius, vel alterius Partis nulli inquiſitioni aut perluſtrationi in littore aut aperto mari eſſe expoſitas, niſi ut eædem, portus unius vel alterius intrantes, teneantur Commiſſiones ſuas monſtrare, & præterea nihil.

29. Pari libertate fruentur omnes utriuſque Partis naves particulari Commiſſione inſtructæ, tam reſpectu propriarum Suarum navium quam prædarum à particulari Suo, aut communi hoſte captarum; eas ad locum, in quem ſecundum Commiſſiones Suas redire tenentur, deducere poterunt; nec cogentur prædas ſuas prædictas officiariis iſtius loci indicare, ſignificare, aut illis, aliiſve ibidem pro illis ulla jura pendere; nihilominus requiſiti obligabuntur utrinque Commiſſiones Suas oſtendere.

30. Bona, merces, & mercimonia utriuſque Subditorum & inhabitantium in hoſtium navibus onerata & reperta, *æque atque ipſæ naves, pro præda erunt habenda.* At vecturæ ad hoſtes pertinentes in navibus utriuſlibet populi inventæ libere immuneſque erunt. Et quod ad ulteriora pacta circa res maritimas, de iis, poſtquam præſens hic Tractatus ad finem perductus fuerit, mutua porro conventio fiet.

31. Expreſſe etiam conventum eſt ne Partes contrahentes, nec ipſæ tranſmittant, nec per Subditos Suos aut alios Neutrales ex ſuis utriuſque Provinciis ad ſuos utrinque hoſtes aut rebelles tranſportari permittant merces, aut mercimonia *interdicta*, qualia ſunt: *Ignes artificioſi cujuſcunque generis*, & quæ ad eos pertinent, videlicet *Tormenta Bellica, Bombardæ, Pyrobali, Sclopeta, Granata, Circuli picati, Fulcra Tormentorum, Furcillæ, Balthei, pulvis nitratus, fomites igniarii, Sal nitrum, Glandes*; *omnis generis arma*, ut *haſtæ, Gladii, Galeæ, Caſſides, Thoraces, Bipennes, & hiſce ſimilia: ut etiam milites, equi, arma equorum, bombardæ exiguæ, balthei, & quævis armatura adornata, & ad uſum bellicum formata*: cum expreſſa hac limitatione, ne ſub Nomine illicitorum ſeu interdictorum mercimoniorum comprehendantur *Triticum, Secale, aliudve frumenti genus*; *Piſa, Fabæ, Sal, Vinum, Oleum*, & quicquid requiritur ad alendam & ſuſtentandam vitam: eruntque libera, *prout cætera quævis mercimonia hic non expreſſa*: & ſi quæ merces inter illicitas recenſitæ reperiantur in navibus unius, aut alterius Partis, eæ per competentes judices debita informa-

tione præmissa Fisco addici poterunt, nave tamen, una cum mercimoniis bonisque reliquis, salva manente.

32. Præterea conventum est, ne Subditi aut inhabitantes unius alteriusve Partis Lusitanorum bona, merces, seu mercimonia ex America, Asia, aut Africa in Europam, aut ex una illarum Parte in aliam, & vice versa ex Europa in Americam, Asiam aut Africam, aut ex uno illorum tractu in alium transportent, aut transvehant, sub pœna confiscationis earundem navium.

33. Si aliquæ naves, sive sint bellicæ, sive mercatoriæ aliæve, unius aut alterius Partis, tempestate vel alio casu quocunque in brevia impellantur, aut in litore unius aut alterius Partis naufragium patiantur, poterunt eædem naves & quicquid ad eas spectat & in illis fuit intra annum & diem per Proprietarios, aut alios ad id procuratione debita instructos, repeti & reposci: Quæ etiam erunt restituenda sine ulla forma processus, dummodo impensæ ad id factæ, & justum salvationis præmium exsolvantur. Verum si Subditi utriusque Partis in tali aut simili casu disceptent, Officiariorum istius loci erit altercantium litem juste, & sine dilatione dirimere, nec ullos sub forma processus quocunque modo detinere.

34. Quæstores utriusque Partis se gerent secundum jura, & id concernentia decreta, ab una alterave Parte antehac emissa & observata; atque in specie, ne ab hisce Quæstoribus plus exigatur, aut accipiatur, quam quod illis in suis Instructionibus aut Commissionibus est attributum.

35. Literæ *Repressaliorum, Marcæ, aut contra Marcæ*, ut & Arresta extra viam justitiæ, & his similia, nulli propter damnum & detrimentum unius aut alterius Subditi illatum, aut quicquam adversus hunc Tractatum admissum, erunt concedenda aut impetranda. Atque etiam Literæ *Repressaliorum, Marcæ, aut contra Marcæ* quacunque etiam de causa jam concessæ atque emissæ, ab hoc momento erunt & manebunt sine vigore, & nullius valoris, eruntque singula amicè (si fieri possit) componenda, aut ordinaria via juris decidenda, quo parti dolenti fiat satisfactio.

36. Omnes cæteri Tractatus, Fœdera, & Fœderationes à Parlamento Reip. Angliæ, & prædictis Ordinibus Generalibus Unitarum Provinciarum, cum aliis Regibus, Rebuspublicis, Principibus, aut Statibus initæ, in pleno suo vigore, prout impræsentiarum sunt, permanebunt, quibus per præsentem hunc Tractatum nihil mutationis additur, etiam hoc Fœdere in omnibus & singulis Partibus remanente.

Aliquoties super iis Articulis inter Legatos & Commissarios collatum fuit: Angli semper ad arctiora collimabant: Belgarum aliqui bellum in Scotia, & ejus finem expectandum censebant: alii cum Rege Scotiæ simile faciendi libertatem reservare sibi volebant. Interim tempus elabebatur; & Legati indigna sæpe à plebe, quantumvis præcavere id Ordines studerent, patientes, ulteriorem moram & cunctationem abjicientes initio Julii 1651. discesserunt: Tractatu non facto. Reduces frigidius se habitos, quam expectaverant, retulere. Itaque duo subsecuta sunt, quæ non parum amicitiam infirmarunt. Veteres enim Repressaliorum Litteras à Rege quidem *Pauleto* Mercatori olim indultas, necdum tamen ab eo executioni mandatas, actionariis Pauleti exercendas contra Hollandos dederunt.

Dein-

Deinde decreverunt ne cui nationi liceret advehere in Angliam merces quæ non crevissent in ea regione unde esset nauta eas vehens. Utraque res non parum damni & incommodi intulit Belgis: qui eo magis impellebantur ad perficiendum (hic vix inchoatum) Fœderis & amicitiæ Tractatum: inflatis ob cæsum Regis exercitum ad Worcestriam Regemque ex Angliâ ejectum Anglorum animis. Selecti ad Legationem fuere *Iacobus Catzius* apud Batavos, multos per Annos Syndicus & magni sigilli custos, *Gerardus Schaapius*, Magistratus Amsterodamensis & Collegii Admiralitatis Zelandicæ Pars, & *Paulus Perrius*, Urbis Medioburgici Syndicus. Londini cum venissent, solito honore excepti, Parlamentum oratione tali salutarunt.

Quod Deus Optimus Maximus benevertat.

Divinis auspiciis trans mare vecti urbem hanc celeberrimam feliciter intravimus, Benevolentia vestra honorifice excepti, in Augustum hunc Consessum admissi, ex mandato D. D. Ordinum Fœderati Belgii hoc Illustri loco verba facimus, & primo quidem eorumdem Nomine omnia humanitatis, Benevolentiæ, & vicinitatis officia pronis animis huic Reipublicæ offerimus, ejusdemque Subditis, Incolis & accolis, Deum propitium, omniaque fausta & salutaria enixe apprecamur.

Omnibus, qui de formanda & firmanda Repub. sapientissime disseruerunt, hoc effatum tanquam oraculum semper in ore versatur; *præsidia Reip. non in valido & numeroso milite, non in munitis urbibus, non in Thesauris, sed in Amicis, Sociis, & ritè Confœderatis, consistere*; & addunt prudentissimi mortales, *Amicos istos & Confœderatos non promiscuè, & prout casus fert, sed cum cura & judicio esse seligendos.* Et primo quidem loco (ex communi gentium & populorum Sententia) tales in amicitiam vocandi & recipiendi sunt, qui opportunitate locorum utiles esse possunt. Non frustra sane in proverbio est, *Amicum vicinum in talibus utiliorem esse fratre longe dissito.*

Non sic excubiæ non mœnia vasta nec arces,
Quam tutatur Amor, quam Fœdera sancta, propinqui
Queis populi tribuere manus.

Vicinas enim Gentes, & sub eodem tractu cœli habitantes, geniis & ingeniis, moribus & humoribus magis inter sese congruere, quam quæ longis intervallis distant, pro certo habetur: eamque ob causam mutuæ benevolentiæ servandæ magis idoneas esse.

Tales sunt hominum mentes, quales pater ipse
Iupiter aurata perlustrat lampade terras.

Stat igitur commune Gentium Judicium, in amicitia contrahenda, præcipue pro vicinitate & opportunitate locorum agendum esse; Sed si vere Christianorum axiomata hic examinemus, illa ante omnia tales socios & amicos eligendos esse pronunciabunt, qui ex communione sacrorum eodem puræ Religionis Sacramento invicem adstricti sunt; Cum enim Religio à ligando rectè derivetur, illa animorum Anima optime ad conservandam humanam societatem facit.

Fœdera autem inter diversæ Religionis populos unita, raro firma ac diuturna

 esse

esse historicorum monumenta ubique satis indicant; hæc si rebus præsentibus applicemus & oculos in has Angliæ & Fœderati Belgii Respublicas conjiciamus, utriusque populi vicinitas primo loco nobis occurret; quam ut demonstremus, nobis opus erit uti hac in re chreiâ, quâ *Cato* aliquando urbis *Romæ* & *Carthaginis* vicinitatem Senatui ob oculos ponere studuit: Is ficus non aridas & rugosas, sed recentes & naturali isto ac tenero colore adhuc conspicuas in ipso Senatus gremio excussit & in medium projecit: Cumque P. C. fructus tam elegantes & succulentos admirarentur, tum *Cato* ex recenti & vivido colore istorum fructuum vicinitatem urbis *Romæ* & *Carthaginis* liquido colligi posse asseruit, trium enim dierum spatio iter illud à se confectum & ficus inde allatas. Nobis, ut vicinitatem Angliæ cum Fœderatis Provinciis demonstremus, non ficus recentes, ex Nostris partibus huc allatæ, tunica excutiendæ erunt, sed fortiora ad id documenta in medium proferemus, panem nimirum calidum, bonum, recentem à Nostro Littore in Angliam posse transferri, panem, inquam, servantem adhuc calorem in furno conceptum. Quomodo Amicitia inter populos tam vicinos contracta facile defer veat, cum panis trans mare vectus ibidem calorem suum servet incolumem? quæ autem commoda & commoditates vicinitas illa utrique populo pepererit & in posterum parere possit, luculentus nobis testis est annus *octuagesimus octavus,* quo Classis illa formidabilis, & totius Europæ terror

Horrida Sulphureis spiraret fulmina buccis.

Quod ad Christianorum axioma (unum & eundem Dei cultum in Fœderibus requirens) attinet, eandem non solum utrique Populo puræ Religionis Professionem esse, sed innumeris etiam Martyriis utrobique confirmatam, nemo ignorat; tametsi singulari Dei Opt. Max. beneficio hæc & apud Nos

Sanguine justorum fusa, ceu semine jacto,
Religio vires cœpit habere novas.

Quocirca & hoc consideratione non indignum est non res lætas & secundas tantum, sed etiam ærumnas & calamitates communiter exantlatas hominum animos inter sese arctiori amicitiæ Vinculo constringere, ut & de remediis in Posterum adhibendis mutua Consilia conferant: hinc consolatoriæ istæ exclamationes.

O socii, neque enim ignari sumus ante malorum,
O passi graviora, dedit Deus his quoque finem.

Dedit, Dicimus, non *dabit*; id enim factum jam est: unde supremo numini immortales gratiæ ab utroq; Populo debentur: sed, ut servetur divinum illud depositum, utrique genti summa cura invigilandum: His adjungo *eadem initia & eandem formam utriusque Reipub. gerendæ, quarum utraque rejecta Monarchia Libertatem strenue sibi vendicavit. Factum à Domino est illud & est mirabile in oculis Nostris.* Hisce Prædictis quidni addam linguam utrique Populo quasi communem? Radices, elementa & Origines vocabulorum ex uno & eodem fonte profluere, satis constat: omnes res, quæ ad vitæ sustentationem & hominum alimenta spectant, iisdem fere vocabulis apud vos & nos designantur, *Panis, Caseus, Butyrum, Vinum, Mel* & alia id genus, alendis corporibus servientia, vix diversis vocibus utrinque Prolata, hoc clarè indicant. Secundò omnia humani corporis membra iisdem fere Nominibus

bus

bus in utraque Lingua efferuntur: *sic caput, crines, aures, nasus, os, labia, pectus, brachia, crura & pedes in utraque* Lingua nihil fere differunt: addo omnia monosyllaba Anglicæ linguæ fere esse Teutonica, quæ annumerare infinitum esset: plus dicam, vix Sententiam aliquam vel periodum Longiorem Anglica Lingua exprimi posse, quin vernaculi aliquid à Nostris observari possit; jam addo Linguas extraneas, & à sese alienas in divino Codice Pœnæ loco inductas, Hominumque separationi causam præbere. Linguas igitur Concordes & idem sonantes beneficii loco hominibus datas, ut arctiori societatis vinculo inter sese astringantur, nemini dubium esse debet. Super hæc neutiquam hic omittendum arbitror, quantum utriusque Reipub. intersit Maris Securitatem & Commercia sarta tecta servari & ab omnibus piratarum & prædonum insidiis & insultibus vindicare: quod si serio fiat, satis superque Commerciorum utrique populo sese ultro offeret; omnia enim pervia, omnia Negotiosa hoc seculo, *nam qua patet orbis & æquor*, nobis Navigatio: multa hinc inde adminiculantur, & utrique populo manus quasi porrigunt: vicinitas Maris, opportuni portus, multitudo navium, periti naucleri, & Navarchæ, pubes nautica sine numero, animalia vere amphibia, præliis maritimis assueta, unde triumphi, vexilla, & trophæa innumera vestræ nationi acquisita; quæ eo Nomine decantata est

——— ab ortu
Solis, ad Hesperium cubile.

Sed & nos (ut modeste loquar) *hic aliquid numerique decusque gessimus:* vetera & obsoleta non opus est dicere, incognita nolumus proferre, unum tantum & novum quidem in Memoriam vobis reducemus, rem, inquam, inauditam qualem ab orbe condito (absit dicto jactantia & invidia) non vidit ulla ætas; vidit autem Annus trigesimus nonus, & ipsa hæc Anglia Classem immanem, imo castra natantia ponto sexaginta septem Navibus, & viginti quatuor millibus hominum instructa, ducente prætoriam *Don Anthonio d'Oquendo*, à Nostris ultro lacessita, primo bis sex tantum ratibus, iisque exiguis, eaque deinde in vestrum fretum coacta mox majore vi oppugnata, expugnata, victa, disjecta, flammmis aut mari hausta, vestris extra partes manentibus: & tanti quidem certaminis terribilem faciem vestræ matronæ, virgines, *nuptæ innuptæque puellæ*, periculo expertes è terra placide contemplatæ sunt. Ex hoc ungue ut Leonem Nostrum agnoscatis, universum hunc Senatum populumque Anglicanum etiam atque etiam rogamus; Et ex illo quidem fonte varia ab omni ævo inter utrumque populum Fœdera quin & matrimonia non plebeia, sed Augusta celebrata fuere: longa igitur antiquitate vallata & confirmata utriusque populi amicitia & societas, atque eam quidem prudens antiquitas Deo Opt. Max. propitio mutuò coluit: quamobrem nostris rebus applicemus Sententiam quæ ex intimis sapientiæ penetralibus deprompta esse videtur, *veteres amicos oblivioni non tradendos, nec in hostium numerum facile transcribendos, veteres hostes in intimam illam amicitiam non temere admittendos.* Tot & tantis rationum momentis à proceribus hujusce Reipub. rite ponderatis, Magnificam sane ad Fœderati Belgii Ordines Legationem decrevere ac prudentissimos incomparabilesque viros misere cum Mandatis (ut vidimus) non solum ut *fœdera antiqua* hinc inde renoventur sed & secundum hujus temporis constitutionem ad

 firmio-

firmiorem amicitiam ſtabilirentur; feliciter quidem opus illud non tantum inchoatum ſed pene ad umbilicum perductum eſt, at vero Ampliſſimi Viri, hujus Reipub. Legati, temporis Anguſtia excluſi & citius quam ſperabatur revocati ad ſuos rediere, antequam res ad optatum finem perduci potuit. Fœderati autem Belgii proceres, Domini Noſtri, non minore Zelo antiquæ Amicitiæ ſtabiliendæ & colendæ perciti, ilico de Legatione reciprocâ cogitaverunt; ne opus tam præclarum & Auguſtum tanquam abortivus partus tenebris involutum periret: ſed multis arduis imo fatalibus Negotiis impediti non tam celeriter rem perficere, quam ipſis in votis eſſet, potuere: jam vero tres Legatos Fœderati Belgii hic videtis, cum mandatis, ut res utrique Reipublicæ tam utilis & neceſſaria cum bono Deo ad optatum finem perducatur; Et ne longius opus tam præclarum differatur, delegatos nobis in eam rem dari etiam atque etiam petimus, ut coram ipſis planius & plenius explicemus, quid nobis ſuper Negotio hoc tam Auguſto in mandatis datum ſit; ſed ut cum effectu rem aggrediamur illud enixe à vobis poſtulamus ut omnia hinc inde *in tali ſtatu ſint & permaneant, quo fuere cum Magnifici viri hujus Republicæ Legati ea apud Nos in ipſorum abitu reliquere.* Mali ominis eſt in ipſo limine pedem offendere: idcirco petimus idem ut decretum nuper veſtro Nomine promulgatum, quod ipſis Calendis Decembris in praxim deducendum erat, revocatum vel ſaltem ſuſpenſum manere poſſit; ne *Libertas & ordo Commerciorum* ab immemoriali tempore obſervatus ſubita hac & inopina novitate turbetur, atque futuri Tractatus (ſi Noſtri in adverſum pro re nata quid molientur) impedirentur. Eo facto Lubentibus animis ad rem tam præclaram & optatam ſerio accingamur ut antiqua ſocietas & amicitia non tantum renovetur, ſed arctioribus fœderum vinculis conſtringatur, id quod candide, ſincerè, & optima fide vobis offerre nobis in ſpeciali mandato eſt, ut, ſi fiat, & unitis animis & armis res communes tueri velimus, ne Alexander quidem ipſe nodum iſtum Gordium nobis diſſolverit, imo non facile quis inter incudem & malleum digitos aut manum injecerit & (ſine jactantia dictum ſit) navigiis noſtris etiam exteræ nationes hoc dictum inſcripturæ ſunt,

Nemo hos impune laceſſet.

Agitedum igitur cum bono Deo pangamus Fœdus ære perennius, pangamus inquam Fœdus, quod

Nec Iovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Audiat hoc genitor qui fulmine fœdera ſanxit, Et valeant qui inter Nos diſſidium volunt.

Menſe Januario ſequentis Anni aliquoties conferentiæ fuerunt inter Legatos Belgas & Commiſſarios Anglicos. Summa eorum, quæ illi petiere, huc redibat; Ut, 1. omnia hinc inde in tali ſtatu ſint & permaneant quo fuere, cum Magnifici Viri Anglicæ Reipub. Legati ea in ipſorum abitu è Belgio reliquere; conſequenter ut Decretum nupere promulgatum (quod ipſis Calendis Decembris in praxin deducendum & incrementum Commercii ac Navigationis vocatum vulgo erat) revocetur vel ſaltem in ſuſpenſo maneat.

Ut

Ut non tantum prisca Fœdera, quæ inter utrumque populum ab omni antiquitate sancita fuerunt, renoventur, sed arctiori etiam vinculo secundum temporis hujus constitutionem formentur, supplendo nimirum ea quæ à Clarissimis Viris Legatis Anglicanæ Reipub. Hagæ-Comitum infecta relicta erant.

Ut Remedium salutare & celere adhibeatur, quo Navigia Belgis vi quarundam Repressaliarum, (ut vocant) erepta cum omnibus expensis, damnis, & interesse restituantur, & illi, qui direptiones passi erant, indemnes præstentur, & ne in posterum tale quid fiat sedulo curetur; prout latius tribus propositionibus ante exhibitis continetur.

Die 22. Januarii 1652. tandem Angli revocari jusserunt litteras Marcæ. Et responderunt ad tria Capitula.

1. Parlamentum sua studia confirmandæ inter Anglicanam Rempub. & Fœderatas Provincias amicitiæ semper manifesta reddidisse, neque se defuturos quo minus omni atque honesta ratione eandem conservet atque promoveat, cumque Legatis Belgicis commodum videretur, vel ex pactis prioribus, vel si quo alio libuerit modo, eas postulationes sigillatim ferre, ad præsentem temporum rationem accommodatas, quas ex Legatorum Parte conferre ad jacienda Societatis fundamenta existimaverint, responsa ad eas idonea acciperent. Quod autem ad ea supplenda, quæ Anglici Legati Hagæ-Comitis infecta reliquere, censebant ea consideranda non esse, cum Tractatio illa nihil protulerit, neque ullus ejus Articulus perfectus & conclusus fuerit.

2. Parlamentum cum necessarium esse duxerit, gentem hanc omni justa ac debita ratione ad navigandi studium remque navalem exaugendum incitare, ea gratia Edictum promulgavit cujus in secunda Legatorum postulatione facta mentio erat: quod cum justas & luculentas ob causas factum sit, Edicti ejus vel rescindendi vel inhibendi causam nullam se videre.

3. Maxime vellet Consilium occasionem nullam fuisse datam literas quas vocant Marcæ & Repræsaliæ concedendi contra Fœderati Belgii populum; quod potuit quidem non factum fuisse, si Angli qui ab eo spoliati erant jus sum obtinere potuissent; qua de re Parlamentum hoc & antea conquestum est, & satisfactionem postulavit, idque nominatim, quod ad causam attinet *Anna Pavvlet* viduæ, cujus maritus à Capitaneo Cornelio Kint in nave quadam, cui nomen *Petro Roterodamensi*, direptus est. Quapropter cum is ut bona sibi ablata restituerentur, aut satisfactio fieret, impetrare non posset, causaque ipsa fidem atque opem Parlamenti imploraret, petentibus datæ sunt literæ quas vocant *Represales*, utpote Remedium justissimum & maxime idoneum ad eos sublevandos quibus damnum datum est: quæ quidem literæ adhuc solæ sunt ab Anglis in populum Fœderati Belgii concessæ, quanquam multæ sunt aliæ injuriarum & damnorum actiones, & magnæ quidem æstimationis, quæ ad idem remedium & vindicandi rationem jam diu maturuere: Quæ quidem singula Legatis exhiberentur, quo damna reparari, & satisfieri iis possit, quibus illata injuria erat. Quod quidem eorum postulatum, cum justissimum atque æquissimum sit, si ejus & aliorum ejusmodi rationem Belgæ haberent, nullo alio modo iis incommodis, quæ ostenduntur, certius occurri

occurri posse: neque enixius Rempub. Anglicanam justitiam ab aliis, quam similem reddere paratissimam fore, quoties quid hujusmodi acciderit: utque plane perspectum sit, quam libenter Angli caveant, ne qua in re ad extrema deveniatur, ex quo Legati advenerunt, data Mandata, ne porro naves capiantur earum authoritate literarum, quæ *Anna Pawlet* concessæ erant, quemadmodum Legatis jam prius significatum à Consilio erat.

Quod autem ad navium restitutionem, impensarum & damnorum reparationem, ea si quæ perperam gesta sunt per eas literas Marcæ & Repressales vulgo dictas contra Francos & alios jam concessas, ex quibus ulla fieri Fœderati Belgii Populo vera injuria apparebit, cum in Curia causarum maritimarum propria ratio juris obtinendi in causis hujusmodi constituta sit, si illic Lege agetur, debitæque probationes factæ erunt, cæteraque exinde recte atque ordine fient, quandoquidem iis qui quid habent querelæ, illic jus suum persequendi, si videbitur, liberrima facultas est, rectius quidem providere non posse Parlamentum, quam si eos, quorum id refert, ad remedia tum justa atque legitima remittant.

Quod deinceps Legati urserunt, fuit Conceptum supra Fœdus 36. Articulis (paulo ante positis) constans, quod & Instructionis vice iis datum fuit: exhibuerunt id delegatis Concilii status. Cum hac Præfatione.

„ De tribus rebus optimis sane & maximis inter hanc & nostram Rempublicam „ Tractatio nobis incumbit, de *Religione*, nimirum, *Libertate* & *Pace* conservandis „ & stabiliendis: primum æternam salutem in cœlo, duo reliqua firmam fœlicitatem in terra certo pollicentur. Maxima illa deposita nunquam negligenda, semper „ vero promovenda & servanda esse, quis non intelligat? nos certe ad utrumque „ solemne mandatum animos paratos & promptos huc adferimus: si moderatoribus hujus Reipublicæ idem est animus, rem confectam propediem habebimus: „ interim videmus ex responso nobis ab Illustri hoc Consilio nuper dato Excellentias Vestras declarare se non defuturas, quo minus justa & honesta ratione amicitia inter utrumque populum conservetur, & promoveatur, & vel ex pactis prioribus vel si quo alio modo (nobis quod commodum erit è nostra Parte ad id conferentibus) fundamenta firmæ Societatis jaciantur.

„ Nos itaque (ne opus tam Augustum diutius differatur) conditiones hoc scripto „ comprehensas, aptas, ut in Tractatum redigantur, Magnifico Vestro Consilio offerimus: Sed ut tranquille & sine perturbationibus res tam præclara ad optatum „ finem perduci possit, necessarium plane judicamus, nec minus ex animo petimus, ut omnes litteræ (quas Repressales vocant) durante hoc Tractatu inhibeantur, utque appellationibus super navibus jam captis & condemnatis rite deferatur, ne maligne nebulæ ingruentes Serenitatem futuræ Amicitiæ obnubilent „ & interrumpant. Initia enim Pacis & concordiæ bonis artibus indigent.

Interim Ordines Generales, ne *sine vi esset Consilium*, classem *centum & quinquaginta* navium bellicarum appararunt: de qua re die 15. Martii hanc Anglis notificationem fecere, *calidè* satis ut quibusdam videbatur.

„ Quandoquidem semper Fœderati Belgii Ordinibus, Dominis & Superioribus Nostris,

Nostris nihil æque cordi fuerit, quam ut cum omnibus vicinis Populis, Amicis & „ Fœderatis optima quæque officiorum Commercia colant, mutuâque fiduciâ vi- „ vant agantque: quo etiam magis intimæ suæ voluntatis pateat sinceritas, atque „ omnes sinistræ interpretationes, alienæ cogitationes, ac diffidentia præcaveren- „ tur, nobis extra ordinem Legatis Suis in mandatis dederunt, ut huic Angliæ Rei- „ publicæ significaremus, supra memoratos Ordines *tuendi maris, & Fœderatorum* „ *Belgarum, Navigationes atque Commercia conservandi ergo, decrevisse, & æquum cen-* „ *suisse, ut quam primum centum & quinquaginta navium classem parent, atque instruant,* „ præter earum numerum, quas dudum ad manum habuerunt, & quarum partim „ opera jam mari utuntur; Profitentes simul *optima cum fide* se nullo animo atque „ Consilio id egisse, quo dicta cum classe ullas gentes Fœderatas aut communes „ Fœderati Belgii amicos, multo minus hujusce Reipubl. Incolas atque Subditos „ ullo damno injuriave afficiant, offendantve; sed contra apertè statuisse & pro „ certo decrevisse cum omnibus hisce omnem, quæ vicinos decet, amicitiam, mu- „ tua officia atque fidem sincere colere, fovere, magis magisque augere atque sta- „ bilire, inque hunc finem nostra opera ad hoc uti, cum nullo alio animo dictam „ classem compararint aut destinarint quam uti, juxta æquum & officii eorum ra- „ tionem, Incolas Subditosque suos, nec non Navigationes & Commercia, quo- „ rum maximi eos refert, defendant atque tueantur. „

Anglis, antequam ad examen & deliberationem super dictis 36. Articulis venirent, & quia Legati de damnis illatis multum querebantur, visum fuit sequentes reciproce querelas Legatis opponere.

Quandoquidem justitia unicum honestæ & firmæ Pacis & Amicitiæ fundamentum est, atque hæc Respublica talem Pacem talemque amicitiam cum Fœde- „ ratis Belgii Provinciis pacisci magnopere cupit & conservare; Postulatur idcirco „ Nomine Parlamenti Reipub. Angliæ. „

1. Uti Societati Anglicanæ, quæ in *Moscovia* Mercaturam facit, jus suum red- „ datur, earumque reparatio injuriarum & prædationum, quæ à populo Fœderati „ Belgii illatæ sibi in Gronlandia vel ejus per oram sunt, Anno circiter 1618. quæ „ quidem damna, quem ad modum ab Rege *Iacobo* cum Ordinibus agitatum est, „ æstimata sunt libris Anglicis 22000. cujus summæ nulla adhuc Pars soluta est.

2. Uti in eos animadvertatur, qui *nefariæ* illius & *Crudelissimæ* Anglorum „ cædis in *Amboyna* factæ ullo modo rei sunt, si qui modo eorum sunt super- „ stites. „

3. Uti *Orientalis Indiæ Societati Anglicanæ*, hujusque Gentis aliis, quibus per cæ- „ des illic & publicationes bonorum factas damnum datum est, reparatio fiat ma- „ gnarum oppressionum illarum, injuriarum & damnorum, quæ apud Indos Orien- „ tales Fœderati Belgii Populus iis intulit post initum Fœdus illud Anno 1619. quæ „ quidem damna (quemadmodum prædictæ Societatis Indicæ Mercatores ad Nos „ deferunt, quorum & adjecta recensio est) æstimata sunt libris Anglicanis plus „ minus 1700000. ob quæ satisfactionem nobis dari postulamus. „

4. Uti Insula *Pularon*, quæ, cum Fœdus illud iniretur, ab Orientalis Indiæ So- „ cietate possidebatur, & hujus Reipub. erat, iis reddatur, & quæ *Puloa* loca tempore „

 illius

„ illius Fœderis icti 1619. ab iisdem possessa sunt: utque Orientalis Indiæ Societas „ Anglicana *partem tertiam specierum* omnium eodem precio, eodemque solutionis „ genere sive pecunia numerata sive mercium aut Cibariorum commutatione sibi „ habeat; quemadmodum habent Belgæ in Annos, qui adhuc restant, viginti; De „ quo temporis spacio in illa Fœderis transactione convenerat, cujusque beneficio „ per biennium duntaxat uti licuit, cum ex illo tempore Fœdus illud modis omni- „ bus à Belgis violatum fuerit.

„ 5. Uti reparatio fiat direptionum illarum & prædationum, quibus ad Brasi- „ liam navis Concordia pessimè recepta est; Magistro *Gervasio Coachman*, Anno „ 1648. Et recentius Anno proximè præterito navis *Maria & Ioannis* Nomine insi- „ gnita, cujus *Franciscus Hardegge* Magister est. Duabus hisce navibus damna data „ libris Anglicis circiter 42000. æstimantur; præter alias navium prædationes à „ Brasilia solventium, quarum Catalogus ad Vestras Excellentias mittetur.

„ 6. Cum Scriptum à Parlamento Angliæ Anno 1645. Legatis Celsorum & Præ- „ potentum Dominorum Ordinum Belgii Extraordinariis, qui in Anglia tum erant, „ exhibitum esset, de magnis quibusdam damnis & injuriis, quas Fœderati Belgii „ populares multis ex Natione Anglica intulerant, quarum Catalogus ad eosdem „ Legatos est missus, satisfactio etiam postulata, ad quæ Legati responderunt se hæc „ ad Superiores Suos esse relaturos, verum hactenus satisfactio nulla data est, exem- „ plar illius Catalogi Excellentiis Vestris una cum hisce exhibetur; ob quæ damna „ atque dispendia, satisfactionem poscimus. Hæc primum sunt in quibus ex jure „ nobiscum agi postulamus, quod quidem optimum illius & amicitiæ fundamen- „ tum erit, quam cum populo Fœderati Belgii continuare cupimus & conservare.

„ Neque hic tacendum est, quod Excellentiis Vestris in memoriam revocare „ non decet quam iniquo animo se gesserint Domini *Borrel* & *Reinsvvoude* à Celsis „ & Potentibus Dominis D. Statibus Generalibus in hunc Statum Legati Annis „ 1643. 1644. 1645. Qui Legati ausi sunt *in ipsis comitiis sententiam ferre contra Parla- „ mentum, & de rebus suis injustè judicare.* Qua de causa Declaratio Parlamentaria „ transmissa fuit ad dictos Dominos Status Anno 1645. Cui velut his insertæ adhuc „ innitimur, unde sensum nostrum fas sit colligere.

„ Quin etiam non possumus non memorare, Dominum *Stricland* apud vestrates „ tam diu frustra commorantem, qui licet *Residentis Publici* titulo insignitus apud „ Dominos Status esset: tamen post frequentes preces, audientiam procurandi „ gratia in cassum fusas, nec admitti neque audiri potuit, cum tamen interea *Mac- „ dorvel* hostis notissimi hujus Reipub. causam agens, & *aures & fores Vestras ape- „ rire potuit.*

„ At verò, quod gravius est repetere, nec possumus silere, parricidium istud „ horrendum, & adhuc inexpiatum, quod Doctorem *Dorislavum* nuper abripuit, „ qui cum publico Ministri caractere designatus hujus Reipublicæ causam apud „ Dominos Vestros ageret, tamen de auctoribus vel assistentibus, tam *execrando „ facinori,* ne unum quidem captum audivimus: quapropter easdem querelas iterare „ debemus, Mense Majo 1649. Domino *Ioachimi* olim traditas, quo Dominis Sta- „ tibus Generalibus innotescerent, simul & à Dominis *S. Iolm & Stricland* Ambas- „ siatoribus hujus Reipublicæ nuperrime explicatas.

Neque

Neque nobis eſt oblectamento refricare injurias & indignitates iſtas nondum vindicatas, in dedecus hujus Reipublicæ Legatis dictis allatas, dum Hagæ-Comitis adeſſent, ab *Edovardo* Reginæ Bohemiæ filio juniore, nec non à Tribuno *Apſley*, in quos varia poſtulata à dictis Legatis delata fuerant apud Ordines Veſtros, quorum jure ac poteſtate iidem ſiſti poterant, quoniam ante & poſt delationes iſtas intra limites Veſtros aliquandiu remanſerant. Quandoquidem verò honoris hujus Reipublicæ multum intereſt de his injuriis inquirere, ideo tales proceſſus expectamus, qui rationi & æquitati reſpondeant, & amicitiam iſtam reciprocam & mutuam benevolentiam, inter utraſque Gentes antiquitus celebratam, promovere poſſint.

Porro quanquam, quod juris eſt communis, id nos in poſtulatis ponendum eſſe non cenſemus, per hæc tamen ſignificatum Veſtris Excellentiis vellemus, expectare nos, uti populi hujus Reipublicæ Navigatio libera ſit, quæcunque loca navibus petierint, aut ibi Mercaturam fecerint, tam per *Indiam* quam quocunque alio orbis terrarum loco, à Belgis non occupato prius aut poſſeſſo; quod quidem illis communi jure liberum eſſe debet, ut facere poſſint, neque ulla idcirco eſt à Populo Fœderati Belgii aut moleſtia illis aut vis inferenda.

Deinde & aliud ſummarium querelarum particularium, à multis Anglicæ Nationis Incolis, de injuriis atque damnis quibus affectos ſe dicebant à Subditis Fœderati Belgii, quæ querelæ juxta aliquot utriuſque Domus Parlamenti Edicta ad Commiſſarios Dominorum & Communium Parlamenti delatæ ſunt, quibus datum Negotium erat, uti cum Legatis Ordinum Belgii de navium & bonorum retentione agerent, ob quas omnes injurias & damna, Nomine Dominorum & Communium Parlamenti Angliæ, poſtulabatur ut debita reparatio daretur, juxta ſingulorum petitiones.

Gulielmus Curteen Armiger queritur, navem ſuam *Bonam Eſperanzam* Londinenſem, bonis prædicti *Curteen* onuſtam, certiſque aliis bonis & pecuniis Luſitanorum (cum quibus prædicti Ordines Pacem in India tubarum & tympanorum ſonitu promulgaverant ſecundum Fœdus diu antea initum in Europa inter Regem Portugalliæ & prædictos Ordines) 26. Junii 1643. à Goa ad Sinarum Regionem in freto *Malachenſi* curſum tenentem, à duabus Orientalis Indiæ Societatis Belgicæ navibus fuiſſe oppugnatam; poſt pugnam cruentam, multoſque navis *Bonæ Eſperanzæ* Socios occiſos, navem ipſam, cum toto ejus onere ac bonis, iiſdem Oppugnatoribus prædæ fuiſſe, quique in ea erant inhumaniſſimè habitos, quod niſi accidiſſet, potuit navis illa in Angliam rediiſſe, libraſque ad minimum *ſexaginta mille* ad petitorem hunc retuliſſe.

Robertus Moulton de Redriff . . . . Clench de Ipſwich . . . . Goſnall de Ipſwich . . . . Chaplaine de Ipſwich, aliique aliquot navis illius Domini de ſuæ navis amiſſione haud minus queruntur. Navis æſtimatur quinque millibus librarum, merceſque amiſſæ alteris quinque millibus.

Guilielmus Penoyer & *Richardus Hill*, Mercatores ambo Londinenſes, queruntur, ſe cum ex pacto cum Dominorum & Communium Commiſſariis ad incolumitatem Regni Conſtitutis, Decemb. 27. 1642. in ditione *Legienſi* certum armorum numerum, quibus uſus Parlamento erat, coëmiſſent, quem navigiis ſecundo flu-

mine ad Portum Duynkerckensem subvexerant, Mense Julio 1643. unde in Angliam asportarentur à Domino de *VVit*, qui tum Classi Belgicæ Præfectus erat, & ad Oppidum Dunkerkam in anchoris stabat, quamquam is de re tota certior factus esset, prohibitos fuisse, quo minus ex portu solverent, qui & eos aut capturum se aut depressurum minatus est, si id tentassent, quamvis & literæ ad eum à D. Admirallo Angliæ datæ essent, quibus libera eorum dimissio peteretur, & in quibus etiam confirmatum esset, ea arma Parlamenti usibus coempta esse. Post hoc prædictus Dominus Admirallus Angliæ de eadem re ad Dominum *Martinum Harp. Trump*, Classis Belgicæ, quæ illo tempore Dunkerkam obsidebat, Admirallum, denuo literas dedit, quibus rursus ut arma illa dimitterentur petebat; verum hoc nullo modo impetrare potuit: immo plane contra atque prædictus Dominus Admirallus petierat, eadem arma duobus Anglicis navigiis liberis imposita Londinum asportanda, à prædicto Domino Trumpio circiter 12. superioris Maji capta sunt atque in Zelandiam abducta, ibique retenta, quamvis Communium Domus per Literas & Agentem Suum & Commissarii Parlamenti utriusque Regni, & Statibus Generalibus & Zelandiæ Statibus declarassent, eadem arma, ut supradictum est, ad usum hujus Regni fuisse coëmpta. Pretium armorum *octo mille librarum*; impensæ, retentionis causâ, 1500. fœnus 700.

Vincentius de la Barr Londinensis pro se suaque Societate queritur, se circiter Mensem Julium 1639. cum ejus navis, cui nomen *nigro Damæ* Londinensi, Canarias versus Insularum Maderæ oram legeret, à Capitaneo *Henrico Nicolai*, ejusque Sociis, Belgis omnibus, in navi quadam cui nomen *spei* Amsterodamensi, hostiliter oppugnatum, vique captum & abductum fuisse, & quamvis tam in Hollandia jus suum persequendo, sollicitationibus insuper ab hac Repub. aliquoties adhibitis, summam suam operam dederint, omnique ope annixi sint, ut suas res reciperent, omnino tamen nihil iis restitutum est, cum æstimetur damnum duodenis millibus librarum.

Capitaneus VVhetstone queritur, se circiter Febr. proximè elapsum 1643. cum in alto nimirum, intra indices quos *Boyos* vocant, prope oppidum *Brillam*, longius tamen quam ut ab ulla nave aut munimento Belgicæ ditionis ictu Bombardæ peti posset, navem *Scarburgensem*, cui nomen *Margeria* erat, Magistro *Guilielmo Cooper*, cepisset, quæ navis *Scarburgo* solverat, Roterodamum versus, plumbo, panno, pellibus ovinis, aliquanto etiam pecuniæ onusta, postquam eam cepisset navem, duas Hollandiæ naves bellicas, jussu Admiralli Belgici *van Trump*, subito adortas esse, illamque navem captam prædicto *Capitaneo VVhetstone* vi ademisse, navemque ipsius propriam, *the Cygnet* vulgo dictam, intra molem *Brillensem* abduxisse, ibique vela antennæ dempsisse, clavumque sustulisse, post susceptam duorum Mensium molestiam & moram dimissa tandem navis Signetta est, nulla ob navem captam satisfactione data, quod damnum sex millibus librarum æstimatum est.

Capitaneus *Zacharii* queritur, se, cum circa initium Martii, 1643. prope Flevum Hollandiæ Ostium sua in navi esset, cum antea duas naves Anglicas cepisset (altera, cujus Capitaneus erat . . . . *Hickson*, *Scarburgo* solverat Amstelodamum versus, & pannum, plumbum, lanas, non nullam etiam pecuniam

niam portabat, quæ omnia æstimatæ sunt *septies millenis libris*, altera navicula erat ,, armis & instrumento bellico onusta *Scarburgum* tendens, quo ex portu primum ,, exierat, *quinquaginta libris* æstimata) à tribus Belgarum navibus bellicis oppressum ,, fuisse, quarum omnium Præfectus erat Capitaneus *Ioannes van Galen* qui *quadraginta* bombardas in eum displosit, & uti ad se in naves suas veniret imperavit, ,, ejus deinde vela antennis ademit, secumque in Ostium, Flevum vulgo dictum, ,, abstulit, ipsum vero Amstelrodamum adduxit, ibique in custodia arcta per *septimanas* undecim habuit, sine capturarum navium restitutione, aut ulla prædæ il- ,, lius parte. ,,

Oppidum *Iarmutha* queritur, tres Belgarum naves bellicas Jul. superior. 2. 1644. ,, Navem quandam Dunkerkensem, cui *Petrus Carline* præfuit, cum in fugam dedissent, ,, eam in Portum *Iarmuthensem* impulsam insequutas, multis Bombardarum ,, ictibus petisse, duos in ea homines interemisse, plures consauciasse, pilas etiam ,, quasdam ad littus emissas unum ex oppidanis confecisse, multisque aliis discrimen ,, attulisse, & post hoc navem prædictam in illo portu occupasse, eamque cum ,, præfecto illius, omnibusque Sociis in stationem Navium Jarmuthensem abduxisse, ,, uti eam postmodum una ex navibus Parlamenti, quæ tum forte aderat, adjuvantibus ,, ex oppido quibusdam, Belgarum ex manibus recuperavit. ,,

Anna Paulet, *Roberti Paulet* Generosi vidua, queritur prædictum *Robertum Paulet*, ,, Sociosque ejus nave quadam *Minbeadensi*, cui nomen *Columba*, nave etiam altera ,, Portugallensi, quam cum præda opulenta ceperat, fuisse à quodam Capitaneo ,, Cornelio 'tKint piratico more spoliatos, qui navi, cui nomen *Petro* Roterodamensi, ,, præfuit, eosque Roterodamum abduxit, bonis omnibus ademptis: ,, & quamvis prædictus *Robertus Paulet*, tam lege agendo quam Solicitationibus ,, Agentium hujus Reipub. Regiæ Majestatis Nomine adhibitis, aliisque modis ,, summam operam dederit, ut sua recuperaret, nulla tamen restitutio, nulla satisfactio ,, impetrari potest. ,,

Rogerus North Armiger queritur, Quod cum quidam *Henricus Iacobson* Flissingæ ,, moreretur, & prædicto *Rogero North* debitor esset, viduæ prædicti *Iacobson* coram ,, Flissingensium Magistratibus litem intendit, sibique deberi *ducentas & decem* libras, ,, cum quindecim Solidis, septemque denariis apparebat, quæ summa ad prædictos ,, Magistratus allata est, verum antequam prædictus *North* eam pecuniam ,, adipisci potuerit, Arausionensis Principis Balivus eam retentavit, eaque prædictum ,, Rogerum privavit, hoc solum obtentu, quod cum prædictus *Iacobson* intestatus ,, moreretur, prædicta pecunia ad dictum Principem pertineret, atque ita ,, Magistratus ille sententiam tulerit. ,,

Mercatores *Dorovernienses* queruntur, quod cum Mense Septembri 1644. Navigium ,, quoddam, cui nomen *Fortuna Dorovernienfi*, *Laurentio Brovvne* Magistro, ,, diversorum quorundam bonorum justum onus Ostendæ accepisset Dorovernii ,, reddendum, eaque navis in itinere esset cum altera hujus Reipub. nave præsidiaria, ,, capta tamen in mari est, ab nave quadam Ordinum Hollandiæ, cui præfuit ,, *Adrianus Galine*, & Roterodamum abducta, ubi & ipsa navis & bona, & omnes ,, nautæ sine ulla restitutione etiamnum retinentur, quamvis Dominus Admirallus ,, Angliæ, ea de re ad Dominationes Vestras questus, responsum retulerit, velle ,,

„ vos diligenter ad Ordines Hollandiæ ſcribere, ut ſatisfactio abunde detur; tamen „ & nautæ in cuſtodia illic ſunt, minæ etiam adjectæ, illic permanſuros, niſi affirmare voluerint, navem illam ac bona ad Flandros pertinere, ita affirmantibus præmia etiam propoſita ſunt. Navis & bona æſtimantur *quindecies millenis libris*, damna *bis millenis*.

„ *Ioannes Marſton*, Londinenſis Mercator, queritur, Quod Septembr. 26. 1639. „ cum duæ Anglicæ naviculæ in Margaretæ Statione ſub Munimento illic intra „ ictum Sclopi in Anchoris ſtarent, Magiſtris *Rogero Ioyner* & . . . . „ *Sturgeon*, utræque ex Mandato ejuſdem *Marſton* Hiſpanis militibus confertæ, circiter horam ejuſdem diei duodecimam, venit in eandem Stationem navis quædam bellica Fœderatorum Belgii, cujus Capitaneus *Petrus Ianſen* Roterodamus Inſigne Regis Angliæ in puppi poſuerat, Unionis vexillum ad proram, pendenſque ab extremo malo Apluſtre, cumque intra ictum Sclopi minuſculi eſſet in eas naviculas ſclopos duos diſploſit, eaque extemplo vi ingreſſus, anchoras earum tolli juſſit, naves in ſuam poteſtatem redegit, milites in ſuam navem deportavit, cum naviculas illas dimiſiſſet, ipſe eadem nocte Zelandiam verſus vela fecit. Damnum, „ quod prædicto *Marſtono* inde datum eſt, æſtimatur *mille ſexcentis libris*.

„ *Iacobus Gibbons*, Mercator Adventurarius, queritur, Quod cum Menſe Novembri 1637. perveniſſet ad eum Londino Roterodamum in nave *Eliſabetha* Londinenſi, *Gulielmo Atkinſon* Magiſtro, Sarcina una in qua panni Anglici colorati ſeptendecim fuere, qui ut allati ſunt; in Telonio ſine fraude ſunt conſcripti; cum autem altera in ea nave Sarcina eſſet, quæ *Iacobo Velthuſen* Mercatori Roterodamenſi conſignata erat, qui eam noctu ex illa nave clanculum ſubduxerat, ut „ Rempub. ſuo jure fraudaret, Magiſter propterea ab Advocato Fiſcali in curia „ maritima inſimulatus eſt, & curiæ ſententiâ mulctam ei crimini irrogatam damnatus tulit; poſtea Sarcinam prædicti *Gibbons* pro Sarcina prædicti *Velthuſen* prædicta curia nave exemit, eamque magna cum j[illegible]ura divendi juſſit, inaudito prædicto *Gibbons*: neque ex eo tempore impetrare potuit prædictus *Gibbons* ut ſua ſibi reſtituerentur.

„ *Ioannes VVood*, Mercator Londinenſis, queritur, quod cum Anno ſuperiore navem ad oram *Guineæ* profecturam inſtruxiſſet, Mercator in ea nave præcipuus, dum illud iter faceret, ad Cormantini portum contendit, qui in aureo „ Guineæ littore eſt, ubi ſtatim comperit, Belgas cum ejus Regionis indigenis „ conjuraſſe de expellendis ab omni ſuo illic Negotio Anglis, quod & ad exitum perduxiſſent, magno cum diſpendio & prædicti *Ioannis VVood* & totius Guineanæ Societatis, niſi navis illa eo ipſo die ad portum illum appuliſſet; quæ cum poſtea ad Sancti Thomæ Inſulam profecta eſſet, ad exigenda quædam debita prædicti *Ioannis VVood*, quibus illam navem redeuntem onerari oportebat, qui Fœderatorum Ordinum Nomine Inſulæ illi præfuit Luſitanos debitores vetuit, ulla Anglis debita ſolvere, quamvis & facile poſſent & parati eſſent, quo factum eſt „ ut navis illa redierit.

Hæc, inquam, gravamina reciproca Belgis Angli propoſuere.

Ad

Ad 36. Articulos responderunt die 25. Martii: præmissa præliminari cautione nullum Articulum de quo convenerit, quive inter utranque Partem conclusus erit, Partem alterutram obligaturum esse, nisi Fœdus ipsum conclusum & consummatum fuerit.

Consilium Articulos 36. ab Excellentiis Vestris $\frac{11}{21}$ Februarii Commissariis Suis exhibitos consideravit, ad eosque sequentibus Articulis Respondet.

1. Quod ad primum, fore ab hoc tempore inter Angliæ Remp. & Fœderatas „ Belgii Provincias interque eas utrinque Regiones, atque urbes quæ in Societa- „ tem cum iis convenerint, aut sub earum ditione fuerint, inter earum item utrin- „ que populos & Incolas, quicunque illi demum aut cujuscunque Ordinis fuerint, „ bonam, firmam, sinceram, inviolabilem, atque perpetuam Pacem, amicitiam, „ Commercium, arctiorem etiam & propiorem Societatem, atque Fœdus quam „ antehac initum est. „

2. Ad secundum, fore eas inter se Societate & amicitia conjunctissimas, ad „ Libertatem utriusque Populi, mutuum Commercium, rem navalem, mutuasque „ terra, vel aqua rationes modis infra expositis, atque expressis, defendendum & „ conservandum devinctas inter se, & consociatas, atque ita permansuras contra „ eos omnes, qui in hisce rebus exequendis utrivis Reipub. obstare, & molestiam „ exhibere conati fuerint. „

3. De tertio & decimo tertio assentimur, uti hic proponitur, Rempublicam „ Angliæ Populumque Anglicanum, omnesque ejus Reipub. Incolas, prædictas „ item Fœderatas Provincias, earumque Populum, & Incolas cujuscunque Ordinis „ aut conditionis fuerint, obligatos fore ad sese mutuo rebus omnibus humaniter „ atque amice tractandum, uti terra, vel aqua alterutrius Regiones, Oppida, pagos, „ sive muro cincti seu sine mœnibus fuerint, muniti, vel non muniti, portus etiam „ & ditionem universam per omnem Angliam, Scotiam & Hiberniam, per omnes „ itidem Fœderatas Belgii Provincias liberè & securè adire possint, in iisque versari „ & commorari, quandiu voluerint, ibique sine ullo impedimento commeatum „ suis usibus quantum necesse erit coëmere, atque etiam Negotiari, & Mercaturam „ facere *quocunque mercium genere ipsis videbitur*, easque advehere suo arbitratu, aut „ exportare, dummodo, quæ statuta sunt, portoria solvant, *salvis etiam alterutrius pariter Reipub. Legibus, & statutis omnibus.*

4. Quod ad quartum, assentiri nos respondemus eo quo jam dicetur modo, „ Respublicas nimirum Angliæ, & Fœderatarum Provinciarum, neque palam, ne- „ que occulte contra se invicem neque facere, neque agere, neque moliri quic- „ quam ullo in loco, sive in terra, sive aqua, in portubus, aut fluminibus ad alteru- „ trius ditionem pertinentibus, neque promovere, neque agitare, suisve Consiliis, „ aut opibus fovere quodcunque, vel quæcunque hostiliter facta erunt, ullamve „ injuriam inferendam aut faciendam, quæ ad præjudicium, aut damnum Partis al- terutrius possit spectare, neque passuras ut quid ejusmodi à populo, aut Incolis „ alterutris, aut ab ullo qui in earum potestate sit, tentetur, aut fiat, ullumve adju- „ mentum, consilium, studium, subsidium ulli homini ad damnum aut injuriam al- „ terutrius Reipub. earumve populi, aut Incolarum præbeatur, verum uti palam, „ & cum effectu illiusmodi conatus vetent, prohibeant, impugnent, & reipsa im- „ pediant.

5. & 6.

,, 5. & 6. De eo quod 5. & 6. continetur, assentimur, quemadmodum in sequente hoc 5. & 6. dictum erit; neutram Rempub. neve ullum ex ejus populo aut Incolis, ullumve in *earum ditione commorantem* alterutrius Reipub. *hostes* aut *rebelles* subsidio, consilio, aut studio adjuvare, imo aperte, sincerè atque strenuè obstare, ne quid auxilii, aut adjumenti ab ullo, qui aut ex populo, aut Incolis, aut commorantibus in alterutra Repub. fuerit, ullis ejusmodi hostibus, aut rebellibus prædictis, viri, pecunia, naves, arma, instrumentum bellicum, commeatus, mercesve ullæ publicæ prohibitæ mari, aut terra præbeantur. Si quid contra fiat, prædictas naves, & bona, publicè prohibita, ei Reipublicæ addici, adversus quam parata sunt, contra sensum hujus Articuli: quique contra hunc Articulum scientes atque volentes commiserint, utriusque Reipublicæ hostes judicari, in eaque Republica, ubi hoc commissum erit, perduellionis pœnas dare.

,, 6. Utrasque Respub. sibi mutuo sincere, & fideliter, prout opus fuerit, contra alterutrius hostes & rebelles, terra marique *opem ferre* viris & navibus *ea proportione*, eoque modo, iisque conditionibus *quibus postmodum conventum fuerit*, prout necessitas, & rerum alterutrius ratio tulerit, sumptu tamen atque impensis hoc fore illius partis, quæ auxilium postulaverit.

,, 7. De septimo assentimur, si vel Angliæ Respub. vel Fœderatæ Belgii Provinciæ cum ullis Rebuspub. Principibus aut potestatibus de amicitia, Fœdere aut Societate egerint, in ejus Fœderis transactione, alteram earum altera comprehendi cum tota alterius ditione, siquidem ita comprehendi volet.

,, 8. De octavo assentimur quemadmodum hic proponitur, in hac Fœderis transactione *comprehendi amicos*, etiam omnes Fœderatos & Socios alterutrius, qui, cum illud Fœdus ratum habebitur, utrinque nominabuntur, deque iis inter utrasque convenerit, si ipsi denique comprehendi voluerint.

,, 9. Quod ad nonum, sequentem Articulum pro responso exhibemus, si acciderit ut *quandiu Fœdus*, amicitia & Societas hæc durabit ab ullo ex populis aut Incolis alterutrius prædictæ Reipub. contra hoc Fœdus, aut ullam ejus partem mari, terra, aut aliis aquis quicquam fiat, aut tentetur, amicitiam hanc, Fœdus, & Societatem inter hasce Respublicas non idcirco interrumpi, aut infringi, verum integram nihilominus durare, plenamque vim suam obtinere, tantummodo *illos ipsos*, qui contra Fœdus prædictum commiserint, singulos puniri, aliumque neminem, justitiamque reddi, satisfactionemque dari illis omnibus, quorum id interest, ab iis omnibus, qui terra, mari, aut aliis aquis contra hoc Fœdus quicquam commiserint ulla in parte Europæ, aut ubivis locorum intra fretum Gaditanum sive in America, vel per Africæ littora, ullisve in terris, insulis, æquoribus, æstuariis, sinubus, fluminibus aliisve in locis cis caput *Bonæ spei*, intra Anni spatium, quam justitia postulabitur, in omnibus autem, uti supradictum est, ultra prædictum *caput* locis intra *menses octodecim* quam justitia prædicto modo poscetur. Si Fœderis ruptores non comparuerint, neque se judicandos permiserint, neque satisfactionem dederint intra hoc vel illud temporis spatium pro loci longinquitate modo constitutum, prædicti illi utriusque Reipub. hostes judicabuntur, eorumque bona, facultates, & quicunque reditus publicabuntur, plenæque ac justæ satisfactioni impendendi erunt earum injuriarum quæ ab ipsis illatæ sunt, ipsique

præter-

præterea, cum in alterutrius Reipub. poteſtate fuerint, iis pœnis obnoxii erunt „ quas ſuo quiſque crimine commeruit.

10. Anglos omnes & qui ſub eorum ditione fuerint poſſe libere, tuto, ac ſecure in Fœderatis Belgii Provinciis, perque eas, terra, vel aqua ad ulla in iis loca, vel extra eas iter facere, perque ulla earum oppida, præſidia, munimenta quæ ullis in locis Fœderatarum Belgii Provinciarum quibuſcunque erunt, Mercaturam in omnibus illic locis facientes eorumque Negotiatores, inſtitores, famulosve armatos ſive inermes, armatos autem non amplius quadraginta ſimul tam ſine bonis ſuis & mercimoniis, quam cum iis, quocunque ire voluerint. Poterit item Populus & Incolæ Fœderatarum Belgii Provinciarum eadem libertate frui omnibus ullisve per Angliam Scotiam aut Hiberniam locis, dummodo in hujuſmodi Commercio & Mercatura ab utraque Parte ſinguli alterutrius Reipub. legibus & ſtatutis pareant, moremque gerant.

11. Quod ad undecimum, reſpondemus, cum Reipub. Anglicæ popularibus præciſe vetitum ſit *in omnibus coloniis & locis ad populum Fœderati Belgii pertinentibus*, quæ intra fines Belgii non ſunt, negotiari; in eo acquieſcemus, eaſque colonias adnavigare, aut cum illis Commercium habere ſuperſedebimus, neque iis illic navigantibus, impedimento, aut moleſtiæ erimus, & illi viciſſim ne in ullis Anglorum coloniis Negotia habeant *nupera lege* cautum eſt, qua *exaugenda hujusgentis rei navali* conſulitur, ab qua recedendum eſſe non cenſemus.

12. Ad duodecimum reſpondemus, Anglos in ſeptentrionalem Americæ continentem primos omnium colonias deduxiſſe, ibique habere ab ea *Virginiæ* plaga, qua longiſſimè in Auſtrum vergit, ab gradu nimirum latitudinis Aquilonaris 37. uſque ad *Terram Novam* gradumque ſecundum & quinquageſimum: cumque haud ſciamus an ulla illic Belgarum colonia ſit, præter paucos admodum ad flumen *Hudſoni* accolas; haud duximus in præſens neceſſe eſſe fines conſtituere, quod idoneo dehinc tempore fieri poterit.

13. Ad hunc in 3. Articulo reſpondetur.

14. De quartodecimo aſſentimur in ſequentibus, Mercatores, naucleros, Gubernatores & nautas, alterutrius Reipub. eorumve naves, bona & mercimonia in terris, portubus, navium ſtationibus, aut fluminibus alterius neutiquam retentari, ex edicto quovis generali aut ſpeciali, ſive ad bellum ſive alium quemlibet ad uſum, niſi ſumma neceſſitate id cogente; juſta autem ſatisfactione ob id data, ita tamen ut retentionibus & publicationibus, quæ ex jure & legibus alterutrius Reipub. rectè atque ordine fiunt, nihil hic derogatum ſit.

15. De quintodecimo aſſentimur, ut ſequitur; Populares & Incolas terrarum prædictæ Reipub. Angliæ & Fœderatarum Belgii Provinciarum in terris alterutrius, ut ſupradictum eſt, negotiantes, non obligari in poſterum, ut plus portorii, cenſus, vectigalium, aut pecuniæ quæ ob ſpeculatorios ignes diſpoſitos exigitur, aut aliorum tributorum ſolvant, quam pro rata portione, quam nunc ſolvunt, cum alterutrius populo collata.

16. De ſextodecimo aſſentimur, poſſe utrinque Mercatores, eorumque inſtitores, & famulos, uti etiam naucleros, aliosque nautas tam eundo & redeundo navibus per maria, aliaſque aquas, quam in portubus alterutrius, aut in ter-

ram egressos, gestare atque uti, sui suorumque bonorum defendendi causa, armorum omni genere, quibus aut se protegere, aut vim propulsare possint; verum ubi ad sua quisque hospitia ac diversoria pervenerit, ibi arma sua deponere, atque ibi relinquere donec rursus ad navem se receperit, aut eo commeare velit.

17. Ad septimumdecimum dicimus, quo utræque Respub. arctius quam unquam antea consociari & *coalescere* possint, licere cuivis ex populo, indigenis aut Incolis Fœderatarum Belgii Provinciarum, aut ullorum intra septendecim Provincias locorum, quæ aut in earum vel Societate vel ditione sunt, *siquidem reformatam religionem sequuntur & cum sua familia & facultatibus in Angliam commigraverint*, libere illic permanere, habitare, Mercaturam facere, *agros etiam atque ædes mancipio accipere, hæreditates adire*, sibique & hæredibus possidere, omnique ea libertate, iisque Privilegiis & immunitatibus frui, cujuscunque generis, quibus ullus hujus Gentis indigena vel natali jure, vel ulla lege, consuetudine, ullove alio ex jure frui queat ac debeat, modo omnibus in rebus hujus Gentis legibus & receptis moribus pareant, quemadmodum ipsos indigenas parere æquum est. Parique libertate ac Privilegiis quemvis ex populo hujus Reipub. quibusvis in terris, urbibus, oppidis, aliisque locis vel Fœderatarum vel septendecim Provinciarum, quæ vel Societate vel ditione sunt, itidem frui posse.

18. Ad octavumdecimum dicimus, *salvo hujus Reipub. jure*, illudque asserentes, ad eas pactiones *de piscatu* accedere non gravabimur, quæ ab æquitate & ratione in earum alienæ non fuerint.

19. De undevigesimo sequentem in modum assentimur, quo Navigandi & Commercii habendi liberior facultas sit, neque prædictam Angliæ Rempub. neque Fœderatas Belgii Provincias, in suas terras, portus, urbes, aut oppida recipere, aut sinere ut ullus ex populo aut Incolis alterutrius recipiat *pyratas* aut *prædones*, iisve hospitium, auxilium, aut commeatum præbeat, verum operam dare ut prædicti *pyratæ, prædones*, eorumque *pyraticæ participes*, conscii & adjutores in aliorum terrorem investigentur, capiantur, & merito supplicio puniantur, omnesque naves, bona atque merces pyraticè ab iis captas, atque in portus alterutrius Reipub. advectas, quæ quidem inveniri poterunt, immo etiamsi venditæ sint, justis Dominis restitui, aut satisfactionem dari vel eorum Dominis vel iis qui per literas procurationis eas res vendicaverint, modo jus Domini debitis ex lege probationibus in curia causarum maritimarum appareat.

20. De vigesimo sequentem in modum assentimur, omnes utriusque Partis qui accepto speciali diplomate in altum proficiscentur, priusquam diplomata acceperint, oportere *vades* idoneos dare, & eorum quidem neminem qui ex illius navis contubernio est, coram illius curiæ judicibus, unde illud diploma emissum est, observaturos se esse illa mandata, quibus ex illius diplomatis authoritate, quo pacto se gerere debeant, sibi præcipietur.

21. Rempub. Angliæ eam curam *sui maris tuendi*, in eoque liberum Commercium præstandi suscepturam esse, quæ par erit.

22. Ad 22. dicimus, si quis intra illa maria molestiæ, impedimento, aut oneri cuiquam erit, Mercaturam liberè exercenti, quod possit jure suo facere, hanc

Rem-

Rempubl. omnes juſtas atque honeſtas inituram eſſe rationes, quibus omni Commercio legitimo ſua libertas per illa maria reſtituatur aut conſervetur.

23. Ad 23. aſſentimur, alterutrius Reipub. naves præſidiarias, ſi quam in mari navem aut naves Mercatorias, quæ ad alterum vel ad alterius populum aut Incolas, aut ad ullos Sociorum hoc Fœdere comprehenſos pertinuerint, eundem curſum tenentes, idemve iter facientes obviam habuerint, aut aſſecutæ erunt, obligari ut illis præſidio ſint atque defendant, quandiu eundem curſum tenuerint, contra omnes & ſingulos, qui eas vi adorientur.

24. De 24. aſſentimur, ſi qua navis aut naves, quæ populi aut Incolarum alterutrius Reipub. aut neutrius fuerint, in alterutrius portubus à *quovis tertio* capiantur, qui ex populo aut Incolis alterutrius Reipub. non ſit, illos quorum in portu aut ex portu, aut quacunque ditione prædictæ naves abductæ fuerint, pariter cum altera parte obligari, uti dent operam, ut ſint qui prædictam navem aut naves captas inſequantur & reducant ſuiſque Dominis reddant, verum hoc totum fieri Dominorum impenſis, aut quorum id intereſt.

25. Si quæ naves Mercatoriæ, quæ populi aut Incolarum alterutrius Reipub. fuerint, ſive tempeſtatis vi, ſive pyratis inſequentibus, ſive caſu quovis alio aut neceſſitate in portum quemlibet alterutrius prædictæ Reipub. delatæ fuerint, licere iis ſuo arbitratu libere diſcedere ſuis cum navibus & bonis, nulla portoria ſolventes, ita tamen ut eorum, quibus navis oneratur, ne quid attingant, aut venale proponant; neque ulli cuivis moleſtiæ aut ſcrutationi obnoxios fore, modo ne quos homines aut bona in navem recipiant, neque contra leges, ſtatuta, moremve ejus loci quicquam faciant, quo in loco, quemadmodum ſupradictum eſt, portum capeſſerint.

26. De 26. aſſentimur ut ſequitur, neutram Partem alterius Regionis portus intrare, aut ibi commorari cum eo *numero navium bellicarum & militum*, qui ſuſpicionem afferre poſſit, niſi impetrata prius ab iis venia, ad quos portus illi prædicti pertinuerint, niſi ſi tempeſtate, vi aliqua, aut neceſſitate compulſa illuc ſit, quo maris pericula effugiat; quod cum acciderit, Præfectum ejus loci aut ſummum Magiſtratum ſtatim de cauſa ſui adventus certiorem facere debere, neque illic diutius hærere, quam illis à præfecto ut dictum eſt, aut à ſummo Magiſtratu permiſſum erit.

27. 28. Ad 27. 28. dicimus, *naves bellicas* ab alterutra Parte, ſi eo numero non ſint, ut ſuſpicionem, ut dictum eſt, afferre queant, poſſe in alterutrius Partis navium Stationes, portus, & flumina venire, ibique in anchoris ſtare, aut inde exire, abſque ulla moleſtia aut impedimento, dummodo ita ſe gerant, ut contra leges & mores illorum locorum ne quid committatur; neque naves illæ bellicæ Partis alterutrius in portus alterius ullas Merces advexerint aut exportaverint, aut aliud quicquam, quod vetitum erit, aut ullos ex populo aut Incolis illius Reipub. cujus in portubus ſunt, niſi qui liberum commeatum pro ſe ſuiſque rebus, literis publicis, impetraverit, & ne ſecus quis fecerit, ſcrutationi in portu erunt obnoxiæ.

29. Ad 29. dicimus, omnes qui diplomata acceperunt, aut quæ privatorum naves bellicæ ſunt ab hoc vel illa Parte, eadem libertate pro ſe ſuiſque prædis

„ esse usuros, ad eandemque regulam se directuros, ut in præcedenti Articulo dictum est.

„ 30. Vestri tricesimi loco proponimus, ut sequitur, quoties ullæ *naves hostium* alterutrius, quas oportere prædæ esse judicabitur, à navibus alterutrius Reipub. præsidiariis capiuntur, quæ bona in iis aut merces ad populum aut Incolas alterutrius Reipub. pertinuerint, ea liberari eique reddi qui Dominum earum se esse probaverit, omniaque bona hostium alterutrius Reipub. quæ in alterius navibus invenientur, legitimæ prædæ fore, naves autem dimitti, & captorum bonorum vecturam solvi, moræ etiam damna pensari, si æquum videbitur.

„ 31. Ad 31. dicimus, neque Angliæ Rempub. neque Fœderatas Belgii Provincias, aut ipsas auxilium ferre oportere, neque sinere ut à populo aut ab Incolis alterutrius, aut ab aliquo quovis tertio, *hostibus aut rebellibus* alterutrius, ullo sive *armorum* aut *instrumenti bellici*, cujuscunque generis fuerit, apparatu, terra aut mari, aut commeatibus quibuscunque generis apparatus, qui ad *hostem aut rebelles* alterutrius comportandi in nave qualibet reperientur, ei qui ceperit, prædam adjudicari, quemadmodum & naves ipsas quæ res illas portarunt, omnia item alia bona quæ in iisdem navibus reperientur, facta probatione debita, prædictos illos apparatus tam hujus quam illius generis, ut supradictum est; ad rebelles & hostes, ut dictum est, comportari.

„ 32. De Articulo 32. Concilium assentiendum esse non censet.

„ 33. Si alterutrius Reipub. naves populive aut Incolarum alterius, sive naves illæ bellicæ fuerint, sive Mercatoriæ, vi ventorum, aut tempestatis, ullove alio quocunque casu ad littus impelli acciderit, aut illic naufragium facere ullis in terris quæ ditionis alterius Reipub. erit, prædictas naves cum armamentis omnibus, totoque instrumento, bonisque omnibus, & mercibus quæ in terram delatæ fuerint, veris Dominis restitui, si quidem suum in eas naves aut bona verum Dominium, intra anni unius spatium quam illud naufragium factum est, idoneis testibus juratis ulla in Curia causarum maritimarum, quæ in alterutra Repub. jam constituta est, aut constituetur, probaverint; modo etiam prædicti Domini, iis qui salvas res suas reddiderint & asservaverint, mercedem usitatam, *Salvagium* vulgo dictum, solverint simulque eos sumptus, quos illi fecerint, qui eorum bona conservaverint, & si quæ ex prædictis bonis ejusmodi erunt quæ vel sua natura, vel ex naufragio facile corrumpantur, ea bona, postquam id præconis voce significatum erit, ad *Lucernam* vendi, & quod id efficietur, Dominis, ut prædictum est, solvi: omnesque Officiarios, omnem populum, & Incolas Partis alterutrius, quoties ejusmodi quid acciderit, obligari, uti pro viribus dent operam, ut bona illa ex naufragio ad prædictam restitutionem serventur; & si quæ inter populum hujus atque illius Partis controversia inciderit, bonam & expeditam justitiam fieri, neque litium ambagibus non necessariis rem in longam extrahi.

„ 34. De 34. assentimur, ut sequitur, scrutationis Commissarios ab utraque Parte ad legum normam alterutrius Reipub. sese dirigere, neque plus imponere aut exigere quam per authoritatem sibi commissam aut accepta mandata licuerit.

35. Ad

35. Ad 35. responsi loco proponimus, ut sequitur, si qua *injuria* ab alterutra Repub. ejusve populo aut Incolis, alterius populo aut Incolis illata sit, sive contra ullos hujus Fœderis Articulos sive contra jus commune, uti *nullæ literæ Represales*, vulgo dictæ, *Merca* aut *contra Merca* ab alterutra concedantur; donec justitia prius juxta leges ordinarias postuletur; sin autem illic justitia vel *denegetur*, vel in longum *protrahatur*, tum uti summus ejus Reipub. Magistratus, cujus populus aut Incolæ injuria affecti sunt, ab illa altera Repub. in qua justitia, ut supradictum est, denegatur, aut differtur, aut ab illa potestate quæ hujusmodi postulatis audiendis constituta erit, publicè justitiam postulet, ut omnes hujusmodi lites vel amicè componantur vel ordinario legum processu; sin autem mora adhuc interposita erit, neque jus reddetur, neque satisfactio dabitur intra dies quinquaginta, quam lata hujusmodi postulatio erit, tum demum uti literæ *Merca* vel *contra Merca* concedantur.

36. De Articulo 36. Consilium assentiendum esse non censet.

Hæc Vestris Excellentiis super iis rebus, quæ à vobis in Articulis sex & triginta proposita sunt, vicissim exhibenda censuimus: *quod super est nostra ex parte ad consummationem Tractationis proponendum, id tempore idoneo Excellentiis Vestris exhibebitur.*

Legati iis bene perpensis paulo post Commissarios Anglos ita sunt allocuti.

Excellentißimi & Illustrißimi Domini,

Ut tandem (cum bono Deo) Tractatus à nobis inchoati, ad optatum finem perducantur, *tria* in eum finem agenda superesse videmus, ut ad ea progrediamur & perveniamus.

Primo, assensum Nostrum super Articulo præliminari (postrema sessione ab Excellentiis Vestris nobis exhibito) hodie ipso hoc Scripto offerimus.

Secundo, cum Excellentias Vestras in responso super Articulo *trigesimo sexto* nobis exhibito quædam adhuc sibi reservasse videamus, quæ ad perficiendum Fœdus *postea exhibenda* esse ibidem dicitur, nos (cum hucusque nihil ejusmodi perceperimus) enixe petimus ut reservati isti Articuli nobis jam nunc exhibeantur, quo *simul & semel* plenarie & cum effectu de tota re inter nos agi possit.

Tertio hoc addimus vidisse nos Excellentiarum Vestrarum responsum super sæpe memoratis *triginta sex* Articulis, & quidem in eo à nostris discrepantia in iisdem invenimus, quæ non aptè inter se conciliari posse judicamus, nisi, rationibus hinc inde allatis, ad concordiam redigantur, eamque ob rem mutuum colloquium sive conferentiam necessariam judicamus, ut eo modo generaliter omnia, quæ ad Fœdus inter Nos sanciendum aliquo modo spectare possint, ritè excutiantur, quo, remotis omnibus obstaculis & impedimentis, restantia, (Numine propitio) ad optatum finem perduci possint.

Nos ad id, hoc ipso, atque adeo omni tempore (quandocunque id commodum Excellentiis Vestris videbitur) expeditos & paratos esse, sedulo & serio profitemur.

Expressionem illam liquidam & claram Articulorum, quos Angli ad finem tri-

gesimi sexti Articuli in mente retinebant, postea denuo & quidem jussu *suorum Principalium* petiverunt.

Angli die 26. Aprilis Stili novi responderunt ut sequitur.

EXCELLENTISS. DOMINI,

Consilium status postquam ab Excellentiis Vestris schedulam accepisset, in qua multæ particulatim magni momenti res propositæ erant, quam mature in re tam ardua fieri potuit, quantumque per alia gravissima Negotia licuit, per Commissarios Suos responsum vobis reddidit, per quos etiam eodem tempore Scriptum vobis exhibuit, in quo *jus & satisfactio* postulabatur, iis in causis qui sigillatim illic expositæ sunt, quæque dignitatem & rationes hujus Reipub. speciali quodam modo attingere videbantur.

Hoc cum ante aliquot septimanas factum nequedum ullum à vobis responsum redditum sit, Consilium nihilominus Excellentiis Vestris eo usque assensit ut per Suos Commissarios proxima septimana semel atque iterum petentibus colloquium dederit; expectans & ad ipsius chartam Vestrum responsum, & cum super iis quæ à vobismetipsis proposita sunt, tum super nostris ad ea responsis jam pridem datis progressum. Verum cum ex eorum colloquiorum relatione, nec non in illa charta, cui subscriptum quinto & nono hujus Aprilis nostro stylo ab Excellentiis Vestris est, nullam nostrarum postulationum prædictarum factam mentionem aut rationem habitam reperiamus, cumque instarent ipsæ Excellentiæ Vestræ ut, priusquam in suscepta pergeretur Tractatione, plena atque expressa Articulorum explanatio fieret, qui ad illam consummandam nostra ex Parte afferrentur: pro responso ad illam

Excellentiarum Vestrarum recordatione dignum censemus, vos hic priores Tractationem hanc petisse, cui assensit Parlamentum & in qua usque eo processum est ut Excellentiæ Vestræ Consilii sensum & responsa jam habueritis ad ea singula quæ Fœderis ineundi, vestra ex parte, fundamenta esse voluistis; quin & paratos nos esse iis de rebus vobiscum agere significatum est. Quibus animadversis, & quod illa posita à Consilio in responsionis fine ad *triginta sex Articulos clausula alia non est,* quam quæ in aliis omnibus Tractationibus pro concessa tacitè habetur, quaque intelligimus vobis æque ac nobis caveri posse, neque utrivis Parti ullum ex ea incommodum existere, cui nulli Articuli, de quibus convenerit, rati erunt, nisi Tractatio tota perficietur, nos utique *responsiones* à Commissariis Nostris illa in re vobis jam datas approbamus, *atque hic rursus profitemur paratos* nos esse, iis singulis de rebus quæ à vobismetipsis proponantur ad disceptationem debitam vobiscum progredi, haud æquum ducentes Parti vel huic vel illi ad proponenda quævis alia, prout res atque occasio tulerit, viam præcludi.

Cumque ea quæ tulimus postulata ad jus fasque pertineant, sintque ejusmodi ut eorum Consideratio cæteris rebus pro arbitrio proponendis merito anteponenda sit, causæ nihil videmus quamobrem ab expectando Excellentissimarum Vestrarum ad illo responso discedere debeamus, adeoque illud etiam atque etiam requirimus.

Primo Maji reposuerunt Legati quod sequitur.

Excel-

Excellentissimi & Illustrissimi Domini,

Scripto ab Excellentiis Vestris (decimo sexto hujus Mensis stylo Angliæ) nobis tradito, duo contineri animadvertimus. ,,

Primo Excellentias Vestras profiteri se paratas esse super triginta sex Articulis à nobis propositis & responsis ab Excellentiis Vestris nobis datis, disceptationem debitam instituere, haud æquum tamen ducentes parti vel huic vel illi ad proponenda quævis alia, prout res atque occasio tulerit, viam præcludi. ,,

Secundo addunt Excellentiæ Vestræ postulata sive prætensiones antehac ab Excellentiis Vestris prolatas, hujusmodi esse, ut earum consideratio cæteris rebus pro arbitrio proponendis (quibus 36. Articulos, utpote jam antea propositos, non comprehendi, sed ea tantum quæ in posterum de novo proponi possint, ex ipso verbo colligere est) merito anteponenda sit. ,,

Quod ad primum: conditionem propositam accipere nos profitemur, dummodo nimirum & nobis eadem libertas proponendi quævis alia (prout occasio tulerit) permittatur, & Scriptum in eum finem, quo uberius Fœderati Belgii Ordinibus Dominis Nostris, quid actum sit, appareat, nobis exhibeatur. ,,

Ad secundum quod attinet, confidimus Excellentias Vestras pro singulari ipsorum prudentia sponte sua facile concessuras, vastam illam postulatorum farraginem tanti momenti Negotio nullam moram injicere vel progressum ejus impedire posse vel debere. ,,

Nos certe postulata illa à vobis accepta, ad Fœderati Belgii Ordines & Dominos Nostros illico transmisimus, sed, necdum nos super iisdem instructos esse, bona fide asserimus, id quod rebus ad id dispositis intra modicum tempus fore confidimus: interea Excellentiis Vestris persuasum esse volumus supra memoratis Fœderati Belgii Ordinibus Dominis Nostris non deesse ingentem postulatorum numerum, tam Rempub. quam subditos eorum tangentium, quæ solidis fundamentis inniti brevi & liquido demonstrabitur: quæque certe vestra postulata & numero, & pondere, & rationibus, & documentis longe superatura intelligimus: sed cum lites & actiones hujusmodi juridice & cum plenaria causæ cognitione tractum temporis necessario requirant, cumque in postulatis istis privatorum res præcipue agantur, Nos, illa à Negotio Fœderis sanciendi separanda esse, merito judicamus. ,,

Cum enim omnes Christiani orbis Principes & Resp. omnesque Reformatæ Religionis Ecclesiæ, oculos (quamvis diverso intuitu) in hunc actum unanimiter conversos habeant, summo cum desiderio expectantes quid tandem ex illa machina proditurum sit, & quem exitum Deus Opt. Max. rei tam arduæ sit daturus, revera Negotium hoc tanti ponderis seponere, & privatorum querimonias & lites cum magno temporis dispendio pertractare, nulli non cordato à ratione absonum & incongruum videbitur, si majestatem & pondus tantæ rei rite consideraret. ,,

Nos itaque, ne imprudentiæ forte arguamur, rem tam augustam, & toti orbi terrarum conspicuam, sepositis pro tempore privatorum Negotiis, serio agamus. Quod iterum atque iterum enixe petimus. ,,

Declararunt se Angli die septimo Maji hisce verbis. ,,

Ex-

EXCELLENTISSIMI DOMINI,

„ Postquam quæ ad nos à vobis 21. Aprilis stylo Nostro accepimus atque iis persuasi Nostrum ad Vestras Excellentias Scriptum ultimum revidimus, Nos plane Nostram, de libertate proponendi utrinque concessa, ut & Nostram vobiscum conferendi de Vestris nobis communicatis particularibus voluntatem, deque nostra expectatione vestri responsi ad nostrum quæsitorum nostrorum Scriptum sensum exposuisse censemus, adeo quidem ut haud necessarium videatur, ut ullam aliam addamus expositionem sed potius dicto Nostro responso inhæreamus. Quoniam tamen Excellentiæ Vestræ dictum Nostrum ultimum scriptum interpretari velle videntur, ac si Vestrum responsum ad nostra postulata differre vellemus, donec Vestrorum 36. Articulum sit finita discussio, atque ac si istius confœderationis prælatio respiceret tantum ad id quod deinceps proponeretur, non autem quod jam ante fuit propositum, additis simul rationibus & vestris petitis cur eorum respectus postponendus sit, sive ab præsenti Tractatu dividendus: Nobis igitur ad quæcunque dubia, atque ulteriorem moram, quæ inde possent oriri, amovenda, quæ sequuntur addenda esse, fuit visum necessarium & requisitum.

„ Visa imprimis & prælecta Excellentiarum Vestrarum commissione juxta mandatum Parlamenti, ad quod & ipsi scripsistis, accepimus à vobis 36. Articulos: Accepimus etiam à nostratibus magnas *querelas de injuriis* ab Incolis vestris huic genti illatis, quibus ipsum Parlamentum tenetur & honore & justitia ut inde satisfiat: Nihilominus tamen ad omnia amovenda impedimenta, & ad fundamenta Tractatus una cum Excellentiis Vestris jacienda, Consilium responsiones distinctas ad omnia Vestra proposita prædicta postulatorum nostrorum, charta ipsius comitante, tradidit. In qua Vestris Excellentiis exponebatur, cum *justitia* sola Pacis & amicitiæ firmæ solidæque basis sit, ideo impensum hujus Reip. animum esse, ut *istiusmodi* constitueretur *pax & amicitia* conservaretur; adeoque post plurimas querelas enarratas justitiam à vobis in primo loco super ipsis exigi, quæ firmum futuræ sinceræ concordiæ inter hanc Anglicam Nostram & illam Vestram Rempublicam fundamentum esse queat.

Misso ad Ordines Generales Anglorum ad 36. Articulorum Responso: post perplexas deliberationes cum laxiore mandato & instructione Deputatus, sed absque charactere, ad Legatos fuit *D. Guilielmus Neoportius* Hollandiæ borealis quæstor, urbisque Schiedamensis Syndicus: vir linguæ rerumque Anglicarum peritus, nec minus litium, quæ inter utramque nationem erant, apprime gnarus, & valde bene ad hoc Negotium delectus. Prætensiones Societatis Indicæ Hollandicæ afferebat aliaque, quæ Anglica postulata vel æquabant vel superabant. Legati hac *D. Neoportii* Deputatione de mente & intentione Ordinum Generalium jam bene instructi Negotium tam Transactionis quam Fœderis diligenter sunt aggressi: aliquoties magno utrinque zelo & rei bene finiendæ desiderio convenerunt. Res pulchre succedebat. Ultima Conferentia die $\frac{29}{19}$ Maji habita fuit, ab hora quarta pomeridiana usque ad noctem ingruentem. Sed, quod ominosum fuit,

fuit, ab eadem illa hora usque ad noctem habita fuit pugna ad *Doveram* inter utriusque Reipublicæ Classes. Causam & minutias utraque narravit suo quæque modo. Postridie Angli custodiam militarem posuerunt domui Legatorum ne quid ipsis mali à plebe (sicut Anglorum Legatis Hagæ) accideret. Et præterea suspicio, ut ut vana, erat, consciis iis factum à classe Belgicâ insultum. Legati tertio Junii, stylo novo, audientiâ in Consilio Anglico impetratâ, ita loquuti sunt.

Illustrissimi Proceres,

Ob casum infelicem, & omnino inexpectatum hic adsumus. Rumor dirus aures nostras perculit, prœlium scilicet navale inter hujus Reipub. & Fœderati Belgii classem commissam esse, & rei tam infaustæ Nostros causam dedisse, pugnam incepisse, & crudeliter pugnatum esse, & inde famam rupti Fœderis, & belli jam jam ingruentis inter utrumque populum percrebuisse; Nos tristi hoc rumore perculsi illustrem hunc Consessum alloquimur, & Deo teste ex animo declaramus factum, ut narratur, *insciis imo invitis Ordinibus* Fœderati Belgii & nobis ipsis eorum Legatis perpetratum esse: Asserimus insuper animos nostrorum nihil præter concordiam, Pacem & *intimam amicitiam* spirare, omnibusque id votis exoptare. Interea pro re nata non omittendum duximus Excellentiis Vestris notum facere literas nos accepisse à præfecto classis Fœderati Belgii scriptas trigesimo die præteriti Mensis, in quibus occasio & causa supramemorati prœlii plane aliter describuntur, quam rumor hic dispersus indicat; quarum rerum veritatem exacte inquirere operæ pretium putamus: sed illud interea notandum, Admirallum *Trompium* ter in iisdem literis disertis verbis significare, se nihil aliud in mandatis à Dominis Ordinibus habere, quam classe sibi commissa adnavigare & lustrare *littora & oras nostræ patriæ*, idque usque *Ostendam* vel *Neoportum* nec ultra: unde luce meridiana clarius apparet plane verum esse Fœderati Belgii Ordines eum animum habere, nequid vel minimum hostile in classem, vel alias naves hujus Reipub. tentaretur: si quid igitur secius hac in re, quam oportuit, gestum est, illud ipsum non supramemoratos Ordines, sed illos tangere necesse est, qui rei interfuerunt, & id quidem ipsi viderint. Nos hic per Menses jam fere sex ex speciali mandato supramemoratorum Ordinum de *Fœdere sanciendo* egimus, diebusque hisce præteritis Scriptum Vestris Commissariis exhibuimus, in quo non tantum discrepantiæ, quæ in Tractatum inciderunt, sed etiam modum quibus eæ in concordiam redigi & inter sese conciliari possent, rite indicavimus, ita ut jam nihil nisi optimum finem rei tam bonæ singulis diebus expectemus; & certe paucis horis Negotio tam præclaro summa manus imponi potest: opus autem tam augustum & ab omnibus bonis & præsertim à cunctis Reformatæ Religionis Ecclesiis summis votis desideratum per *imprudentem, aut turbulentum quendam hominem*, quisquis ille modo fuerit, insciis & invitis Ordinibus Fœderati Belgii abrumpi aut impediri posse, quis unquam mortalium crediderit? Jure naturali & omnium Gentium moribus plusquam notum est, mandatarium in rebus privatis, legatum in rebus publicis fines mandati excedentem, Ducem Exercitus agros vicinorum injussu Principis depopulantem, feram bestiam ruptis vinculis damnum

 facien-

„ facientem, non Dominos, sed perperam agentes obligare, præsertim si improbatio actorum accesserit, id quod procul dubio à Fœderati Belgii Ordinibus (si res, ut narratur, gesta est) expectandum est, interea ab una vel altera parte aliquid hostile moliri, nec Deo nec hominibus præsertim Christianis probatum iri, nulli dubitamus. Omnibus gentibus, qui ratione utuntur, in more est clarigatum, hoc est, res clare repetitum mittere, si quid turbatum fuerit, & si satisfactio fiat, vel offeratur sistere inimicitias. Nec mirum si omnes populi tam aversi à bello, tam proni ad stabiliendam Pacem inveniantur, cum bellum proprie sit bellua sævissima, lerna malorum, innocuique sanguinis merum diluvium: ideo Sanctissimi nostræ Religionis Patres bellum etiam justum, detestandum esse diserte pronuntiarunt, præsertim respectu Christianorum, qui alieno sanguini tanquam suo parcere docti sunt à mitissimo Servatore.

„ Sed inter omnia belli genera maxime detestabile & horrendum illud existimandum, si inter hosce populos excitetur: Sane ex optimo & generosissimo vino acetum acerrimum (si corruptum fuerit) generari experientia docet. Certe si duo populi ab antiquo amici, ejusdem libertatis amantes, maris accolæ vicini, proximi, utrique bellicosi, & strenui, inter sese collidantur, quid nisi utriusque exitium & Cadmea (quod dicitur) victoria expectanda est? & quid hoc aliud, quam amicos omnes & Religionis consortes affligere, & deprimere, hostibus gratum facere, & ansam utrisque nocendi palam præbere. Recte (nostro judicio) non infimæ vestræ nationis autor utrumque populum duabus ollis fictilibus in mari natantibus assimulavit, addito dicto, si *collidimur*, *frangimur*. Rem sane acu tetigit bonus ille, quod & vos ita censere, est quod credamus. Si vero ad concordiam duæ istæ nationes redigantur, Deus bone! quantum felicitatis cumulum inde proventurum videmus, verus Dei cultus asseretur, mare tranquillum reddetur, omnibus hostibus occasio utrisque insultandi auferetur, omnis Religionis consortes gaudio perfundentur, &, quod præcipuum judicandum est, Deo Opt. Max. laus, honor, & gratiarum actio in cœlum usque ex re tam bona extolletur. Concludimus itaque, Illustrissimi Proceres, & etiam petimus & rogamus, ut quidem jam ante biduum hoc in loco Excellentiis Vestris exponere desideravimus;

„ 1. Ut nobis Copia fiat relationis eorum quæ acta sunt.

„ 2. Ut liceat cum bona vestra venia ad Dominos Ordines Fœderati Belgii eam transmittere, quo Parte altera audita veritas rite sciri possit.

„ 3. Ut omnia hic interim integra, & illæsa serventur.

„ 4. Ut nullo modo intermittatur Negotium sanciendi Fœderis, quo hujusmodi infausti casus in posterum evitentur, & pax in æternum duratura inter utrasque stabiliatur.

„ Quibus omnibus ut annuat Deus Opt. Max. Pacis author, ex animo precamur.

Litte-

Litteræ Trompii prælium illud narrantis loquuntur ut ſequitur.

PRÆPOTENTES DOMINI,

Noviſſimæ meæ fuerunt de 21. hujus Menſis per tabellarium qui inſtructionem mihi attulerat. Hucuſque per mare diſcurrimus, ad *Moſam, VVielingam, Oſtendam* & *Neoportium*, ad vigeſimum quartum ejuſdem. Tum præ nimia tempeſtate mariſque æſtu anchoris inſidentes, uſque ad 28. mane hinc inde fluctuabamus. Tempeſtate verò dicto die in tranquilliorem mutata, anchoris levatis velificantes, diverſi Capitanei navium Directionis prætoriam appellebant, conquerentes, anchoras & rudentes ſeſe perdidiſſe, imò quibuſdam non niſi binas anchoras cum duobus rudentibus ſuperſtites eſſe: Conſultum igitur cenſebamus, recrudeſcente tempeſtate ad promontorium *Douveranum* tendere, ne naves perirent. Horulâ autem nobis adhuc à Duyns diſtantibus, Commendatorem *Iohannem Matthei* Vliſſingenſem, & Capitaneum *Petrum Elderſen*, ad Dominum Bournium Commendatorem navium Parliamenti in ſtatione Duynenſi, ablegavi, ut illum meis ſalutarent verbis ipſique indicarent, animum nobis fuiſſe circiter oras noſtras mare ſulcare: Amiſſis verò per nimiam tempeſtatem quibuſdam anchoris, Nos coactos fuiſſe, infra *Douvram* anchoris inſiſtere, ut nobis invicem ſuccurreremus, quo peracto curſum noſtrum proſequi moliremur: Nihil aliud quoque in mandatis nos habere, quam ut onerarias Naves & piſcatores hujus Status protegamus, & honorem Patriæ conſervemus: propterea nobis viſum fuiſſe, dicto Domino Commendatori idipſum notum facere, ne in ſequiorem ſenſum adventum noſtrum aſſumat; Qui maximâ cum civilitate me reſalutari, gratiaſque agi pro notificatione facta voluit. Vigeſimo nono ejuſdem hora ſecunda, expanſis velis, flante Aquilone, tempeſtate tranquillâ navigabamus verſus Calctum, hâc intentione, oras noſtras appellendi; appropinquantibus vero nobis Caleti promontorium, obviam veniebat Capitaneus Gregorius à Zanen Amſterodamenſis, cum Capitaneo Huyrlyt ex freto Gaditano, comitantes naves ſeptem ex præfato freto velificantes, ultra 50. auri tonnarum pretium æſtimatas, quas 28. die anchoris inſidentes in loco Vierley reliquerat, ubi 12. Parliamenti naves erant & diverſæ Celoces (vulgo Fregatten) illas ſpeculabantur. Ac quandoque dictus Georgius à Zanen 22. ejuſdem circiter Goudſtaert Parliamenti celocibus adfuerat, quod propter demiſſionem velorum hoſtiliter ipſum exceperunt, adverſus quas ſeſe ſpatio duarum horarum defendens, celox ipſum deſeruerat; quapropter Commendator Huyrluyt & dictus à Zanen dubitaverant, ne naves Parliamenti ſeſe congregarent, & propter dicta litigia ipſas una cum navibus onerariis invaderent, qua de cauſa, ipſis conſultum videbatur Georgius à Zanen quantocius claſſem maritimam inquireret, ſtatumque navium indicaret, uti fecit metuens nimium ne dictæ onerariæ naves jam ablatæ eſſent. Quapropter etiam me ſtatim eo recipiebam, ad illas protegendas & forſan jam ablatas, ſi fieri poſſet, liberandas, juxta Artic. 7. & 8. Inſtructionis meæ de 16. hujus Menſis, in via 15. Parliamenti naves reperimus tam majores quam celoces, & inter illas Admiralium quem compellare mihi propoſue-

posueram, contractis omnibus velis, exceptis duobus istis, quæ antennis applicari solent, quæ usque ad medium antennarum contraximus, intra bombardæ jactum venientes, globos ferreos trans navem nostram mittebat, Nos verò non respondebamus, ille adhuc tormentum semel displodebat, cui respondebamus, statim ille nobis latus præsentabat inter sclopeti ferè jactum constitutis, transfodiens omnibus suis ad latus positis tormentis navem nostram & vela, ubi multi brachiis & aliis mutilabantur membris; propterea & nos latus nostrum obvertebamus defendentes nos pro viribus, inscii tamen cujus animi & intentionis ipsi essent, sicuti & nondum scio, cum nos invicem non alloquuti simus; Et sic incidebamus in generalem conflictum. Interea accesserat præfatus Commendator Borg ex Duyns, cum duobus ejusdem sortis navibus & celocibus, omnibus necessariis instructis, quas dictus Commendator Johannes Matthæi & Capitaneus Petrus Eldersen referebant (prout viderant in nave ipsius) naves 60. ad 70. & celoces 38. ad 50. tormentis munitas fuisse, quæ eodem tempore classem nostram à tergo adoriebantur. Et sic pugnabamus à sesqui tertia usque ad nonam, donec tenebræ nos sejungebant. Tum uterque Admiralius paululum extra globi jactum ad latus flectebat, ut quilibet classem suam congregarent, & naves globis perfossas repararent, nos per totam noctem lucernis impositis fluctuabamus. Trigesimo ejusdem mane classem Anglicanam ex adverso velificantem conspiciebamus, qui vela sarcientes promontorium Douveranum versus navigabant. Binas ex nostris navibus desiderabamus, classem insequentes, Capitaneum Lunemans Middelburgensem & Sipkenium Focken Amsterodamensem, utramque naves Directorias, quarum alteram circa meridianum tempus fluctuantem absque malo inveniebamus, Capitaneum nempe Sipkenium Focken; Nauclerus reliquique officiales nautici narrabant, se duabus horis post occasum Solis à tribus Parliamenti navibus fuisse ablatas, quæ Capitaneum & Locum tenentem cum 15. nautis navibus Anglicis & Anglos magno numero navi nostræ imposuissent, metuentes tamen ne mergeretur navis, inde discessisse eadem hostiliter spoliata. Asserebant etiam se vidisse, Capitaneum Luneman, & hasce postremas nostræ classis horæ spatio ante ipsos captos fuisse. Vento hoc subsolano hinc inde & transversim discurremus, ut (si fieri potest) dictas naves ex freto redeuntes inveniamus unaque cum illis alias forsan nobis obviantes tuto in patriam deducamus: Perscripta hæc 20. Maji 1652. in navi Prætoria dicta Brederode.

Sexto die Junii iterum, sed scripto, consilium Status Reipub. Angliæ ita sunt affati: Quemadmodum præterito die Lunæ coram Illustrissimo Concilio sincera atque optima fide allegarunt, Deoque teste asseruerunt Fœderati Belgii Ordinum Legati, inominatum intempestivumque conflictum illum inter utramque classem ignaris atque invitis omnino iis accidisse, inque eam rem candidis atque apertis animis cum Senatu hoc agentes ipsius *Trompii* literarum exemplar in medium protulerunt quo magis hujus Reip. constaret Fœderati Belgii Ordines prædicto *Trompio* nihil aliud in mandatis dedisse quam ut oras ostiaque ditionis suæ adnavigaret, ad evitandas omnes suspiciones atque dissensiones. Ita nunc iterum

iidem

iidem D. D. Legati illuſtriſſimo Conſilio certum faciunt, ſe per heſternum Tabellarium accepiſſe conſulta omnia quæ ab Ordinibus à vigeſimo ſecundo uſque ad 29. præteriti Menſis diem (quo ipſo prœlium accidit). facta ſunt, ex quibus magis etiam atque magis certiores ſecurioreſque fiunt Dominos Suos facto iſti nullam omnino anſam, nullam occaſionem, nullumve Conſilium applicuiſſe aut præbuiſſe, ſed contra eodem quo ſemper animo, ſtudio atque zelo arctiorem amicitiam ac mutuum Fœdus inter duos hoſce populos ſpiraſſe, & promoviſſe, ut luce meridiana clarius idipſum apparet ex eorundem D. D. Ordinum Conſulto occaſione reſponſi Euangelicis Helvetiorum Civitatibus mittendi facto xxiij. ejuſdem Menſis die.

Quocirca iidem D. D. Legati iterum atque iterum Ampliſſimum hunc Ordinem rogant, ut tot obteſtationibus totque teſtimoniis debitam fidem adhibendo ad noviſſima Poſtulata ſua cum Parlamento, ut intelligitur, jam ante biduum communicata tale reſponſum ſibi quantocyus reddant, quale futuro Fœderi, mutuæque utriuſque gentis concordiæ, & ad majora damna atque incommoda, jam imminentia, præcavenda Ampliſſimo Ordini pro æquitate & prudentia ſua utile atque neceſſarium videbitur. Et quo præſentius remedium hiſce malis applicetur, iidem Legati Senatum latere noluerunt Dominum *Neoportium*, quem Ordines huc miſerant ut Legatis conſulta ſua exhiberet & juxta ea ſinceram planamque mentem ſuam particulatim iſtis ſignificaret, cum id contra ſpem atque fiduciam ſuam nunc aliter eveniſſe videat, ad Ordines jam jam reditum cogitare atque parare; quo melius iiſdem exponere poſſit, quo loco atque ſtatu res iſtæ ſint, & quid remedii adhiberi poſſit. In quem finem iidem Legati ſenatum hunc rogant, ut memorato Domino *Neoportio* aliquam e[illegible]ibus D. D. Ordinum quæ nunc in *Thamaſi*, vel in aliis hujus Reipub. portubus ſtant, transfretationi ſuæ deligere vel alio quocunque modo in patriam reverti bonâ cum veniâ permiſſum liberumque ſit. Subſignatum erat. *I. Cats, G. Schaep, P. vander Perre.*

Ad quod nihil reſponſi accipientes die 13. Junii tertia vice dixere ſe jam bis qua voce qua Scripto ſcrutatorem cordium Deum teſtatos eſſe, infeliciſſimum illum inter utriuſque Reip. Claſſes conflictum inſciis atque invitiſſimis D. D. Fœderati Belgii Ordinibus accidiſſe; ita magis atque magis in dies per tabellarios literaſque, ſinceriſſimæ mentis Dominorum Suorum interpretes, ſibi confirmatum eſſe eos ſummo cum dolore atque ſtupore fatalem nuntium perperam actorum excepiſſe, omnique ſtudio atque opera ſecundum ea, quorum ab ipſis ſubinde ea ſuper certiores facti ſunt, admitti & conſulere, quid potiſſimum remedii crudo iſti adhuc vulneri mitigando applicari poſſit. Inque eum finem ſolemne comitium Fœderati Belgii Provinciis indixiſſe, quo nulli dubitabant, talem tamque præſentem curam atque medelam (favente Deo) turbis hiſce allatum iri, quibus non tantum exterior cauſa omnis mali auferatur, ſed etiam ipſi animi interiore ſolatio componantur, & in meliorem ſuſceptæ Negotiationis ſpem erigantur.

Quod dum ſerio atque ſedulo à Dominis Suis in utriuſque gentis commodum agitur ad evitandam deteſtabilem illam Chriſtiani ſanguinis effuſionem quam tantopere ſpirant & magno mercentur utriuſque populi atque Reformatæ Religionis

 gionis

gionis inimici etiam atque etiam Illustrissimum hunc ordinem obtestabantur, & per communia Religionis atque libertatis pignora obsecrabant, nequid nimio interim fervore intempestivè agatur, quod seris, & irritis postmodum votis revocabile aut reparabile non sit; sed potius ut ad novissima sua postulata absque ulteriore dilatione benignum responsum habeant. Quod eo magis iterum atq; iterum petebant, cum undique atque in dies intelligebant Naves Hollandicas tam bellicas quàm Mercatorias tam in alto Mari, quam in hujusce Reipub. Portubus alias vi, alias injecta manu capi atque detineri.

Ad tres istas schedulas hoc responsum tulerunt.

„ Parlamentum Reip. Angliæ secum reputans, quàm perpetuâ amicitiæ studiique sinceri declaratione, ab ipso domesticarum apud se turbarum initio, suum erga Fœderatas Belgii Provincias, vicinas suas, animum testatum reddiderit, nihilque, ad se quod attinet, prætermiserit, quod firmæ cum iis concordiæ, liberoque commercio, nec non etiam propriori quam hactenus, & arctiori conjungendæ necessitudini conducere posset, non potest quin vehementer sanè miretur, suis benè meritis tam dissimilia sibi reddi, præsertim in ipso propè Angliæ littore, ipsisque navium nostrarum stationibus, in Classem hujus Reipub. hostilia nuper fieri; cujus facti narratio, clarissimis probationibus confirmata, simul huc adjicitur. Parlamentum itaque, habitâ de omnibus & singulis illis scriptis, ab Excellentiis Vestris Concilio status exhibitis, deliberatione perquam seriâ atque maturâ, responsum hoc reddendum censet.

„ Se, quanquam in illis chartulis quod expresse agitis, ut inopinatam illam duarum Classium inter se dimicationem, *inscientibus vestris primoribus*, & planè contra eorum voluntatem accidisse ostendatis, id æquanimiter & ad normam charitatis interpretari valde cupiunt, tamen quoties suis cum animis cogitant quantopere ab eo quod Vos profitemini, & decreta & facta Vestræ Reipub. Vestrisque navibus præfectorum discrepaverint, etiam in ipsa Fœderis ratione à semetipsis oblata, & à Vestris Excellentiis illorum nomine apud Nos administrata; cum item naves *centum & quinquaginta bellicas* extra ordinem, & sine ulla, quæ cerni possit, causa, nisi quæ jam se aperit, instrui videant (magnum profectò justæ suspicionis Argumentum vel ipsarum judicio *Vestrarum Excellentiarum* dum illud excusare atq; diluere contendistis) quin & ipsa mandata à prædictis primoribus Vestris ad Præfectos Vestros in altum proficiscentes data cum intueantur, satis superque causæ reperire, cur credant Dominos Potestates Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum in animo habere jus Angliæ per maria notissimum vi & armis invadere; classes delere, quæ, secundùm Deum, muri ejus ac munimenta præcipua sunt; eâque ratione Rempub. hanc exterorum injuriis opportunam suo arbitratu reddere; quod & hac nuperâ impressione facere adorti sunt. Quocirca Parlamento videtur sui muneris hoc esse, uti dent operam, Deo bene juvante, prout occasio se obtulerit, ut illatarum jam sibi injuriarum & reparationem adipiscantur, & nequid simile in posterum tentetur, fidem accipiant. Hoc tamen animo atque voto, ut omnes inter utramque Gentem controversiæ possint amicè atque pacatè, si quo id pacto fieri potest, componi, prout Deus, pro sua summa Providentia, viam ad hanc rem patefecerit, & circumstantiæ profuerint ad reddendos ejusmodi co-

di conatus & minus tardos & efficaciores, quam alios ejusdem modi, qui antehac adhibiti sunt, fuisse constat.

Adjecta pugnæ narratione, quod nempe die Martis vigesimo octavo (styli novi) Maji 1652. mane cum *Blacus* Prætor ante dies octo cum *duodecim* aut *tredecim* navibus Occidentem versus usque ad sinum *Riensem* profectus esset, relicto ad Dunas cum octo solum Navibus *Bornio* Tribuno, conspecta est ponè arenas *Goduinianas* Classis Batavica *duarum & quadraginta* navium bellicarum, quarum una summo vertice mali vexillum gerebat, cætera aplustria tantum. Cumque ad Australem arenarum extremitatem pervenissent, earum duæ ad naves Anglicas, quæ in *Dunis* erant, processere. Quo viso, *Bornius* Tribunus navem, cui nomen *Cani Venatico* inditum erat, obviam iis misit; quæ eas & de aliis rebus pro more percontaretur, & cur maximè tam propè ad se accederent. Quæ cum responderent, habere se ad Præfectum Classis in *Dunis* mandata quædam, admissæ sunt, earumque duo Capitanei, *Tysonus* & *Aldredus*, in Navem prædicti *Bornii* Tribuni, salutato prius ejus vexillo, transcenderunt, eique ostendunt, sese ab *Trumpio* missos esse, ut certiorem eum facerent, Legatum suum cum classe Dunkirkensem oram modò legisse, ubi vi tempestatis multarum navium anchoras & funes amiserant, seque flante Aquilone, longius, quam volebant, in Meridiem propelli: id *Trumpium* censuisse significandum, ne quam offensionis causam aut suspicionis præberet. Hæc cum dixissent, responsumque iis esset, dictorum suorum fidem in eo positam esse, *si ab hoc littore quamprimum recessissent*, ad classem suam reverterunt, quo simul ac venerunt, tota confestim classis *Dorobernium* versus cursum direxit, eodemque die, post meridiem, penè haud longius à Castello quam emissa pila tormento perferri possit, anchoras jecit; cumque è regione illius Castelli, *nullâ pro more datâ salute*, neque detracto mali vertice vexillo, in procinctu stetisset, Castellum ter in eam displosit. Quod quamvis fieret, Admirallus tamen Batavicus *neque vexillum demisit*, & eodem loco ad meridiem usque postero die in Anchoris stetit, & Sclopetarios suos complures per horas, sclopis simul omnibus subinde displosis, exercitabat. Die Mercurii, horâ circiter duodecimâ, sublatis anchoris Caletum versus quatuor leucas in Euronotum Classis ea abscessit; quam circa idem tempus *Blacus* Prætor cum classe Anglicana, dum ab occidente ad *Dunas* rediret, conspicatus est, eamque est ratus, ex eo quem tenebat cursu, abiisse: Simulque *Bornius* Tribunus in conspectu erat, ex *Dunis* properè adveniens, ut cum *Blaco* se conjungeret: Unâ aut alterâ post horâ Classis Batavica, mutato cursu, revertit, passisque velis omnibus ad *Blacum* Prætorem rectà contendit. Ante omnes *Trumpius* erectum præcelso malo vexillum ferox præferebat. in quod *Blacus*, simul atque intra ictum venisset, excussam tormento glandem intendit, binas deinde singulares. Quo facto, *Trumpius* item glande singulari Prætoris vexillum trajecit, *totoque* primus infesto *latere* tormenta omnia in eum displosit, demptisque aplustribus, sub insigni Hollandiæ, insigne *rubrum* extulit: quod universæ classi datum committendi prælii signum erat, atque ità ad certamen deventum est, quod inter horam quartam & quintam post meridiem est cœptum, & ad nonam usque duravit. in eo certamine Angli *duas naves Batavicas* cepere, quarum unam, quæ aquam senis pedibus altam in alveum receperat, traducto ad se Præfecto cæterisque Classiariis,

„ siariis, pro derelicto habuere. Alteram, quæ *tricena tormenta* portabat, abduxe-
„ re. *Blacus* Prætor eodem, quo pugna commissa est, loco, vel haud longè, totâ
„ nocte stationes habuit: Classisque Batavica circiter quatuor Leucarum spatio dis-
„ juncta versus oram Gallicam postero mane visa est.
„ Hujus narrationis fides ex literis Prætoris *Blaci*, *Bornii* Tribuni, & aliorum qui
„ in ipso aderant negotio, ipsisque Centurionum & Classiariorum Batavicorum,
„ qui in ea pugna capti erant, testimoniis, ex mandatis etiam quæ Præfecti Navium,
„ aliique Classiarii Batavi acceperant, chartulis denique ex aliis hac de re pridem
„ vulgatis constat.
„ Quod autem *Trumpius*, in ea quam reddit hujus rei gestæ ratione, causam cur
„ redierit fuisse ait, ut Mercatoriis quibusdam navibus à Gaditano freto opulenter
„ onustis præsidio esset, quæ naves cum quibusdam nostris Liburnicis conflixerant;
„ res illa tota in Literis à Capitaneo *Young* conscriptis narratur (quæ & pridem vul-
„ gatæ sunt) in quibus & quam occasionem, quod initium, quemque exitum pu-
„ gna illa habuerit perscribitur. Quinetiam naves illæ, quas vel tuendi vel recupe-
„ randi causâ venisse præ se fert, die Sabbathi proximè elapso per eum locum tran-
„ sierant, ubi *Blacus* Prætor tum erat, & Orientis plagam versus jam erant pro-
„ fectæ.

Animi Belgarum Fœderatorum magnâ ex parte benè erga Domum Auriacam, Stuarticamque, nexu matrimoniali tunc conjunctas, & ob innocuam ætatem Principi inde nato Infanti faventes, jam dudum exasperati erant, & pessimè ferebant repressalias, tam eas quæ contra ipsos directè erant concessæ & paulo post adventum Legatorum revocatæ, quam eas quæ contra Gallos, ob eorum in Mari Mediterraneo contra Anglos (unde nec Hollandi, Hanseatici aliique Osterlingi fuerunt immunes) exercitas deprædationes, erant datæ & per aliquot Annos durarunt & cum hæc scribo adhuc durant. Itaque plebs, præsertim *Zelandica*, mirum in modum æstuabat & nihil nisi arma contra Anglos canebat. Quidam etiam illic adeò stolidè erant feroces, ut Principi *Guilielmo*, cum (cæso jam Rege & rebus ejus planè collapsis) illam Provinciam visitaret, adulantes jactanter dixerint *Solos Vlissinganos sufficere ad debellandam Anglorum rebellionem*, *Regemque in throno suo restituendum*. Itaque tam illi tales quam alii nihil nisi bellum spirabant, dolebantque quod non statim jam inde ab initio concessarum ab Anglis Repressaliarum Mense Septembri 1651. Ordines Fœderati suis quoque subditis *Contramarcæ* vel *Repressaliarum* litteras dederant: *maloque nodo*, ut dicitur, *malum cuneum aptaverant*. Oleum huic camino affundebant quotquot Regiæ parti bene, vel rebus hujus Reipublicæ (si dicere liceat) male volebant. Nulla gens Regiis magis apta videbatur ad deprimendos Parlamentarios, quam Hollandica & Zelandica, navium & nauticorum Sociorum abundantissima, Maris latè domina, & Pace jam cum Hispanis facta gloriosè triumphans. Proceres autem aliter sentiebant: Rex Maximus pariter & Sapientissimus *Philippus Secundus* avorum nostrorum tempore in ore illud sæpe habuisse fertur: *Pacem cum Anglis*, *bellum cum omnibus reliquis velle*. Certè natio, cujus omnis in Commercio & Navigatione sita erat fortuna, Pacem accuratissimè cum Anglis debebat servare. Eam ab causam missus in Angliam fuit *Adrianus Pauw*, *Heemstedæ* Topatcha, Legationibus & factâ Pace Hispano-Belgicâ clarus, jamque secun-

ſecundâ vice Hollandiæ Weſt-Friſiæque Ordinum Syndicus. Is 21. Junii tali Parlamentum Oratione eſt affatus.

Illvstrissimi Domini,

Teſtimonia publica & ſigna manifeſta ſinceræ benevolentiæ, ingenui amoris, & veræ amicitiæ, quæ ab univerſo Statu & Subditis Fœderati Belgii omni tempore Populo Anglicano, & præſertim inclyto Reipub. Angliæ Parlamento eandem proſperè ac feliciter gubernantis exhibita, toti Orbi Chriſtiano tam ſunt cognita & aperta, uti de illis nemo hæſitare poſſit: Multò minus de Ordin. Generalium Belgii Præfectorum *optimâ fide ac inveterata amicitia obſervatione* dubitare debeat. Cum verò ex humanarum rerum varietate & inconſtantia nonnunquam aliquid contingat, quod externam quidem faciem obnubilet, & animorum diſtractionem arguere videatur, veruntamen ſi maturè iis occurratur, ac in contrarium oppoſita è medio tollantur, ea ad conſervanda & corroboranda magis quam ad diſſolvenda mutuæ neceſſitudinis vincula quam plurimum facere ſoleant. Hanc ob cauſam placuit Ordinibus Generalibus Confœderatarum Belgii Provinciarum, ſuperioribus meis, quantumvis de ſingulari prudentia & induſtria Legatorum extraordinariorum, ipſorum Status nomine, circa maximi ponderis negotia hic verſantium nihil dubitantibus, nihilominus me novâ extraordinariâ Legatione ad Parlamentum Reipub. Angliæ quam celerrimè ablegare; uti præmiſſo imprimis publicæ ſalutis & felicis regiminis voto, ex propenſa officiorum omnium oblatione apertè & candidè notum facerem (ſicubi tam recenter ex ſupremo ipſorum congreſſu egreſſus cum certiſſima ſcientia teſtari poſſum) nihil magis ipſis cordi eſſe, aut optatius accidere poſſe, quam *ut firma & conſtans amicitia inter utrumque Statum non religiosè tantum colatur, verum indies augeatur* atque omni modo conſolidetur; adeòque nihil eveniat quod mutuæ ſecuritatis, utilitatis, & neceſſitudinis repagula inter populos tam vicinos abrumpere aut ex aliqua occaſione labefactare poſſit. Et propterea magno cum attonitu & ingenti animorum mœrore nuncios ad eos perveniſſe de iis quæ *inter Claſſes & Thalaſſiarchas* utriuſque Reip. præter omnem expectationem nuperrimè evenere & ab utraque Parte commiſſa fuere. Quia verò caſus tam ſubitus & inopinatus non tantum novas turbas excitare, verum etiam ſuſpicionibus anſam præbere poſſet, ac ſi illa, quæ de mutuo Fœdere ac ulteriori vete[illegible] amicitiæ corroboratione jam tractantur, *non ſeriò* agerentur, atq; ideo in poſterum ad ſcopum exoptatum incaſſum laboratum iri, exiſtimârunt ſuperiores mei non ſupervacuum, immo huic tempori & infelici rerum ſucceſſui conveniens atque neceſſarium, uti præter Ordinem conſuetum, atque adeò ex ſuperabundanti per me (cui ratione muneris omnibus conſiliis intereſſe licuit) Parlamento Reipub. Angliæ tam antecedentia, quam quæ ſubſecuta ſunt, & ad eorum notitiam pervenerunt, palam & ſincerè exponerentur, & omnia è medio tollerentur, quæ aliquam inter utrumque Statum ſimultatem producere aut negotium Tractatus Confœderationis remorari aut impedire poſſent. Itaque vigore credentialium prædictorum Ordinum Generalium & ipſorum nomine huic Parlamento Reipub. Angliæ obteſtor & declaro, *nihil unquam apud eos meditatum vel ab iis actum, multò minus in mandatis datum fuiſſe, quo dignitas hujus Reip. læde-*

,, *læderetur, amicitia & concordia cum eadem à longo temporis tractu stabilita diminueretur,*
,, *vel aliquod discordiæ semen sub aliquo prætextu injiceretur,* immo prædictos Ordines
,, toto ex animo optasse & omnibus viribus laborâsse, uti Amicitia & Confœderatio in æternum duratura omni meliori modo, & quanto-ocyus perfici & in salutem & commodum utriusque Reipub. solenni Fœdere sanciri potuisset. Verum
,, quidem est *Classem non exiguam* in Belgio instructam, sed Ordines Generales assi-
,, duis Subditorum suorum querimoniis eò adactos fuisse tam constans & notorium
,, est, uti id etiam prædicto Parlamento significandum censuerint; quod tamen
,, nullâ aliâ intentione factum, vel *denunciatum* fuit, quam ut Belgii Subditorum, qui
,, magna per mare damna & ingentem navium jacturam passi fuerant, saluti & protectioni per legitima & consueta media prospiceretur, nemo autem læderetur,
,, aut offenderetur, multo minus uti cum classe aut navibus antedicti Parlamenti de
,, *controversiis maritimis* disceptaretur. Quæ omnia cum ita acta & gesta sint, & nihilo-
,, minus ex superveniente inter utramque Classem casu undequaque *ingens rumor*
,, & non exigua controversia sit exorta, significandum imprimis Ordines Generales
,, Parlamento Angliæ censuerunt, quæ ad aures ipsorum perlata à Thalassiarcha
,, ipsorum Status scripto consignata, testimoniis Classiariorum comprobata, & ex
,, relationibus fide dignorum ipsis notificata sunt. Videlicet Thalassiarcham *Trom-*
,, *pium necessitate magis, quam alia de causa*, classes navales hujus Reipub. appropin-
,, quasse, Præfectum *Bourn* primo humaniter salutari curasse, ac deinde, cùm Thalassiarcho *Blake* fortuito obviam factus esset, *scapham exposuisse*, ut deputatos ad
,, eundem transmitteret, & adventus sui rationem redderet, & insuper *vexillum* su-
,, perius auferri mandasse; sed cum præter omnem expectationem se *toto latere* tor-
,, mentorum bellicorum à navi prætoria infeliciter salutari & accipi videret, non
,, *offendendo* sed *defendendo* tormenta sua bellica iterum explosisse, atque exinde inter
,, utramque classem *non ex proposito, sed ex accidenti* aliquem conflictum exortum, sed
,, brevi finitum, neque amplius continuatum aut prosecutum, verum Deo propitio
,, breviter extinctum fuisse. Quæ cum ab inexspectata receptione inchoata, nullo
,, autem fervore à nostris continuata, neque tam ex animorum alienatione vel ob
,, aliquam causam præcognitam, sed magis ex accidenti commissa & perpetrata sint,
,, exponunt Ordines Generales, & amicè rogant, ut Parlamentum Reipub. Angliæ
,, credere & assentiri velit, nihil deliberato proposito, vel præcedente mandato,
,, sed casu fortuito & fortassis ex Rerum humanarum fragilitate & inconstantia evenisse, atque adeo sua Consilia & mandata eò dirigere, ut omnia obstacula, offen-
,, siones & ulteriores læsiones, quanto citius è medio tollantur & inhibeantur, sicuti
,, Ordines Generales ab ipsorum parte prompti & paratissimi sunt convenientia iis
,, confestim remedia adhibere: judicant sanè universæ rei Christianæ & præsertim
,, Religionis Reformatæ statibus quam maximi interesse, ne dissensiones inter
,, utramque Rempub. augeantur, atque inter vicinos amicos & ejusdem fidei con-
,, sortes populos aliquid sinistri oriatur; quod pacem publicam turbare, Commer-
,, cia utrinque utilia & necessaria intervertere & inimicis tam apertis quam occultis
,, causam præbere possit, utrique insidias struere, vel Respub. jamjam communi
,, Fœdere jungendas in diversas Partes distrahere, atque eâ ratione, quod Deus
,, avertat, calamitatum & bellorum sedes à se avertendo in earum perniciem deri-
vare;

vare; Quod ne eveniat, & ne malum ulterius surgat, in principio proponere, ,, omnemque industriam adhibere jussus sum, ut *de præteritis* per media convenien- ,, tia quàm primum conveniri, & *in futurum* præcaveri possit, ne similia sinistra ,, aut funesta ab utriusque Reipub. Classiariis amplius perpetrari queant, in quibus ,, dignitatem & honorem Parlamenti Reipub. Angliæ conservatam cupiunt. Cum ,, ergo Ordines Generales hisce prædicto Parlamento publicè testatum faciant, ,, ipsos unicè desiderare, ut omnia amoris & benevolentiæ officia continuentur, ,, adversa impediantur & ad optatum mutuæ Confœderationis scopum & conclu- ,, sionem ab omni Parte consilia dirigantur, enixè rogo, ut placeat prædicto Par- ,, lamento me per Deputatos suos vel per Concilium Status plenius sine temporis ,, intervallo audire & intelligere, & cum justa & amicabili antè-actorum transa- ,, ctione ad pertractandum & consummandū negotium principale, ad quod Legati ,, Ordinum Extraordinarii instructi & parati sunt, sine intermissione progredi. In- ,, terea gratias ago pro singulari favore Domino *Gulielmo Neoporto* ad reditum in ,, Belgium per navim bellicam hujus Parlamenti ante paucos dies exhibito: & cum ,, prædictus Dominus membrum sit Status Hollandiæ, West-Frisiæ, in mandatis ,, habeo, eundem requirere, ut mecum hic remanere, communicatis consiliis age- ,, re, ac reverti velit, quod prædicto Parlamento non ingratum fore arbitror, cujus ,, Parlamenti benevolentiæ me, meaque officia quam reverenter commendo. ,,

Remissa fuit hæc Oratio & quæ amplius in mandatis habuit Legatus ad Consi- lium Status: in quo, die sequente, simili Argumento eademque fere locutus est.

Ex Parlamenti consulto 24. Iunii mandavit Consilium Domino Commissario *VVhitlock*, Domino Commissario *Lisle*, Domino Vice-Comiti *Lisle*, Domino Oliverio *S. Iohn*, summo Iusticiario, Domino *Bond*, Domino *Scott*, Tribuno *Purefoy*, Domino *Henrico Vane*, Equiti Aurato, Domino *Gulielmo Masham*, Equiti Aurato, Domino *Henrico Martin*, Domino *Herberto Morley*, Tribunis, aut eorum tribus quibusvis aut pluribus, uti Commissarii sint, qui Dominum *Adrianum Pavium* ab Ordinibus Fœderatarum Belgii Provinciarum Generalibus ad Parlamentum Reipub. Angliæ conveniant; & quæ ejus Excellentia scripto exhibuerit, ea uti accipiant, deque iis & colloquium cum eo habeant & agant, quodque egerint ad consilium deferant; utque hora quarta hujus diei post meridiem statutum tempus Dominum Legatum prædictum conveniendi sit, solito conveniendi loco; idque ut idoneo quoque tempore toties fiat, quoties dabitur occasio; utque Dominus *Oliverius Fleming*, Eques Auratus, Ceremoniarum Magister, id ejus Excellentiæ significet, eumque ad statutum locum deducat.

In primis Angli petierunt ut exhibeat Legatus mandatum, vulgò *Plenipotentiam*, Gallis *pouvoir*: quod Legatis solet dari ultra litteras vulgò *Credentiales*. Legatus solummodo dictas credentiales, & præterea ternas liberi commeatus literas (*Plenipotentiam* illam solennem, ut supervacuam, neglexerat) exhibuit: & tres reliqui Legati *Catzius*, *Schapius*, & *Perrius* Mandato & plena potestate tali muniti obtulerunt sese signaturos & comprobaturos quicquid à Legato *Pauvvio* ageretur. Re relata & consulta Parlamentum censuit ut Consilium cum illo ex prioribus mandatis pergat agere. Die 27. inter alia Legatus in Consilio proposuit, in signum

 boni

deratis Belgii Provinciis colendæ significare destitit, aut commorantibus apud „ Nos earum civibus tutelam omnem quæ quidem satis esset, *etiam non petitam* præ- „ bere; veruntamen prout res & tempora jam ferunt, non est ut expectari possit, „ uti hæc Respub. ea persequi omitteret, quorum meminit responsum Parlamenti „ supradictum, ob rationes illic allatas. „

Postea cum repetitione & accuratâ omnium, quæ avertendo bello inservire possent, deductione, ut ad rem propius accedatur, Legati petierunt à Commissariis Concilii Anglici, uti proponerent quæ sibi justa & æqua viderentur ad controversias, quæ inter utranque Rempublicam ortæ erant, primo quoque tempore componendas. Ad quod, re rite relatâ & consulta, Parlamentum dedit Responsum quod sequitur.

1. Uti Domini potestates Generales Fœderatarum Provinciarum satisfactio- „ nis Nomine solvant huic Reip. quas fecit impensas hæc Respub. quæque damna „ sustinuit propter apparatus prædictarum potestatum Generalium, quæque ab iis „ hac æstate tentata sunt, quarum impensarum *ratio particularis* idoneo tempore in- „ medium proferetur. „

2. Ut *factâ illa solutione*, de cujus summâ, ut supradictum est, convenerit, im- „ pensarum atque damnorum nomine, aut eam ob rem datâ fide quâ Parlamento „ satisfiat, *extemplo induciæ* sequantur, atque armis abstineatur, navesque & bona, „ post nuperam controversiam capta, dimittantur. „

3. Hisce duobus postulatis præcedentibus si assensus præbebitur, eaque perfi- „ ciantur, Parlamentum hanc fidem in posterum dari sibi exspectat, uti utraque Re- „ spub. *firmum Fœdus* inter se & rationes utrarumque bono jungat; Quod ut fiat, „ Parlamentum pro se quidem testatur omnibus justis atque honestis rationibus se „ esse libentissimè admissurum. „

Factum & ad Legatos perlatum hoc fuit die quinto Julii stylo novo.

Postridie in Concilio ad illos Articulos respondit Legatus *Pavvius*; Ordines Generales ob rationes ante allegatas & notas magnis impensis classem instruxisse: Subditos eorum per Repressalias tam directas quam indirectas ingentia damna passos; multas quoque naves bellicas & Mercatorias recenter ab Anglis detentas captasque; ea omnia deberi computari, æstimari & compensari: & siquidem placeret Commissariis Anglicis exprimere summam & æstimationem æquitati nitentem: tum appariturum an Angli sincere velint terminare litem: an vero proponere impossibilia & nimis alta. Quantum ad Fœdus; si Angli id cupiant amplius & arctius; id se libenter auditurum. Postulavit ut classes ab ulteriore hostilitate abstineant; naves detentæ laxentur, prædationes cessent; ne animi acerbentur; sed ad amicitiam benevolentiamque aditus fiat: & ad nexum Fœderis indissolubilem: idque omne celeriter & sine cunctatione.

Respondit Consilium status, sese à Legato expectasse declarationem ad dictos *tres Articulos* perspicuam aut planam: petere præsentissimum responsum, saltem ad primum ejus Articulum, præsertim quia, illi si assensus præbeatur, Concilium sese quam primum conferre possit ad *summam* illam, cujus mentio fit, quam moderatè & æquissimè constituendam, ut, quam primum *secundus Articulus* præstabitur, ab omni hostilitate abstineri possit, utque navium

& bonorum quæ retenta ſunt, reſtitutio protinus fiat, quandoquidem *tertius Articulus* ejuſmodi eſt, ut eam tantâ celeritate tranſigi non ſit opus.

Hoc decreto Concilii accepto, certior per emiſſarios ſuos factus fuit Legatus, claſſem Anglicanam ſub *Blaco* è Dunis ad certam expeditionem aliquam contra Suos principales egreſſam. Diverſis interim litteris & nuntiis admonitus ab Ordinibus fuit, domum redire, ſi ceſſationem hoſtilitatis non poterat efficere. Illud itaque notum fecit Concilio: petens tempus quo valedicat, & eadem qua venerat navi revertatur in Hollandiam. Pro cæteris Legatis, qui idem ab Ordinibus mandatum acceperant, idem notificavit: audientiam, tranſitum commeatumque liberum à Concilio ſtatus petiit. Poſtea quoque ibidem ſcripto propoſuit in rem fore ſi relinquat hic ſuum Secretarium aliumve confidentem *ad fovendam correſpondentiam, recipiendum etiam & reddendum omnia quæ ad Pacem & compoſitionem litium & belli poſſent facere:* itaque litteras Salvi-Conductus & Securitatis aliaque neceſſaria *pro tali perſona ejuſque in Anglia manſione petere.* Aut id ſi non placeat: ut alius quiſpiam Parlamento gratus à Parlamento nominetur: per quem *id fiat quod Paci reſtaurandæ conducat.*

Naves tam bellicas quam vehendis impedimentis & ſarcinis onerarias, omnemque honorem fieri Legatis ſolitum, & quem in adventu acceperant, in diſceſſu ipſis conceſſerunt; nullatenus autem Secretarii ſimiliſve perſonæ manſionem.

Die decimo Julii tali oratione Parlamento valedixerunt.

EXCELLENTISS. DOMINI,

„ Miſerunt Ordines Generales Fœderatarum Provinciarum Belgii, ad Parlamentum Reipub. Angliæ, *Legatos* Extraordinarios, ut de corroboranda inter utrunque populum veteri amicitiâ, & ſanciendo inter duos Status perpetuo *Fœdere* ſerio agerent & pro communi utilitate & ſecuritate convenirent, & inſuper *D. Gulielmum Neoportium* ſtatus Hollandiæ Weſt-Friſiæque membrum ablegârunt ad tollenda nonnulla dubia & benevolas ſuperiorum noſtrorum circa Tractatum Confœderationis intentiones plenius explicandum;

„ Ac poſtremum paucis retro diebus placuit prædictis Ordinibus novam Legationem Extraordinariam ad Illuſtre hoc Parlamentum adornare, mihique eam Provinciam imponere, cum ſpeciali mandato, ut de optima ipſorum fide, propenſo animo, & ſinceriſſima intentione erga hanc Rempub. ſuperabundans teſtimonium redderem, omniaque accidentia inopinata & inde exorta & oppoſita impedimenta diluerem, & è medio tollerem, eâque ratione inchoatam Fœderis Tractationem omni modo ad felicem exitum promoverem;

„ In quem finem inter alia propoſitum eſt, uti de iis quæ nuperrimè inter utramque claſſem *nullo ſanè propoſito*, ſed omnino caſu fortuito acta & perpetrata ſunt, per utriuſque Reipub. viros idoneos, facta inquiſitione cognoſceretur, ac de juſtâ & æqua ſatisfactione ſtatueretur.

„ Nullo enim offendendi aut turbandi, multò minus hoſtili animo Ordines erga hanc Rempub. affectos fuiſſe, ſed veram amicitiam & Pacem omnimodam cum ea colere, immo arctius Fœdus ſancire ipſos in animo habuiſſe, *coram Deo, toto*

Orbe

Orbe Chriſtiano & præſenti Parlamento Reipub. Angliæ profitemur & obteſtamur.

Cum verò infeliciter acciderit, utramque Legationem poſt tot exantlatos labores & præſtita ab omni parte ad conſervandam Pacem communem, & removenda omnia obſtacula convenientia officia, non tantum ad optatum ſcopum pervenire non potuiſſe, verum ex adverſo ſtatui Belgico non exigua incommoda & damna eſſe illata, immo ingentia pericula, nec non hoſtilia nunquam expectata neque antea denuntiata à claſſe Anglica in altum profecta imminere;

Viſum fuit utrique Legationi ſupervenientibus malis occurrere, & in caſu tam inſolito ſecundum expreſſa Ordinum Generalium mandata in patriam reverti, *uti rationem à ſe geſtorum ſuperioribus reddere*, & de ulteriori ipſorum beneplacito certiores fieri poſſint.

Hunc in finem ſupremo hujus Reipub. Conſeſſui, Nomine ſuperiorum noſtrorum, noſmet conjunctim ſiſtimus, diſceſſum nobis injunctum denunciamus, & itineri nos accingere paratos eſſe declaramus.

Ea quæ ad transfretationem, pro munere nobis de mandato, & ſecundum temporis rationem neceſſe habemus, Excellentiſſimo hujus Reipub. ſtatus Concilio indicavimus, ſuper quibus reſponſum & expeditiones neceſſarias deſideramus & expectamus.

Nec poſſumus non denuo & obnixè rogare, uti *omnes naves*, quæ nuperrimè præter omnem expectationem, & nullâ præcedenti denunciatione, in portubus Angliæ *abducta* vel *retenta* ſunt, & quarum præpoſiti inſcii & innocentiſſimi, nulli, aut nullam controverſiæ occaſionem dederunt, cum Navarchis, Mercibus, Oneribus, & toto Comitatu libere diſcedere & iter propoſitum ſine alicujus injuria perficere poſſint, quod & inveteratæ amicitiæ & juri communi inter populos Chriſtianos obſervato deberi contendimus, & à juſtitia & æquitate hujus celeberrimi Conſeſſus impetratum iri ſperamus.

De cætero, Deum Opt. Max. qui ſummus Author & Promotor eſt Pacis & concordiæ ex animo precamur, uti cogitationes & Conſilia ad mutuam Pacem & concordiam ſpectantia Parlamento Reipub. Angliæ ſuggerere, Chriſtianam, Reformatam & Orthodoxam Religionem, quæ ſola Pace initur & floreſcet, per diſſidia vero & turbas ſine dubio affligetur & dilacerabitur, intemeratam & inviolatam conſervare; Bellorum verò clades & miſerias benigniter avertere & benedictionem cœleſtem utrique ſtatui abundanter impartiri velit.

Quo in voto deſinemus, & in patriam properantes ab Illuſtriſſimo Reipub. Angliæ Conſeſſu, debitâ, quâ par eſt, reverentiâ veniam petimus, eamque, & cætera quæ pro dignitate & ſecuritate Legatis ubique conceduntur & contra malevolorum machinationes & injurias præſtari ſolent, nobis non defutura confidimus.

Poſt meridiem conducti fuerunt per Deputatos Parlamenti uſque ad Turrim Londinenſem: atque inde per Magiſtrum Ceremoniarum navi uſque Graveſandam; erat hic dies Mercurii: die Saturni Navim & Mare ingreſſi, poſtridie in Zeelandiam appulere: die Lunæ Hagæ: ubi eadem veſperâ in conventu Ordinum Generalium facta relatione; porro de publicanda Apologia ſeu Manifeſto decre-

decretum factum fuit item de dandis Commissionum seu Retorsionum litteris iis qui suo sumptu adversus Anglorum bona & merces vellent deprædari. In quâ re acres fuerunt Zelandi: putantes sibi denuo, sicut ante, rem fore cum Duynkerkensibus. Sed fere, sicut in vero est Proverbio, *pro thesauro carbones* nacti sunt. Pretiosas naves Angli ceperunt: Zelandi vix quicquam præter Carbonarias è Scotiâ Londinum tendentes naviculas interceperunt, aut innocuas inermesque neutralium onerarias.

Apologia Ordinum, quam Belgico, Gallico, & Anglico quoque idiomate publicarunt, talis fuit.

„ Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum, omnibus hæc lecturis, „ aut legentes audituris, Salutem. Cum iis, quibus suprema Reipublicæ cura „ Dei omnipotentis providentia demandata est, ut subditorum bonum pacemque „ tueantur ac conservent, id vel inprimis agendum incumbat, ut non tantum eosdem moderatè civiliterque, & præscripta imperataque legitima domi disciplina „ regant, adeoque sapientia omni providentiaque præveniant avertantque ea „ omnia, quibus eorundem subditorum pax foris turbari, & injuriæ ac damna „ haud dubiè inferri posse intelliguntur; eundemque in finem non laudabile modo „ omninoque probandum, sed & utile inprimis adeoque necessarium sit, ut aliarum inprimis vicinarum proximarumque ditionum Principes, Rectores, Proceresque quibusvis gratis debitisque Officiis obligent sibi suisque ac obstringant, „ quo pax tranquillitasque gentium, & mutua inter eas, nec interrumpenda Societas, amicitia ac fides immota sic constent: prætereaque, ut controversiis forte „ nonnullis oblatis, in eam curam unice & omni studio diligentiaque incumbant, „ ut eædem modis omnibus agendi commodissimis, pacatis, amicèque, ut oportet „ inter socios Fœderatosque tollantur ac componantur, sed & ad eorumdem curam „ munusque id quoque pertineat, ut, necessitate oblata, neque alia extricandi expediendique sese dante ratione, magno constantique animo, & fortiter strenueque, omnibus Dei beneficio acceptis copiis præsidiisque usi, etiam vi armorum, „ vim omnem injuriasque omnes à cervicibus subditorum suorum avertant ac depellant, adeoque ut contra fas illata omnia iis damna ac incommoda resarciantur, procurent.

„ Et nos nostrarum hæc omnia partium, nostræque curæ semper esse judicaverimus, agendasque Deo gratias habeamus, quod his studiis Officiisque nostris „ adeo bene fecerit ac faverit, ut hanc nostram pro subditis nostris curam continuam, providentiam, sollicitudinem, ac fidem, horum singularis testatusque in „ nos amor & promptum semper paratumque obsequium exceperit; quæ duo conjuncta, pro nostris pariter & eorum commodis, securitate ac salute plurimum „ facere hactenus intelliguntur; Nos non modo amicitiam commerciumque quod „ ab antiquis retro temporibus Nos inter Anglosque fuit, Nos certe quod attinet „ optima & infucata ac ea quæ sanctissima est fide coluimus, sed & Anglorum ea „ gente, perturbatis nuper admodum confusisque domi rebus, scissa in diversa studia, & factionibus maximo partium studio commissa, non modo dolentes commoti-

motique hæc inſpeximus, ab omni omnino partium ſtudio, quo his illiſve favere „ addictique forte videremur, alieni, ne vel hæc, vel illa aut quæcunque alia, ſini- „ ſtræ adverſæve in nos noſtroſve ederet, aut edere etiam poſſet, voluntatis ſignifi- „ cationem: Ex adverſo vero, quantum fieri à nobis potuit, rationem viamque „ conſilii iniimus obtulimuſque, adeoque cavimus noſtra ex parte, quo neque ex- „ citatum jam incendium ali, neque accepta jam vulnera ac damna augeri & majora „ accipere incrementa poſſent, neque eorumdem malorum remedia difficiliora „ magiſque periculoſa offerrentur. „

Ad hæc, diſſidiis nonnullis in ditionibus ejuſdem Nationis obortis, ex quibus „ & vaſtitas, & pauperies, & fames enatæ erant, ſingulatimque ab Utraque, quale „ tunc erat, Parlamenti curia rogati compellatique, eum in finem ut in noſtrarum „ Eccleſiis ditionum æs publice colligeretur, quo attritis afflictiſque admodum „ plurimorum Egentium rebus in dictis jam ditionibus conſuleretur, ſolatiumque „ adeo & auxilium offerretur: Nos, benevolique ac miſerentes ſubditi noſtri, ſigni- „ ficatis prædictis calamitatibus ac malis intimis viſceribus commoti, & ſenſuum „ cogitationumque quadam quaſi teneritudine velut patientes cum patientibus, „ Chriſtianiſque omnibus officiis uſi, effecimus, ut ingens æris ſumma, in aliquot „ centenorum florenorum millia excreſcens, conferta, tranſmiſſaque in prædictas „ ditiones, memoratumque jam finem, ſint; quæ propter Utraque Parlamenti Cu- „ ria, litteris ſuis eâ de cauſa datis, agendas Nobis gratias, addita multa ſui in Nos, „ ut quidem videbatur, affectus ſignificatione (quam & eorundem tunc publicus „ Miniſter ſermone quoque, & ex eorundem auctoritate ac mandato profeſſus te- „ ſtatuſque eſt) judicavit. „

Cumque, iis omnibus præſtitis jam officiis exhibitiſque, nondum ſatisfeciſſe „ nos ipſi ſingularibus noſtris in eos ſtudiis propenſæque voluntati judicaremus, „ quo tandem aliquando memoratis jam diſſidiis, & obortis ex iis malis ac calami- „ tatibus ſincera fidaque partium armorumque, acriter graviterque inter ſeſe com- „ miſſorum, procurata reconciliatione, finis imponeretur; ſperantes ac confiden- „ tes, poſt edita hæc pronæ noſtræ in eos ſinceræque voluntatis documenta, neque „ ingratam, neque etiam inidoneam operam noſtram in hoc tam egregio & magno „ opere promovendo futuram, noſtræ id curæ eſſe voluimus, ut decreta Extraor- „ dinaria ad Regem & Parlamenti Curias legatione, qua *D. D. Gulielmus Boreel &* „ *Iohannes van Reede, Renſvvoudæ Dominus, &c.* functi ſunt, quid impetrari obtineri- „ que poſſet, experiremur. Cæterum cum Deo Opt. Max. cujus abdita & imper- „ ſcrutabilia ſunt judicia, viſum haud eſſet, mutua partium reconciliatione finem „ facere prædictorum motuum ac turbarum, ſed viis modiſque aliis ita rerum fa- „ ciem ſtatumque convertiſſet, ut Anglicani Regimen Populi jam alia quam hacte- „ nus ratione adminiſtraretur. „

Cumque ab illis ipſis Regentibus, ſpecioſo admodum prætextu, oblata nobis „ eſſet Tractatio, quâ de mutuâ ſocietate, & arctiore quadam confœderatione age- „ retur, ac nos bona fide crederemus, bona etiam fide, adeoque ſincere geri hæc „ omnia atq; offerri: Cumque probe etiam intelligeremus, hac ratione pacem ſecu- „ ritatemque Navigationum ac Commerciorum poſſe promoveri, non tantum no- „ ſtro, ſed etiam omnium mercatu ſe ſuoſq; exercentium Regnorum ditionumque, „

,, imprimis proxime adsitorum, commodo ac bono; quorum alias pax resque con-
,, troversiis dissensionibusque Nos inter & prædictos Regentes, variis, ut fit, con-
,, currentibus caussis, forte obortis, turbarentur haud dubiè ac commoverentur;
,, Nos prædicta quæ offerebantur non modo non ingrata nobis esse significavimus,
,, sed & cum ea de caussa prædicti Regentes destinassent misissentque ad nos Lega-
,, tos suos Extraordinarios *D. D. Oliverium S. Ihon, & VValterum Stricklandium*, Nos
,, quibusvis modis id operam dedimus, ut quamprimum, prout patitur hujus Rei-
,, publicæ nostræ constitutio, prædictæ Tractationi optatus finis imponeretur,
,, adeo ut prædicti D. D. Legati conferendi colloquendique cum D. D. Deputatis
,, Nostris, quos ex Ordine Nostro ejus rei caussa legeramus, initium fecerint.

Cæterum cum generatim modo, nec limitate aut singulatim omnia propone-
,, rentur, nostro nomine contra, post præmissam pacificarum voluntatum nostra-
,, rum significationem, rogatum fuit, ut in genere proposita particulatim singula-
,, timque ac membratim, distincta aperteque adeoque nudè nitideque offerrent ac
,, exponerent, quo ea ratione & certius & securius, efficaciterque magis & celerius
,, confici omnia possent ac expediri. Et quanquam gravissimæ eam in rem adduce-
,, rentur rationes, oppositisq; Propositionibus non una commodissima agendi tra-
,, ctandique via daretur, Nos tamen tunc temporis nihil profecimus aut impetravi-
,, mus: nisi quod prædicti D. D. Legati, post modici temporis intervallum pri-
,, mumque cum iis congressum colloquiumque, materia de qua agendum inprimis
,, erat, caussaque, adhuc prope intacta, imperatam sibi ad suos redeundi abeundi-
,, que necessitatem præ se tulerint, cæterum tamen multis rationibus persuasi, pau-
,, lulum adhuc subsistere ac morari decreverunt: cumque ex eo tempore nonnulla
,, distinctius particulatimque magis exposuissent, Nos nostra ex parte omnia agen-
,, da eum in modum acceleravimus promovimusque, ut prædicti D. D. Legati,
,, post distinctius propiusque quædam proposita, in quibus totius rei cardinem ver-
,, sari, adeoque de quibus si convenisset, nullo aut facili Negotio, & haud difficulter
,, confici cætera ac componi posse ipsi judicabant, eum in modum à Nobis fuerunt
,, excepti, ut, quoad rei summam, nihil aut certè parum controversiæ reliquum
,, manserit: sed & porro cum iis omnibus conjunximus, quæ ad utriusque gentis
,, commoda (salvis tamen iis quæ cum aliis Regibus, Rebuspublicis, Principibus-
,, que & Proceribus nobis intercedunt Fœderibus) prætereaque ad prædicti Tra-
,, ctatus omnimodam consummationem facere posse judicabamus. Ad quæ omnia
,, dum responsa sententiasque propiores prædictorum D. D. Legatorum expecta-
,, mus, iidem, hæc subterfugiendo, subito itinere à Nobis discessere; ea in speciem
,, ratione adducta, quod concessum sibi imperatumque apud nos morandi spatium
,, jam expirasset, propterea impossibile sibi omnino esse porro progredi in earum
,, tractatione rerum, quæ nostra ex parte in eum quem jam diximus finem erant
,, propositæ.

,, Quanquam vero istiusmodi agendi procedendique ratio materiem diversis
,, præbere suspicionibus potuisset, quoad prædictorum Regentium in prædicta
,, Tractatione animum ac sententiam (Modici quippe intervallum temporis, quod
,, in ipsa, de qua agebatur, re nihil mutaverat, non debebat profecto mutare syncе-
,, ram animi voluntatem, neque etiam interrumpere aut sistere cœptæ Tractationis
pro-

progressum) Nos tamen nihilominus, nostra ex parte, (præferentes longe pondus momentumque rei pulcherrimæ gratissimæque formulis agendi externis ac modis, intuitu quoque protestationis à prædictis D. D. Legatis, cum à nobis discederent, factæ, qua sinceritatem prædictorum Regentium, suamque pariter fiduciam, fore, ut, quamvis ab optato expectatoque eventu prima hæc Officia hactenus destituerentur, haud inania tamen aut irrita aliquando videantur, inprimis ubi consultum Nobis videretur, reciproca legatione dictos Regentes invisere, in mora esse haud voluimus quo minus Legatio ad prædictos jam Regentes decerneretur; adeoque *D. D. Iacobus Cats, Gerardus Schaap, & Paulus vander Perre*, Extraordinarii Legati nostri, idoneis instructi mandatis, Mense Decembri, Anni proxime elapsi, ad eos proficiscerentur, non obstante, quod post discessum prædictorum *D. D. S. Ihon & Stricklandii* prædicti jam Regentes vulgaverant, amicitiam pacemque vicinis populis debitam turbante diplomate; quo consueta receptaque Commerciorum libertas plurimum restringebatur, adeoque Commercia utriusque Nationis ac consensus (quibus tamen & amicitia & mutua fiducia inprimis confirmantur & augentur) tollebantur quasi & abrumpebantur. Licet etiam, captis jam raptisque plurimis nostrorum navibus haud deessent nobis gravissimæ rationes suspicandi, voluntates prædictorum jam Regentium parum aut plane non convenire cum infucata nostra integritate.

Quod & deinde satis superque & palam liquere voluere; cum, postquam prædicti nostri Extraordinarii Legati in Angliam venissent, ibidemque nostro nomine, serio, omnique integritate propensam pronamque nostram, ad perficiendam tandem absolvendamque cœptam hic Tractationem, testati voluntatem essent, serioque etiam iidem petiissent, ut eadem quam fieri posset celerrime felicissimeque optatum ad finem perduceretur, utque res omnes in eo statu esse ac manere, aut ad eum redigi sinerent, in quo eædem illæ fuerant, cum prædicti *D. D. S. Ihon & Stricklandius* à nobis discederent, certe donec de eventu exituque prædictæ Tractationis constaret: prætereaque ut hæc propter prædictum diploma (quo ipsa quasi vitalia & anima finisque prædictæ Tractationis petebantur) revocarent, saltem exequi supersederent, captasque naves ac merces restituerent: Quorum prædicti jam Regentes non modo nullam rationem, quod ratio tamen & æquitas postulabant, habuere, sed & ex adverso, durante continuataque Tractatione, qua ibidem de confirmandis antiquis Fœderibus ac societatibus, & propiore consensu ac communione animorum amoreque, concordia & vicissim sibi respondentium Officiis, agebatur, prædicti diplomatis sententiam exequi suos voluere: ac insuper quaquaversum, vario diversoque, & à quo omnis rationis color aberat, prætextu tam Repressaliorum (quæ prædicti jam Regentes, nulla licet iis data vel caussa vel occasione, cum nulli unquam ad jus hic & leges provocanti eorum auxilium aut patrocinium fuerit negatum, aut etiam dilatum, ac icciro contra fas omne, jusque ac exempla cordatarum omnium gentium, prætereaque antiqua inter utramque Nationem percussa Fœdera, ut & alias Nationes) adversus Gallos indultorum, naves prædictorum subditorum nostrorum partim per privatos, quibus singulatim Repressalia concessa erant, partim per publicos classium suarum præfectos, omnis denique generis Pyratas, qui ea sub specie in-

festa passim maria reddidere, mari hostilem in modum invadi, oppugnari, expugnarique, expugnatasque in portus suos deferri permisere, mercibus raptis, & Navarchis sociisque navalibus male habitis, cum neque prædicti Legati nostri malorum damnorumque remedia, debitamque adversus mala hæc omnia disciplinam impetrarent, neque innocentibus subditis nostris sua redderentur.

Quanquam vero hæc propter multiplices gravissimæque se offerrent nobis rationes, ut viis agendi modisque aliis prædicta omnia ad animum revocaremus, & quadam quasi Retorsione damna iisdem subditis nostris illata, navibus mercibusque memoratorum jam Regentium oppugnatis captisque resarcire nobis liceret: Nos tamen, sperantes rationi prædictos jam Regentes tandem aliquando daturos locum, & Tractatione amica, secundum fas æquumque, decidi omnia posse ac absolvi, eo expectationis nostræ ac temporis intervallo à vi omni armata abstinuimus, quanquam ad eam inferendam intolerabili quadam insolentia arrogantiaque haud dubie provocaremur; Quin imo, licet serio sæpiusque rogati, prædictas ob rationes, litteras Repressaliorum negandas subditis nostris, quamvis jam læsos sese dolentibus, indicavimus.

Et una ex parte id per Extraordinarios Legatos nostros serio urgentes, ut prædicta Tractatio in genere, & restitutio navium bonorumque, de quibus jam diximus, particulatim promoverentur; altera ex parte, quo Pyraticam omnem raptusque in posterum præveniremus arceremusque à subditis nostris damna majora ac mala, & publica Commercia à præsentissima ruina & certissimo exitio præservaremus, decrevimus classem idoneam insignemque instruere, qua mari uteremur.

Et, ne prædicti Regentes sinistra interpretatione in perversas falsasve suspiciones adducerentur, Nos, quo id præveniremus, eisdem ejusdem Regiminis, sicut & aliis Amicis nostris ac vicinis per prædictos extraordinarios nostros optima fide prædicti facti à nobis decreti significationem fecimus, addita aperta sinceraque Declaratione, haudquaquam, & nullo modo cum prædicti apparatus nostri esse finem, ut eo Fœderatis nostris aut Amicis, aut, quod speciatim additum, subditis prædicti Regiminis damna ulla aut injuriæ inferrentur, sed ex adverso constantem nec mutandam nobis sententiam voluntatemque sedere, conservandi cum omnibus prædictis subditis, siquidem ejusmodi vicinorum officium id munusque esse intelligitur, integram sinceramque amicitiam consensumque.

Et quanquam id ipsum quoque non aliter quam signum infucati Animi nostri ac nota excipi debuerit, imprimis ab iis qui præfato Regimini jam præsunt, quia paulo ante male se tulisse indicaverant, quod longè multò minor navium nostrarum numerus, haud procul nonnullis Insulis, quæ eorum regimen tunc temporis haud dum agnoscebant, conspectus esset, Nosque in tempore eos certiores ejus rei non fecissemus, Nos interim sic observare satis potuimus, prædictum regimen nihil constituisse aliud, quam colligere undique prætextus, quibus tandem aliquando executioni diu meditatarum destinationum color aliquis non deesset, sicut & prædicta notificatione eundem in finem uti quoque voluere; adeo ut prædictis Legatis nostris imposita necessitas fuerit, ea super causa nostro nomine propius iis respondendi.

Et interim præfata per eosdem Legatos nostros Tractatione serio instanterque promo-

promota, cumque per eosdem id unicè curatum actumque esset, ut eum omnia agenda in statum adducerentur, in quo prædictum Regimen, sine ulteriori omni dissimulatione, velut aperire sese aut mentem cogeretur, neque diutius posset occultas destinationes suas celare, (ut nempe sic sub amicitiæ larva lactantes Nos specie institutæ de Societate Tractationis consuetis meditatisque prætextibus Commercia nostra exscinderent, & robur hujus Status imperiique nostri enervarent, quemadmodum non ex obscuris indiciis, sed ipsa rei evidentia significatum Nobis cognitumque est) Propræfectum Mari *Trompium*, quem nos prædictæ classi nostræ præfecimus, per Præfectum suum propterea quia non ad lubitum ejus vexillum Nostri submiserant, quanquam ille, juxta complurium consentientia testimonia, etiam ab aliis ac neutrarum Partium hominibus data, jam tum colligendis summis velis suis, scaphæque adducendæ, quo è Suppræfectis aliquem ad navim Præfecti Anglici consalutandi causa mitteret, intentus esset, hostilem in modum, tormentis omnibus lateris unius explosis, aggressi sunt, sociorumque ejus navalium plurimos miserè vulnerarunt, qua re cum prædictus Propræfectus, quæque ei aderant naves, tueri sese cogerentur, defensionem sui contra naves Anglorum adeo inculpate moderati sunt, ut, quum navium numero longè præstarent, satisque etiam ad opprimendos penitus aggressores suos idonei validique essent, continuerint sese, sola sui defensione contenti: cujus tamen moderationis pars adversa usque adeo nullam rationem habuit, ut alio insuper navium cuneo advecti, postremas remotasque ab agmine Classis nostræ naves eundem in modum hostiliter invaserint, duas oppresserint, ex iisque alteram secum abduxerint.

Atque ut hæc pugna prætextui illis esse posset, abrumpendæ, specie saltem aliqua, prædictæ Tractationis, dictitarunt, & in vulgus sparserunt, atque adeo quibusvis persuasum voluere, aggressionem in ea pugna primam à nostris factam; perindeque, ac si atrocissimè ea re læsi forent, totos sese ad apertam in Nos exercendam vim conatum hostilem composuere, nulla prius vel minima Nobis oblata querela, nedum ulla reparatione admissi, quod patratum jactabant, petita, quanquam hoc æquitatis, imprimisque Tractationis mutuæ ratio, si unquam ea in re proba integraque eorum fuisset voluntas, postularet.

Nobis contra sincero affectu, id quod temere turbatum fuerat, quisquis tandem in culpa foret, rectè atque ordine restitutum cupientibus, Legati nostri Extraordinarii ut primum certiores facti sunt prædicti jam insultus, in consessu Concilii Status suprà dicti Regiminis sanctissimè asseverarunt, quod si res eum ad modum, ut ibi quidem narrabatur, gesta esset, id omne insciis Nobis, atque adeo contra quam in mandatis dederamus, actum fore, idque ipsum, epistola autographa suprà dicti Propræfecti nostri exhibita, quam is ad eos super ea re miserat, cuique inerat plenissima mandatorum, quæ à Nobis acceperat, significatio, confirmarunt, & significata nostra propensione interiore, summoque desiderio Pacis atque Concordiæ cum suprà dicto Regimine, firmo sub Fœdere amicitiaque indissolubili colendæ & conservandæ, summo studio maximoque opere petierunt ut veritas rei in ea pugna gestæ exquireretur diligentius, atque eum in finem impertirentur sibi si quæ illis parata essent testimonia, ut ea ad Nos transmitti

,, possent, neve interea temporis Tractatio, quam usque eo perductam confideba-
,, mus, ut ei brevi manus ultima posset imponi, ex inopinato casu quidquam cape-
,, ret detrimenti, cui præter contraque voluntatem, nostram certè, temeritas aut
malitia hujus illi caussam dedisset, cui ratio facti sui reddenda esset; saltem ut ope-
,, ra daretur ne magis magisque ea re animi partium ac studia divellerentur.
,, Et quanquam maximi ponderis ea Propositio summique momenti ad publi-
,, cum utriusque Nationis commodum esset, Regentes tamen prædicti diu neque
,, illam, neque Nos, quorum nomine ea proposita fuerat, responso dignati sunt,
,, quamvis altero etiam scripto, singulari mandato nostro, Consilio Status exhibi-
,, to, eadem propositio renovata, ac post tertio etiam repetita esset, addita insuper
,, ampliore significatione sinceri animi nostri, & summi doloris ob inopinatum in-
felicemque casum: Quinimo naves hujus Reipublicæ cum bellicas, tum onera-
,, rias, quascunque in mari deprehendere potuere, adorti oppugnarunt, nonnullas
,, demerserunt, alias specie amicitiæ circumventas oppresserunt, socios navales ac
,, milites spoliatos pessime habuerunt, & cum illas, tum hos, in portus & flumina
,, sua avexerunt, ac proinde quasi aperto jam bello nobiscum commissi, nulla dum
,, facta renunciatione amicitiæ, plurimum innocui sanguinis profuderunt, pluri-
,, mosque subditorum nostrorum fortunis exuerunt.
,, Nos tamen etiam tum obfirmantes lacessitam usque adeo patientiam nostram,
,, quo studiosissimum pacis animum nostrum, gestorumque à Nobis innocentiam,
,, integritatem, æquitatemque orbe coram toto probaremus, ut quibus nihil esset
,, gratius, quam integram Concordiam, infucatam fiduciam, fidamque amicitiam
,, cum vicinis nostris colere, & promovere eam atque augere in majus, contraque
,, nihil æque exosum atque horrendi vastantis belli eventus miserrimaque innocen-
,, tis Christianorum sanguinis profusio, præter suprascriptos tres Legatos Extraor-
,, dinarios, qui nostro nomine apud prædictos Regentes tum agebant, ineundo
,, perficiendoque Fœderi, Legatione altera, celerrimis itineribus, Dominum *Adria-*
num Pauvv, Heemstedæ Dominum, Hollandiæ West-Frisiæque Syndicum &
,, Consiliarium, extra ordinem delegavimus, singulatim super eo, de quo contro-
,, versia erat, certamine, quæque exinde erant consecuta, nec non ad significandam
,, propius sententiæ nostræ integritatem remque eo deducendam, ut à vi omni ar-
,, mata abstineretur.
,, Cumque interea prædicti jam Regentes suum edidissent responsum, ad pro-
,, positionem scriptumque alterum, ac tertium priorum Legatorum nostrorum,
,, quo in responso, affectata, prava perversaque opinione, quam ipsi sibi in patro-
,, cinium injusti sui, Deoque & hominibus haud dubiè ingrati propositi, consulto
finxerant, quasi à Nobis prædicta Classis ad invadendos ipsos, & per vim, hosti-
,, liter, aliove quo modo excipiendos, instructa esset, ratione nulla habita factæ à
,, Nobis contracontestationis, declaraverunt, censere semet obstrictos, ad perse-
,, quendam occasione oblata, illatarum, quas ipsi vocant, injuriarum reparatio-
,, nem, cautionemque, nequid ejusmodi inposterum tentetur; atque ita palam fe-
,, cere nequaquam sibi in animo esse negotium hoc ullo modo transigere, sed contra
,, decretum, cœpta jam illata vi progredi, dictus Heemstedæ Dominus, cum in
,, Parlamento Angliæ, tum postea in consessu Concilii Status, hanc eorum suspi-
cionem

cionem opinionemque validiſſimè confutavit, ac Dominum Deum, cogitatio- „
num cujuſque inſpectorem teſtemque, invocans, ipſe actorum omnium gnarus, „
ut qui ratione publici, quo fungitur, muneris, deliberationibus omnibus tam „
in Noſtro quam Hollandiæ Weſt-Friſiæque conſeſſu habitis interfuerat, ideoque „
ſumma fide ſanctiſſime affirmavit, nullam unquam inſtitutam deliberationem, „
nullum captatum conſilium, nedum ulli in mandatis datum, apertè tecteque, „
quo ulla vel minima prædictis Regentibus offenſæ præberetur occaſio, nedum „
ut eorundem jam Regentium claſſis naviumve ulla, non eo quo inter ſocios opor- „
tet modo, exciperetur; contra vero, ut iiſdem omnia amicitiæ propenſique ani- „
mi exhiberentur officia, iterumque ſeriò affirmavit, prædictum inter naves utriuſ- „
que Partis concurſum ac certamen Nobis inſciis noſtroque injuſſu, quin imo „
ſummo noſtro cum dolore & anxia ſollicitudine accidiſſe.

Cum tamen prædicti jam Regentes, rem, ſecus ac ea geſta eſſet, explicantes, „
prædicto certamine, pacem ſuam ſuorumque violatam judicarent; & prædicto „
reſponſo ſuo verba feciſſent de reparatione præteritorum, cautioneque in fu- „
turum, Heemſtedæ Dominus, ſecundum data ei à Nobis mandata, ſignificavit, „
neceſſum videri operam dari, ut prædicta controverſia ac cauſſa, omniſque adeo „
diffidentia, recta cauſæ cognitione plane tolleretur; ſeque eum in finem, ejuſ- „
que perficiendi cauſa, ſingulatim illuc legatum veniſſe. Ac deinceps ſedulo in id „
incubuit, ut cœpta, multumque jam profecta Tractatio perficeretur, & porro „
ex utriuſq; Partis placito rectus conſtitueretur modus ac norma claſſibus utriuſ- „
que Partis in poſterum ſequenda, addito affirmatoque, nunquam Nobis animum „
aut fuiſſe, aut futurum unquam, diſputandi de honore ac dignatione nationi An- „
glicanæ nomine hujuſce Reipublicæ hactenus delatis; petens præterea, ut prædi- „
cti jam Regentes, interea dum operi tam egregio neceſſarioque opera navare- „
tur, vulgatis tandem mandatis proſpicere vellent, ut armata vis omnis occaſione „
prædicti certaminis hactenus exercita, unde metus eſſet ne malum immedicabile „
redderetur, aliquando ceſſaret; & poſtmodum ſingularibus aliquot congreſſibus „
ac Colloquiis cum D. D. Commiſſariis prædicti Concilii Status habitis, propiore „
noſtro nomine ſignificatione facta, obtulit ac petiit, ut, quæcunque de prædicto „
certamine utrinque conquiſita & parata eſſent teſtimonia, ea ad indagandam rei „
veritatem, Delegatis aliquot, utrinque eligendis, traderentur in manus; qui ex- „
cuſſis iis, & ſub examen vocatis, exquirerent, utra Pars aggreſſionem prior feciſ- „
ſet, eoque tumultibus atque incommodis inſecutis cauſam præbuiſſet; aſſeve- „
rans, quod ſi Præfectus noſter compertus eſſet prior aggreſſionem feciſſe, non „
ſolum ipſi hac in re publicam authoritatem à Nobis derogandam negandamque, „
factumque hoc ejus improbandum fore, verum etiam ipſum, ut qui mandato- „
rum noſtrorum fines exceſſiſſet, puniendum, prout cauſæ momentum poſtulare „
videretur; ita tamen, ut etiam prædicti jam Regentes, re aliter ſe habere comper- „
ta, ſuoq; Præfecto, teſtimoniis in eam rem dictis, priorem hoſtilem aggreſſionem „
feciſſe convicto, cum eodem pari ratione agerent. „

Reponens denuo petitionem ipſi reliquiſque Legatis noſtris jam ſæpius repe- „
titam, ut, ſaltem ratione prædictæ oblationis, in principalis negotii Tractatione „
procederetur, naves bonaque noſtra ſubditiſque noſtris per vim erepta, aliave in „
An- „

„ Anglia detenta, una cum Præfectorum Navarchorum aliorumque navalium sociorum dimiſſione reſtituerentur, atque omnis ſaltem in poſterum vis armata prohiberetur.

Quanquam autem ſuprà dicta omnia iis oblata, iſtiuſmodi eſſent, quæ pectus aliqua ſaltem ratione & humanitate imbutum, cuique vel aliquæ ſupereſſent ſtudii pacis reliquiæ, ſpernere aut poſtponere haud quaquam poſſet, eademque etiam exemplorum ab aliis nationibus ſimili in cauſa petitorum copia, multarumque inſuper ſolennium conventionum allegatione, confirmarentur, tamen Concilium Status, conſcium ſibi & convictum, ſententiam ſuam quoad prædicti certaminis modum produci in lucem non ferens, atque idcirco indagationem veritatis refugiens, cujus ſuppreſſio etiam in privatis cauſis unicuique ſacrilegii loco eſſe deberet, jam prædictum examen penitus detrectavit, continuationem progreſſumque Tractationis ſuper principali negotio difficilem cenſuit, ad hæc ſignificavit, hoc rerum ſtatu non eſſe quod expectaremus, deſtituros ſeſe à perſecutione illa, cujus reſponſo ſuo præcedenti ad Propoſitionem Dominorum *Cats*, *Schaep*, & *vander Perre*, meminerant, in finem ibidem expoſitum.

Quod poſtremum reſponſum, priori aſperius, & ratione ſuprà dictæ juſtiſſimæ oblationis, etiam iniquius, plenumque injuſtitiæ ac violentiæ, quanquam nos merito adducere potuiſſet ad finem officiis noſtris amiciſſimis faciendum, maxime cum noſtras ac ſubditorum noſtrorum naves bonaque intercipiendi, rapiendi diripiendique finis nullus eſſet, Heemſtedæ tamen Dominus, noſtro nomine, demonſtrandæ propenſioni noſtræ inconcuſſæ ac ſingulari ſtudio, quo res omnis, bona partium gratia mutuoque conſenſu, ad bonum optatumque exitum perduci poſſet, atque hac ſola ratione inſuper habens, quod alioquin honoris noſtri ac dignitatis ratio ſuadere potuiſſet, petiit ut ne penitus Tractatio abrumperetur, ut à parte prænominati Regiminis aliud quidpiam conſilii (quando noſtra ſucceſſu caruerant) in eum finem proferretur, hac nimirum fiducia, fore ut aliquando dictum Regimen rectæ rationi auſcultans, ſinceris noſtris minimeque fucatis obteſtationibus fidem adhiberet, placidæque cogitationes pacis, turbulentis belli meditationibus potiores, animis eorum ſedatiorem afferrent mentem ad idonea exquirenda remedia, quibus præſentia mala, & quæ deinceps metuenda eſſent, evadere liceret.

At vero dictum Regimen moderationis noſtræ magnitudine abuſum in incrementum arrogantiæ ſuæ, modeſtiaque noſtra in fomentum ſui ad vaſtandum ardoris, noſtriſque amiciſſimis oblationibus fundamenti loco, ad poſtulandum à Nobis ea quæ neque ipſi ulla æquitatis ſpecie petere, neque Nos, honore noſtro dignitateque ſalva, concedere poſſemus, proponere non erubuit, ut à Nobis perſolverentur ſibi expenſæ omnes, ac reſarcirentur diſpendia, quas quæque feciſſe paſſique eſſe dictitabant occaſione extraordinarii illius apparatus noſtri, tanta pecuniæ ſumma de quanta poſtmodum conveniretur; qua ſoluta, cautioneve eo nomine ad ipſorum placitum data, tum demum ab ulteriore violentia deſiſteretur, quamvis noſter ille apparatus non alio ac ſupradicto fine decretus inſtitutuſque ſit, quod ipſum etiam tempeſtivè, ſimulatque decretum in eam rem factum fuit, prænominato Regimini ſumma ſinceritate publicè ſignificavimus; maxime

vero

vero cum neque dicto Regimini neque ejus Subditis per Classem illam jam paratam, aliamve ullam nostrarum navium, ullum vel minimum maligni animi oblatum indicium, ne dum damni quidpiam, illatum esset, contra vero naves nostræ ab illorum navibus oppugnatæ, non nullæ depressæ, aliæ, præter ingentem numerum onerariarum navium harum regionum, earumque ditissimarum, expugnatæ, captæ avectæque essent, Nosque, & dilecti Nobis Subditi nostri, hoc pacto ad aliquot florenorum milliones, damno affecti essemus. Ad hæc durantibus etiam supra dictis colloquiis, neque expectato eorundem exitu, classem suam in mare dimiserunt, & maturantes inter ambas Nationes amicitiæ divulsionem, quam immedicabilem reddere gaudebant, denuo complures Regionum naves ceperunt deleveruntque, ingerentes hoc pacto plenos damni atque ignominiæ cumulos in cervices hujus nostri Regiminis, quod multos jam Annos in statu prospero Dominus Deus conservavit, cuique apud amicos inimicosque venerationem addidit. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Quæ omnia intolerandum adeo in modum atque injustè cœpta, tamque violenter acta, cum evidentissime à prænominato Regimine in id suscepta atque patrata sint, quo nostras mari vires penitus affligerent, commercia harum ditionum opprimerent, atque hoc pacto pridem jactatam sibi mari dominationem reapse in Nos, ac deinceps in reliquas Nationes universas, exercerent, easdemque, si possent, vectigales sibi redderent; cumque Nos patientia & lenitate animi singulari (tametsi frustra) nullis non honestis modestisque inducendi persuadendique modis tentaverimus, quo prænominatum Regimen à proposito isto dimoveri, exorta dissidia sopiri atque componi, naves bonaque Nobis Subditisque nostris per vim erepta, aut alibi retenta, restitui, damna iisdem nulla causa illata resarciri, antiqua & jam retro aliquamdiu per suprà dictum Regimen afflicta & violata amicitia, sincero firmoque & valido contractu instaurari, mutuisque fiduciæ officiis magis magisque confirmari posset, nulla amplius spe reliqua visa per viam suprà dictam ea omnia assequendi. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Nos Naturæ legem sequuti, nec non obligationem, qua Subditis nostris devincti sumus, ad protegendum eos contra omnem injuriam, vim atque violentiam, efficiendumque ut illati ipsis damni resarcitionem reparationemque consequamur, præterea ad vindicanda Commercia in pristinam debitamque iis libertatem, ac resistendum memorato consilio pravoque proposito suprà dicti Regiminis, qui rerum suarum domi successibus ebrii, modum porro nullum inexplebilibus suis cogitationibus statuere videntur, maturo deliberatoque consilio atque extrema necessitate adacti, tandem censuimus atque decrevimus iis viribus iisque subsidiis uti, quæ Nobis Deus ac Natura in manus dederunt, ad consequendum vi armorum ac Retorsionis via à suprà dicto Regimine ejusque Subditis, quod ab iisdem rationum ope impetrari non potuit, hac mente & sententia, non destituros Nos ab hoc proposito, quamdiu dictum Regimen eandem quam hactenus viam institerit, naviumque captarum restitutio damnique illati resarcitio facta non fuerit; certa fiducia propositum hoc nostrum, quo extrema nos adegit necessitas, ab universis Hominibus laudandum, caussamque nostram æquissimam ope divina adjuvandam fore. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

„ Confidentes quoque cunctos Reges, Respublicas, Principes ac Status Declarationem hanc nostram publicam, ut veram ac justam, nobisque extortam, accepturos, ac propensos etiam fore ad consilia tam perniciosa Nobiscum una impedienda & propulsanda, Nobisque in proposito tam necessario, nec minus licito legitimoque, ut & dilectis Nobis subditis nostris ubique locorum, opem laturos: Quemadmodum etiam omnibus Fœderatarum Belgii Provinciarum subditis hoc scripto edicimus, ut sese Retorsionis via contra vim ac violentiam, quæ illis magis magisque imminet, defendant, neu se diutius prætextu ullæ amicitiæ falli aut circumveniri sinant, neve usquam locorum se recipiant, ubi ad lubitum suprà dicti Regiminis excipi possent, verum, nostra suaque bona causa freti, eventum à Deo omnipotente, nostra cura & suscepta jam defensione, expectent.

Ita actum ac decretum in Consessu præpotentissimorum memoratorum D. Dominorum Ordinum Generalium. Hagæ, secundo Augusti, Anno Millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo. *Iohan van Reede, tot Rensvvoude*, vt. Mandato eorundem, D. D. Ordinum, *N. Ruysch.* Impresso super spatium sigillo eorundem D. Dominorum in rubrâ cerâ.

Angliæ Parlamentum hanc sequentem Declarationem eodem fine publicavit.

Scriptum Parlamenti Reipub. Angliæ, de iis quæ ab hac Repub. cum Potestatibus Fœderatarum Belgii Provinciarum Generalibus, & quibus progressibus acta sunt; deque controversiis impræsentia exortis, quibus prædictæ Potestates occasionem præbuere.

„ Si quanta & quàm gravia Fœderatarum Belgii Provinciarum Populus sub tyrannidis jugo, antequam divinâ ope liberaretur, passus sit mala, & quibus rationibus adductus, quo ardore animi ad libertatem aspiraverit, si denique quàm amicâ atque perpetuâ ope, idque haud sine multo sanguine atque opibus Anglorum, ejus saluti impensis, omni tempore sublevatus ab hac gente atque adjutus sit, in memoriam redigatur, credibile vix erit, pro tot acceptis beneficiis, quàm non amica huic Reipub. immo quàm non æqua reddiderit.

„ Non est consilium jam nostrum res hujus Reipub. quo loco tum essent, prolixè memorare, cùm tyrannico imperio oppressi, armis necessariò sumptis, vitam nostram atque fortunas defendere coacti sumus; dum jus nostrum natale & libertatem justissimam asserere in Parlamento, & stabilire conaremur, qua in asserenda ac stabilienda tot editis planè miraculis Deus, tot præliis insignibus, tàm continenti per omnem Angliam, Scotiam atque Hiberniam, divinæ suæ providentiæ ductu, contemptissimæ eorum paucitati adesse atque opitulari dignatus est, qui in illa causa tam bona fidem suam atque constantiam comprobârunt.

„ Neque verò conatus ille serendæ inter nos discordiæ, quod Anno illo memorabili 1648. accidit, omittendus est, neque magnus ille in nationem hanc apparatus belli Anno Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tacendus, qui eas gerendi res, quas in Scotia gessimus, necessitatem Nobis attulit, quibus ob injurias prius allatas satisfactio & futuræ pacis fides denegata est ab iis, qui judicatum hujus

jus Reipub. Hostem ex Belgio venientem ad se receperant; ubi & perditissima illa,, in Anglorum gentem inita consilia erant; unde & hostes eorum permagna suis,, rebus subsidia & palàm & secretò, cum Principis Arausionensis, tum aliorum au-,, thoritate & potentiâ consecuti sunt; eo ipso tempore, cùm Princeps ille, ejusque,, fautores, ut verisimile est, consilia agitarent in illa Repub. tyrannidem occupan-,, di, easque Provincias in servitutem pristinam redigendi; quod etiam quin perfi-,, cerent haud multum abfuit, tum præsertim, cùm is urbem Amsterodamum re-,, pentino impetu adortus est, quæ res & illic multò quàm apud nos magis notæ,, sunt, & scripti hujus proposito alienæ.,,

Sed nec crudelissimi illius Amboyniani facinoris in Anglos perpetrati ullo mo-,, do grata recordatio est, ob quod facinus, atque alia haud longè dissimilia, nulla,, satisfactio, quamvis postulata sæpius, data hactenus omnino est.

Verùm Populi Anglicani erga Belgii Fœderati Populum, tam propensa volun-,, tas erat, tantum libertatis confirmandæ studium, mutuique commercii, virium-,, que ex eo augendarum, Religionis verò Protestantium orthodoxæ potissimum,, prolatandæ, quam & utrique profitentur, quæque hac mutuâ amicitiâ, quantum,, humanitus conjicere licet, maximè crevisset, quosdam etiam ex primoribus & po-,, pulo earum Provinciarum usque adeò erga hanc causam benè animatos esse anim-,, advertimus, quod & sua erga Pauperes in Hibernia Protestantes benignitate am-,, pliter testati sunt, ut quamprimum in Anglia rerum status firmitatis aliquid, Deo,, favente, habere videbatur, Parlamentum ad Ordines Fœderatarum Provincia-,, rum Generales Oratorem mitteret, qui eum disertis verbis admittere recusarunt;,, quemadmodum & ipsi satis nôrunt.,,

Rebus Anglorum majorem indies in modum omnipotentis Dei nutu prosperè,, cedentibus, cumque idem eorum judicium, idem animus erga suos illos vicinos,, esset, Parlamentum denuo alium misit, suoque illic Oratori adjunxit, virum eo,, munere dignum, Dominum *Isacium Dorislaum*, jurisprudentiæ Doctorem, qui,, eâ autoritate ac mandatis instructi erant, uti viderent, siqua honesta ratio mu-,, tuam utriusque Reipub. voluntatem inter se rectè intelligendi possit iniri. Verùm,, alter ex illis Oratoribus *Dorislaus*, cùm ad hoc munus publicè obeundum Hagam,, venisset, quo in oppido Potestates Generales suos ferè conventus peragere so-,, lent, eo in loco scelestissimè atque palam trucidatus est; de cujus nefaria cæde,, totus terrarum orbis proculdubio ita sentiet, ut de piaculo quàm maximè dete-,, stando contra omnium gentium, immo ipsius humanitatis jura perpetrato omnes,, homines sentire debent; in conquirendis autem & comprehendendis ejus inter-,, fectoribus, quàm nihil penè, & tum maximè, cùm factum recens esset, & postea,, actum sit, quamvis hinc sæpenumero postulatum, & ipsi haud nesciunt, & admo-,, neri hic debent.,,

Contrà, cùm Potestates illæ suos Legatos D. D. Borele, Renzwo & Joachi-,, mum antehac in Angliam, recentium turbarum temporibus misissent, Nobisque,, illi omnia officia sua prolixè detulissent, compertum est, eos cum hostibus clam,, agere, eorumque operâ hostes omnibus modis adjutos esse, contra eos ad quos,, ipsos amicorum specie cum legatione venerant. Et hoc quidem, cum contume-,, liis insuper quas in Parlamentum ipsum jacere non dubitabant, Legatorum illo-,,

„ rum negotium erat; quas ob res utcunque se ex jure gentium reddendæ rationi „ obnoxios fecissent, nullum tamen hinc vicissim aut factum aut dictum asperius re- „ tulerunt; duntaxat ad primores eorum delatum est, quemadmodum se gesserint, & satisfactio uti daretur, postulatum; verùm nulla hactenus impertitur.

„ Hæc cùm ita essent, postquam DEO visum erat turbulentis Anglorum rebus „ finem imponere, hostesque nullum totâ Anglia præsidium tenerent, nullæ eo- „ rum copiæ reliquæ jam essent, sed pacata ubique omnia & composita cerneren- „ tur, cùm res item in Hibernia ex sententia procederent, ejusque Insulæ pleræque „ urbes atque oppida in potestate Parlamenti essent, cùm & in Scotia Anglorum „ res iisdem propè successibus non carerent, multoque minùs caussæ esset cur quis- „ quam à Parlamento ad potestates Fœderatarum Provinciarum Generales, pe- „ tendi auxilii caussâ, proficisceretur, quamvis & Nos vicinos nostros ita aspexisse „ potuerimus, ut aliæ quæque Respub. consueverunt; eandem tamen sententiam „ atque judicium retinuimus, utriusque nempe Reipub. quàm arctissimam socie- „ tatem ad stabiliendas Protestantium rationes quibus hostes eorum tantopere in- „ sidiantur, necnon ad commune bonum & libertatem permagnum esse momen- „ tum allaturam.

„ Parlamentum igitur ad Potestates Fœderatarum Provinciarum Generales lega- „ tionem misit amplissimam, legatos iis mandatis instructos, eaque potestate præ- „ ditos, ut priores controversias componere, Fœdusque firmissimum atque arctis- „ simum ferire conarentur, quatenus id quidem æquitati & rationi, hujusque gen- „ tis dignitati consentaneum esset, & cum utriusque Reipub. communi bono con- „ junctum. Immo affirmare possumus, Legatos illos plena hinc mandata atque po- „ testatem accepisse ea proponendi, eaque cum prædictis Potestatibus transigendi, „ quæ erga populum Fœderatarum Belgii Provinciarum eundem hujus Reip. ani- „ mum, eandem atque in suos benevolentiam declarâssent.

„ Quàm non sincerè, quàm non expeditè cum iis Legatis, de quibus missi erant „ rebus gravissimis ageretur, unde factum est, ut legatio illa nullius usus reddita „ sit, quàm non incolumes, nequid gravius dicatur, in illo munere sanctissimo fue- „ rint, quandiu in illis provinciis commorati sunt, quàm indigna in eos, inque fa- „ mulos eorum, idque impune, sint commissa; in quos denique sit hæc culpa me- „ ritò conferenda, plus satis manifestum est. Verum cum hisce Potestatum prædi- „ ctarum dilationibus, minimeque propensis ad amicitiam animis factum esset, uti „ nullus ex illa Legatione fructus percipi potuerit, læsâ etiam, in Legatis suis con- „ tumeliose acceptis, hujus Reipub. dignitate, suisque amicitiæ studiis pro nihilo „ habitis, Legati domum revocantur.

„ Ex his, quæ dicta sunt, intelligi potest, à Parte hujus Reipub. quid actum fuerit „ ad firmissimum Fœdus & Amicitiam cum Fœderatis Provinciis consequendam „ quamque honestis atque integris rationibus Parlamentum adipisci eam studuerit; „ cumque eas interea difficultates in Scotia atque Hibernia exantlare pergeret, ad „ quas divina ipsa providentia vocare Nos visa est, cumque eadem benignissimi „ DEI manus, quæ perpetuò Nos adjuvaret, Hibernicas res in eum deduxisset lo- „ cum, ut quod illic gereretur, nihil penè reliquum fuerit, bellumque Scoticum ita „ Nobis fortunâsset, ut ea regio quodammodo relicta Nobis esset, Scotorumque

exer-

exercitus, ductu Caroli Stuarti, nuperi Regis filii, in Angliam ingressus, Vigorniæ fusus fugatusque esset, eorum plerisque captis aut interfectis præter ipsum ducem, aliosque perpaucos, qui ægrè ex eo prælio elapsi sunt; Tum demum, neque prius unquam Potestates prædictæ Generales mittendam ad hanc Rempub. Legationem censuerunt, quæ à nobis eo studio ac voluntate accepta est, quæ testificari possit in eadem nos sententiâ atque judicio de illarum Provinciarum amicitiâ permansisse.

Dum procederent colloquia, cum optimum nobis visum esset moras inutiles amputare, & certi aliquid habere quo res reditura esset, & postulatis quibusdam perspicuis instaremus, de iis etiam ad quæ facilè responderi potuerit, Legati semper ea declinare, deesse sibi potestatem causantes, quanquam inspecta eorum diplomata nihil iis deesse potestatis arguebant; tamen quò pleniora acciperent mandata, ad Primores suos scribendum sibi esse, quibus antequam rescribi posset, Provinciales Ordines esse convocandos, quæ quidem singula perexiguam nobis fidem faciebant, firmam aliquam pacem aut amicitiam eos ex animo voluisse.

Inter hæc etiam colloquia, cum Legati eorum in disceptationibus suis primò quidem nullâ re aliâ, quàm ratione & æquitate niti velle præ se ferrent, Parlamentum certius fecere, Primoribus suis in animo esse centum & quinquaginta naves armare, præter illa ex classe suâ quæ foris tumerant, hocque eo consilio ab se fieri, ut & mare tutius navigaretur, utque Commercio Reique Navali Fœderatarum Provinciarum consuleretur, non utique ut Anglis ullo modo incommodarent.

Dixerintne hæc, ut Parlamentum suspenso animo tenerent, aut ut quid illi denuntiarent, Generales ipsæ Potestates optimè norunt, sicut & causas tantæ Classis extra Ordinem parandi, cum hostis eorum per hæc maria nullus appareret.

Adhæc Parlamentum nihil respondebat, suæ tantummodo justæ defensioni sedato animo prospiciebat, ne quis nos repentè adoriretur: Neque tamen sententiam ullâ in parte mutavit, quod ad ea, quæ aut postulanda aut concedenda erant; cum ad honesti atque justi normam, ad salutem etiam utriusque Reip. suumque jus invicem utrique conservandum consilia sua omnia direxerit, fœdusque hoc in medio positum ad felicem exitum perducere etiam atque etiam cuperet. Neque ullâ in re, quantum intelligere potuit, deesset, quâ studium suum testificari posset ejus Fœderis perficiendi.

Interea Potestates Fœderatarum Provinciarum illos navium apparatus maturare non desinunt, locum, ubi omnes conveniant atque unam classem conficiant, edicunt; sub eo præfecto, quem appellant Legatum Admirallum Trump. Quæ ejus consilia aut mandata fuerint, & ex eo quo se modo ipse gessit, & ex quibusdam antea factis, abundè liquebit. Et speciatim, cum inter alias quædam eorum navis, quæ in navem quandam bellicam, cui præerat Capitaneus Young, inciderat, amicè admonita esset, ut honorem hujus nationis navibus præsidiariis tribui solitum exhiberet, quem & altera, quâ simul navigabat, exhibuerat, idque pro more non solùm salutationis cujusdam honorificæ, sed quod etiam testimonio est, Anglorum jus atque Dominium in hæc maria vicina indubitatum esse. Quod & omnes vicinæ Respub. atque Principes agnoscunt, & nominatim ipsæ illæ Potestates; earum-

„ rumque majores agnoverunt. ut monumenta fide dignissima, aliaque argumenta „ quæ rejici non possunt, quæque ad id confirmandum jam diu invaluit, consuetudinem taceamus. Navis tamen illius Præfectus hoc facere recusabat, sibique capitale hoc fore, si fecisset, affirmabat.

„ Has res subsequutum est facinus illud Admiralli *Trump*, cujus accurata narratio „ huc adjicitur, ex qua id hostiliter fuisse factum perspicietur contra vicinos atque „ socios amicitiâ ac Fœdere conjunctos, qui id continuandi atque confirmandi sua „ studia toties, tamque vehementer testati sunt; fuisse etiam hoc facinus Fœdere ve„ latum, & inter ipsa de arctiore adhuc Fœdere colloquia à semetipsis oblata; tantâ „ cum injustitiâ atque arrogantiâ conjunctum, ut quod jus nobis tam indubitatum denegabat, id ipse usurparet, eamque adhuc injuriam iterando, ne ipse quidem „ lacessitus, hujus Reipub. naves suis in fretis, littoribus, ac stationibus quærens, „ hostilem in modum ultro aggrederetur, belliqúe initium faceret, virisque & navi„ bus nostris perniciem moliretur, uti eos toto mari pelleret, hujusque Reipub. „ Commercium, remque omnem navalem subvertere conaretur, nisi *Deus* propi„ tius facinoris illius ignominiam ac detrimentum in ipsos injuriarum authores „ avertisset.

„ Post hanc tam diuturnam hujus Reipub. patientiam, acceptasque injurias tam „ graves, quibus nostrorum animos irritari par erat, cum eorum in mari successus expectationi non responderent, visum est Potestatibus prædictis Generalibus al„ terum adhuc Legatum Extraordinarium ad Parlamentum mittere; qui, quod & „ priores Legati ante ejus adventum enixè fecerant, & consilia & authoritatem, & „ mandata Potestatum sese mittentium hujus facti conscientiâ prorsus eximere con„ tendebat. Quod, quanquam apparatus illi tanti fuere, Classisque eorum ab in„ cœpto cursu divertebat, navesque Parlamenti in ipsis suis stationibus quærebat, „ easque illi nullâ re lacessiti ultrò oppugnabant, ut suprà demonstratum est, tamen „ à Legatis *Casus* vocatur, facinusque illud fortuitò patratum fuisse, illudque Primores suos nullo modo approbare ajebant, qui tamen facinoris illius authori „ munus illud suum Classis ducendæ prorogârunt.

„ Et de hoc quidem indignissimè facto cum satis constaret, seque ipsum partim „ argueret, ipso Classis adventu, quæ Duce Trumpio ad classem nostram in ipsis „ stationibus ex composito accedebat, partim multis testibus òculatis confirmare„ tur, non Anglis solùm, sed etiam Belgis aliquot præfectis & classiariis & naucleris „ in ea pugna captis, qui idem prorsus testantur; Prolixa tamen quædam & per„ plexa quæstionis habendæ ratio nobis proponitur, induciæ postulantur, uti armis & hostilitate omni abstineatur, utque de illo vetere & complurium Articulorum „ Fœdere, quod à prioribus Legatis tractari cœptum est, nova rursus disceptatio in„ stitueretur, scilicet ut temporis accessio novam interim illis virium accessionem „ afferret.

„ Mandata hujus Legati cum inspicere postularemus, Literas tantùm commen„ datitias sive credentiales protulit, quasdam etiam liberi commeatus; quibus au„ tem potestas agendi & transigendi cum Parlamento daretur, nullas: quam ille po„ testatem (quod caput rei erat) ut quasi mutuam sumeret, ad priores Legatos re„ currebat, qui in mandatis habebant, ut de priore illo Fœdere proposito agerent atque

atque transigerent, hanc etiam Legationem agnoscebant, & quamvis illi generatim de societate & amicitia utriusque Reipub. jungenda venissent, venisset autem Dominus Adrianus Pauw de singulari quodam facto, postquam illius Fœderis Tractatio initium & processum aliquem habebat: Parlamenti tamen tam constans erat studium novas hasce controversias, si posset fieri, amicè componendi, ut cum Domino Adriano Pauw ad colloquium venire pergeret; omissâ in præsens omni disputatione, quæ de potestate ejus non satis ampla merito nasci potuerat.

Cumque nihil speciatim ab illo Legato proponeretur, sed tantùm quæ generalia supradicta sunt, idque etiam posceret, ut Parlamentum sua ei postulata proponeret, visum est neutiquam instare quam hoc nobis incommodum esset, sed statim deque satisfactione ob injurias jam illatas, deque fide in futurum accipienda nostra ad Legatum postulata mittere; quæ hîc etiam typis evulgatá sunt; unde in eo situm erat, velletne postulatis de satisfactione assentiri, quam pars utraque & mitigare potuerit & certam statuere; quod ei in alia chartula significatum est. Et si hunc in modum de satisfactione convenisset (postulato illo de fide accipienda in aliud tempus dilato) potuerant induciæ fieri, potuerat, omni hostilitate, quemadmodum petitum erat, abstineri; cui & Parlamentum ad hunc modum libenter assensit.

Verùm ille, potius quam ut ad ullam hujusmodi pactionem accederet, aut particulatim ad putandas rationes descenderet, maluit studium illud suum Induciarum paulò ante ardentissimum planè remittere,tametsi in manu ejus erat, quod petiverat, impetrare; atque ita eam postulationem penitus dimisit, suoque & reliquorum Legatorum nomine petiit, ut quamprimum audirentur commeatus duntaxat liberi causâ, atque in patriam revertendi, quò se mandatis præsentissimis ajebant revocari: neque iis negatum quicquam erat, quod vel honori vel usui in reditu esse poterat, neque ita quisquam eos tractabat, quandiu hic commorati sunt, quemadmodum hujus Reipub. Ministri in Fœderatis Provinciis fuerant tractati; atque hoc suo discessu, tam illi quam huic Fœderi, quorum de conditionibus vixdum omnibus egerant, fidem imposuere.

In Parlamento postremum auditi, de iis quæ chartulis eorum prioribus comprehensa erant, multa recitârunt: ad illud autem quod tum urgebant, de hostiliter factis nequaquam exspectatis, neque unquam indictis, utque naves suorum (in Angliæ portus abductæ,ibique,contra quàm opinati sunt, retentæ, antequam ulla hostilitas indicta esset, earum præfectis bellum esse nescientibus, ne sibi quidem consciis ullam a se offensionum datam esse cuiquam occasionem) dimitterentur, de his Parlamentum ad narrationem illam ab se vulgatam tantummodo remittere eos debebit, quæ & Legatis Dominorum Potestatum Generalium ante adventum Domini *Adriani Pauw* missa fuerat, & ab eodem, primo ejus adventu, inspecta.

Et quanquam priorem illam Fœderis violationem, factamque à Trumpio injuriam Parlamentum neque commeruerat, neque exspectaverat, illatâ tamen illâ, exspectari non potuit, quin, qui essent injuriam passi, authores persequerentur, quibus satisfactio nondum ulla est oblata; nisi fortè Parlamentum fracto animo ad

„ ad eorum pedes projicere se deberet, qui interitum sibi hoc facto, & perniciem „ ultimam moliti sunt, nisi iisdem hujus Gentis jus atque salutem prodere voluisset; „ quod quidem ab officio suo ac fide alienissimum esse nemo non judicaret.

„ Ex his rebus perspectis, quæ jam in lucem omni cum fide evulgavimus, palam „ omnibus erit, quanto cum affectu atque constantiâ Parlamentum amicitiam Fœ- „ deratarum Belgii Provinciarum quasi ambiverit: quàm diligenter omnes con- „ troversias, bellique cum illa Repub. occasiones vitaverit, quamvis illa omnes „ hujusmodi vel æquissimas amicitiæ ac societatis arctissimæ conditiones reje- „ cerit.

„ Tandem verò, posteaquam hæc Respub. armis petita est, naves laceratæ, suo- „ rum aliquot interfecti sine ullo offensionis à nobis datæ vel minimo obtentu „ (quæ facta & quæ inde sequi potuissent, si illis ex sententia processissent, non so- „ lum jus atque decus & Commercium, sed salutem etiam & quasi vitam ipsam „ hujus Reipub. summum in discrimen adduxissent) Parlamentum sui officii duxit „ esse ingratissimo sibi hoc bello ab illis exorto, necessitate planè impositâ sese de- „ fendere; dumque justa satisfactio atque fides accipienda nullo alio pacto impe- „ trari poterit, eas conari iis rationibus consequi, quas *Deus* sibi in manus de- „ derit.

„ Atque hic quidem Parlamentum, ut se rectè faciendo, suoque munere fideliter „ administrando abundè solatur, ita sibi persuadet, causæ suæ justissimæ clarum „ hoc testimonium omnes, quibus veri & æqui studium est, esse accepturos; cu- „ jus exitum non callidis consiliis, non viribus humanis, sed benignitati atque „ auxilio illius Dei justissimi commendat, qui Anglorum rebus usque adeò miran- „ dum in modum hactenus semper adfuit; quique se verè colentibus, opemque „ suam piâ cum fiduciâ, animoque integro expectantibus nunquam defuit. *Hen.* „ *Scobell, Cleric. Parlamenti.*

Quid de instruenda *centum & quinquaginta* navium classe jam dudum decretum & Mense Martio Anglico Statui per Legatos tam voce quam Scripto insinuatum fuerit, suo loco est dictum.

Insuper die 18. Julii decretum & scriptum est ad quinque Admiralitatum Collegia ut non tantum suis quæque bellicis navibus, tam ad sulcandum & cruciandum (ut vocabant) mare, quam ad conducendas onerarias destinatis, sed & Directorum Levantici, Baltici, Moscovicique Commercii navibus jubeant, omnes Anglorum naves *bellicas*, si possint, superare, capere, aut destruere; omnes item Anglorum Mercatorias naves capere; ita tamen ne spolientur, male tractentur, aut deteriores reddantur. Idipsum quoque Cameris Præsidialibus Societatum Indicarum est mandatum.

Formula Commissionum, quas cuilibet, prædari Anglorum naves mercesque volenti, dedere, hæc fuit.

„ Ordines Generales unitarum Provinciarum Belgii cuivis hasce visuro vel audi- „ turo salutem. Quandoquidem ii, qui in Angliâ jam rerum potiuntur, ab ali- „ quo tempore per vim & injuriam multos nostrorum subditos non tantum variis damnis

damnis affecerunt, sed & navibus quoque mercibusque suis spoliarunt, diversas quoque bellicas nostras naves hostiliter in mari oppugnarunt, alias etiam in portubus detinuerunt, eoque & aliis modis hanc Rempub. ejusque bonos Incolas intoleranda mala pati coëgerunt; per eos insultus impulsi, ad ejus rei reparationem similiaque in futurum prævenienda, & ad interitum Commercii & Navigationis, quantum in nobis est, impediendum, Conservationemque hujus Reipubl. & prosperitatis procurandam omni meliore modo providere & statuere voluimus. Quum itaque per *(nomen vel nomina participum)* navis ad bellum est armata; & ad ejus Directionem idoneus requiritur homo, eoque fine nobis commendatur *(nomen Capitanei)* ut eum commissione muniamus: Notum facimus nos (ad avertenda ulteriora mala, & promovenda Commerciorum & Navigationis commoda) id considerantes, & de aptitudine ac probitate prædicti *(nomen Capitanei)* informati, eum Capitaneum dictæ navis statuimus ac commisimus, committimusque per præsentes autoramusque ut eam navem idoneis officiariis & sociis instruat, & porro per Retorsionem contra indebitos & inauditos Anglorum hostiles processus, aggrediatur omnes naves tam bellicas quam onerarias mercesque in iis repertas sub Republ. Angliæ pertinentes. Ita tamen ne sub hoc prætextu noceat mercatoribus aut Incolis hujus Reip. aut *nostris bonis amicis Fœderatis, vel neutralibus.* Quo fine dictus Capitaneus conformem se geret constitutionum Articulis, ipsi prælegendis: præsertim omnes naves prædasque captas, debitè tradat in *manus judicum Collegii Admiralitatis*, sub cujus districtu navigavit: ut illi rite cognoscant de legalitate vel illegalitate prædæ, ejusque distributione, eoque fine ut cautionem præstet coram Admiralitate: diurnale quoque itineris teneat; idque redux, exhibeat. Præterea ex omnibus quas capiet navibus, supremos Navarcham vel Mercatorem secum abducat: nisi vacuas naves inveniat. Quodsi autem post appareat quod eos è navi expulerit, aut alibi in littore exposuerit, eo casu Capitaneus & Officiarii ejus pro arbitrio, aut pro re nata ultimo supplicio punientur. Quo fine juramentum præstabit. Itaque omnes Reges, Potestates, Respublicas, aliasque cujuscunque conditionis personas rogamus ut prædictum *(nomen)* recognoscant pro nostro Capitaneo, eique omnem favorem & promotionem exhibeant. quod pro cujusque dignitate & conditione, vicissim merebimur. Jubemusque omnibus nostris supremis, locumve eorum tenentibus, & *Vice-Admiralibus,* Capitaneis & Officialibus, omnibusque porro in servitio & obedientia nostra existentibus ut prædictum *(nomen)* Capitaneum nostrum agnoscant, eumque in peragendo suo munere juvent. Nam ita è re Navigationis & Commercii fore existimamus.

Talis inquam fuit formula commissionum: Sed quam bene observata testari possunt, qui in eorum manus incidere.

Revocatis hoc modo, & maximè ad complacendum populo, Legatis, abrupto tractatuum filo, & negata ulteriore correspondentia, Dominus *Heemsteda*, Legatorum Primas, discedens tam ore quam literis Gravesandâ & post ex Hollandia me, ante aliquot Menses ad Parlamentum Reipub. Angliæ à Civitatibus *Hanseaticis Ablegatum*, compellavit, ut, donec in Anglia substiturus essem, officia mea ad continuationem negotii pacifici & correspondentiæ adhiberem. Tantillum in

re tam honestâ & plausibili pernegare nec volui nec debui. Et nostrâ & omnium intererat, ne bello prædationibus obvio Commercia turbarentur. Et consciis feci D. *Iohanne Heerde* & *Henrico Mejero*, Reipub. *Bremensis* Senatoribus, tumque ad Fœderati Belgii Ordines Ablegatis. Quamvis autem laus sua debeatur Belgis Fœderatis, de vindicata sibi, per octoginta fere Annos contra Hispanos, libera navigatione marisque quasi dominio: tamen cum cordatioribus semper sensi, uti ex *Flandriâ* olim erat ereptum & Hollandis acquisitum Commercium *ope Anglorum*, sic eosdem, plus quam ullos alios, Commerciorum & Navigationis libertati nocere posse. Itaque nihil magis perniciosum hoc bello, nihil pace salutarius esse: Manipulum terræ *Bataviam*, si ad *Angliam* spectes: Hanc sibi sufficere, absque omnibus aliis subsistere posse: illam quidem officinam & apothecam esse totius Europæ (omnes enim nationes eo currunt ad coëmenda necessaria: vel ipsi *Batavi* omnibus aliis sua transportant usque ad extremos Indos) sed *donec navigatio permaneat* libera: absque eâ nihil esse: liberam autem conservare invitis Anglis neutiquam posse. Fuerunt qui aliud sensere, præsertim in *Zelandiâ*: uti antehac indicavi; in qua quidem opinione *plebs* ubiq; fere in hisce fuit Provinciis. Frequenter & passim est auditum, nimis lentè ab Ordinibus processum: debuisse jam inde à primum datis ab *Angliâ* Repressaliarum Literis, statimque post Legatorum Anglicorum hinc discessum, in autumno Anni quinquagesimi primi, dari literas *Contra-Repressalias*: debuisse vim vi repelli sine morâ, & quasi in herba malum opprimi. Hoc autem quia Ordines (& quidem Sapientissimè) non fecerunt, sed omnibus prius mediis & modis pacis Consilium secuti sunt, vulgò Calumniis proscindebantur, quasi *cum Anglis colluderent*, *viribus suis uti nollent*, *hosti faverent*. Contrarium autem luce meridianâ clarius vel inde apparuit: quod eo tempore, quo *Contra-Repressalias* dari volebat plebs, Angli non tantum Regis defuncti Classem bellicam, sed plurimas quotannis, recenter structas, *Fregattas*, easque fortissimas habebant in promptu. Quid Fœderati Belgæ? nullam fere: quædam erant in Mari Mediterraneo pro conducendis adversus prædones Mercatoriis. Aliæ ob vetustatem, & factâ cum Hispanis pace, divenditæ: & quanvis retentæ, tamen adversus Anglicas parum potuissent. Factum quidem, ut dixi, decretum est: de instruenda *centum* & quinquaginta navium classe. aliud autem est *decernere*, aliud *instruere*. decernitur una hora: ad *instruendam* classem requiritur justum tempus. adeo ut de 150, quas instruere decretum erat, ad diem 29. Maji non nisi 42. essent paratæ. eæque tales ut continue de iis, earumque ut & tormentorum infirmitate & ineptia, tam Prætor ipse quam alii Vice-Prætores, superioresque officiarii fuerint conquesti, plurimosque gregarios Capitaneos, probatæ alioqui fortitudinis & fidei, in suspicionem pusillanimitatis aut infidelitatis adduxerint: quasi vitium esset in *viris*, quod erat in *navibus*, armisque. Post secundum tertiumque classium conflictum evidenter id patuit. causamque dedit extruendis navibus triginta novis; dein aliis triginta, emendisque in *Suecia* melioribus magnisque tormentis bellicis: quod inutile & supervacuum erat, si *navium* in Belgio aptarum *tormentorumque* contra Anglicas copia fuisset. Sine navibus vero voluisse statim in principio cum Anglis certare, summa fuisset dementia. Hæc ita notoria sunt: ut verbis non sit opus. Tamen quam primum res in pugna non succedebat ad votum plebis, sta-

tim

tim magna pars Capitaneorum incuſabatur non facti officii. in quo injuria fiebat non iſtis ſolum hominibus ſed toti Nationi Belgicæ Fœderatæ; quæ tam fortiter & glorioſe ſe per tot annos, præſertim in præliis navalibus, geſſerat contra Hiſpanos. nec præſumi debebat tam parvo tempore degeneraſſe. Objecerunt quidam; quod Anno 1639. tam parvo temporis ſpacio tantus navium numerus inſtruebatur, quo Regia Hiſp. illa ſub *Antonio d'Oquendo* in Dunis ſtans claſſis fuit diſſipata. Sed pleræque Hiſpanicarum erant Mercatoriæ *Hanſeaticæ* arreſto coactæ naves, vix decem bellicæ. quarum una, ſub Prætore *Oquendo*, ſola pugnæ ſe objectavit, Duynkerckam ivit & poſt ſalva in Hiſpaniam rediit, ſi dicere licet; maritima Hiſpanorum poteſtas ad Anglicam fuit ut Muſca ad Elephantem. res ipſa hoc docuit nec meis verbis eſt opus. Initio ipſi quoque *Trompio* Prætori, rebus contra Hiſpanos fortiter geſtis clariſſimo quædam objiciebantur tam *commiſſionis* quam *omiſſionis* gravamina: Quod non evitaſſet primum illum diei 29. Maji conflictum; quod poſtea claſſem ſub *Aſcuo* in Dunis manentem non eſſet adortus: quod *Blacum*, antequam undecim illas naves bellicas Piſcatorum Halecariorum protectrices caperet, non celerius eſſet perſecutus. Sed benè ſe purgavit. & tam ille quam alii optime toto hoc bello de Repub. meruerunt: Hoc tamen eſt, quod in primariis illis claſſium Rectoribus culpabatur: quod, pugnâ non ad votum ſuccedente, culpam in aliquot Capitaneos gregarios, quorum naves nihil valebant (cum primarii iſti validiſſimas haberent) rejiciebant. Accuſationibus enim examinatis, aliter fere compertum fuit. Sed prœlia, res geſtas, minutiaſque non volo attingere: mihi ſufficit, demonſtraſſe (ad refutandum errorem iſtum popularem) quod merum delirium fuiſſet, ſi ſtatim ab initio literas *Contramarcæ* vel *Retorſionales* dediſſent Ordines: cum *ſine validiſſima claſſe* (quæ toto Anno non potuit inſtrui) nihil erat agendum. Itaque neſcio quid quibuſdam illis *Zelandis* venerit in mentem cum dixerint *Vliſſinganos* ſolos ſufficere ad Anglos ſubjugandos? Sed ſummo apud Belgii Fœderati populum laborabat odio tum temporis Parlamentum: ſtudio certè & tempore valde præpoſtero. In principio enim motuum Anglicorum, cum facile Regem potuiſſent ſervare, tum Parlamentariis ſummopere addicti hic fuerunt. Quilibet, imo ipſi Eccleſiarum Miniſtri, in opinione erant, Regem ad Papiſmum inclinare & tendere. Eo autem deleto, Angliaque ad Reip. formam ordinata & mari terraque multo, quam ſub Regibus, potentiore, converſa popelli aliorumque ſtudia fuere: quos antea conſilio, ope, prece adjuvarant, nunc *Sectarios*, belloque internecino conficiendos declamabant. Poëmatis, emblematis, picturiſque ſatyricis omnium bibliopolarum officinæ micabant. Apologiæ, defenſioneſque Regiæ in Hollandiâ & quidem ſtylo acerrimo conſcribebantur; regna ipſa tacebant. Qui de Pace loquebantur, inviſi & ſuſpecti erant. Quis credat? Reges omnes & Monarchæ certatim accurrebant ad congratulandum novæ Reip. amicitiam ejus captantes, Regiſque cauſam plane deſerentes! plebs autem Fœderati Belgii, ipſa Reſpublica, nihil niſi arma & inimicitias implacabiles contra Angliam ſpirabat. Quantum propterea in ſinu gaudebant Monarchæ, oleumque flammæ huic, inter utranque nationem ardenti, ſuffundebant; facile erat conjectura aſſequi; plebs autem non animadvertebat. Ipſi Magiſtratus cogebantur quaſi aſſentiri, & in gratiam populi idem fere loqui & agere. *Heemſtedæ*

Dominus, in Hollandia primarius rerum tunc director, *quia bella vetabat*, & omnia prius pro pace tentanda, cum Proceribus, suaserat, Legationemque eo fine in Anglia nuper obierat, in tantum popelli odium incidit, ut in mediâ Hollandiâ, ex Anglia reduci, Salvaguardiâ Ordinum opus fuerit. Mihi quod acciderit, tacerem, si me solum tangeret, vel ita clam gestum esset ut taceri posset. Quid de bello hoc, quid de Pace senserim, dixi. Quod feci, & quidem requisitus, ut supra memoravi, parum est. Vix præter affectum bonum ad reducendam vel commendandam tranquillitatem, utrique Parti per æquè utilem, quicquam contuli; nam & res erat valde cruda: animi acerbi. Postquam circa principium Septembris à Dominis committentibus meis, rebus apud Parlamentum (*quæ non nisi innocuam Commerciorum libertatem concernebant*) peractis revocatus essem, conscensâ navi liberâ, Ostendam versus vela feci. Prope portum ejus Urbis venerunt Prædones literis *Retorsionalibus*, ut vocant, & quarum formulam supra descripsi, ab Admiralitate Zelandicâ instructi; Qui me, quamvis literis authenticis meam qualitatem & characterem demonstrarem, invitum cum Comitatu meo *Vlissingam* avexerunt, ibi me meosque ante portum omnibus, quæ spoliari poterant, spoliaverunt, captivum in navi detinuerunt, fastidio maris ægrotum, & jam triduo jejunum, minis, injuriis, omnibusque contumeliis, famulos quoque meos verberibus exceperunt, risui, eorum qui vel è mœnibus & portu spectabant, vel scaphis ad navim visum plurimi veniebant, exposuerunt. Fluitantibus interim aplustris egregiam hanc laudem & spolia monstrantes, cum revera & tum & postea nihil fere *nisi immerentes hospites vexabant Canes, ignavi adversus lupos.* Tandem & ad fisci maritimi Advocatum, *Vlissingæ* tum forte Negotia publica agentis, aures pervenit rumor, de triumphantibus, & insultantibus hunc in modum prædonibus: Is, viso quid ageretur, & rei indignitate motus, tantum sua auctoritate effecit, ut soli mihi cum parvulo ephebo (reliquo Comitatu & impedimentis adhuc in navi relictis) data exeundi facultas fuerit. *Middelburgum* lætus adveni, rem salvam putans; ad minimum restitutionem ablatorum expectabam: Summariè, & de plano *cuilibet*, ex instructione juratâ maritimi Senatores tenentur jus dicere, & severe punire eos qui, antequam sententia est lata, spoliant. *Mihi, Ablegato,* de Republica *bene merito*, omnia non tantum quoad justitiam sed & quoad *humanitatem & honorem* Ministro publico, de omnium gentium jure, debitum & inter ipsos quoque barbaros solitum, promittebam. Et jam prædonibus ipsis male metuebam; non tantum nihil de iis puniendis loquebar, sed miseratione tactus, ne gravius quam vellem castigarentur, pro iis ipse intercedere constitueram; nec omnia abrepta rigide repetere: jam aliquem ex halarchico Senatu ad me Deputatum expectabam, qui factum detestaretur, piratas supplicio, ad meum arbitrium, afficiendos offerret, &, si non *hospitium, cibum, vestes, viaticum* (quod à vicina gente suis olim naufragis mira alacritate *Erasmus* suppeditatum refert) saltem *meas* mihi vestes, *meam* mihi pecuniam, *meas* mihi chartas, *meas* mihi gemmas (qualesquales) in arcâ laminis ferreis munitâ (reliqua enim omnia effregerant, dissipaverant, vel absconderant) adhuc extantes reddi faceret. Legeram in *Reydano* & *Hoofdio* rerum Belgicarum Historiographis; captum in primis istis Belgii motibus inter *Namurcum* & *Bruxellas* fuisse Legatum Danicum *Rantzovium*, sed

ſed equitatu hoſtili ſtipatum, & ſeſe cum famulis ſuis contra Hollandicos equites defendentem, & *Legati characterem* diſſimulantem. Ubi ſcitum fuit quis eſſet, omnia ei ſunt reſtituta, damnumque reſartum, addito inſuper, ne quod quereretur haberet, donario, oblatâ etiam punitione in equites: qui tamen, ipſo *Rantzovio* arbitro, magis præmium (inſecuti quippe hoſtes ſuos) quam pœnam meruerant. Contentus ipſe diſceſſit. Rex non contentus injuriam Legato ſuo factam ultus eſt detentione *ſeptingentarum* navium Hollandicarum, in freto Oreſundico; unde *triginta* Dalerorum Imperialium millia exegit: tertiâ unâ *Rantzovio* donatâ; reliquis ſibi retentis. Legeram in Livio de *Laurentium Legatis* à propinquis *Tatii* Regis male habitis: quumque *Laurentes jure Gentium* agerent; apud *Tatium* gratiam ſuorum & preces plus potuiſſe: igitur illorum pœnam in ſe vertiſſe; & *Lavinii*, cum ad Solenne ſacrificium eo veniſſet, concurſu facto interfectum fuiſſe.

Alibi, inter proditores deprehenſos Legatos, illos quidem in vincula conjectos; hos minime: quanquam enim commiſiſſent ut hoſtium loco eſſent, *tamen prævaluiſſe jus gentium*. Quid *Iulius Cæſar? Legatorum nomen apud omnes nationes Sanctum inviolatumque ſemper fuiſſe*. Quid *Tacitus? Sacrum inter omnes Legatorum jus*. Ego autem, quid feceram? quid commerueram? Quæ potui ad pacis & bonæ correſpondentiæ reſtaurationem officia, idque eorum, qui Rempub. repræſentabant, rogatu, donec in Anglia eram, & meo ſumtu, contuli. cum à meis revocatus eſſem, navim conſcendi; prædoni reſiſtere nec volui nec potui, erat enim mea, qualis eſſe debebat, quæ neutralem & amicum veheret, inermis, & ad trajectum brevem apta, perque Legatum Hiſpanicum repetita. *Omnia honorifica*, ad minimum verò Juſtitiam, humanitatem, aut ſaltem commiſerationem expectabam. Sed adeo nihil obtinui, ut vix mihi narranti fidem habeam, vix poſtera credent ſæcula. Quicquid de jure gentium, de ſuâ ipſorum juratâ inſtructione, de pernicioſa impunitatis & non factæ reſtitutionis conſecutione, ſimilia & graviora alibi metuenda, iſtis rei maritimæ judicibus occinebam, ſurdi erant. Itaque cum nihil mihi meiſque relictum eſſet præter eſurire aut mendicare, aut cum prædonibus & eorum participibus tranſigere: poſtremum eligere coactus fui; mea tanquam publicus hoſtis redemi quam potui minimo. Præſtabat enim aliquid, quam nihil recipere. Nequis autem forte putet figmentum eſſe quod dixi; addam Epiſtolam quam ad ſe exculpandum ſexto poſt Menſe ſcripſit Magiſtratus ille Neptunius.

CELSI POTENTES DOMINI,

Die 27. hujus reddita Nobis eſt Epiſtola *Celſarum Potentiarum* Veſtrarum die 18. „ ejuſdem ſcripta; continens ſpoliationem in fine Menſis Auguſti proximè elapſi „ factam Domino *Delegato Aitzma*, per Capitaneum hinc cum *Literis Retorſionis* emiſ- „ ſum: & mandans ut bona ipſi *ſpoliato* juxta deſignationem jam ante Nobis à *Celſis* „ *Potentiis* Veſtris miſſam promtè & ſine ulla mora aut ejus mandatorio reſtitui cu- „ raremus: quoniam talis ſpoliatio, contra publicum Miniſtrum neutralis Status, „ perpetrata pugnat *cum jure omnium gentium*, maliſque ſequelis obnoxia eſt. Nos „ facile conjicere poſſumus *gravia* ex talibus actionibus incommoda, Incoliſque „

 hujus

„ hujus Reipublicæ alibi nocitura esse metuenda; & quod talia facinora sapiunt *con-*
„ *fusionem* & *rebellionem*, atque in bene constituto regimine non sint ferenda. Sed
„ quotidie cogimur *aspicere & tolerare* dictos Capitaneos (*prædones*) & eorum *parti-*
„ *cipes* nimiam sibi licentiam assumentes, & ab *omni ordine vel jure* sese dispensantes:
„ Sicuti Vestras *Celsas Potentias* diversis temporibus certiores reddidimus, specia-
„ tim autem sub dato 30. Octob. 1652. eorum excessus quoad capturam & tracta-
„ tionem prædarum suarum deduximus. Adeo ut *in nostra potestate nullatenus sit*, hasce
„ aliasque spoliatas res restituere; quippe eas in nostra non habentes custodiâ.
„ Hisce concl. Datæ Middelb. 27. Febr. 1653.

Talibus autem literis cùm Ordinibus Generalibus nullatenus, meisque *Princi-palibus* & mihi multo minus satisfieret, aliquoties à suis *Celsis Potentiis* repetita fuerunt mandata *de restituendo*. Omnia illa usque adeo nihil effecerunt; ut Mense Majo Anni quinquagesimi quarti prædones participesque ausi fuerint Ordines sollicitare de *indicendo mihi perpetuo silentio*; *quia cum iis jam dudum transegissem*: quasi verò non idem esset; *spoliare aliquem, & eâdem vi spoliatum ad transigendum* adigere. Magistratus maritimus declarabat Justitiæ administrationem in suâ non esse potestate. nec postea tot Mandatis & Decretis Ordinum paruit, aut parere potuit. Quis sanæ mentis unquam credet, me volentem cum iis transegisse, qui me tam barbarè & crudeliter tractabant? Populus erat apertè rebellis & seditiosus, currus non audiebat habenas, *in illis diebus non erat rex in Israël, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, faciebat*: ipse magistratus profitebatur: nec ille nec Ordines Generales unquam mihi objectam voluerunt *Transactionem* illam, quæ ab initio erat vitiosa, & statim à me contradicta, & nullo temporis tractu convalescere poterat. Magistratus debebat facere justitiam: nec faciebat. ipse fatebatur. Unum adhuc addam: interceptam, dum in Zelandia essem, epistolam ab Amico ad me ex Angliâ scriptam, eique alteram ab eodem ad D. de *Heemsteda*, meæ inclusam. Quid multis? effregerunt. Quam hoc sit injustum, quam vitæ Societati contrarium, imo quam barbarum, omnes gentes testabuntur. Ego illic eram in loco, miseratione potius quam irâ dignus, bene de Repub. meritus, paratus epistolam ipsis præsentibus aperire & legere. nec quicquam in eâ dignum *barbarâ* hàc *curiositate* invenerunt. Effractam & lectam non mihi illic præsenti, juxta legem civilitatis, cum aliquâ excusatione tradiderunt; sed ad D. de *Heemsteda* cum sua, similiter effractâ, adjectâ tamen excusatione, miserunt. Mihi nec tunc, nec unquam postea vel scripto vel voce (sæpe enim habuere suos Hagæ Deputatos) ullam facinoris excusationem fecere. Excuso tamen, si, ut videtur, prædones isti & eorum participes Magistratus suos non tantum autoritate, sed & omni plane humanitate exuerant. Vicissim me excusabunt, si iterata & seria D. Ordinum Generalium *de restituendo Mandata* laudo, stultitiam autem æstumque seditiosæ plebis, in qua dicti *prædones & participes* antesignani erant, posteris exterisque trado. Paulo post meum in Hollandiam reditum, per quosdam Anglos, in militiâ Belgii Fœderati, officiarios præsertim *Dolemannium*, *Stonumque* hunc centuriæ equestris, illum legionis præfectum, pacificorum tractatuum instaurationem Hollandici Ordines, sed reliquis clam, retentarunt. Angli non minus quam Batavi jam inde ab initio ad Pacem se pronos declararunt. omnis de loco conveniendi difficultas fuit. Hi non nisi

nisi locum neutralem volebant: Se novissimè in Angliâ fuisse, se ab Anglis offensos, multa passos. Angli è contra, insultum à Belgis die 29. Maji ortum causam offensæ magnarumque impensarum dedisse, contendebant: se tamen ad tractatus redintegrandos paratos fore; modo vel à sola Hollandia per epistolam invitarentur: Annuerunt ejus Provinciæ Ordines vel potius inter eos ii, quibus arcanum hoc erat commissum: interire per hoc bellum Commercia & Navigationem (animam Hollandiæ) videntes: rem tamen cum nullâ reliquarum Provinciarum communicantes, & quidem cum paucissimis in Hollandiâ: quia velle suum erat cuique, nec voto vivebatur uno, multique bellum, quam pacem malebant: ii maximè qui Regiæ causæ favebant: quæ summam certè commiserationem merebatur. Sed quia Reges, ne ipse quidem Gallus aut Hispanus, nihil pro eâ faciebant, quid faceret Respublica? Itaque Arcani inter Ordines Hollandiæ ad hanc rem Deputati, quam primum Secretis per *Dolemannum* literis de Parlamenti animo certiores facti sunt, sequentem scripsere epistolam.

Ordines Hollandiæ & West-Frisiæ consideraruntesse Manifestam punitionem, „ à justo Dei judicio, ob multiplicia populi peccata lacessito provenientem, quod „ cum communio *pura* & *incorrupta* Religionis utranque nationem debebat connectere ad charitatem concordiamque, & ad procuranda mutuò alterutrius bona „ & commoda (quò & natura ipsa propter vicinitatem regionum videtur invitasse) „ lites exortæ occasionem causamque dederunt, ut, contra naturæ ipsius scopum, „ media, quæ utriusque saluti inservire debebant, ad mutuam destructionem fuerint adhibitâ: Et *Religio*, qua nihil in mundo charius preciosiusque est, in summum periculum adducta. Cum verò utrique nationi à Deo media per se subsistendi satis superque sint data: adeo quoque ut altera alteram possint, si opus fuerit, & divina id gloria desideraverit, juvare: Nescio tamen quo facto communibus inimicis materiam lætitiæ dederint, & quod illi non potuerunt, hæc, una alteri fecerint. Interim maxime dolendum est, quod in hac collisione, cujus eventus est incertus, ipsa semper victoria sit vincenti Luctuosa, cum videtur effusio „ tam copiosi domesticorum fidei sanguinis, hostibus, utcunque cadat belli alea, „ grata, ecclesiæque Dei tristis. Propterea prædicti Ordines pio zelo, nullo autem „ alio intuitu, moti sunt, hæc Parlamento Reipublicæ Anglicanæ ob oculos ponere, ut, si eadem ipsi est mens, idem sensus; expendatur quid divino honori consentaneum, quid utrique nationi expediat; Deus optimus maximus proculdubio tam Sancto proposito benedicet & ulteriora media subministrabit. Quod si autem aliud Parlamento sit Propositum, prædicti Ordines tamen abunde, quod sui „ erat officii, ostenderunt; animoque tanto magis tranquillo expectabunt eventum, quem per hasce perplexitates Deus providerit. Datum Hagæ die 18. Martii „ 1653. Infra erat scriptum: ad Mandatum Ordinum Herib. de Beaumont, Secretorum. „

Perferendæ huic epistolæ, ut tanto secretius iret, selectus est non ordinarius tabellarius, sed quidam Domini *Heemstedici* amanuensis. is, itinere per Flandriam celeriter facto, paucis post diebus oratori Parlamentario eam reddidit. Angli epistolâ lectâ, sibi esse gratam, imo & gloriosam testati sunt: sed non diu clam habuere: statim enim per proximum septimanalem nuntium copiam epistolæ Hol-

Hollandicæ ad amicos quisque suos huc misere. Unde primum res patuit; hactenus clam non tantum reliquis Provinciis sed maxima ex parte ipsis Hollandiæ Ordinibus, paucis exceptis: quibus juratis (uti dixi) Negotium Pacis erat commissum. Parlamentum per *Bonellum* clericum, *Borchlonio* Londini ægrotante, non tantum Hollandiæ respondit: sed & ultro ad reliquarum Provinciarum Ordines Generales scripsit ut sequitur.

„ Quæ studia sincera quæque perpetua benevolentia hujus Reipub. in Fœderatas Belgii Provincias, oblata quavis occasione, semper extitit, usque adeo manifestum est ejusque indicia tam clara atque omnibus nota, ut locus dubitandi nullus plane sit: quin Parlamenti eo inclinet animus atque Consilium, ut funesti hujus belli restinguendi, ne plus Christiani sanguinis profundatur, omnes justas atque honestas rationes amplecti promptissime velit atque fovere: bellique loco Pacem reducere, nec non amicitiam, Fœdusque mutuum restituere atque in perpetuum stabilire. Tamen Parlamentum, cum ab Ordinibus Hollandiæ West-Frisiæque recentes literas acceperit, in quibus de suscepto hoc bello, quod sentiant, exponunt, quæque & quam Gravia necessario secutura sint mala, hac datâ occasione, haud invitè fecit, non solum ut Ordinibus Hollandiæ West-Frisiæque de rerum præsenti statu in utroque populo, collatis utriusque rationibus, quem habeat sensum, significaret: sed etiam ut Dominis *Ordinibus* Belgii Fœderati *Generalibus*, sicuti nunc facit, ostendat, quemadmodum Parlamenti studia atque conatus ante hæc non defuere, quo minus hisce malis inter ipsa initia mature obviam iretur, ita se, ne successibus quidem postea ullis immutatum, cum ab sua pristina in Fœderatas Belgii Provincias benevolentiâ nequaquam discesserit, paratum esse, iis propositis, quorum in literis, ad Ordines Hollandiæ West-Frisiæque datis, mentionem fecit (quarum exemplum hic est una involutum) omnem suam operam conferre uti hæc dissidia, si fieri possit, amicâ tandem compositione aliqua finiantur, amicitiaque & Fœdus firmissimum inter utrumq; populum denuo sanciatur, quod faventis Dei benignitate atque propitio numine brevi confici possit, si supradicti Domini *Ordines Generales* eundem animum, ac voluntatem retineant. Sin minus, Parlamentum tamen hanc sibi satisfactionem utcumque perceperit, se quod sui erat Officii præstitisse; sedatoque animo atque tranquillo, omnem opem atque præsidium, in hac rerum commissa sibi administratione, ab uno Deo speraverit. Die 11. Aprilis 1653.

„ Hollandiæ Ordinibus responderant sequente epistolâ.

Parlamentum Reipubl. Angliæ literas ad se missas, Hagæque Comitis octavo „ decimo Martii datas, & ab *Herberto van Beaumont*, Ordinum Hollandiæ West-Frisiæque Secretario, eorundem jussu subscriptas, accepit, quæ quidem recitatæ rerum in utroque hoc populo vicino præsentem statum exposuerunt, utriusque rei & rationibus plane repugnantem, iisque omnibus vinculis solutum, quibus ejusdem *Religionis* cultus purior utrumque mutuo devinxerat. Deliberari idcirco inprimis oportere, qua potissimum ratione in præsens Dei gloriæ & communi utriusque emolumento consuli possit. Ad quæ Parlamentum responsum hoc reddit.

„ Obscurum non esse quam propenso animo, quantoque studio gens Anglicana, cum

cum omni tempore, tum præcipue ex quo restituere apud nos Rempublicam „ *Deo Optimo Maximo visum est*, ad ea semper incubuerit, quibus amicitiam arctumque Fœdus utriusque inter se populi fundari firmissime posse arbitrabatur, iis adducta maxime rationibus quæ & propriam ac veram utriusque populi utilitatem ac salutem domi, & communes utriusque Socios atque Amicos foris respiciebant, quibus & Pars utraque veluti obstricta sibi invicem erat, ut suas omnes opes utrinque adhiberet, & ad sese mutuo conservandas, & ad *Religionem Orthodoxam*, quam uterque profitetur, defendendam: quæ contrà, si in se mutuo converterentur, quantum conjicere humanitus licuit, prorsus nihil aliud erant effecturæ, quam quod palam jam est, & ab ipsis Hollandiæ West-Frisiæque Ordinibus in hisce literis suis agnoscitur.

Cumque Parlamentum sincera sua studia *insolitis* belli apparatibus, multisque *hostiliter* & extra ordinem factis, excipi animadvertit, tamen cum præsentiret animo, quantum Christiani sanguinis profundendum necessario esset, si res ad extrema deduceretur, quantumque commodi ex hâc nostrâ discordiâ ad libertatis, veræque Religionis, Pacis denique & salutis utrorumque hostes perventurum esset, medicandi illius vulneris causâ per amicam, si fieri posset, compositionem, non solum ad colloquium annuebat descendere, verum & in eo moderationem haud sane exiguam adhibuit, quod inter alia vel ex conditionibus, Domino *Heemstedii* propositis, satis perspicuum est, per quas etiam optata pax redintegrari potuit, nisi is domum inopinatò revertisset, nullo ad eas responso, quod quidem certi aut expliciti quicquam haberet, dato.

Qua propter ut Parlamentum in hoc sibi satisfacit, seque solatur inter has belli turbas & calamitates, ab se omnia ex animo fuisse prius tentata, pro virili sua parte, quo istæ omnes averti potuissent: ita Ordines Hollandiæ West-Frisiæque, præterita secum reputantes, singulaque justa lance trutinantes, nullam invenerint dubitandi ansam, quin Parlamenti sensus ac voluntas rectè, & prout æquum est, se habitura sit in iis maturè considerandis, quæ nunc fieri oportebit, ad inhibenda hæc, ne gliscant, mala. Quemque etiam affectum ut demonstrare queat, sumpta occasione à literis ab Ordinibus prædictis, ex quibus *eos præsentibus malis commotos intelligit*, paratum se esse haud gravatim, ostendit, super iisdem Articulis porrò agere, quos prius obtulit in responsionem ad illam partem chartulæ suprà dicti Domini *Heemstedii*, in qua ab hac Repub. petebat, eam, quod æquum justumque foret, propofituram, ad componendas hasce controversias, idque sine ulla mutatione, præterquam tali, qualis in iis rebus incidit, quæ inter utramque Rempub. in hoc quam minime grato bello deinde acciderint: atq; idem etiam suis ad Ordines Generales literis significavit, quarum exemplar his est inclusum. Quæ quidem Amica & Christiana propositio si à dictis Ordinibus Gener. consimili affectu excipiatur, poterit, aspirante Deo, ad componendũ in præsentiâ dissidium haud parum conducere, & utrumque populum pristinæ amicitiæ reddere.

Utcunque Parlamentum suo officio perfunctum, quocunque Rerum eventu æquo atque sedato animo acquieverit, seque clementissimi Dei providentiæ libens permiserit, cujus tam in se propitium præsensque Numen exemplis tot editis ubique sensit. Die 11. Aprilis 1653.

Accepta hæc res fuit pro cujusque captu. plurimi non credebant rem seriò & sincerè à Parlamento agi. male ferebant reliquæ Provinciæ id Hollandos clam fecisse: contrarium *Vnioni Vltrajectinæ* esse. Memini me Amsterodami, cum primum epistola evulgaretur, audivisse toto ejus urbis Magistratu planè inscio decretam & scriptam esse. quod tamen nec erat, nec esse poterat, verum. Alibi similiter. Usque adeò odiosum erat, pacis studio incumbere, ob stultam plebis imaginationem, nullam cum Anglis pacem fieri posse: nullam inesse fidem. bello facile superandos. cum contrarium vulgò videretur, & ipsa suo damno sentiret abunde. Serenissimus Nassoviæ Princeps *VVilhelmus Fridericus*, Frisiæ, Groning-Omlandiæ, Drentiæque Gubernator, eoque dirigente, dictæ Provinciæ, primi sententiam Hollandiæ amplexi sunt; Pacisque negotium, utpote plane necessarium, minimè negligendum censuere. Secutæ sunt reliquæ. tandemque in fine Aprilis Ordines Generales Responsum Parlamento tale miserunt.

„ Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum accepta & lecta Epistola Parlamenti Reipub. Angliæ data die 1. Aprilis, stylo veteris, continente inclinationem ad amplectenda justa & extinguendo huic ærumnoso bello, & effusioni sanguinis Christiani sistendæ, restituendæ paci, amicitiæ, stabiliendoque æterno inter utramque nationem Fœderi idonea media: habitâ maturâ deliberatione declararunt atque declarant, tam dicto Parlamento, quam toti mundo satis apparuisse, prædictos Ordines semper sincerè & candidè colendæ ampliendæque amicitiæ operam dedisse, & ad ejus confirmationem, paratos semper se fuisse ut fieret *arctum & perpetuum Fœdus*, eoque adhuc candidè tendere, &, quantum in ipsis est, contributuros. ad cujus rei testimonium admittendos suo nomine Legatos cum plena potestate loco aliquo medio ad id eligendo, atque ibi cum similibus à Repub. Angliæ missis instructisque Legatis conferendum & tractandum de transactione harum litium, omniaque contribuenda quæ ad tam sanctum opus sunt factura. Se itaque à Parlamento expectaturos expressionem loci medii, temporisque, ut initium fiat. quo audito se quam celerrime ulterius decreturos. Datum 30. Aprilis 1653.

Die 4. Maji post habitam concionem in templo Gallico, ubi præsens fuit Regina Bohemica, Princeps Regina Auriaci Vidua, Dux Glocestriensis, Ludovica Princeps Palatina, aliique, itum fuit in conclave Aulicum, ibique Princeps Arausionensis, alligata pro more fasciâ, in numerum Equitum Periscelidis fuit cooptatus.

Circa hoc tempus & Regina Sueciæ per Delegatum suum apud Ordines Generales Appelboomium officia ad sopiendum sua intercessione hoc bellum offerri fecit: hac Epistola.

Nos Christina, *&c. Celsis & Potentibus bonis Amicis ac Fœderatis Nostris, Dominis Ordinibus Generalibus Vniti Belgii, salutem & prosperos rerum successus.*

„ Celsi & Potentes boni Amici & Fœderati, Ægerrimè Nos habuit, quod non tam rumore quam ex informatione Vestri ad Nos præterlapsa ætate missi etiam

nunc

nunc hic degentis *Mandatarii* intelleximus, apertum ferè bellum inter Vos & Parlamentum Reipublicæ Angliæ oriri. Quod malum ne latius serpat, sed in herba opprimatur, pro ea, quæ Nobis Vobiscum intercedit, Amicitiæ, Fœderis ac Commerciorum necessitudine, committere non potuimus quin summa cura & diligentia caveremus ne gliscentes inter Vos & dictum Parlamentum simultatum cineres, in ardentem belli cruenti flammam erumpant. Igitur, cum Nostro apud Vos *Residenti*, nobili Nobis sinceri fideli, *Haraldo Appelboomio* injunximus, ut operam Nostram mediatricem Vobis offerret, & mentem Vestram super oblatâ desuper cognosceret, deque Responso optato Vos sollicitaret, Nobisque illud quantocyus per literas vel internuncium referret; à Vobis Amicè requirimus, velitis Eundem benevolè audire, illique in iis quæ nomine & mandato Nostro Vobis propositurus est, fidem indubiam adhibere, & de tali declaratione prospicere, quæ confidentiæ Nostræ in Vos positæ, mutuoque interesse Nostro consentanea est. De Eadem re Parlamentum Reipublicæ Angliæ per alium Ministrum Nostrum requirimus: Responsum Ejus pariter indè præstolantes; ut rescire possimus, quid facto in re tam ardua præterea opus fuerit: de cætero Vos divinæ tutelæ amicè serioque commendamus. Dabantur in Regia Nostra Stockholmensi, die 20. Ianuarii, Anno 1653.

Vestra Bona Amica & Fœderata

Christina.
A. Gyldenklau.

Delegatus ipse petitâ & concessâ ritè audientiâ locutus est postque scripto tradidit quod sequitur.

Delegatus Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ heri, Celsis & Potentibus Dominis, Ordinibus Unitarum Belgii Provinciarum virtute literarum creditivarum Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ, ore proposuit, sicut nunc scripto, rogatus, exhibet; illibenter altememoratam S. M. intellexisse, dissidia atque simultates nonnullas inter ambas Resp. exorta esse: & quamvis de eorundem genuina causa eidem Majestati Suæ minus constet: eaque seponat, quæ inter utrosque, (ambos certè Sacræ Regiæ Majestatis bonos Amicos & Vicinos) acta sint; è re tamen esse duxit, ut propensum suum animum, pro bono ac commodo universæ Christianitatis, communisque Euangelicæ causæ, in his turbulentis molestisque temporibus, testatura, pacatum suum animum utrique Parti discordanti aperiret. Hac in re, præcipuè respiciens Fœdera ac Amicitias quæ sunt & fuerunt inter Sacræ Regiæ Majestatis Suæ Antecessores, atque speciatim ejusdem gloriosissimæ memoriæ Parentem, & Celsos ac Potentes Ordines Generales, eorundemque continuum affectum pro commodo ac incremento Unitarum Provinciarum. Cum etiam ex continuatione harum discordiarum, plura mala, acerbitates, sanguinis effusiones, detrimenta ac incommoda timenda sint; quæ totis viribus cavenda essent: Sacra Regia Majestas Sua honori & æquitati consentaneum esse putavit, suam operam ac studium offerre, ad componendas lites ac restituendam pacem: quum nihil

„ hil de se aliud pariat bellum, quam omnia mala tam Parti utrique inimicæ, quam „ consequenter etiam aliis.

„ Quod si hæc Sacræ Regiæ Majestatis Suæ sincero animo proposita intentio Celsis ac Potent. Dominis Ordinibus grata est, Sacra Regia Majestas parata erit sese suscipere officium interpositionis mediationisque inter ambas partes, ad componendam amicabili ratione discordiam litesque, & tranquillitatem reducendam.

„ Ad quod omne, & quicquid ulterius pro inchoanda re tam laudabili præliminariter requiri poterit, dictus Delegatus paratus erit (si Celsis ac Potentibus Dominis Ordinibus ita placuerit) penitius cum iis agere, quos ad hoc negotium nominare ipsis placuerit. quorum decretum desuper quam primum præstolabitur. „ Signatum erat, *Haraldus Appelboom.*

Responsum tulit quod sequitur.

„ Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum, cognitis, examinatis, summâque diligentiâ perpensis iis, quæ Nobis Regiæ Majestatis Sueciæ Delegatus Dominus *Haraldus Appelboom*, vi & vigore Credentiæ suæ Generalis, prætereaque particularium suarum creditivarum, de dato 20. Ianuarii, proximè elapsi, Celsis ac Potentibus Dominis Ordinibus 17. hujus Mensis ore, ejusdemque 18. scripto exhibuit, continentia exhibitionem interpositionis ac mediationis Suæ Majestatis inter Rectores Angliæ atque hunc Statum, pro componendis præsentibus querelis ac contentionibus, reddendaque pace, amicitia, adeoque mutuo affectu inter utramque Nationem; hisce præsentibus dicto Domino Delegato declaratum voluerunt, quo pacto, Celsi ac Potentes Domini Ordines Mense Novembris Anni præteriti, per Dominum *de Beuningen* eorundem apud altememoratam Majestatem Suam Extraordinarium Deputatum certiores facti de dicta intentione Majestatis Suæ, oblataque mediatione, ut suprà, per eundem Dominum *de Beuningen* altememoratæ Majestati Suæ testati sint, sincerum suum, candidumque desiderium, ex parte sua omnia contribuendi, congerendique, quicquid pro resarcienda bona amicitia cum dicto Regimine Angliæ, justè & æque de Celsis ac Potentibus Dominis Ordinibus requiri poterit: quem ad modum hisce iterum idem profitentur, semperque omni occasione probaturi sunt, se adhuc eodem affectu & animo duci. Quum autem Celsi ac Potentes Domini Ordines eodem tempore per dictum Dominum *de Beuningen* altememoratæ Suæ Majestati notificaverint, quod cum eadem Sua Majestas dicti Anglici Regiminis super hac re intentionem explorasset, Celsis ac Potentibus Dominis Ordinibus ea de re nuntiare placuerit; Eosdem Ordines tum etiam paratos fore, post habitam ejusmodi notitiam, suum ea in causa animum amplius declarandi. Quia autem Celsis ac Potentibus Dominis Ordinibus ejusmodi informatio adhuc non contigerit eandem ipsis ulterius expectandam esse sentiunt, ut cum ex ea perceperint, sæpè dicta mediatio à Regimine Angliæ recipiaturne nec ne; ipsi quoque postea de eo plenius deliberent ac decernant. Iidem Celsi ac Potentes Domini Ordines requirunt, ut placeat ante dicto Domino *Delegato* de iis quæ supra habentur, atque de Ordinum candida intentione altememoratæ Majestati Suæ quam primum plenariè

nariè referre. Datum Hagæ sub magno Nostro sigillo, & signaturâ Nostri Griffiarii 28. Aprilis 1653. „

Unde satis apparuit negotium tanti ponderis malle se ex suo capite, quam mediantibus aliis (qui semper, alia agendo, sua quoq; solent curare) tractare voluisse. Idemque fere responsum *Lagerfeldius*, eodem fine in Angliam ablegatus, retulit.

Prædicta Ordinum Generalium ad Parlamentum Angliæ scripta Epistola ubi Londinum pervenit, Parlamento dissoluto, Generali Militiæ Duci *Oliverio Cromwello* ejusque Consilio fuit per ejus latorem *Aquilium* tradita: Responsum autem quod sequitur per suprà dictum *Bonelum* fuit missum.

Literæ ab Ordinibus Generalibus Fœderatarum Provinciarum, inscriptæ Reipublicæ Angliæ, quæ à *Thilmanno Aquilio* eorundem Ordinum Nuntio, Excellentiæ Suæ *Oliviro Cromwello*, Præfecto exercituum pro Republ. traditæ nuper erant, & ab eo Consilio status *Albæ Aulæ* nunc sedenti, exhibitæ, à Consilio deliberatæ fuerunt, quæ cum responsum præ se ferant literis à nupero Parlamento hujus Reipublicæ ad Ordines Generales scriptis, de componendis dissidiis inter utramque Rempublicam exortis, visum est Consilio, renunciare & declarare, se, non obstante nuperâ rerum mutatione, quæ à Deo sapientissimo omniaque providente & gubernante in hac Republica facta est, *eodem animo* quo prius erga Provincias Confœderatas bene affectum esse, & sincero studio ductum præsentia bella finiendi firmæque & duraturæ Pacis inter utramque Rempub. constabiliendæ & prædictis literis à Parlamento ad Ordines Generales primo-ultimi Aprilis missis, unâ cum illis ad Ordines Hollandiæ & West-Frisiæ ejusdem diei, hac occasione à Consilio relictis & expensis, cum in iis animadverterit à Parlamento proponi, super iisdem Articulis porro agere, quos prius obtulit in responsionem ad illam partem chartulæ Domini *Heemstedii* in qua ab hac Republica petebat, *eam, quod æquum justumque foret, proposituram ad componendas hasce controversias*, idque sine ulla mutatione, præterquam tali, qualis iis rebus incidit, quæ inter utramque Rempub. in hoc quam minime grato bello deinde acciderit; Consilium his præsentibus declarat, *Se paratum esse cum Ordinibus Generalibus super iisdem Articulis procedere*; quæ, prout illius fert sententia, media sunt, ad ante dictum finem assequendum, maximè probabilia. Quantum vero ad Tractatum *in loco neutro* per Legatos ab Ordinibus Generalibus propositum, siquidem possibile sit, rebus sic stantibus, hoc in effectum deduci; utcunque tamen plurimas secum necessario trahit moras, multasque difficultates patitur, quæ in re utriusque status salutem tantopere concernente sedulo evitari debent, atque adeo cum Ordines Generales nondum iis quæ à Parlamento proposita fuere responsum applicaverint, Consilium quoque à parte sua necessarium duxit *eadem iterum proposita renovare*, atque omni post habitâ dilatione paratum deinceps erit, *colloquium cum aliquibus* authoritate plenaria instructis, qui ad hoc ab Ordinibus Generalibus suo nomine delegati fuerint, *super iisdem incohare*; declarans insuper, & recipiens, se quicquid à parte sua rationabiliter expectari poterit in ista Negotiatione collaturum, quò *sanetur & obducatur præsens vulnus*, rectoque inter utramque Rempublicam intellectu reddito, benevolo invicem affectu sese in posterum prosequantur. Datum Albæ Aulæ 6. die Maji 1653. „

LIIII 3 Cum

Cum deliberaretur de mittendis in Angliam Legatis, variæ imo pleræque Provinciæ, non fidendum censuere: potius cum Galliâ Fœdus pangendum; acrius bellum contra Anglos instaurandum. Cum Hollandis Zelandi idem habebant interesse, liberum nempe Commercii & Navigationis usum: Galliam contra Hispaniam esse occupatam: inde parum auxilii expectandum. Ut tamen aliis Provinciis satisfiat; propositum fuit, ut simul cum Angliâ Pax, cum Gallia Fœdus fieret. Die 4. Junii tandem decreta fuit Legatio in Angliam: Legatos vero instruendos ne ullatenus assentiant Articulo Domino *Pavio* ante annum proposito de *satisfactione* pro inchoatâ, uti prætendebatur, per *Trompium* pugnâ; ut Regem Daniæ omni modo includant; utque de transigendis inter Galliam Angliamque litibus cum Legato *Neufvillio* allaborent: porro autem Pacem, amicitiam, & Fœdus juxta tenorem 36. Articulorum ante hac propositorum concludant. Personas Legatorum quod attinet, Geldri proponebant ex Hollandiâ *Beverningium*, ex Zelandiâ *Mauregnaldum*. Hollandi id contra stilum esse, cuique Provinciæ nominationem ejus quem vellent mittere esse relinquendam ajebant: duos autem in principio sufficere. Tandem inter Ordines convenit de Deputandis Dominis *Hieronymo Beverningio* Consule Goudano, *VVilhelmo Neoportio* Quæstore Northollandico & Syndico Schiedamensi, *Paulo Perrio* Syndico Middelburgensi, & *Allardo Petro Iongstallo* Curiæ in Frisia Supremæ Senatore & Academiæ Franekerensis Curatore. Quia autem celeritate opus erat, visum fuit die 20. Junii præmittere Consulem *Beverningium*. Qui ultimo Julii in Consilio status Anglici ita locutus est.

ILLUSTRISSIMI DOMINI,

„ Vicinitas ambarum Rerumpubl. ac commune interesse Commerciorum, primitus Confœderationem promovit, quæ ab antiquo stabilita fuit inter utram-
„ que Nationem; *communio fidei* ac professio unius ejusdemque *Religionis Reformatæ*
„ eandem stabilivit, & *libertas* ac immunitas populi, quæ extremis hisce diebus *justo*
„ *Dei judicio accessit,* siquidem, uti res exigit, eâdem frui voluerimus, ad promotio-
„ nem ac firmamentum mutuum Regiminis, esse debet vinculum indissolubile,
„ quo nectantur ac stringantur in æternum communia commoda ambarum Re-
„ rumpub. Hæc equidem argumenta fuere quibus usi Legati utriusque Reipubl. in
„ propositionibus ac congressibus; eædem adhuc rationes sunt, quæ productæ &
„ expositæ in mutuo exhibitis literis posterioribus, quo colligantur negotiationes
„ infeliciter hactenus interruptæ. Itaque laus sit Deo T. O. M. uti ab initio, sic
„ & adhuc ab utraque parte easdem intentiones ac sensus deprehendimus, non
„ modo ut renoventur ac inviolabiliter observentur Confœderationes ac *con-*
„ *venientiæ mutuæ* præteritis temporibus confirmatæ, sed ut *arctior unio* fiat fun-
„ data super *communi interesse* utriusque Reipubl. Prolixior non ero in dedu-
„ ctione omnium circumstantiarum nuperæ negotiationis, minus in *funestâ* in-
„ cidentium enarratione, quæ continuationem interrupêre; faxit *Deus*, ejus
„ memoria in æternum obliteretur, utque perfecta amicitia, indissolubilis unio, &
„ consensus intrinsecus, major quam unquam fuerit, stabiliatur inter utramque
„ Nationem. Insuper Ordines Generales, postquam in literis Vestris eandem vo-
„ bis mentem & animi intentionem esse vidissent; paucis diebus post receptio-
nem,

nem, quatuor membra Concilii sui deputarunt, qui omni cum *candore* ac sinceritate renovarent contestationem tenerrimi affectus sui erga hanc Rempubl. quique confirmarent Excell. & Illustriss. Domin. Vestris constantem voluntatem, propositum, ac desiderium, quo mutuo consensu, sub honestis ac rationalibus conditionibus, cruentum ac funestum hoc bellum finiatur, paxque firma ac perpetua inter utramque Nationem restituatur. Cognoscitis, Domini, libertatem ac ingenuitatem Ordinum Generalium: deliberationum formalibus solitis scrupulosè non inhæserunt, neque difficiles fuerunt in decernenda statim ablegatione Deputatorum suorum, quamvis nec Salvo-Conductu nec alio singrapho commeatus à vobis, ut mos dictabat, munitorum: eadem à vobis fidei ac candoris officia sibi promittentes. Separatis ac conjunctis nos instrui mandatis curarunt, amplis, sufficientibus, ad expedienda & absolvenda necessaria quæque arduæ hujus negotiationis. Opperiendo reliquos Deputatos collegas meos, jam in itinere, ac brevi hic affuturos, paratus sum omnia (ne tempus ociose elabatur) specialius exponere, dum modo libeat Excell. ac Illustriss. Dominis Vestris eo fine Commissarios quosdam delegare.

Paulo post summo militiæ Imperatori *Cromvvello* ejusque Consiliariis exposuit:

Dominos Ordines Generales Provinciarum Fœderati Belgii, bene perpendisse literas superius memoratas tam à Parlamento, jam dissoluto, quam post ab Imp. *Cromvvello*, ejusque Concilio, scriptas se referre ad responsum illud, quod die 25. Junii 1652. Legato *Heemstedio* erat datum; *satisfactionem* nempe & *securitatem* certo quodam modo petens: Sperare autem Ordines, examine vel minimo istius responsi habito, appariturum, quoad usum & executionem, postulata illa omnino nec esse nec fieri posse: nec ullam firmam tam fragilibus ac ruinosis fundamentis Fœderationem superstrui debere. Eandem & Imperatori ejusque Consilio mentem esse, se confidere. Sibi propositum paucis repræsentare epitomen præteritarum negotiationum, & breviarium sincerissimorum Consiliorum suorum, quo funestum ac cruentum bellum hoc finiatur, & perfecta amicitia & indissolubilis *unio* stabiliatur, inter utramque Nationem & Respubl. Itaque denuo se propositum venisse ut inter utramque Rempub. earumque terras ac populos sit & perpetim maneat *bona, sincera, inviolabilis & perpetua Pax, amicitia ac convenientia, arctiorque unio* ac *Confœderatio*, quam unquam fuerit: utque sic unitæ ac Fœderatæ invicem suis se viribus præsertim classibus navalibus mutuo defendant, ac conservent libertatem ac immunitatem utriusque populi, ejusdemque Commercia, navigationes, communia commoda, contra omnes qui terra marique turbare ea voluerint. Nunquam faciant, vel permittant directè vel per indirectum ut ulla hostilitas fiat, in præjudicium hujus Fœderis; imo neque Consilio neque ope succurratur hostibus vel rebellibus unius vel alterius partis, sed è contra impediant re ipsa & efficaciter ejusmodi Consilia ac molimina, puniantque condigna severitate authores, mutuis sibi viribus assistant, prout usus ac necessitas postulaverit, idque sumptibus ejus, cui opus fuerit. Utque ambæ nationes *arctiore* quam hactenus societate conjungi queant, populique reciprocâ civilitate se invicem tractent; liber sit accessus ad ditiones vel territoria utriusque Reipubl. in

in *Europa*, uti & ad Inſulas *Caribenſium* ac *Virginia*, ad terras, villas, littora, portus utriuſque Nationis, tam quoad navigia bellica & ea quæ cum authoritate prædantur ſumptibus tamen privatorum armata, quam quoad Mercatores, eorundemque Negotiorum geſtores, inſtitores ac famulos, cum libera facultate ac permiſſione emendi & vendendi, advehendi & avehendi cujuſcunque generis merces ac alimenta, iter faciendi, veniendi ac abeundi, cum omni ſecuritate & libertate, uti Incolæ nativi terrarum reciprocè, gaudeantque iiſdem Privilegiis ac exemtionibus, tam quoad vectig[illegible] ſimiliaque conſueta tributa, Navigationes eorundem ac Commercia concernentia, quam quoad commorationem ipſorum in utriuſque ditionibus, redemptione bonorum ac agrorum, quæque hujus generis conſectaria ſunt.

Nominatim etiam quod ipſorum naves ac merces ſiſti ac *arreſtari* nequeant, niſi extrema neceſſitas, rationabili ſatisfactione prævia, id jubeat; neque cogantur ad *exonerationem*, aut ſolutionem quarumcunque impoſitionum, ſi forte tempeſtate, incurſione piratarum, vel alia quadam adverſitate urgeantur ad ſubeundum portum unius vel alterius Reipub.

Et quoad Religionem Orthodoxam Chriſtianam & Reformatam, quandoquidem Deus T. O. M. pro infinita ſua miſericordia beavit utramque Nationem profeſſione ejus liberâ verâ ac purâ, Ordines Generales à ſua parte, quantum in ſe eſt, ejuſdem promittunt non modo ſecuritatem ac conſervationem, ſed etiam, quatenus liceat, ejuſdem propagationem ac promotionem, ut defendantur *domeſtici fidei*, omni meliore viâ ac modo juxta conſtitutionem temporis ac rerum.

Et quemadmodum hæc capita brevibus comprehendunt Synopſin contentorum in 36. Articulis jam ante Parliamento hujus Reip. exhibitis, ſe paratum quolibet momento, quando placuerit Imperatori & Conſilio ſummatim ea repetere cum omnibus circumſtantiis ſuis. Obſecrando Deum T. O. M. ac miſericordem, ut afflatu ſancti ſui numinis præſidere velit in congreſſibus ac dirigere actus ac ſenſus ad gloriam ſacro ſancti nominis & augmentum Eccleſiæ ſuæ, atque emolumentum utriuſque Reipubl.

Hæc ad introitum Negotii ſolus *D. Beverningius* cum feciſſet, reliqui tres advenere, dieque 2. Julii in Concilium admiſſi eadem, quæ ille ſolus ante dixerat, cum excuſatione tardioris adventus, repetivere. Concilium ad ea non ita multis poſt diebus hoc dedit reſponſum.

„ Dum in memoria ſecum recolit priſtinos Tractatus, & amicitiæ Fœdera inter
„ Angliam & Fœderatas Belgii Provincias; quantumque ſtudium hanc Rempubli-
„ cam perpetim ſollicitavit, ut ea non modo ſarta tecta ſervarentur, verum etiam ut firmarentur indies & adhuc magis augerentur.
„ Nihil minus tamen & non obſtantibus communis utilitatis rationibus, quibus
„ uterque ſtatus mutuo ſibi auxilio eſſe tenentur, claſſem hujus Reipub. pendente
„ adhuc Tractatu, eoque à ſemetipſis oblato, in propriis æſtuariis cameriſque ſuis
„ marinis inopinato impetu & tanquam ex inſidiis ab altera illa Fœderatarum Pro-
„ vinciarum invadi, & quantum in ſe erat opprimi & ſubmergi; quo hæc Reſpu-
„ blica ad hoſtiles excenſus facilius pateret, & conditiones pro alieno libitu impo-
„ ſitas ſuſciperet: cæteraque id genus à Confœderatis Provinciis acta & geſta, in

quibus

quibus pro benevolo affectu, tot luculentis testimoniis comprobato, ejus dissimilia & contraria nobis retulere. „

Abs æquitate & ratione alienum faceret, si hæc Respub. tam insigni monitione & libertatione excitata, post tantum sanguinem effusum, totque opes huic bello, aliunde sibimet illato, insumptas, iisdem denuo periculis & insultibus se, præsidio nudam, exponeret. Et cum nondum præterita *damna* resarciantur, neve *securitas* præstetur, ne horum similia in posterum attententur, ad Tractatum pro ineundo Fœdere confestim descenderet. Quin vero intempestivum est ad ejusmodi Tractatum procedere, priusquam vulnus hoc, adhuc sanguinans, intimè sanetur & obducatur: nimirum necesse est, ut instabile futurum sit, quicquid tam fluxo & nondum solidato fundamento nititur. „

Quocirca Consilium expectat à Dominis delegatis ut super prædictis responsum suum darent: in quibus postquam convenerit, ad alia ulteriora progredi liceat quæ utrique Reipub. usui futura judicabuntur; in quibus promovendis Concilium operam suam non illibenter conferet. „

Ad melius & plene informandum militiæ eundem Imperatorem remonstrarunt Deputati, se libenter intellexisse, in principio responsionis Excell. Suæ & Dominorum Consilii status ad Propositionem & memoralia ipsorum, commemorationem fieri *Tractatuum amicitiæ* ac *Confœderationis*, quæ antiquitus stabilitæ fuere inter Angliam & Provincias Confœderati Belgii, contestantes nomine superiorum, uti semper omnia sua impenderint ad exactam earundem observationem, sic & in posterum operam daturos, quò non modo conserventur & asserantur inviolabiliter, sed & colligantur arctiori nexu in commune utriusque Reip. commodum: itaque nec opportunum nec consultum fore, ut nimis anxio examini præterita subjiciantur: ne animi denuo acerbentur: obliteranda quæ jam corrigi vel non poterant vel non debebant: prompte potius ad Tractatus ipsos progrediendum; ut reciproce *satisfactionem* ac *securitatem* tot votis expetitam, *firmâ ac perpetuâ Pace ac unione* restitutâ inter utramque Rempub. & nationes, reperiant: Non refricandam vulneris jam obducti cicatricem, sed sanandam, atque solidandam: enixè attamen rogare, Excell. Suam & Dominos Consilii, ut paulò altius repetentes Tractatus qui omni tempore inter Angliam & Scotiam ab unâ & Provincias Fœderati Belgii ab altera parte intercessere: considerare velint, post compositionem funestorum ac cruentorum inter utramque Nationem bellorum, in Tractatibus Pacis & transactionibus insecutis ne minimam quidem unquam mentionem factam *præstandæ satisfactionis* pro damnis & expensis unius vel alterius Partis, uti nec in Tractatibus ante viginti vel 24. circiter Annos simili occasione inter Angliam, Franciam & Hispaniam, expeditis, nec in ullis aliis inter alias potestates principesve in eodem casu erectis: Sic ingenuè se fateri, clausulam hanc dicti responsi valde animos suos turbasse, nisi literis posterioribus Illustrissimi hujus Consilii perspicuè deprehendissent quod secum agere & Tractare vellent conditionibus *honestis & rationalibus*, ut sine quibus nulla unquam transactio Pacis stabilis ac perennis fuit: postulatam vero illam *reparationem* nulla niti æquitate vel ratione: Ordines non nisi necessitate compulsos ad legitimam defensionem subditorum suorum & libertatem Commerciorum: &, ne res ea quenquam

offenderet, per ſuos ubique Miniſtros id vicinis poteſtatibus notum feciſſe: nihil ſe quærere præter inculpatam ſuorum tutelam: ita & moris & licitum eſſe inter omnes gentes: deprædationes in Mari Mediterraneo ut & eorum qui Inſulas *(Scillies)* occuparant occaſionem præcipue dediſſe claſſi bellicæ tum temporis inſtruendæ; ut & diverſorum, qui ſub prætextu Repreſſaliarum vel *clarigationis* authoritate Parlamenti conceſſarum tam adverſus Fœderati Belgii quam Galliæ Incolas, damna immenſa & ad multos milliones computata cauſam & neceſſitatem huic rei dediſſe.

Accedebat rumor non vanus de magnis alibi quoque navium apparatibus: ab ipſo Parlamento claſſem uſque ad *centum & viginti* naves adauctam: *triginta* aliis mox adaugendam: & proinde *centum quinquaginta* navibus conſtituram, numero tam militum quam ſociorum navalium formidabili muniendam: Regulas hic politicas exegiſſe, ut, armantibus ſe vicinis, Fœderati quoque Belgæ ſe armarent. Lentè tamen in eo ab Ordinibus feſtinatum eſſe: id vel eo ſolo liquere; quod de *centum & quinquaginta* navibus, quas armare conſtituerant Ordines, ad diem illum (primo illo conflictu infamem & inviſum) 29. Maji vix *quadraginta duas* in promptu haberet prætor *Trompius*. inde conjectura facile inveſtigari poſſe nullum de pugnâ Conſilium, nullum mandatum, imo ne cogitationem quidem ullam fuiſſe, *ſed juſto & imperſcrutabili omnipotentis Dei judicio accidiſſe*, invitiſſimis Ordinibus: armaturam enim Anglorum longe majorem fuiſſe, & tempore multò priorem. Iniquum fore poſtulare reſtitutionem expenſarum, ſi quæ ſint; quæ magnæ non poſſint eſſe, reſpectu parvi interſtitii temporis, quatuor nempe hebdomadarum, inter diem conflictus & 25. Junii (quo reparatio & ſatisfactio petita fuit) intercurrentium, nullas Anglorum ſeu bellicas ſeu onerarias apparere medio temporis captas: Sumtus autem, damna, malaque Belgis Fœderatis, eorum navibus & mercibus illata ad ſummas multorum millionum aſſurgere. Ordines Fœderatos ſummo jure repetere ea poſſe & debere. Anglos ex ſtupenda multitudine navium merciumque captarum ſibi ſatis ſuperque proſpexiſſe: Corruere itaque per ſeſe tria illa Legato *Pavio* propoſita die 25. Junii capitula: *Satisfactionem* inique eos petere qui ſibi abunde ſatisfeciſſent: merces, ſi quas Belgæ cepiſſent, jam diſtractas, vel in rerum natura amplius non eſſe: *Securitatem* in futurum quod attinet illam in arctâ animorum reconciliatione, amicitiâ, Fœdere ac unione quærendam eſſe: nulla alia in re firmiorem fore. Se eo fine inſtructum: Se id fuſius accuratiuſque demonſtraturum; tempus locumque commodum petere. Ex uſu utriuſque Reipubl. ex uſu Religionis, quam utraque colit, purioris & Reformatæ eſſe; ad gloriam Dei & Euangelii propagationem eſſe: non amplius in ſua viſcera telum convertendum.

Militiæ ſummus Imperator *Cromvvellus* præcipuâ pollebat auctoritate: illum rationibus evincere valde conati ſunt Delegati: itaque longa denuò, die 15. Julii, oratione & ſcripto eum ſunt allocuti: multa ſe à fide dignis & utriuſque Reipub. amantibus intellexiſſe de ejus ad Pacem propenſione, abhorrere eum à tanta ſanguinis effuſione, deteſtandam eſſe inter domeſticos conſorteſque fidei diſcordiam: cogitandum & nitendum potius de propagandâ alibi Religionis Orthodoxæ profeſſione; impium eſſe in hoc bello perſeverare: præter ſpem & opinionem

nem

nem ſe tamen deprehendiſſe, quod Concilium adhuc perſiſtat in exigendis illis prætenſæ *ſatisfactionis* & *ſecuritatis* Articulis. Ad quæ ſi ſemper in ipſo limine ſe invicem offendant, nunquam ad ſcopum optatum ſe venturos. Alienum ab omni æquitate & ratione eſſe quod Angli, poſt illata tot *millionum & ſexcentarum* navium, quas Fœderati Belgæ amiſerant, jacturam, ab iiſdem *reparationem* ac *ſatiſfactionem* ultra petant: iis itaque rejectis ad rem ipſam properandum: *Unionem Fœduſque* & quidem *arctiſſimum* faciendum: Se omnibus ad ea neceſſariis inſtructos: Provincias omnes Fœderatas, earumque ſingulas civitates & membra id expetere ac deſiderare: Gloriam Dei, propagationem fidei, ſalutem utriuſque populi ſi ſpectare velint, ſine ſummâ impietate in hoc bello ob neſcio quos ſcrupulos continuari minime poſſe.

Ad ea Angli fere ſicut ante & ſemper reſponderunt, clarum eſſe quod inſultus hoſtilis à Fœderatis Belgis incœperit, itaque *ſatisfactionem* juſte peti: deinde quoad *ſecuritatem* in poſterum præſtandam multis rationibus dilucidè oſtenſum, quam iniquum eſſet Remp. Anglicam poſt rem tam proſperè geſtam, fuſumque tot ſuorum ſanguinem, impreſſionibus ejus generis quovis tempore faciendis obnoxiam ſe relinquere. Quæ omnia ſi tam ſerio perpendantur, quam verè in Anglorum chartulis prioribus narrata ſunt, facinus illud *Trumpii* non poſſe *fortuitum* dici, verum eo Concilio cogitatum atque commiſſum eique fini, qui in prædicto Parlamenti reſponſo ad ſupradictam chartulam trium illorum Legatorum diſertis verbis exprimitur. Quod ſi præſentium rerum facies in Fœderatis Belgii Provinciis, quamque illic *periculoſa factio polleat*, penitus conſideretur, haud facile poſſe intelligi, quo alio pacto libertas illius populi veræque Religionis cultores in iis Provinciis, conſervari queant, niſi Pace & Fœdere ineundo ſerio & efficaciter proviſum fuerit *contra eorum conatus atque fraudes qui rebus Dei ac populi ſui in utraque Repub. adverſantur.* Cumque perſpicuum ſit *pactiones nudas* & Fœdera finem hunc non poſſe adipiſci, ſecuritatis rationes alias conſiderandas eſſe; Quarum ſingula capita quemadmodum & quid ſit, quod Reſpub. Anglica reparationis loco acceptura eſt, Dominis Deputatis tum proponendum, poſtquam ipſi de reparatione & ſecuritate præſtanda reſponſum plenum atque clarum reddiderint; Hiſce adhuc inſiſtere Concilium, neque dubitare, quin Domini Deputati, perpenſis quæ jam dicta ſunt & rationum ſupradictarum momentis, quæque his adjungi poſſunt, ſuum aſſenſum haud invitè ſint præbituri, unde ſi Deus futuris conſultationibus propitius adfuerit, huic bello quam primum finem imponi poſſe, & utramque Rempublicam multo quam antehac inter ſe conjunctiores, idque rationibus multo firmioribus ac potioribus, eſſe futuras.

Eadem hac chordâ ſæpius in colloquiis tum publicis tum familiaribus & in ſcriptis oberratum fuit: illis *ſatisfactionem* & *ſecuritatem*, idque ſuo modo petentibus, hiſce illa declinantibus. Utrique, *candorem*, *ſinceritatem*, *integritatem* profitebantur, utrique Religionis puritatem, fraternum ejus inter Reſpub. cultum declamabant, utrique Pacem æternam, unionem Fœduſque plus quam unquam arctius deſiderabant: ſed in mediis nullatenus conveniebant. In fine Julii ab Anglis propoſita fuit illa, de qua multus poſt diſcurſus ubique fuit, *Coalitio*: nempe Anglicam Rempub. contentam fore *ſecuritatem* (quæ poſt *ſatisfactionem*

Mmmmm 2 altera

altera erat principalis controversia) ex utriusque status unione præstandam expectare eo modo, *quo ambo in unum populum & Rempub. unam pro utriusque commodo coëant in unum & coalescant.* Quo facto, non modo præsentia dissidia componantur & difficultates, quæ in utriusque status rebus & rationibus per Articulos amicitiæ & Fœderationis rite determinandis orituræ sunt, superentur, verum etiam omnes discordiarum occasiones deinceps præcidantur, viresque & opes utriusque Gentis, quas contra se mutuo profundunt, in communem totius defensionem & salutem recolligantur.

Deputati ad ea tam voce quam scripto pluribus ostenderunt, hæc esse valde generalia: sese non minus quam Anglos petere ut duo Status, *Salva utrique forma præsentis Regiminis*, ita jungantur & uniantur, tanquam si essent una Respublica; quò sic unitæ simul defendant suas libertates, jura, & commoda communia contra quoscunque. *Angli* iterum; à Deputatis neutiquam directè vel apposite responderi dixerunt, sed *vocabula Confœderationis substitui atque interpolari*, contra veram & genuinam ejus acceptionem. *Deputati :* verbum *Confœderationis* esse maxime proprium & significans, etiam solitum & in usu: fateri ingenue, se non intelligere novum *Coalitionis* vocabulum; multa cum ratione ejus petere explicationem & particulas eam componentes. *Angli :* se non de *verborum apicibus* aut loquendi formulis sed de *rebus* maximi momenti disceptare. mentem Concilii esse, non ut *Vnio & Fœdus* inter duas vicinas atque absoluto imperio præditas Respub. contrahatur, sed ut hæ duæ Respub. *coalescant* atque adunentur. Quod licet quoad municipalia utriusque jura mutationem non ex necessitate secum inferat; hoc tamen inde necessario sequi, nempe quod totum sic unitum uni supremo subsit imperio, *ex personis ab utraque gente oriundis conflato*, prout mutuo convenerit, atque ut utrinque iisdem privilegiis atque immunitatibus quoad habitationem, dominium, seu possessionem, mercaturam, portus, piscaturam, cæteraque utriusque Regionum commoda, quæcunque demum illa sint, cum ipsis nativis & indigenis absque ullo discrimine utantur fruanturque. Et cum hoc omne in propositione *Consilii*, quæ plana & perspicua est nullisque verborum ambagibus involuta, disertè contineatur; dictique Delegati in nullis suis chartulis sensum suum hac de re prodiderint; reliquum esse priusquam de mediis, quibus ad effectum deducatur, aliquid dicatur, ut Dominationes Suæ directè & categoricè huic respondeant: præsertim cum Consilium de Tractatibus Amicitiæ & Confœderationis fuse & apertè sensum suum jam explicaverit. Qui quam ex se invalidi & minimè sufficientes sint, nisi melius de iis in posterum provisum fuerit ad firmæ & duraturæ pacis fines assequendos, satis constare ex nupero insultu & bello in Rempubl. Anglicam, contra ejusmodi Tractatus, facto. Quantum vero ad *damnorum compensationem*; Consilium eam urgere, non eo animo & studio ut *grandes pecuniarum summas obtineat*, (nam pacem qualem prius dixerit istiusmodi rebus & respectibus longissime præfert) verum enimvero cum dicti Delegati isthæc verba à cæteris, quibuscum in chartulâ connectuntur, separent & divellant & postmodum assensum suum, suo sensu, iis adhibeant, ac si Consilium postulato suo supersedisset, cui tamen in omnibus suis chartulis disertis verbis institit; necessarium ideo duxit ut his præsentibus eidem denuo insisteret & à Dominis Delegatis perspicuam & appositam

ad

ad id postulatum responsionem peteret: Ad quod verba superius relata omnia extra mentem & scopum omnium hactenus traditarum chartularum trahuntur, nisi pariter dicta *Securitas* ceu cautio eodem tempore, & in eâdem chartula postulata simul admittatur.

Deputati ad ea disertis post verbis reposuere, admiratos sese & ad verbum illud novum *Coalitionis* obstupuisse: numquam ejus ante factam mentionem: numquam inter Respub. de re tali cogitatum fuisse, nullumque admittere usum: supremitates posse misceri. verbo *Fœderis* semper se utrinque usos: tanquam proprio & significantissimo ad *Unionem* veram & optimam exprimendum. per talem *coalitionem* & mixturam non posse evitari *confusionem* resque omni usui & praxi repugnantes. in omnibus anterioribus Tractatibus inveniri, vocabula *Unionis*, *Fœderis*, *Ligaminis*: de *coalitione* nationum & *mixtura supremitatum*, prout proponitur, nihil unquam auditum: in nullis historiis; nullo ævo.

Amphyctiones in Græciâ, Socias olim in Italia Civitates Fœdere æquali ligatas, eosdem quanvis Amicos & Inimicos habentes, singulas tamen *supremum jus sibi* reservasse: idem inter *Helvetos* eorumque Socios observari. Principes domus *Burgundicæ*, & post Austriacos cum *Domini* fuere Unitarum Provinciarum, sæpe conatos, tam vi quam artibus eas in *unum*, sub *uno capite*, *corpus* conjungere: nunquam potuisse. septem ex iis jam inter sese Fœderatas; sed reservatis tamen unicuique suis supremitatis & summi imperii juribus; *coalitionem* itaque talem nullo modo esse admittendam.

Angli prolixo ad illa replicarunt scripto: *Concilium* istiusmodi responsum haud quaquam expectasse. Nec ei facile conjectari esse; quæ rationes & Consilia dominationes suas huc impulerint. Ideoque se ad declarandum teneri, quomodo, postquam veras utriusque Reipub. rationes politicas serio apud sese expendisset, & præsentem rerum utrinque Statum, simul & horum dissidiorum causas & origines considerasset, unà cum *Securitate* seu *cautione*, quam Anglica Respublica inposterum expectatura erat, haud se intelligere, quibus aliis mediis vulnus hoc sanetur, præsentia dissidia componantur, Pax cum Securitate conjuncta firmetur, finesque, ad quos utraque Pars in hoc præsenti Tractatu se collimare professa est, obtineantur, quam si uterque Status in unam Rempub. *constabiliretur*: unde non modò Securitas consequutura erat, sed uterque Status, præsertim verò populus Fœderatarum Provinciarum, non exigua commoda lucraturus. Id adeo manifestum esse, ut si dictis Delegatis ad particularia descendere non grave visum esset, & sub verbis istis generalibus, *confusionis*, *impossibilitatis*, *innovationis*, rem propositam non rejecissent & repudiassent, allegando, se nec in primis Romanorum temporibus, nec in antiquorum seculorum annalibus *Coalitionis* seu *Unionis Imperiorum* exempla reperisse: nihil adhuc dubii superfuturum vel de candore & sincero studio Anglicæ Reipub. in eâ proponendâ, vel de commodis atque utilitatibus exinde nasciturís. atque hoc tam luculentum benevolentiæ Amicitiæque suæ Reipub. indicium fuisse, & testimonium, ut nulla ætas, circumstantiis omnibus ritè perpensis, simile possit ostendere.

Quocirca expressam hujus oblati negationem, non magis Consilio mirandum sonare, quam quod in iisdem chartulis dicti Delegati palam & disertis verbis pro-

fiteantur, se per isthæc verba *interioris Vnionis*, *arctæque Confœderationis*, sæpiusculè repetita, nihil amplius intelligere, quam quod in propositionibus iis continetur, quas ipsi in *prima sua audientia* obtulere: In quibus postularunt, ut populo Fœderati Belgii licitum esset liberum Commercium & Navigationem exercere ad Insulas & Colonias Reipub. Anglicæ in America: cum hoc tamen ex lege in Comitiis Parlamentariis lata peregrinis omnibus interdicatur: & licet in eodem Articulo populares Anglicæ Reipub. Mercaturam ad Colonias suas in Indiis Orientalibus, vel alicubi, excepto in Europa, exercere prohibeant, utque statutum de *Mercatura* & re *Nautica* promovendâ augenda nuper publicatum, quo ad illos, resigatur; ut *Telonia* & *consuetudines peregrinorum* aboleantur: ut libertas populo suo ad prædia & latifundia in his Regionibus coëmenda & comparanda, par eis, quâ ipsi naturales & indigenæ gaudent, concedatur. Imo verò in primo suarum propositionum Articulo, id *quoad effectum* postulare, ut in *Marium*, quæ *Angustiora* appellantur, *Dominio*, & *piscandi* jure, ex æquo cum Anglis communicent. Adeo ut, quum à Consilio conjunctio utriusque Reipub. in unam proponebatur, unde omnium beneficiorum & privilegiorum æqualis participatio sequeretur, absque locorum vel personarum discrimine, majusque inde commodum in populum Fœderatarum Provinciarum redundaret, propter amplitudinem Angliæ Reipub. portuum suorum multitudinem, *Piscationem*, cæterasque commoditates quibus inferiores Provinciæ destituuntur. At illos è contra affinitatem & Amicitiam eousque Contractam velle, quo uni parti solummodo, ad id quod alteri peculiare est, jus daretur.

Atque hæc cum à tribus illis Legatis extraordinariis postularentur, eisdem vehementer insisteretur, tam ante, quam circa tempus, quo *Trompius* eorum Admiralius classem Anglicanam adortus est, cumque eadem postulata à Delegatis denuo renoventur atque in omnibus chartulis adurgeantur, haud aliter credi posse, quam præsens hoc bellum, saltem primario, adhæc vi extorquenda, quæ per Tractatum obtineri posse desperabant, à Parte sua inceptum fuisse. Atque vel hinc æquitatem postulati Anglicæ Reipubl. de *compensatione* danda, magis adhuc elucessere, quantumque ejus intersit de *Securitate* in posterum *cavere*. Eam tamen Consilium in nullis suis chartulis ad *coalitionem* tantummodo limitasse, alios Securitatis modos & rationes excludendo. Cum ea non aliter à Consilio proposita esset, quam tanquam id, quod ex ejus sententia in se justissimum & æquissimum est, ad utriusque Reipub. decus & emolumentum maxime faciens, & respectu præsentium difficultatum factu facilimum, quæque Deo benedicente commodissima ratio esset, ad eorum Consilia frustranda, & molitiones prævertendas, *qui in utriusque ditionibus Christi populique sui causæ adversantur.*

Quandoquidem vero dicti Domini Delegati aliter sensere, Consilium ab iis expectavisse, uti monstrarent quâ aliâ viâ insistendum esset ad *cautionem* huic Reipub. dandam: Cum quicquid ab iis hactenus propositum fuerit, ad *diffidentiam* potius quam *confidentiam* alendam spectet. utque directè postulato de *compensatione* responderent, quo certa & æquabilis summa à Consilio definiretur. Quorum neutrum per sex hebdomadarum spatium se obtinere potuisse ægrè admodum se ferre. Concilium postulatorum suorum æquitatem & justitiam fusius expli-

explicare liquidoque evincere non recusasse, atque eadem per literas tam ad Ordines Hollandiæ quam ad Generales, priusquam Domini *Delegati* huc legarentur, significavisse. In iis Consilium se promtum & paratum ostendisse: quo hæc dissidia componerentur, super iisdem Articulis progredi, quos prius obtulit in responsionem ad eam partem chartulæ Domini *Heemstedii*, in qua ab Anglica Republ. petebant ut quod æquum justumque sit ad præsentes controversias finiendas proponeret; idque sine ulla mutatione, præterquam tali, qualis iis rebus incidit quæ inter utramque Rempub. in hoc quam minimè grato bello deinde acciderint. Quoque ipsi Domini Delegati invitationem æquam & honore plenam in ante dicta sua extrema chartula agnoscunt; Adeoque Consilium magis miratum quare non eandem protinus amplexentur. Cum nulli allii insistatur, præterquam quod in ante dictis literis diserte continetur. Quæ cum ita sint, & Dominorum Ordinum Generalium in rem utriusque Status & *Reformatæ Religionis* maximè facere judicaverint, se domum recipere, nondum plenario postulatis de *compensatione & Securitate* responso adhibito, utramque gentem sanguinolento hoc bello involutam relinquentes, cum in eorum potestate sit id finitum dare. Quanquam Consilium audientiam iis negare non poterit ad discedendi veniam, ad id, qua horâ placuerit, impetrandam: se tamen coram Deo & cordatis omnibus sese purgavisse, palamque testatum esse quo candore, simplicitate, atque integritate operam navarit ad pacem demum instaurandam, atque utramque Remp. firmius quam antehac intimiusque inposterum uniendam.

Deputati eo scripto viso notum Consilio fecerunt sese illud ejus momenti esse judicare; ut necesse habeant referre ad *Ordines:* eo fine *VV. Neportium* & *A. P. Iongstallum* ituros, remanentibus illic *Beverningo* & *Perrio:* Salvum-Conductum eo fine necessarium petere. Concilium humaniter annuit, insuper declarans, quod sicut Anglica Respub. nullas justas & idoneas rationes omiserit, quo propensum suum erga pacem cum Fœderatis Provinciis animum testificaretur; ita & eundem benevolum affectum adhuc se conservare, operamque & conatus suos se collaturum, quo in mutuam utriusque Reipub. utilitatem & Securitatem, super iisdem principiis & rationibus, quarum in prioribus suis chartulis mentio facta est, conficiatur. Albæ Aulæ 4 August. styl. vet. 1653.

Regis Christianissimi Legatus Baro *Neufvillius* propositum Deputatorum laudavit, tempore omnia mutari, aliam & meliorem rebus agendis occasionem facile secuturam, abrumpi semper & cito posse negotii filum, resarciri lente, & magna cum difficultate primos ubique congressus ad pacem procurari. Huc advenerunt paulo post cruentam, & ultimam illam inter utramque classem die decimo Augusti ad custam Hollandicam pugnam, in qua *Trompius* gloriose occubuit, pugnatam.

Ab eo tempore quo ex Angliâ Deputati *Neoportius* & *Iongstallus* redierunt, singularum Provinciarum comitiis deliberatum fuit de nova illis eodem secunda vice ituris dandâ instructione. Opinio Hollandorum fuit, propositam *coalitionem* nullatenus esse admittendam; *arctum* vero *Fœdus*, ad normam *triginta sex* Articulorum, offerendum, amicitiam vero cum aliis regibus & potestatibus, præsertim cum Galliâ, non negligendam, sed Tractatum cum ea promovendum, instructio-

ſtructionem vero Claſſis & Conſtructionem novarum aptarumque navium diligenter curandam. Aliæ Provinciæ addebant, auxilia interim danda Scotis; *Satisfactioni*, quam Anglia prætendebat, aures neutiquam præbendas; *Fœdera cum Gallia, Electore Brandeburgico, Germanis* principibus facienda. Diebus decimo & duodecimo tam in Concilio & præſente Militiæ Imperatore *Cromvvello*, quàm coram Commiſſariis repetita & multis verbis propoſita fuere vetera illa ſæpe inculcata de conſervandâ & protegendâ *Reformatâ Religione*, de reſpectu *domeſticis fidei* debito; ad eum finem eſſe neceſſarium inter utramque Rempub. pacis ſtudio incumbere; bonum fore, ſi extemplò jam pactum fieret in terminis Generalibus de *protegenda dicta Religione*; & quod faciendi Fœderis & quidem ſtrictioris, quam unquam ante hac fuit inter utramque nationem, *coalitionem* impugnarent, & quo ad *Reparationem*, *Satisfactionem* & *Securitatem*, quas Angli prætendebant, ſeſe adhuc ad decretum 5. Junii hujus Anni referrent. Die 29. Octobris Hagæ diſcedentes, 4. Novembri Londini venerunt. ubi peractis Curialibus, die 7. hanc in Concilio habuerunt Orationem ad reſumendum jam per aliquod tempus intermiſſæ negotiationis filum.

ILLVSTRISSIMI DOMINI,

Domini *de Nieupoort* & *Iongſtal* poſtquam fideliter retulere Dominis Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii, de iis quæ propoſuerint poſt adventum noſtrum in hiſce oris Illuſtriſſimis Veſtris Dominis, quæque deſuper reſponſa fuerint, rediere cum ſpeciali mandato dominorum ac ſuperiorum noſtrorum, ut adeamus denuo Illuſtriſſimam hanc congregationem, eidemque renovemus ſinceriſſimum & inviolabilem affectum erga hanc Rempub. indicatumque voluere: uti in genere abominantur horrendum nomen, magis verò cruentas tam luctuoſi belli ſequelas, ita in ſpecie idem deteſtantur diverſis ac prægnantibus rationibus moti, reſpectu Regiminis ac Nationum, cum quibus hocce conferendum. Sic etiam opinamur, nullam fore rationem fidei Chriſtianæ, nullam regulam politiæ, nullum reſpectum ſingularem, qui non mutuò nos obſtringat, ad conjunctionem ſtrictiſſimam animorum ac effectus, voluntatis & executionis contra machinationes omnium, qui, cum internecione Veritatis Divinæ ejuſque verbi, moliuntur evertere commoda utriuſque Reipublicæ. Conſideramus præterea quod *ſuperiores poteſtates ex Deo ſint*, quodque ipſe Deus Ter Opt. Max. eaſdem ordinarit, ad gloriam nominis ſui, propagationem veritatis ac legitimam libertatem populi ſui. Animo revolvimus inſuper, conſtitutionem ac formam adminiſtrationum Reipub. ac intrinſecum *Intereſſe* utriuſque Nationis, Nos conducere, invitare, imò urgere ad unionem ſtrictiſſimam & fidam, ut reddat Deo atque Incolis utriuſque Status debita pietate & juſtitia.

Poſtremò credimus mutuò nos obligari, ſanguis innocentum, qui *ſunt domeſtici fidei*, ne effundatur amplius, utque mutuo niſu omnibuſque viribus defendatur *cauſa Dei ac Sacroſancti ejus Evangelii.*

Itaque, Illuſtriſſimi Domini, *propter gloriam Dei, amorem veritatis* ipſius ac commodum Reipublicæ ac Nationum, conjungantur corda, manus, voluntates, ac facies noſtræ, adverſus omnes, qui nos terrâ marique invadere moliuntur. *Proteſtamur*

testamur coram Deo, judice purissimarum nostrarum cogitationum, quod animos offeramus candidos ac sinceros, reciprocationem eorundem à Generositate Vestra expectantes.

Procul absit à nobis abominatio *Midianitarum*, qui mutuis telis sese confecere, & malum Israëlis, quum Ephraim contra Manassem & Manasses contra Ephraim insurrexêre, & ambo simul contra Iudam; indubitatum sanè axioma *Apostoli: Certe si nos in vicem mordemus & cädimus, consumemur*; potius cum populo Dei *unum quasi corpus* simus, & ambulemus *quasi unus homo.* sit Anglia uti olim *seminarium hominum piorum*; qui defendant bona & libertatem nostram; sit *Belgium* vice versa propugnaculum hujus Status, contra omnes, qui moliuntur quicquam adversus libertatem hujus Regiminis, pro æquali interesse harum Nationum; quisquis invaserit Vestram libertatem, Rempub. nostram offendisse credatur; quisquis provocaverit Statum nostrum, vires Vestras provocasse sentiat.

Eâ intentione nomine dominorum ac superiorum nostrorum proponimus, *ad gloriam divini nominis, propagationem veritatis ejusdem, protectionem domesticorum fidei*, libertatem Status nostri, immunitatem populorum nostrorum, & legitimam defensionem communis utriusque interesse, fiat stricta, fida, firma, perpetua unio utriusque Reipub. & Nationum, omni meliori modo, unâ cum in-interesse ac expressione solidissima ac intrinseca, quæ fuit unquam inter duas Respub. aut quam solidissime stabiliri poterit. Utque eò magis firmum, solidum, ac strictum vinculum hoc sit, ad prædictum finem extendatur & ad alios Status Protestantes Christianitatis, & eos qui protegunt ac fovent in suis Dominiis liberum exercitium *Orthodoxæ ac Reformatæ Religionis.* Pro majori Securitate mutuâ, ab alterutrâ Parte nullatenus tractetur *Confœderatio vel Unio* cum quacunque Republ. Principe aut Magnate Europæ, absque præscientia & communicatione alteri facta, ut comprehendi possit, si ex re ipsius visum fuerit: omnino verò in dictis Confœderationibus & Unionibus nihil concludatur aut definiatur, quod ullatenus præjudicare minus contrarium esse possit Articulis strictæ ac solidæ hujus *Vnionis*: quam constare debere credimus inter binas hasce Respublicas. Quemadmodum verò harmonia & concentus ejusmodi Unionis *basis solida* ac firma esse debet, cui instrui postmodum possint interesse ac commoda singularia, Domini Ordines Generales Superiores nostri, ea de re propositionis initium fieri debere judicarunt, nosque ad minutiora quævis eò tendentia instrui curarunt; proinde Illustrissimas Dominationes Vestras officiosissimè rogamus, prævia matura deliberatione Commissarios benè informatos concedere nobis velint, quibuscum de rebus eò spectantibus specialius conferre ac disquirere liceat, ac siquidem temporis momentum quoad hanc rem, diversis ex rationibus æstimandum, insuper petimus, ut quantocius propter alia negotia ardua Illustriss. hujus Consilii fieri possit expediat. Dabant Westmonaster. 28. Octobr. styl. vet. & 7. Novemb. styl. nov. 1653.

Diebus decimo & duodecimo tam in Concilio & præsente Militiæ Imperatore *Cromvvello*, quam coram Commissariis repetita & multis verbis proposita fuere vetera illa sæpe inculcata de conservandâ & protegendâ *Reformatâ Religione*, de respectu *domesticis fidei* debito; ad eum finem esse necessarium inter utramque

Nnnnn Rempub.

Rempub. pacis studio incumbere; bonum fore, si extemplò jam Pactum fieret in terminis generalibus de *protegenda dicta Religione*; & quod Fœderati bonis oculis non possent aspicere eos qui eam Religionem ejusque asseclas vellent opprimere; sed eam & eos pro temporis occasione juvarent iis mediis de quibus tum conveniretur. extendendumque ideò Fœdus & ad eos Principes qui vel Religionem Protestantem profiterentur, vel tolerarent. quod postremum verbum respiciebat Galliam.

Et quantum ad arctam Fœderationem Unionemque: eam paucis posse describi verbis: *fore mutuam defensionem alterutrius Status, ejusque quod utriusque interesset; ut alter alterius libertatem & commercia, omnibus viribus terra marique contra omnes qui ea vellent turbare, juvaret.* Solummodo spectari debere media ad eum finem tendentia, an nempe auxilium illud in genere esset promittendum, an vero cum expressione numeri Equitum, peditum, & navium. petentes ad illud declarationem Consilii Anglici. ut adhuc eadem illa Sessione isti Articuli pro certis utrinque statuerentur. De *Commercio* & similibus postea agi posse. Deinde iterum quoque de inclusione *Sueciæ, Daniæ, Helvetiæ, Principumque Germaniæ* protestantium sermo factus. Circa hoc tempus discessit Reginæ Sueciæ Ablegatus *Lagerveldius*; qui quoad oblatam à Regina interpositionem Responsum habuit; *Laudatum à Parlamento bonum Regiæ Suæ Majestatis Zelum: Parlamentum sperare & Deum precari, ut corda animosque Ordinum Generalium ad pacem velit disponere.* Unde apparuit Anglos æque ac Batavos à mediatione extranea abhorrere; & sua quosque ipsos agere voluisse.

Die 27. Novembris denuo fuit conventus: in quo Generalis *Cromwellus* ipse multa de optima Parlamenti ad pacem & firmam Unionem cum Fœderato Belgio inclinatione præfatus est: ad eum finem *coalitionem* inter utramque Nationem à sese propositam, per quam utriusque commoda ita fuissent permixta, ut nulla plus restaret differentia; quod medium quia Delegatis non placuisset sed *Fœdus, Unioque multo quam ante hàc arctior* ab iis proposita esset, se quoque paratos de ea cum iis conferre, protestantes coram Deo cordium scrutatore, & quem nihil latet, se odisse bellum, pacemque quærere, præsertim cum Fœderatis Belgis. Quanvis autem putarent se magnas habere rationes cur adhuc urgere possent præliminaria de *Satisfactione* & *Securitate* puncta, ut quæ inter novissima dissoluti Parlamenti retroacta inveniebant, tamen ulterius sese cogitationes suas aperturos. intentionem utrinque non debere esse de facienda *Pace ac Unione* parvi temporis, sed æternam; propterea tollendos omnes scrupulos, qui occasionem novis litibus possent dare; clare ponendum cujusque *jus* & *proprietatem*. itaque ante omnia annui debere ad Anglos pertinere *Dominium Maris* & *Piscationem*: Hisce præmissis & concessis, de reliquo parum fore difficultatis.

Responderunt Deputati (protestando tamen nihil horum discursuum, vel pactorum in specie forte concessorum, fore obligatorium nisi toto Tractatu concluso) Fœderatos Belgas non negaturos *honorem & respectum in mari*, quales ante hac à sua natione Anglicæ fuissent exhibiti: & quantum ad *Piscationem*; orare ut prius de Articulis strictæ *Unionis* conveniretur: postea tempus fore de *Commercio* & *Piscatione* loquendi. Angli replicarunt responsum *Deputatorum* non ad rem fuisse:

fuisse: jus suum de *Dominio Maris* & *Piscatione* nullum admittere dubium vel æquivocationem. *Deputati:* se clare satis & distinctè ad utrumque Punctum respondisse: tamen hoc addere: Mare considerari vel quoad *respectum* quem una natio alteri, obviando, defert, vel quoad *liberum* ejus usum. Quoad primum se explicasse. Secundum iterum esse bimembre: vel quoad simplicem ejus usum; qui omnibus patet: vel quoad peculiares aliquos fructus, & emolumenta inde provenientia: quæ proprietati privatæ alicui possunt esse subjecta. de quibus iterum ajebant, cum ad Punctum Commercii deventum foret, Tractationem fore commodam. *Angli* iis non contenti priora sua urgere, & disertam ad ea declarationem petere: & quia antehac Fœderati Belgæ sua *triginta sex Articulis* incluserant, Angli vicissim sua *viginti septem* quibusdam Articulis postulata exhibuere. Talem Tractatum talesque Articulos Angli affirmabant futurum *arcti*, *stricti*, & *æterni* Fœderis fundamentum; quod omnem inposterum occasionem & materiam novarum litium & motuum præveniret & tolleret.

Articuli Pacis, Vnionis, & Confœderationis inter Rempub. Angliæ atque Ordines Gener. Fœderati Belgii, ejusdemque Delegatis propositi die 28. Novemb. 1653.

1. Quod ab hoc die sit vera, firma, & inviolabilis Pax, Amicitia sincera, intimior atque arctior affinitas, Confœderatio, & Unio inter Rempub. Angliæ atque Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum, Terras, Regiones, Civitatesque sub utriusque Ditione positas earumque Populos & Incolas cujuscunque demum gradus fuerint.

2. Uti inposterum omnis hostilitas, inimicitia, discordia, & bellum inter dictas Respub. earumque populares & subditos cessabit: atque utraque Pars omnibus læsionibus, direptionibus, deprædationibus, injuriisque per terram, mare, & aquas dulces in omnibus suis terris, ditionibus, dominiis, locis, & præfecturis quibuscunque deinceps abstinebit.

3. Naves cum bombardis, totoque apparatu suo nec non & bona, merces, cæteraque, quæ Anglicana Respub. mari, portu, terrave à populo Unitarum Provinciarum abstulit à decimo octavo die Maji 1652. *in partem satisfactionis & compensationis pro illatis damnis & sumptibus ab Angliæ Repub. in hoc bello factis recensebuntur: atque Ordines Generales compensationis damnorum nomine uti prædictum est eam summam Reipub. Angliæ amplius dependent, eoque modo, prout posthac in hoc tractatu convenerit.* Atque ita omnes offensæ, injuriæ, sumptus & damna quæ pars una ab altera pertulit, delebuntur, atque è memoria eradentur, eo modo, quo neutra dictarum partium alteri negotium facesset, ob aliquod damnum, offensam, deprædationem, læsionemve in hoc bello factam, perlatam aut commissam, sed omnium uniuscujusque eorum perfecta erit, hunc in usque diem, abolitio. Atque omnes eo nomine lites atq; actiones cassæ nullæque erunt, exceptis iis deprædationibus, quæ in *Maribus Britannicis* committentur post spacium duodecim dierum, atque intra *Maria Britannica* & Æquatorem post spacium *decem* hebdômadum, atque ultra Æquatorem post spacium octimestre à Publicatione Pacis numerandum, vel

immediate poſt ſufficientem notitiam pacis in dictis locis factam. Atque omnes deprædationes, damnorumque illationes quæ ab alterutra Parte, poſt tempora præfinita vel notitiam ante dictam, factæ ſeu commiſſæ fuerint, in rationum reddendarum tabulas referentur; quæque ablata ſunt reſtituentur, damnaque inde naſcentia compenſabuntur.

4. Uti omnes bello capti, cujuſcunque gradus ſeu quocunque loco ſint, libere abſque pretio utrinque dimittantur.

5. Uti ambæ Reſp. maneant amici Confœderati, neceſſitudine atque amicitiâ conjuncti ad libertatem atque immunitatem populi alterutrius contra quoſcunque demum tuendas, qui utriuſque ſtatus Pacem terra marive diſturbare conabuntur, vel qui infra alterutra dominia degentes publici libertatis populi hoſtes denunciabuntur.

6. Quod neutra dictarum Rerump. quicquam aget, faciet, molietur, tractabit, aut attentabit adverſum alteram vel populum alterutrius, quocunque in loco, ſive terra, mari, portubus, diſtrictibus, ſinubus atque aquis dulcibus, quacunque occaſione; nec earum altera vel populus alterutrius dabit, præſtabit, vel ſubminiſtrabit ullum auxilium, Conſilium, ceu favorem, neque quicquam agi, tractari, vel attentari ab alio quoviſcunque aſſentiet in damnum aut præjudicium alterius, ſed omnibus & ſingulis degentibus vel commorantibus intra alterutram Remp. vel intra unius vel alterius dominia exiſtentibus, qui contra alterutram Rempub. quicquam facient, tentabunt vel attentabunt, utraque expreſſè & cum effectu contradicet, renitetur atque impedimentum realiter præſtabit.

7. Prædictæ Reſp. renunciabunt, ſicut his præſentibus alterutra earum renunciat, cuicunque ligæ, Fœderi, Capitulationi, atque intelligentiæ ab alterutra earum initis, in damnum vel præjudicium alterius, quæve ſuæ Paci & concordiæ in quacunque ejus parte contravenient vel ullatenus repugnabunt, ſed ea omnia & ſingula in omnibus huc ſpectantibus caſſabunt, reſcindent, irritaque & inania permanebunt.

8. Quod neutra Reſp. neve ullus ex populo alterutrius Incolis, aliiſve in earum ditione commorantibus alterutrius Reipub. hoſtes aut rebelles quocunque ſubſidio, Conſilio, ſtudio fovebit vel adjuvabit, ſed expreſsè contradicet atque efficaciter obſtabit, ne quid auxilii aut adjumenti ab ullo, qui aut ex populo, Incolis vel commorantibus in alterutra Repub. fuerit, ullis iſtiuſmodi hoſtibus, aut rebellibus prædictis, ceu ſint viri, pecuniæ, naves, arma, bellicus apparatus, commeatus, ſeu victualia, aliave bona interdicta mari vel terra ſubmittantur aut ſuppeditabuntur. Atque omnes naves, pecuniæ, arma, bellicus apparatus, commeatus aliave bona interdicta ad quamcunque perſonam vel perſonas pertinentia quæ contra ſenſum hujus Articuli ſubmittentur aut ſuppeditabuntur eidem Reip. addicentur & in fiſca cedent. Quin & ii qui ſcientes & volentes quicquam contra ſenſum hujus Articuli fecerint, commiſerint, attentaverint, conſenſumve dederint, utriuſque Reip. hoſtes judicabuntur, in eaque Repub. ubi id commiſſum fuerit *perduellionis pœnas luent*.

9. Utraque Reſp. ſibi mutuo ſincerè & fideliter prout opus fuerit contra alterutrius hoſtes & rebelles terra marique opem feret, viris, & navibus, ea propor-

portione, eoque modo & iis conditionibus de quibus postmodum convenerit, prout necessitas & rerum alterius ratio tulerit; sumptu tamen & impensis illius Partis quæ auxilium rogaverit.

10. Quod neutra dictarum Rerumpub. populusve alterutrius hostem vel hostes, rebellem vel rebelles, profugum vel profugos alterutrius Reipub. declaratos vel declarandos in ejus dominia, terras, Regiones, portus, sinus, aut districtus eorum aliquod recipiet. Neque iis vel eorum alicui in prædictis locis vel alio quocunque etiam extra sua dominia, Patrias, Regiones, terras, portus, sinus aut districtus auxilium, Consilium, hospitium, milites, naves, pecunias, arma, apparatum bellicum, vel commeatum concedet, præbebit, aut ministrabit, neve alteruter status istiusmodi hostes, rebelles, profugos, à quacunque personâ vel personis recipi permittet in sua dominia, Patrias, Regiones, terras, portus, sinus, districtus, nec istiusmodi hostibus, rebellibus, profugis ullum auxilium, hospitium, Consilium, favorem, arma, apparatum, milites, naves, pecunias, aut commeatum præstari, ministrari, & concedi permittet, sed expresse & cum effectu contradicet, obstabit, atque impedimentum realiter præstabit.

11. Quod si alterutra dictarum Rerump. aliquem vel aliquos suum vel suos fuisse & esse hostem, rebellem vel rebelles, profugum vel profugos, & in sua dominia, patrias, territoria, portus, districtus, vel eorum aliquod receptum vel receptos esse, aut ibidem commorari, latitare, vel profugium sibi quærere per literas suas publicas & authenticas alteri significaverit & declaraverit, tunc illa Resp. quæ hujusmodi literas acceperit cui taliter significatum fuerit, intra spacium 28. dierum à die productæ significationis proximè & continue numerandum tenebitur dicto hosti vel hostibus, rebelli vel rebellibus, profugo vel profugis præcipere & mandare, ut extra dominia sua, Patrias, Regiones, &c. & earum quodlibet singuli recedant vel exeant. Et si quis prædictorum hostium, rebellium, profugorum intra *quindecimam* diem à die hujus præcepti & mandati non recesserit, singuli morte & amissione bonorum mulctabuntur.

12. Quod nullus rebellis hostisve publicus Reip. Angliæ in aliqua castra, oppida, villas, portus, districtus, vel alia loca sive privilegio donata sive non donata quæ *Princeps Arausionensis, Princeps Maria Guilielmi Principis Arausionensis defuncti* vidua vel alia aliqua persona cujuscunque status vel conditionis existat intra dominia & territoria Fœderatarum Provinciarum quocunque jure vel titulo tenet vel possidet, vel deinceps tenebit vel possidebit, recipietur. Nec in ea per dictos Principes aut per aliam quamcunq. personam recipi vel in iisdem commorari permittetur. Neque demum Ord. Gen. Fœderat. Provinc. alicui hujusmodi rebelli aut hosti pub. in locis prædictis, in navibus, militibus, pecuniis, commeatu aut alio quocunque modo auxilium, Consilium, aut favorem per dictum *Principem* aut *Principissam* vel aliam quamcunque personam de cætero dari aut præstari permittent, verum id publicè & disertè prohibebunt atque efficaciter impedient. Et si *Princeps Arausionensis, Principissa Maria*, seu quæcunque persona vel personæ manens vel manentes infra dominia Fœderatarum Provinciarum, earumve potestates, contra hujusmodi conventionem aliquid fecerit, quod tunc tam *præfati Princeps & Principissa*, quam omnes & singulæ personæ taliter facientes omnibus hujusmodi *castris*,

ſtris, villis, oppidis, prædiis, cæteriſque locis, quæ illi vel eorum alter eo tempore habent vel habet, vel quocunque jure aut titulo ſe habere prætendent aut prætendet, pro termino vitæ ſuæ *exuentur & privabuntur. Et quod neque dicti Ordines Generales Fœderatarum Provinciarum ullive ex Ordinibus Provincialibus earundem Provinciarum quocunque demum tempore eligent, conſtituent aut præficient dictum Principem Arauſionenſem nuperi Regis Angliæ ex filia nepotem ullumve ex illius ſtirpe oriundum Capitaneum Generalem, gubernatorem ceu præſidem primarium, ſive Stadthouder, imperatorem exercituum ceu militiæ in terra, præfectum alicujus ſui oppidi, urbis, caſtri, munimenti, Admirallum, vel prætorem claſſium, navium, copiarumve maritimarum, earumve alicujus: quin hæc omnia & ſingula ſimul & omnes conatus & molimina huc ſpectantia efficaciter impedient, iiſque realiter & expreſſe & cum effectu contravenient.* Pariter nullus rebellis hoſtiſve publicus Ordinum Fœderatarum Provinciarum in caſtra, oppida, portus, cæteraque loca earumve aliquod ſive privilegio donatum ſive non donatum, quod quælibet perſona vel perſonæ cujuſcunque ſtatus aut dignitatis exiſtat, aut exiſtant, quocunque jure ac titulo tenet vel tenent, poſſidebit vel poſſidebunt, infra Rempub. Angliæ vel dominia ejus recipietur vel à quacunque perſona vel perſonis recipi inibique verſari permittetur. Neque Reſp. Angliæ alicui hujuſmodi rebelli, hoſtive pub. in locis prædictis, in navibus, militibus, pecuniis, commeatu, aut alio quocunque modo auxilium, Conſilium, favorem per aliquam cujuſmodi perſonam vel perſonas cujuſcunque gradus ſit de cætero dari aut præſtari permittet, ſed publicè & diſertè prohibebit atque efficaciter impediet. Et ſi quis è popularibus Reipub. Angliæ vel infra illius poteſtatem contra hujuſmodi conventionem quicquam fecerit vel attentaverit, omnes & ſingulæ perſonæ taliter facientes omnibus iſtiuſmodi, caſtris, oppidis, villis, prædiis, cæteriſque locis, quæ illi vel eorum alter id temporis habent aut habet, vel quocunque jure & titulo ſe habere prætendent aut prætendet, pari modo pro termino vitæ ſuæ exuentur & privabuntur. Et ſi quis conabitur dictum *Principem Arauſionenſem ullumve ex ejus ſtirpe oriundum Capitaneum Generalem, Gubernatorem, Stadthouder, Imperatorem, ductorem exercituum & terreſtrium copiarum, ſive præfectum alicujus oppidi, urbis, caſtri vel munimenti, Admirallum claſſium, navium, viriumque maritimarum*, earumve alicujus conſtituere vel præficere, tum Reſpub. Angliæ id prius rogata ſub iis legibus & conditionibus de quibus poſtea convenerit ad hæc prævertenda atque impedienda terra marique armatâ manu ſuppetias ferre tenebitur.

13. Quod Reſpub. Angliæ, Populuſque Anglicanus omneſque ejus Reip. Incolæ, item prædictæ Fœderatæ Provinciæ earumque populus & Incolæ cujuſcunque ordinis & conditionis ad ſeſe mutuo rebus omnibus humaniter atque amicè tractandum obligabuntur uti terra vel aquâ alterutrius Regiones, oppida, pagos, ſive muro cincta ſeu non, munita vel non munita, portus etiam & ditionem univerſam per omnem *Angliam*, *Scotiam*, *Hyberniam*, per omnes itidem Fœderati Belgii Provincias libere & ſecurè adire poſſint, in iiſque verſari & commorari quandiu voluerint, ibique ſine ullo impedimento commeatum ſuis uſibus quantum neceſſe erit, coëmere, atque etiam negotiari, & mercaturam facere quocunque mercium genere iis videbitur, eaſque advehere ſuo arbitratu, aut exportare, dummodo, quæ ſtatuta ſunt portoria, ſolvant: Salvis etiam alterutrius pariter Reip. legibus & ſtatutis omnibus.

14. Uti

14. Uti Incolæ & Subditi Fœderatarum Provinciarum cum navibus & navigiis suis Mercatoriis liberè navigent, vela faciant, ultro citroque commeent, in maribus magnæ Britanniæ & Hiberniæ Insulisque in iis sitis (quæ Maria Britannica vocantur) absque damno aut injuria à navibus aut populo hujus Reipub. iis inferendis, sed è contra omni favore, amicitiâ, omnique meliore modo tractabuntur & excipientur. Quin etiam cum bellicis per dicta Maria navigent, eant, redeant, tamque ad regiones quam à regionibus cis ea *vela facient modo numerum in hoc Tractatu definiendum non excesserint*: Sin vero Ordines Generales majorem navium bellicarum numerum in istæc maria mittere apud se statuerint, ejus rei notitiam dictæ Reip. Angliæ *ante trimestre spacium* facere tenebuntur, & priusquam istæc Maria intraverint, licentiam ab eâ impetrabunt, ne forte prava inter utramque Remp. suspicio suboriatur.

15. Quod naves & navigia dictarum Fœderatarum Provinciarum, tam bellica & ad hostium vim propulsandam instructa sive singula, sive in classibus quæ navibus bellicis hujus Reipubl. Angliæ cive militantibus & vexillum ejus præferentibus, obviam dederint, vexillum suum è mali vertice detrahent, & supremum velum demittent, donec præterierint; & si postulatum fuerit, *se visitari sinent*, omniaque alia debita recognitionis & honorum officia dictæ Reipubl. Angliæ, ad quam *Dominium & imperium Maris Britannici ex jure pertinent*, præstabunt.

16. *Et quemadmodum Resp. Angliæ sibi propositum esse jamprius declaraverit se velle de tempore in tempus sufficientem navium armatarum numerum in custodiam & tutelam navium emittere atque in iis Navigationem, Mercaturam, & commeatum tuta & secura præstare contra pirata, prædones, omnesque alios, qui ea interruptum ibunt*: Ita in majorem Commercii & Navigationis libertatem conventum est, quod neutra Rerump. in portus suos, urbes, aut oppida recipiet, aut sinet ut ullus ex populo & Incolis alterutrius recipiat piratas aut prædones, iisque hospitium, auxilium, aut commeatum præbeat; verum operam dabit ut prædicti piratæ, prædones, aut eorum participes conscii & adjutores in aliorum terrorem investigentur, capiantur & merito supplicio puniantur, omnesque naves, bona & merces piraticæ ab iis captæ atque in portus alterutrius Reip. advectæ quæ quidem inveniri poterint, imo etiamsi venditæ sint, justis Dominis restituantur, aut satisfactio dabitur vel earum Dominis, vel iis qui per literas procurationis eas res vendicaverint, modo jus dominii *debitis ex lege probationibus in Curia causarum maritimarum appareat*.

17. Populus & Incolæ dictarum unitarum Provinciarum cujuscunque status aut conditionis fuerint cum naviculis suis halecariis (quas Busses vocant) cæterisque navigiis hunc in finem & usum paratis pro termino *viginti & unius* Annorum, proximè insequentium, de tempore in tempus liberè navigent, haleces & piscium omne genus venentur & capiant in quibuscumque oris aut maribus magnæ Britanniæ & Hiberniæ, cæterarumque Insularum adjacentium, in quibus locis quoquo modo ad piscandum prius admissi fuerint. Cujus nomine & respectu Ordines Generales unitarum Provinciarum durante hoc termino in pub. hujus Reip. ærarium in urbe Londino summam . . . . . duabus æqualibus solu-

solutionibus singulis 24. die Junii & 24. die Decembris pendent solventque: primaque solutio 24. die Junii proximè insequenti incipiet.

18. Si alterutra Rerumpub. Angliæ & Fœderati Belgii ullum Fœdus, amicitiam, aut necessitudinem cum aliis quibuscunque Rebuspub. Principibus aut Statibus contrahet aut paciscetur, una alteram ejusque dominia in iis, eorumve quælibet comprehendet, si comprehendi voluerit. Atque de omnibus istiusmodi amicitiæ & Fœderationis Tractatibus alteram certiorem reddet.

19. Quod si acciderit ut quandiu Fœdus, amicitia & societas hæc duraverit, ab ullo ex populo aut Incolis alterutrius Partis contra hoc Fœdus aut ullum ejus membrum mari, terra, aut aquis dulcibus quicquam fiat aut tentetur: amicitia hæc, Fœdus aut Societas, inter has nationes, idcirco non interrumpetur aut infringetur, verum integra nihilominus perstabunt, vimque suam plenariam obtinebunt. Tantummodo illi ipsi, qui contra Fœdus prædictum commiserunt, singuli punientur, & nemo alius: justitiaque reddetur & satisfactio dabitur illis omnibus quorum id interest, ab iis omnibus qui terra, mari, aut aliis aquis contra hoc Fœdus quicquam commiserint ulla in parte Europæ aut ubivis locorum, intra fretum Gaditanum, sive in Americâ vel per Africæ littora, ullisve in terris, Insulis, aut æquoribus, æstuariis, sinubus, fluminibus, aliisve in locis cis Caput Bonæ Spei, intra anni spatium quam justitia postulabitur, in omnibus autem uti supradictum est, ultra prædictum Caput, locis, intra Menses octodecim, quam justitia poscetur. Quod si verò Fœderis ruptores non comparuerint, neque se judicandos submiserint, neque satisfactionem dederint, intra hoc vel illud temporis spacium, pro loci longinquitate modo constitutum, prædicti illi utriusque partis hostes judicabuntur, eorum bona, facultates, & quicunque reditus publicabuntur, plenæque ac justæ satisfactioni impendenda erunt, earum injuriarum, quæ ab ipsis illatæ sunt: ipsique præterea, cum in alterutrius partis potestate fuerint, iis pœnis obnoxii erunt, quas suo quisque crimine commeruerit.

20. Quod populares Reip. Angliæ, quique sub ejus ditione fuerit, liberè, tuto, ac securè in Fœderati Belgii Provinciis, perque eas terrâ vel aqua ad ulla in iis loca vel extra eas iter facere; perque ulla earum oppida, præsidia, munimenta quæ ullis in locis Fœderatarum Belgii Provinciarum erunt, mercaturam in omnibus illis locis facientes, eorumque negotiatores, institores, famulive armati sive inermes (armati autem non amplius quadraginta simul) tam sine bonis suis & mercimoniis quam cum iis quocunque ire voluerint. Poterit item populus & Incolæ Fœderati Belgii ea libertate frui omnibus ullisve per Angliam, Scotiam, & Hyberniam locis; dummodo in hujusmodi Commercio & Mercatura singuli alterutrius Reip. legibus & statutis utriusque pareant.

21. Quod Mercatores, naucleri, gubernatores, & nautæ alterutrius Reip. eorumve naves, bona, aut mercimonia in terris, portubus, navium stationibus aut fluminibus alterius non prehendentur, vel sub arresto detinebuntur ex edicto quovis generali aut speciali sive ad bellum sive alium quemlibet usum: nisi summâ necessitate cogente, justâ etiam satisfactione ob id datâ. Ita tamen ut detentionibus & arrestationibus, quæ ex jure & legibus alterutrius Reip. recte atque ordine fiunt, nihil hinc derogatum sit.

22. Uti

22. Uti Mercatores utrinque eorumque institores & famuli etiam naucleri aliique nautæ tam eundo quam redeundo navibus per maria aliasve aquas, quam in portubus alterutrius aut in terram egressi sui suorumque defendendi causa, omne genus arma, tam offensiva quam defensiva, gestent utanturque, verum ubi ad sua quisque hospitia pervenerint ibi arma sua deponent donec rursus ad navem se receperint aut eo commeare velint.

23. Quo utraque Resp. arctius quam hactenus consocientur, liceat cuivis ex populo, indigenis, aut Incolis Fœderati Belgii aut illorum intra 17. Provincias locorum quæ aut in earum Societate ac ditione sunt(siquidem ReformatamReligionem sequantur & cum sua familia & facultatibus inAngliam commigraverint) liberè illic permanere, habitare, mercaturam facere, agros atque ædes emere, hæreditates adire, sibique &hæredibus possidere, omnique ea libertate, iisque privilegiis & immunitatibus frui cujuscunque generis, quibus ullus hujus Reip. indigena vel natali jure vel ulla lege, consuetudineve frui queat ac debeat. Modo omnibus in rebus hujus Reip. legibus & receptis moribus pareant, quemadmodum ipsos indigenas parere æquum est; parique libertate ac Privilegiis quivis ex populo hujus Reip. quibusvis in terris, urbibus, oppidis, aliisque locis vel Fœderatarum vel Provinciarum, quæ in earum societate vel ditione sunt, itidem frui possit.

24. Quod naves præsidiariæ seu bellicæ alterutrius Reip. quancunque in mari navem vel naves mercatorias quæ ad alteram vel alterius populum aut Incolas aut ad ullos sociorum hoc Fœdere comprehensos pertinuerint, quæ eundem cursum tenuerint, idemve iter fecerint, obviam habentes aut assequentes, iis præsidio esse easque defendere tenebuntur, quandiu eundem cursum tenuerint, contra omnes & singulos, qui eas vi adoriantur.

25. Si qua navis aut naves quæ populi aut Incolarum alterutrius Reipub. aut Neutralis alicujus fuerint in alterutrius partibus à quovis tertio capiantur qui ex populo aut Incolis alterutrius Reip. non sit; illi quorum in portu, aut ex portu, aut quacunque ditione, prædictæ naves captæ fuerint, pariter cum altera parte operam dare tenebuntur in prædictis navi vel navibus insequendis, ac reducendis suisque dominis reddendis. Verum hoc totum fiet Dominorum impensis, aut eorum quorum id interest.

26. Quod scrutatores cæterique id genus officiales ex utraque parte ad normam legum alterutrius Reipub. sese dirigent, neque plus imponent, exigentve, quam per autoritatem sibi commissam & accepta mandata licuerit.

27. Si qua injuria ab alterutra Repub. vel populo aut Incolis, alterius populo aut Incolis illata fuerit sive contra ullos hujus Fœderis Articulos sive contra jus commune; uti nullæ litteræ *Repressaliæ*, *Marcæ* aut *contra Marcæ*, ab alterutra concedantur; donec justitia juxta leges ordinarias prius postuletur. Sin autem illic Justitia denegetur vel in longum protrahatur, tum uti summus ejus Reipubl. Magistratus sive ejus delegati, cujus populus aut Incolæ injuriis affecti sunt, ab illâ alterâ Rep. in qua justitia, ut supradictum est, denegatur, aut differtur, aut ab illâ potestate quæ hujusmodi postulatis audiendis constituta erit, publicè justitiam postulent, ut omnes hujusmodi lites vel amice componantur, vel ordinario le-

gum processu. Sin autem mora adhuc interposita erit, neque jus reddetur neque satisfactio dabitur, intra *quinquaginta* dies, quamquam hujusmodi postulatio lata fuerit, tum demum uti literæ *Repressaliæ*, *Marca* vel *contra Marca* concedantur.

Deputati illis Articulis bene consideratis, voce & discursu primum declararunt Ordinibus Generalibus non minus quam Parlamento Angliæ propositum esse firmum & semper duraturum facere Fœdus sed sicuti proposita in Augusto Mense *Coalitione* Angli dixerant eâ admissâ cessare omnem de dominio maris & piscationis disputationem: sic quoque semel posito & concluso *Fœdere*, *Pace*, *Unione*, *& amicitiâ æternâ*, *tanquam solido fundamento*, debere cessare scrupulosam disceptationem de *dominio maris* & *piscatione*, quibus utique tam Belgæ Fœderati quam omnes Nationes usi erant ab omni ævo. Commiscere & confundere formam regiminis utriusque Nationis pugnaturum cùm natura & praxi: sed si spectentur *commoda*, Privilegia, jura, immunitates: ea omnia æque per *arctum Fœdus* ac per sic dictam *Coalitionem* communicatum iri; nomine tantum differre. *Generalis Cromwellus* ad ea, quia, inquit, vobis iterum de *Coalitione* placuit verba facere, eamque juxta vestram explicare & applicare opinionem, sciendum Concilii propositum & unicam intentionem esse ea reperire media, quæ firma atque secura forent, non autem in *vanâ verborum pronunciatione & simplici imagine* consisterent, quæque non solum præsentis temporis litigia sed & futura tollerent. Ea autem in propositâ à nobis *Coalitione* resident. Ut quâ, sine ullo discrimine, exceptâ solâ justitiæ administratione juxta leges municipales, tota *supremitas* & Regimen & quicquid inde dependet inter duas Respublicas & Nationes fieret commune. Sed quia hoc declinastis & *arctum Fœdus atque unionem* cum distinctione privatorum cujusque *commodorum*, vel ejus quod cujusque Reipub. interest, prætulistis, Concilium quoque eo sese duci passum est. Itaque media sunt invenienda, quibus jam & in futurum tollantur omnia incommoda, & tranquillitas utrinque firmetur. Quod autem nunc de *mutilatâ* quadam *Coalitione* proponitis, videtur provenire *ex defectu mandati*: ut aliquid saltem producatis. Talem enim propositionem à tam honorabilibus & sapientibus Ministris exspectare non poteramus. Postea iterum multa locutus est de sincerâ Concilii intentione & affectione erga Fœderatum Belgium: & *Angliam* ipsam Parlamento non Cariorem esse, quam dicti Belgii Curam; sese propterea *Coalitionem* proposuisse, &, si rectè res perpendatur, Anglos in eâ non alium habere scopum, nec alios expectare fructus quam *Pacem* & *Securitatem*, commoda autem omnia & prærogativas ad Fœderatum *Belgium* venturas. Quo fine multum discurrebat de situ & conditionibus suarum regionum, portuum, & costarum; de suis piscationibus; de Navigatione ad suas Insulas; emtione terrarum, constitutione pecuniarum ad magnos reditus seu fœnus, & similia; concludens: Anglos à sua parte, quod utile & rationi conveniens erat, obtulisse & in animo suo quietos esse, &, si Deputati non majorem sinceritatem & confidentiam declararent, sese nullum bonum ex hac Negotiatione successum expectare. Deputati, re inter sese in angulo Conclavis parumper deliberata, responderunt, sese candide & sincere exposuisse id quod conducibile & maxime ad usum putassent; sese post fidelem principalibus suis factam relatio-

nem

nem de subjecto *Coalitionis* non aliter posse loqui, paratos de materiâ *arctæ & firmæ Unionis* conferre & demonstrare, Pacem & Securitatem, quæ Angli in *Coalitione* quærebant, in unione inveniri plenè posse, facile item probatu esse, omnia illa per Anglos enumerata commoda æque in Fœderatis Provinciis, imo plura indigitari posse; &, si rotundè, uti promissum, esset procedendum, quia, quoad *firmam Unionis colligationem*, Angli à Deputatis primam expectabant aperturam, declarare se in mandatis habere ut *Ordines* obligent & promittant, libertatem Anglici Regiminis & populi & communia commoda juvare, conservare & defendere, contra omnes sine discrimine, qui eam vellent turbare vel impedire; terra vel mari, cum omnibus viribus & mediis, & tali modo uti mutuò convenirent; Sese non posse comprehendere, quam majorem magisque sufficientem formam *Pacis & Securitatis* possent invenire in sua *Coalitione*: itaque consequens esse, in re tanti momenti solummodo laborari *de verbis*: & quoad prætensa *commoda* modeste responderunt, libenter se agnoscere, *Anglis* quoad *situm* & locorum naturam multas à Deo prærogativas esse datas: sed & Fœderatum *Belgium*, per Dei gratiam, multis quoque commoditatibus esse donatum. Angustiamque vel breve spacium costæ maritimæ & portuum compensari multitudine fluviorum totius terræ firmæ, per dictum Belgium effluentium, & tot aliis notabilibus commodis magno item numero maritimarum & mercaturâ florentium Civitatum, in tam parvo quamvis districtu: deinde nihil de *juribus & libertatibus*, quæ ipsius Excellentia enumeraverat in *Anglia* esse, *Belgio* deesse; & quod plus est, Anglicam Nationem jam nunc effectivè, uti & dudum antea, usam fuisse iis, quæ jam demum *Belgis* à sua Excellentia offerebantur. Posse enim jus Civitatis in Belgio emi, eoque modo de omnibus Privilegiis gauderi, bona immobilia possideri, suis hæredibus relinqui, non plusquam indigenas onerari, &c. *Excellentia Sua* aliquantum cum suis in alio conclavi locuta, paulo post rediit, prolixum denuo discursum sed revera nihil, nisi repetitionem priorum continentem, fecit; *Coalitionem* non alio fine propositam, quam ut satisfactionem, Pacem & Securitatem invenirent; comparationem *Coalitionis* & *Unionis* nullo niti fundamento; Speciosa verba *Supremitatis* non esse magni momenti, se eam non pluris facere quam plumam in pileo: & onus Regiminis non magis quam *bullam* æstimare, scire se quam carò Fœderati Belgæ emerant libertatem & quam magno æstimarent, tamen oblata ab Anglis commoda debere esse supra omnes considerationes: absque jactantia se dicere posse, suas terras sic constitutas esse, ut absque Fœderatis *Belgis* & eorum ope per totum mundum possent navigare & commercari. *Belgas* autem absque Anglia non posse; Scire se quos amicos quos inimicos haberent, denotando *Austriacos*, scire quoque eosdem Anglis non bene velle; utriusque propterea nationis scopum & curam debere esse, ut se obfirment: eas duas nationes bene conjunctas nihil habituras quod metuant & quoad Commercia toti mundo leges scribere posse. Tandem iterum de *mari* & *piscatione* mentio fuit: de iis ante omnia conveniendum &c. Ad quæ, sicut antea, responsum & repetitum fuit: atque ita discessum.

In dictis 27. Articulis non sine dolore viderunt Deputati, ea quæ in colloquiis amicabiliter & cum quodam candore erant dicta, *verbis acribus* esse scripta, quædam etiam nova inserta; quæ spem successus valde amputabant. Itaque omnino

consultum duxerunt serio ad illa respondere; quod factum fuit die 2. Decembris stylo novo, scripto sequente.

ILLUSTRISSIMI DOMINI,

„ Perpensis Articulis, exhibitis Nobis ab Excellentia Sua & Dominis Commissariis Consilii Status in nupero congressu die $\frac{18}{28}$ Mensis Novembris, respondere cogimur, quod post præfationem affectus hujus Reipub. erga Statum Fœderati Belgii, post solennem protestationem candoris, integritatis, & ingenuitatis toties iteratam, cum ipsissima invocatione nominis divini in posterioribus binis congressibus, attoniti facti simus relegentes *formulam tractatus* & extensionem Articulorum, in quibus nullatenus simile quicquam deprehendimus, sinceræ huic amicitiæ, cujus demonstrationem singularem præstolabamur, neque expectationi nostræ in protestationibus firmæ ac strictæ unionis, quæ finis & scopus esse deberet negotiationis nostræ, conforme. E contra: sigillatim hæcce examinantes, deprehendimus, quod libuerit Dominis Consiliariis congerere Articulos aliquot Tractatus Intercursus de Anno 1495. & extrahere particulas quasdam ex retroactis tam Hagæ-Comitum quam hic Londini, inter Legatos Extraordinarios utriusque Reipub. habitis: omnia tamen ita instructa & directa, ut quæcunque erant ex intentione secundum interesse D. Ordinum Generalium, juxta corundem considerationes ac propositiones in hac deductione omitterentur ac præterirentur; in contrarium vero omnia disposita, divisa, ac deducta juxta intentionem ac sensum Vestri Regiminis, majorisque ejusdem emolumenti; ita ut quoad hosce Articulos, post negotiationem tot Mensium, in eodem adhuc Statu simus, in quo à principio fuerimus; & quoad alios majoris momenti, qui additi, ac de quibus nullum hactenus dubium fuit, præter exspectationem spe excidamus. Quapropter significare debuimus quod similem licentiam nobis asserentes, transeundo leviora quædam hac vice, ex nostrâ parte proponere etiam voluimus quæ necessaria duximus, propter interesse Dominorum Nostrorum superiorum.

„ Examinare itaque debemus in hoc congressu, Articulos quosdam majoris ponderis, unà cum justa ac legitima deductione, quod nullatenus admitti queant: Deum obtestantes, judicem intentionum nostrarum, quod hactenus progressi semper fuerimus, cum *candore & sinceritate* irrefragabili, quodque in futurum, juxta protestationes toties iteratas, progressuri, acturi, ac conventuri simus, quatenus possibile, cum omni æquitate ac fidelitate, neque reservaturi rem aliquam, dummodò sit juxta mandatum Dominorum Nostrorum superiorum, in negotiis tanti momenti.

„ Quoad tenorem Articuli 3. quatenus de *satisfactione* agitur, respondemus ejusmodi propositioni nec rationem nec justitiam inesse.

„ Ad Artic. 12. quoad concernit *Principem Auriacum & exclusionem sempiternam*, lineæ suæ à libera electione, quam Domini Ordines Generales & Provinciæ deferre ipsis possent, res est quæ absolutè dependet *à libera dispositione* dictorum Statuum; cui rei majori cum ratione ac æquitate Domini hujus Regiminis sese immiscere

miſcere nequeant, quam ſi noſmet immiſcere voluerimus ipſorum electioni, in ,,
ſimili caſu. ,,

Ad 15. quoad *viſitationem* navium tam militarium quam onerariarum, quod ad- ,,
verſa ſit obſervantiæ noſtrarum ditionum, ferax multarum confuſionum, ac li- ,,
tigiorum, iniqua *quoad dominatum* hunc, qui nullam reciprocationem præſup- ,,
ponit. ,,

Et ad 17. quoad *piſcaturam aliquâ ſub recognitione*; quod eo ipſo Domini Ordines ,,
poſſeſſionem abſque cauſa ac ratione abdicarent rei, de qua tempore immemoriali ,,
plenâ cum libertate hactenus gaviſi ſunt. Ad quæ ſigillatim probanda, & argu- ,,
mentis rationibuſque tam juſtitiæ quam æquitatis firmanda, parati ſemper eri- ,,
mus. Priuſquam vero eo deveniamus, tenemur exprimere opinionem noſtram ,,
ſuper Artic. 14. ubi agitur de *navibus militaribus certo numero limitandis. deque præviâ* ,,
denuntiatione expeditionis bellicæ, ac de conſenſu obtinendo à Parlamento hujus Reip. Enim ,,
verò, Domini, vix perſuadere nobis poſſumus, tam irrationabilia ac *extravagan-* ,,
tia ſeriò nobis proponi. Quod ſi reverâ hæc Veſtra intentio eſt, talia opinari, ne- ,,
ceſſarium erit purè & abſolutè vobis declarare, uſque adeò nos alienos eſſe à tali ,,
conditione, ut (ſi ullo modo id vel in dubium revocaremus vel ullam de eo diſ- ,,
putationem admitteremus) nos indignos æſtimaremus gratiâ & benignitate Dei ,,
T. O. M. qua hactenus Divina ejuſdem Majeſtas Conſilia Dominorum Noſtro- ,,
rum, in legitimâ vindicatione libertatis ſuæ, proſequuta eſt. Ingenuè fatemur, ,,
nos eâ de re nullatenus inſtructos eſſe & quomodo eſſe poterimus, de re adeò ir- ,,
rationabili ac inaudita; exactè verò novimus talem eſſe Generoſitatem Domi- ,,
norum Noſtrorum Superiorum, Statum rerum noſtrarum, Intereſſe, talem po- ,,
puli noſtri intentionem, animum, atque affectionem, ut nemo tam degener ſit ,,
qui abſque extrema indignatione talia proponi ſibi patiatur. Quoties cum inſi- ,,
gni encomio laudaſtis majores noſtros, quod ingenti zelo ac vigore pugnarunt ,,
pro libertate Patriæ? Unde igitur hæc vobis mens & ſententia venit? ut putetis ,,
eò nos puſillanimitatis aut neceſſitatis redactos? ut noſmetipſos privemus tam ,,
inſigni acquiſitæ libertatis portione? Licitum quippe nobis ſemper fuit per mare ,,
abire, redire, morari, armare vel exarmare, juxta legitimum intereſſe ac neceſſi- ,,
tatem juſtiſſimarum ac æquiſſimarum intentionum. Sed ut verum fateamur, non ,,
credimus Excell. ac Illuſtres Dominationes Veſtras, poſt tot proteſtationes & ,,
obteſtationes coram Deo & hominibus generaliter ac ſpecialiter interpoſitas ac ,,
toties reiteratas, limitare velle benevolum earundum affectum, candorem, ac ,,
ſinceritatem propoſitione tam iniqua; ſed quod potius ab eâ deſtituræ ſint, uti ,,
obnixè eaſdem rogamus, ut conveniant ac congrediantur nobiſcum ſuper Ar- ,,
ticulis & Conditionibus à quibus gloria Dei ac *curſus Sancti Evangelii* promoveri ,,
ac firma, fida, & perpetua *Unio* inter binas haſce Reſpub. conſtitui poſſit, juxta ,,
ea quæ deduximus in poſterioribus noſtris propoſitionibus & ſcriptis omni me- ,,
liore modo, quo convenire poſſimus, ſuper quo reſponſum quantocius expe- ,,
ctamus. Actum Weſtmonaſter. 22. Novemb. ſtyl. vet. & 2. Decemb. ſtyl. nov. ,,
Anno 1653. ,,

Iterum congreſſi, dixere Angli, mirari ſuam de *candore & integritate* conteſta-
tionem in partem deteriorem à Deputatis trahi. Se non ad alios, quam ipſas char-

tas testes, provocare: unde liqueat quam *arctam* petierint *unionem*; eo fine *coalitionem* à se propositam; à Deputatis rejectam. qui cum sua suique Status *commoda* separatim tenere volebant, Anglos non minus pro suis debere loqui, suaque defendere, contra, quicunque ea impugnare vellent: Deum id judicaturum. Procedendo post ad singula puncta, *Generalis Cromwellus*, quoad *satisfactionem* ajebat: *Anglorum* judicio illud punctum esse relinquendum: *Anglos* in sua conscientia certos esse, litem à Fœder. Belgis inchoatam, adeoque Anglos ad arma & se armandum impulsos, idque probatu facile. *Deputatos* nunc magis quam ante à *satisfactione* aversos esse; quum tamen nunc quam ante, in ea re, se moderatiores gererent Angli. *Visitationem navium* dicebat rem esse minimè novam, sed *jus indubitatum* dependens à supremitate Dominii in mare, Anglis competente: jus adeo antiquum, quam ullum in Europa ab aliquo aliud prætensum: *numerum navium* non esse nisi juris istius sequelam; quam nunc magis quam unquam debebant conservare; cupidi quippe antiquas protegere prærogativas, novis injuriis læsas. *Piscationem* non solum esse ejusdem naturæ; sed nec Belgas nec quenquam in Europa eam exercere ausam fuisse sine impetrato ab iis consensu: maximos monarchas, & qui Europæ toti terrorem incusserant, non puduisse eum petere consensum: quia autem *Deputati* separatim id, *quod sua intererat*, quærebant, nec commoda cum Anglis (per coalitionem) miscere; debere *Belgas* sicut alios in ea re tractari. Quoad *Principem Auriacum*, sperare se, ajebat Sua Excellentia, facile assensuros Deputatos; ut quod maximè quidem *Belgas* tangeret; Anglos tamen etiam: notum esse ex quo matrimonio natus erat; hæreditariam esse eam inimicitiam: Parlamentum à nullo unquam, imo ab omnibus hostibus suis tantum hostilitatis & damni non accepisse quantum à *Principe Arausionensium* proximè defuncto: id & ex publicis ipsorum scriptis constare. Tandem quia *Deputati* de *animo* & *fortitudine suorum popularium* adeo gloriabantur, addebat, se nihil aliud responsurum, quam *se Anglos* esse, nec animum despondisse. Aliquot post diebus responsum dederunt scriptum: cum præfatione, Scriptum præcedens *Deputatorum* magis irritandis quam pacandis utrinque animis inservire: *Coalitionem* à sese profectam, à Deputatis rejectam, ejusque loco nihil nisi *sterilem* quandam *unionem* oblatam: nunc, ubi per viam *Unionis* Deputatos sequebantur & aliquos ad eum finem Articulos proposuerant, *Deputatos* inde, rejecto ordine, quædam excepisse, & *injustitiæ*, *extravagantiæ* atque *iniquitatis* notasse: se in colloquio probaturos esse omnia convenientia, & rationi nixa. *Deputati*: se nolle cicatrices refricare, sed sanare; sibi certum esse candidè & sincere agere, & tempori parcere. Scriptum Anglicum se habet ut sequitur.

„ Nisi Scriptum à Dominis *Deputatis* Ordinum Generalium Fœderati Belgii subsignatum, ac Dominis Consilii 22. ejusdem exhibitum, per ipsosmet Dominos Deputatos in manus Nostrorum Commissariorum traditum fuisset, dubitassemus „ sanè num Dominationes Vestræ (quibus tam ardua negotia commissa, ac perspi- „ cuum est, quicquid in præsenti Tractatu peractum) genuini ejusdem authores „ fuissent, utpote continentis aliquot *passus* & *expressiones*, omnino inusitatas ac in- „ convenientes transactioni inter hasce Respublicas, magisque tendentes ad irrita- „ tionem ac confusionem, quam moderationem ac mitigationem animorum ac affectuum,

fectuum, cujus nec ansa nec causa data fuit, in 27. Articulis, nec in colloquio „ super iis habito. Insuper perpendentes prædictum scriptum & revolventes animo „ ea quæ in præcedentibus sunt peracta, fateri sincerè cogimur, inquirere nos „ oportere intentionem ac sensum Vestrum: quoad totam materiam horum Tractatuum. Quando *Consilium* in præcedentibus suis scriptis in Principio Augusti „ proposuit *Coalitionem* utriusq; Reipub. vobis (absque ulla examinatione. an possibilia, quæque commoda utrique Reipub. exinde accrescere possint) statim eam „ rejicere ac condemnare placuit, sub generali imputatione, *novitatis*, *confusionis*, ac „ *impossibilitatis*, uti patet ex Scripto Vestro die sexto Augusti exhibito nihil aliud „ istius loco offerentes, quam *generalem declarationem desiderii quo tenerentur, ineundæ strictæ unionis* cum hâc Republ. Nunc vero posteaquam à nostra parte collegimus „ præfatos 27. Articulos (uti medium quo stabiliri possit legitima Pax, & perfici Confœderatio, ac Unio tantoperè expetita) à vobis eo fine in diversis congressibus sollicitati, ut perveniamus ad particulariora, post exhibitionem eorundem, „ exspectantes, ut singularia ejusmodi sigillatim juxta Ordinem, quo posita sunt, „ liberè examinarentur, placuit vobis absque ullâ discussione, sub compellatione „ generali *injustorum*, *extravagantium* ac *iniquorum Articulorum*, dissensum Vestrum „ in hoc scripto exprimere. Quod si libuisset particulatim hæc examinare (methodo „ consuetâ in ejusmodi Tractatibus) invenissent quam accommodata ac conformia „ *candori* & *ingenuitati*, à Consilio vel ejusdem Commissariis contestatis, fuissent. & sic quidem Articuli ipsi adæquari eo modo potuissent, prout, productis hinc „ inde argumentis, justum ac æquum visum fuisset, quod si fieri deberet commutatione Scriptorum, in præsenti rerum Statu, multum sanè temporis consumeretur. „

Considerantes etiam, multa moveri in præfato Scripto Vestro de *Protestationibus* „ ab ejusdemque Commissariis interpositis respondemus: quod nullis *promissis*, *declarationibus*, *aut protestationibus*, nobismetipsis repagulum posuerimus, quo minus desideremus aut sollicitemus ea in Articulis, quæ *irrefragabiliter* & indubitato „ jure Reip. nostræ competunt, nec ea fundamenta jecerimus è quibus Vestræ Dominationes sperare debeant, nos destituturos, ad declarandum affectum hujus „ Reip. erga Fœderati Belgii Provincias, siquidem Commissarii nostri in binis posterioribus congressibus, quorum facta mentio in principio istorum die 22. hujus, è contrario declararunt, quod posteaquam Dom. Vestræ recusarant *coalitionem* ac *commixtionem superioritatum*, per quas binæ Reipub. non modò *nomine* sed „ & *reverâ* potuissent *uniri*, quod itaque distinctæ quoad interesse vel privata cujusque commoda considerari deberent, quæ haberent separata jura ac privilegia uni „ vel alteri competentia, quæ coæquatio ac constitutio præsertim in hoc Tractatu „ *Unionis* & *Confœderationis* considerari deberet, ut, postquam conventum esset super „ juribus utriusque Partis, tanto ocius amici fiamus & diutius tales permaneamus. „

Neque adhuc comprehendere possumus quomodo aliter in hoc Tractatu, „ prout nunc jacet, ab alterutra Parte progredi liceat, nisi D. Vestræ sibi persuadeant, Rempubl. hanc velle renunciare omni juri sibi competenti terrâ marique; „ absque obtentâ recompensatione aliâ, quam solius *nominis dictæ Unionis*, juxta ea „ quæ

testimonia ipsorum captivorum Hollandicorum pro Anglis esse. Deputati facile id & reliqua, prout sæpè, refutarunt. tandem ex illo Articulo sublata fuerunt quæ de *satisfactione* loquebantur. Quoad septimum: declararunt Deputati Fœdus sibi intercedere cum *Suecia*, *Dania*, *urbibus Hanseaticis*. in octavo petierunt tolli verba *perduellionis pœnas luent*: & reponi: *criminis sui, prout meruere, pœnas dabunt*. Ad duodecimum: supervacuam esse expressionem *Principis Auriaci* & Principis *Mariæ*: Eorum (ut & aliorum) omnia Castella locosque munitos in manibus esse Ordinum. De *seclusione Principis ab omni functione*, se non esse instructos; id [illegible]i, esse contra reputationem: *quasi tam potens Respublica timeat infantem*. Angli contra: utrique id Reipub. conducere: Pacem & Securitatem id requirere. Anglos reciprocè paratos ad secludendum Hispanos, &c. Decimi quinti primum membrum concessere Deputati: alterum nullatenus: de *Contrabandis* alium esse faciendum Tractatum. Post & sæpe iterum & præcipua fuit altercatio de *piscatione*: Philippum II. Hispaniarum Regem à *Maria* eum consensum ad 21 annos redemisse mille libris annuis. Regem *Iacobum* Anno 1610. jus illud sibi vindicasse Edicto speciali. Regem *Carolum* per Comitem Northumbriæ ab Hollandis Piscatoribus recognitionem exegisse. itaque possessionem Hollandorum, si quam habuissent, turbatam. *Deputati*: artem sale condiendi halecem non valde antiquiorem esse Tractatu, qui vocatur hæreditarius: in eo nihil de *prohibitâ* vel *redemptâ piscatione* inveniri: nihil quoque in sequentibus ad hoc usque tempus. Regem *Philippum spe liberorum*, vel ob alias rationes incognitas id redemisse; Edictum à Rege *Iacobo*, Anno 1610. promulgatum, nunquam executioni mandatum, sed ad instantiam Hollandorum suspensum, si non abrogatum: Quod *Northumbriæ* Comes fecisset, nihil nisi meram fuisse concussionem vel deprædationem; plus justitiæ se à præsente Angliæ Regimine expectare: alioqui paratos se ad discedendum; omnia suis principalibus referenda. *Angli*: se ad sua jura defendenda obligatos: Galliam Sueciamque, non minus liberas quam Fœderatum Belgium, tamen negotiationem pro liberâ piscaturâ obtulisse, ejusve libertatem petiisse. Sibi quidem non esse propositum immensam pro *piscatura* summam exigere; sed aliqua saltem recognitione contentos fore. juri suo se renunciare non posse.

Sub id tempus unus ex Delegatis *P. vander Perre*, cum octiduum lecto decubuisset, diem obiit: & omnis jam ulterior pacis negotiatio adeo abrupta erat, ut liberum sibi discessuris Salvum-Conductum die 15. Decembris petierint. Quarto post die Vice-Comes *Lisleus* Delegatos visitavit, & nomine Concilii dixit, visum lectumque esse quod Deputati de discessu, & Salvo-Conductu indicarant: Concilium dolere, id futurum re infecta; negotia tanti ponderis non tam celeriter agenda; suadere parvi adhuc temporis moram. Annuerunt *Deputati*: & tamen colloquia nova de die in diem remissa fuere: nec mirum. Angli enim hoc tempore toti in stabiliendo novo suo Regimine fuerunt. *Oliverio Cromwello*, hactenus solummodo Generali Militiæ Præfecto, nunc PROTECTORE Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ proclamato, cum potestate ampla; assumto sibi Consilio ad vitam duraturo: id quod die 30 Decembris per Magistrum Ceremoniarum *Deputatis* quoque fuit insinuatum, monitumque *Protectori* porro omnes propositiones petitionesque tam voce quam Scripto à publicis Ministris esse exhibendas, cum

Titulo *Celsitudinis.* eundemque porro honorem & respectum, qui ante Regibus, nunc ei esse deferendos: Solos *Ambaßiatores* tecto, reliquos minoris notæ Legatos detecto nudoque capite ei locuturos. Deputati jam per dies complusculos otiati, seriò finem negotio suo imponere conati sunt: Ceremoniam illam tecti vel nudi capitis parvi quidem fecerunt; tamen quia novitas erat, occasionem *Protectoris* conveniendi evitarunt. Vice-Comiti *Lisleo* scripserunt: se jam tandem expectare non tam nova colloquia, quam rationes dilati *Salvi-Conductus*, quem petierant ad discedendum. Secutum est primo anni die Colloquium; in quo fuere præsentes Vice-Comes *Lisleus*, *Stricolandius*, *VVolsleus* & *Aslycoperus*: & multa iterum de *Dominio Maris*, de *piscatione*, de *reverentia* & *submißione aplustrorum*, de *Principis Auriaci seclusione*, de *Mari Augusto, Britannico* vocato, de *satisfactione.* de quibus omnibus non quidem conclusio, sed tamen spes facta est. Angli se relaturos dixere; quærentes, an Deputati, ubi conventum foret de omnibus, parati essent ad *concludendum* & *signandum.* Deputati suos principales non potuisse prævidere tam notabilem in Anglia mutationem: tamen se conclusuros, sub approbatione suorum principalium: interim nihil in Articulis dictum de *Religione*; item auxilium mutuo præstandum debere expressius poni: in numero *centum* navium Anglos *duas*, Belgas *unam tertiam* debere conferre. comprehendendos omnes *Religioni Reformatæ* addictos, ipsum etiam Galliæ Regem, utpote tam bene reformatos in suo Regno protegentem: quantum ad detentionem navium in freto Danico: eam Fœderatis Belgis imputandam: eorum id impulsu factum. Ea res plurimum habuit difficultatis. Die 16. Deputatus *Beverningus* solus longum cum *Protectore*, præsente *Lisleo*, *Laurentio*, & Secretario *Thurloo*, omnibus hinc inde nudo capite stantibus, colloquium habuit: ubi præcipue actum de *secludendo Principe Auriaco* (ad minimum quoad Hollandiam) & de *Rege Daniæ*, item Galliæ aliisque nondum transactis punctis: de quibus tamen omnibus conventum tandem est. De Principe *Auriaco* certum quoddam temperamentum fuit conceptum: *Piscatione* extra Articulos relicta. nulla tamen conclusione vel signatione facta Deputati discessere die 16. Januarii. In Hollandiam cum rediissent non quidem *Tractatum* hinc inde signatum vel formatum, sed tamen 29. Articulos, de quibus convenerat, in unum Corpus, à se, dum huc navigabant, redactos, exhibuerunt: ab Hollandiæ Ordinibus statim approbatos: per quosdam etiam ex Ordinib. Generalibus examinatos, & Instructioni consentaneos inventos. Sed tamen ad aliarum quoque Provinciarum Comitia mitti oportuit. quibus etsi contenta illa Articulorum 7. 8. 9. 10. 11. 12. dura viderentur, tamen amore Pacis dissimulatum fere fuit. Quædam tamen Deputatis, cum Charactere *Ambaßiatorum* postea profecturis, in mandatis data, quorum cura magis fuit commendata quam præcise injuncta. Angli autem mutationem in Articulis admittere nullam voluerunt: numerus tamen adauctus fuit: & tandem subsignatus atque ratihabitus uti sequitur.

Arti-

Articuli Pacis, Vnionis, & Confœderationis perpetuò duraturæ, inter Serenißimum & Celsißimum Dominum Olivarium, *Dominum Protectorem Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, &c. ab una; & Celsos, Potentesque Dominos Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum ab altera parte conclusæ.*

1. Imprimis conventum, concordatum & conclusum est, quod ab hoc die sit vera, firma & inviolabilis Pax, Amicitia sincerior, intimior atque arctior affinitas, Confœderatio & Unio inter Rempublicam Angliæ, atque Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum, Terrasque, Regiones, Civitatesque, sub utriusque Ditione sine distinctione locorum positas, earumque Populum & Incolas, cujuscunque demum gradus fuerint.

2. Item, uti inposterum omnis inimicitia, hostilitas, discordia & bellum inter dictas Respublicas, earumque Populares & Subditos cessabit, atque utraque Pars omnibus læsionibus, direptionibus, deprædationibus, injuriisque per Terram, Mare, & aquas dulces in omnibus suis Terris, Regionibus, Dominiis, Locis & Præfecturis quibuscunque deinceps abstinebit.

3. Item, quod omnes offensæ, injuriæ, sumptus & damna, quæ pars una ab altera pertulit, post $\frac{18}{28}$ Mensis Maji, Anni 1652. delebuntur atque è memoria eradentur, eo modo, quo neutra dictarum partium alteri negotium facesset, ob aliquod istiusmodi damnum, offensam, injuriam, aut sumptus, sed omnis & cujuscunque eorum perfecta erit hunc in usque diem abolitio, atque omnes eo nomine lites actionesque cassæ nullæque erunt; Exceptis iis deprædationibus, quæ in Maribus Britannicis committentur post spatium duodecim dierum, atque intra Maria Britannica & Promontorium S. Vincentis post spatium sex hebdomadum; Et inde in Mari Mediterraneo & ad Æquatorem usque, post spatium decem hebdomadum, atque ultra Æquatorem post spatium octimestre à publicatione Pacis numerandum, vel immediatè post sufficientem notitiam Pacis, in dictis locis factam, atque omnes deprædationes, damnorumque illationes, quæ ab alterutra Parte post tempora præfinita vel notitiam antedictam factæ seu commissæ fuerint, in rationum reddendarum tabulas referentur, quæque ablata sunt, restituentur, damnaque inde nascentia compensabuntur.

4. Item, uti omnes bello capti, cujuscunque gradus, seu quocunque loco sint, liberè absque pretio utrimque dimittantur.

5. Item, uti ambæ Respublicæ maneant Amici Confœderati, necessitudine & amicitiâ conjuncti & adstricti ad libertates atque immunitates populi alterutrius contra quoscunque demum tuendas, qui utriusve Status Pacem, Terrâ, Marive disturbare conabuntur, vel qui infrà alterutra Dominia degentes, publici libertatis Populi hostes denunciabuntur.

6. Item, quod neutra dictarum Rerumpublicarum quidquam aget, faciet, molietur, tractabit, aut attentabit adversus alteram, vel Populum alterutrius, quocunque in loco, sive terrâ, mari, portubus, districtibus, sinubus, & aquis dulcibus, quacunque occasione, nec earum altera vel populus alterutrius dabit, præstabit,

„ bit, vel ſubminiſtrabit ullum auxilium, conſilium, ſeu favorem, neque quicquam
„ agi, tractari vel attentari ab alio quoviſcunque aſſentiet in damnum aut præjudi-
„ cium alterius, vel populi alterutrius: Sed omnibus & ſingulis degentibus vel
„ commorantibus infra alterutram Rempublicam vel infra unius vel alterius domi-
„ nia exiſtentibus, qui contra alterutram Rempublicam quicquam agent, facient,
„ tractabunt, vel attentabunt, utraque expreſſe & cum effectu contradicet, renite-
„ tur atque impedimentum realiter præſtabit.
„ 7. Item, quod neutra Reſpublica, neve ullus ex populo alterutrius Incolis,
„ aliiſve, in earum ditione commorantibus, alterius Reipubl. hoſtes, aut Rebelles
„ quocunque ſubſidio, conſilio, ſtudio fovebit vel adjuvabit, ſed expreſsè contra-
„ dicet atque efficaciter obſtabit, ne quid auxilii aut adjumenti ab ullo, qui aut ex
„ Populo, Incolis, vel commorantibus in alterutra Republica fuerit, ullis iſtiuſ-
„ modi hoſtibus aut Rebellibus prædictis, ceu ſint Viri, Naves, Arma, Bellicus ap-
„ paratus, aliave bona interdicta, neque etiam pecuniæ aut commeatus, ſeu Vi-
„ ctualia Mari vel Terra ſubmittantur aut ſuppeditentur, atque omnes Naves,
„ Arma, Bellicus apparatus, aliave bona interdicta, etiam pecuniæ aut commeatus
„ ad quamcunque Perſonam vel Perſonas pertinentia, quæ contra ſenſum hujus
„ Articuli ſubmittentur aut ſuppeditabuntur, eidem Reipublicæ addicentur, & in
„ fiſcum cedent. Quin & ii, qui ſcientes & volentes quicquam contra ſenſum hu-
„ jus Articuli fecerint, commiſerint, attentaverint, conſiliumve dederint, utriuſque
„ Reipublicæ hoſtes judicabuntur, in eaque Republica, ubi id commiſſum aut per-
„ petratum fuerit, perduellionis pœnas luent. De ſpecificatione autem earum
„ Mercium, quæ prohibitæ, aut Contrabandæ cenſebuntur, convenienti tempore
„ per Commiſſarios conveniatur, ita tamen ut interim ſit abſque præjudicio eo-
„ rum, quæ poſita ſunt in hoc Articulo.
„ 8. Item, quod utraque Reſpublica ſibi mutuò ſincerè & fideliter, prout opus
„ fuerit, contra alterutrius Hoſtes & Rebelles, Terrâ, Marique opem feret, Viris &
„ Navibus, ea proportione, eoque modo, iiſque conditionibus, de quibus poſt-
„ modum convenerit, prout neceſſitas & rerum alterutrius ratio tulerit, ſumptibus
„ tamen & expenſis illius partis, quæ auxilium rogaverit.
„ 9. Item, quod neutra dictarum Rerumpublic. Populuſve alterutrius Hoſtem
„ vel Hoſtes, Rebellem vel Rebelles, Profugum vel Profugos alterius Reipublicæ
„ declaratos vel declarandos, in ejus Dominia, Terras, Regiones, Portus, Sinus aut
„ diſtrictus eorumve aliquod recipiet, neque iis, vel eorum alicui in prædictis lo-
„ cis, vel alio quocunque etiam extra ſua Dominia, Patrias, Regiones, Terras, Por-
„ tus, Sinus aut Diſtrictus, auxilium, conſilium, hoſpitium, Milites, Naves, Pecu-
„ nias, Arma, Apparatum Bellicum, vel commeatum concedet, præbebit, aut mini-
„ ſtrabit, neve alteruter Status iſtiuſmodi Hoſtes, Rebelles, Profugos, à quacunque
„ Perſona vel Perſonis recipi permittet in ſua Dominia, Patrias, Regiones, Terras,
„ Portus, Sinus, Diſtrictus, nec iſtiuſmodi Hoſtibus, Rebellibus, Profugis, ullum
„ auxilium, conſilium, hoſpitium, favorem, Arma, apparatum, Milites, Naves,
„ Pecunias aut commeatum præſtari, miniſtrari, aut concedi permittet, ſed expreſsè
„ & cum effectu contradicet, obſtabit, atque impedimentum realiter præſtabit.
„ 10. Item, quod ſi alterutra dictarum Rerumplicarum aliquem vel aliquos,
ſuum

ſuum vel ſuos, fuiſſe & eſſe Hoſtem vel Hoſtes, Rebellem vel Rebelles, Profugum vel Profugos, & in ſua Dominia, Territoria, Patrias, Portus, Diſtrictus, vel eorum aliquod receptum vel receptos eſſe, aut ibidem commorari, latitare vel perfugium ſibi quærere, per literas ſuas publicas & authenticas alteri ſignificaverit & declaraverit; tunc illa Reſpublica, quæ hujuſmodi literas receperit, vel cui taliter ſignificatum, vel declaratum fuerit, intra ſpatium viginti octo dierum à die prædictæ ſignificationis proximè & continuè numerandum, tenebitur dicto Hoſti vel Hoſtibus, Rebelli vel Rebebellibus, Profugo vel Profugis præcipere & mandare, ut extra ſua Dominia, Patrias, Regiones, Terras, Diſtrictus & eorum quodlibet ſinguli recedant & exeant; Et ſi quis prædictorum Hoſtium, Rebellium aut Profugorum, intra quindecimum diem à die hujuſmodi præcepti & mandati non receſſerit & exiverit, ſinguli morte atque amiſſione prædiorum & bonorum mulctabuntur.

II. Item, quod nullus Rebellis, hoſtiſve publicus Reipublicæ Angliæ in aliqua Caſtra, Oppida, Villas, Portus, Diſtrictus vel alia loca, ſive privilegio donata, ſive non donata, quæ aliqua perſona, cujuſcunque ſtatus & dignitatis exiſtat vel exiſtet, infra Dominia & Territoria Fœderatarum Provinciarum, quocunque jure vel titulo tenet, vel poſſidet, vel deinceps tenebit, vel poſſidebit, recipietur, nec in ea per aliquam perſonam, cujuſcunque ſtatus aut dignitatis fuerit, recipi vel in iiſdem commorari permittetur, aut tolerabitur. Neque Domini Ordines Generales Fœderatarum Provinciarum alicui hujuſmodi Rebelli hoſtive publico in locis prædictis in navibus, militibus, pecuniis, commeatu, aut alio quocunque modo, auxilium, conſilium, aut favorem per aliquam perſonam, cujuſcunque ſtatus aut dignitatis fuerit, de cætero dari aut præſtari permittent, aut tolerabunt, verum id publicè & disertè prohibebunt, atque efficaciter impedient; Et ſi aliqua perſona vel perſonæ, cujuſcunque ſtatus aut dignitatis fuerint, manens vel degens, manentes vel degentes, infra dominia Fœderatarum Provinciarum earumve poteſtates, contra hujuſmodi conventionem aliquid fecerit, ſeu fecerint; Quod tunc omnes & ſingulæ perſonæ, taliter facientes, omnibus ejuſmodi Caſtris, Oppidis, Villis, prædiis, cæteriſque locis, quæ illi vel eorum alter eo tempore habent, aut habet, vel quocunque jure & titulo ſe habere prætendent, aut prætendet, pro termino vitæ ſuæ exuentur & privabuntur. Pariter nullus Rebellis, hoſtiſve publicus Ordinum Fœderatarum Provinciarum in Caſtra, Oppida, Portus, cæteraque loca eorumve aliquod, ſive privilegio donatum, ſive non donatum, quod quælibet perſona vel perſonæ, cujuſcunque ſtatus aut dignitatis exiſtat aut exiſtant, quocunque jure aut titulo tenet aut tenent, poſſidebit vel poſſidebunt, infra Rempublicam Angliæ vel dominia ejus recipietur, vel à quacunque perſona vel perſonis recipi inibique verſari permittetur; Neque Reſpublica Angliæ alicui hujuſmodi Rebelli, hoſtive publico in locis prædictis in Navibus, Militibus, pecuniis, commeatu aut alio quocunque modo auxilium, conſilium aut favorem per aliquam ejuſmodi perſonam vel perſonas, cujuſcunque gradus ſit, de cætero dari, aut præſtari permittet, aut tolerabit, ſed publicè & disertè prohibebit atque efficaciter impediet: Et ſi quis è popularibus Reipublicæ Angliæ, vel infra illius poteſtates contra hujuſmodi conventionem quidquam fecerit,

rit, vel attentaverit, omnes & singulæ personæ, taliter facientes, omnibus istiusmodi Castris, Oppidis, Villis, prædiis, cæterisque locis, quæ illi vel eorum alter id temporis habent aut habet, vel quocunque jure seu titulo se habere prætendent aut prætendet, pari modo pro termino vitæ suæ exuentur & privabuntur.

12. Item, quod Respublica Angliæ, populusque Anglicanus, omnesque ejus Reipublicæ Incolæ, item prædictæ Fœderatæ Provinciæ earumque Populus & Incolæ, cujuscunque ordinis & conditionis fuerint, ad sese mutuò rebus omnibus humaniter atque amice tractandum, obligabuntur, uti Terrâ vel aquâ alterutrius Regiones, Oppida, Pagos, sive muro incincta, seu non incincta, sive munita seu non munita, portus etiam & universam partis utriusque ditionem in Europa, liberè & securè adire possint, in iisque versari & commorari quamdiu voluerint, ibique sine ullo impedimento commeatum suis usibus, quantum necesse erit, coëmere, atque etiam negotiari & mercaturam facere, quocunque mercium genere ipsis videbitur, easque advehere suo arbitratu, aut exportare, dummodo, quæ statuta sunt, portoria, solvant, salvis etiam alterutrius pariter Reipublicæ legibus & statutis omnibus; Ita tamen, ut populus & Incolæ utriusque partis Commercium suum exercentes, in alterutrius Regionibus & ditionibus non obligentur inposterum plus portorii, census, vectigalium, aut aliorum tributorum solvere, quam pro rata proportione, quam alii extranei solvunt in iisdem locis mercaturam exercentes.

13. Item, quod Naves & Navigia dictarum Fœderatarum Provinciarum, tam bellica & ad hostium vim propulsandam instructa, quam alia, quæ alicui è navibus bellicis hujus Reipublicæ in Maribus Britannicis obviam dederint, vexillum suum è mali vertice detrahent, & supremum velum demittent, eo modo, quo ullis retrò temporibus, sub quocunque anteriori regimine, unquam observatum fuit.

14. Item, in majorem Commercii & Navigationis libertatem conventum & conclusum est, quod neutra dictarum Rerumpublicarum in Portus suos, urbes, & oppida recipiet, aut sinet, ut ullus ex Populo & Incolis alterutrius recipiat Piratas aut prædones, iisve hospitium, auxilium, aut commeatum præbeat, Verùm operam dabit, ut prædicti Piratæ & Prædones, eorumve Piraticæ participes, conscii & adjutores in aliorum terrorem investigentur, capiantur, & merito supplicio puniantur. Omnesque Naves, Bona & Merces piraticè ab iis captæ, atque in portus alterutrius Reipublicæ advectæ, quæ quidem inveniri poterunt, imò, etiamsi venditæ sint, Justis Dominis restituentur, aut satisfactio dabitur, vel earum dominis, vel iis, qui per literas Procurationis eas res vendicaverint, modo jus Dominii debitis ex lege probationibus in Curia causarum maritimarum appareat.

15. Item, si alterutra Rerumpublicarum Angliæ & Fœderati Belgii ullum Fœdus, Amicitiam, Confœderationem, aut necessitudinem cum aliis quibuscunque Regibus, Rebuspublicis, Principibus, aut Statibus contrahet, aut paciscetur, una alteram ejusque Dominia in iis eorumve quolibet comprehendet, si comprehendi voluerit, atque de omnibus istiusmodi Amicitiæ & Confœderationis Tractatibus alteram certiorem reddet.

16. Item,

16. Item, quod si acciderit, ut quamdiu Fœdus, Amicitia & Societas hæc duraverit, ab ullo ex Populo aut Incolis alterutrius Partis contra hoc Fœdus aut ullum ejus membrum, Mari, Terrâ, aut aquis dulcibus quidquam fiat, aut tentetur, Amicitia hæc, Fœdus & Societas inter has Nationes non idcircò interrumpentur, aut infringentur, verum integra nihilominus perstabunt, vimque suam plenariam obtinebunt; Tantummodo illi ipsi, qui contra Fœdus prædictum commiserint, singuli punientur, & nemo alius, Justitiaque reddetur & satisfactio dabitur illis omnibus, quorum id interest, ab iis omnibus, qui Terra, Mari, aut aliis aquis contra hoc Fœdus quidquam commiserint, ulla in parte Europæ aut ubivis locorum, intra Fretum Gaditanum, sive in America, vel per Africæ littora, ullisve in Terris, Insulis, Æquoribus, Æstuariis, sinubus, fluminibus, ullisve in locis, cis Caput Bonæ Spei intra Anni spatium, quam justitia postulabitur; In omnibus autem, uti supradictum est, ultra prædictum Caput, locis, intra Menses octodecim quam justitia prædicto modo poscetur; Quod si vero Fœderis ruptores non comparuerint, neque se judicandos submiserint, neque satisfactionem dederint, intra hoc vel illud temporis spatium, pro loci longinquitate, modo constitutum, prædicti illi utriusque partis hostes judicabuntur, eorumque bona, facultates & quicunque reditus publicabuntur, plenæque ac justæ satisfactioni impendenda erunt earum injuriarum, quæ ab ipsis illatæ sunt, ipsique præterea, cum in alterutrius partis potestate fuerint, iis pœnis obnoxii erunt, quas suo quisque crimine commeruerit. „

17. Item, quod populares Reipublicæ Angliæ, quique sub ejus ditione fuerint, possint liberè, tuto ac securè in Fœderati Belgii Provinciis & singulis suis ditionibus in Europa perque eas Terrâ, vel aquâ, ad ulla in iis loca, vel ultra eas iter facere, perque ulla earum oppida, præsidia, munimenta transire, quæ ullis in locis Fœderatarum Belgii Provinciarum, aut alibi in earum ditionibus in Europa sunt vel erunt, mercaturam in omnibus illis locis facientes, eorumque Negotiatores, Institores, Famulive, armati sive inermes (armati autem non amplius quadraginta simul) tam sine bonis suis & mercimoniis, quam cum iis, quocunque ire voluerint; Poterit item populus & Incolæ Fœderatarum Belgii Provinciarum eadem libertate frui in omnibus Reipublicæ Angliæ ditionibus in Europa, dummodo in hujusmodi Commercio & Mercaturâ singuli alterutrius Reipublicæ Legibus & Statutis utrinque pareant, moremque gerant. „

18. Item, si Naves Mercatoriæ unius aut alterius subditorum per tempestatem vel Piratas, vel aliam quamcunque necessitatem, portum unius vel alterius Dominii intrent, inde securè & liberè recedant cum Navibus & Mercimoniis, absque aliqua Vectigalium aut aliorum jurum solutione; Ita tamen, ut onus non distrahant, aut divendant, aut venale quicquam proponant, nec molestiæ qualicunque aut visitationi subjicientur, modo nec personas aliquas, nec merces in navem receperint, aut quidquam egerint contra leges, Statuta aut Consuetudines ejus loci, ubi portus, uti præmissum est, intraverint. „

19. Item, quod Mercatores, Naucleri, Gubernatores & Nautæ alterutrius Reipublicæ eorumve naves, bona aut Mercimonia in Terris, Portubus, Navium stationibus, aut fluminibus alterius non prehendentur, vel sub arresto detinebuntur

„ tur ex Edicto quovis, generali aut speciali, sive ad bellum, sive ad alium quemlibet „ usum, nisi summa necessitate id cogente, justa etiam satisfactione ob id data; . Ita „ tamen, ut detentionibus & arrestationibus, quæ ex jure & legibus alterutrius Rei„ publicæ rectè atque ordine fiunt, nihil hinc derogatum sit.

„ 20. Item, uti Mercatores utrimque eorum institores & famuli, atque etiam „ Naucleri, aliique Nautæ, tam eundo, quam redeundo navibus per Maria aliasque „ aquas, quam in portubus alterutrius, aut in terram egressi sui suorumque bono„ rum defendendi causâ, omne genus arma, tam offensiva quam defensiva, gestent, „ utanturque; Verum ubi ad sua quisque hospitia ac diversoria pervenerit, ibi ar„ ma sua deponet, ac relinquet, donec rursus ad navem se receperit, aut eo com„ meare velit.

„ 21. Item, quod naves præsidiariæ seu bellicæ alterutrius Reipublicæ quamcun„ que in Mari navem aut Naves Mercatorias, quæ ad alteram vel alterius Populum „ aut Incolas, aut ad ullos sociorum, hoc Fœdere comprehensos, pertinuerint, quæ „ eundem cursum tenuerint, idemve iter fecerint, obviam habentes aut assequentes, „ iis præsidio esse, easque defendere tenebuntur, quamdiu eundem cursum tenue„ rint, contra omnes & singulos, qui eas vi adorientur.

„ 22. Item, si qua Navis aut Naves, quæ populi aut Incolarum alterutrius Rei„ publicæ aut Neutralis alicujus fuerint, in alterutrius portubus à quovis tertio ca„ piantur, qui ex populo aut Incolis alterutrius Reipublicæ non sit, illi, quorum „ in portu, aut ex portu, aut quacunque ditione prædictæ naves captæ fuerint, pa„ riter cum altera parte dare operam tenebuntur in prædictis nave vel navibus in„ sequendis & reducendis, suisque dominis reddendis; Verum hoc totum fiet do„ minorum impensis, aut eorum quorum id interest.

„ 23. Item, quod scrutatores, cæterique id genus Officiales ex utraque parte, „ ad normam legum alterutrius Reipublicæ sese dirigent, neque plus imponent „ exigentve, quam per auctoritatem sibi commissam, & accepta mandata li„ cuerit.

„ 24. Item, si qua injuria ab alterutra Republica ejusve Populo aut Incolis, alte„ rius Populo aut Incolis illata sit, sive contra ullos hujus Fœderis Articulos, sive „ contra jus commune, uti nullæ literæ Repressaliæ, Mercæ aut contra Mercæ ab „ alterutra concedantur, donec justitia prius juxta leges ordinarias postuletur. Sin „ autem illic justitia vel denegetur, vel in longum protrahatur, tum uti summus „ ejus Reipublicæ Magistratus, sive ejus delegati, cujus Populus & Incolæ injuria „ affecti sunt, ab illa altera Republica, in qua justitia, ut supradictum est, denega„ tur aut differtur, aut ab illa potestate, quæ hujusmodi postulatis audiendis consti„ tuta erit, publicè justitiam postulent, ut omnes hujusmodi lites vel amicè compo„ nantur vel ordinario legum processu. Sin autem mora adhuc interposita erit, ne„ que jus reddetur, neque satisfactio dabitur intra tres Menses, quam hujusmodi „ postulatio lata fuerit, tum demum uti litteræ Repressaliæ, Mercæ, vel contra „ Mercæ concedantur.

„ 25. Item, Quod illi, qui specialia diplomata aut Commissiones ab alterutra „ Republica obtinuerint, priusquam illa diplomata accipiant, coram eo judice, „ qui ea ipsis exhibebit, sufficientem fiduciariam cautionem interponent per ejus-

modi

modi homines, qui respondendo pares sunt, & non ejus navis Socii, aut „ Participes, se nullum damnum aut injuriam alterutrius Populo, aut Incolis illa- „ turos.

26. Item, conventum & concordatum est, quod utriusque partis Populo ad " portus utriusque liber semper erit accessus, in iisque commorari, & inde rursus " recedere, liberum ei licitumque erit, non solum cum Navibus mercatoriis, & " oneratis, sed & cum Navibus bellicis, sive ad Rempublicam spectent, sive eorum " sint, qui specialia diplomata obtinuerint, sive tempestatis vi, aut Maris periculo „ intraverint, sive ut naves reparent aut commeatum coëmant, modo octonarium „ navium bellicarum numerum non excedant, si sua sponte intraverint, nec diutius „ in portubus, aut circa portus hæreant, quam ad navium reparationem, coëmenda „ victualia, aliasve necessitates fuerit necesse; Et si major navium bellicarum numerus, data occasione, ad ejusmodi portus velit accedere, eos intrare nequa- " quam erit licitum, nisi prius impetratâ ab iis veniâ, ad quos portus illi prædicti " pertinuerint, nisi tempestate aut vi aliqua, aut necessitate compulsæ fuerint, quò " maris pericula effugerent; Quod cum accidit, Præfectum ejus loci aut sum- " mum Magistratum statim de causa sui adventus certiorem facient, nec diutius „ ibi hærebunt, quam illis à Præfecto aut summo Magistratu permissum erit, nec „ in iis portubus commorantes hostile aliquid, aut quidquam in præjudicium eo- „ rum molientur.

27. Item, conventum est, ut supra, quod Domini Ordines Generales Uniti " Belgii curabunt, ut Justitia fiat in eos, qui Perpetratores aut participes erant Ho- " micidii Anglorum in Amboyna, quod Reipublicæ Angliæ ita placuit qualificare, " si modo aliquis eorum superstes erit. "

28. Item, quandoquidem Naves & bona quædam Anglorum prehensa & de- „ tenta fuerint in Dominiis Regis Daniæ, à decimo octavo die Maji Anno 1652. „ Utrinque conventum, conclusum, & concordatum est, atque Ordines Generales „ sese obligarunt, quemadmodum & his præsentibus sese obligant, quod omnia & " singula, naves, & bona detenta, uti prædictum est, & in specie adhuc manentia, " unà cum vero & justo pretio eorum quæ divendita, subducta, seu aliter disposita " sunt, intra quatuordecim dies post appulsum Mercatorum & Nauclerorum, quo- " rum interest, vel procuratorum suorum, qui ea recipiant, restituentur, atque " etiam damna, quæ ex eadem detentione Anglis prædictis illata sunt, compen- „ sabuntur, prout de iis judicatum fuerit ab *Edovardo VVinslow*, *Iacobo Russell*, „ *Iohanne Becx*, & *Guilielmo vander Cruyssen*, Arbitris indifferenter electis, tam à parte „ Celsitudinis Suæ, quam dictorum Ordinum Generalium (de cujus Arbitrii forma " seu instrumento jam conventum est) ad examinanda & determinanda postulata " Mercatorum, Nauclerorum, Proprietariorum, ad quos dictæ naves, bona & " damna pertinent; Qui dicti Arbitri in Aurifabrorum Aula (vulgò *Goldsmits Hall*) " hic Londini vigesimo septimo proximi Junii, stylo veteri, convenient, vel citius, " si fieri poterit, atque eodem die solenne juramentum suscipient coram judicibus „ supremæ Curiæ Admiralitatis Angliæ, se omni respectui & relationi utriusque „ status & privati cujuscunque commodo renunciaturos, atque insuper, quod præ- „ dicti Arbitri à primo die Augusti, proximè futuri, nisi prius consenserint, in „

camera separatim ab omnibus aliis tantisper claudentur absque foco, candela, cibo, potu, aliove sustentaculo, donec de rebus prædictis, ad se relatis, consenserint. Quæque sententia ab iis lata fuerit, utramque partem devinciet & obligabit. Atque Ordines Generales Fœderatarum Provinciarum ad eandem præstandam his præsentibus sese firmiter obligant & devinciunt, nec non ad illam pecuniæ summam, quæ à dictis Arbitris adjudicabitur solvendam hic Londini in usum dictorum Proprietariorum tali personæ vel personis, quam vel quas Celsitudo sua nominaverit, intra viginti quinque dies post adjudicationem illam factam. Et dicti Ordines Generales summam quinquies mille librarum Anglicarum, intra duos dies, postquam instrumenta Ratificationis dictorum Articulorum Pacis mutuò extradita erunt, hic Londini pendent versus sumptus à Mercatoribus, Naucleris, vel procuratoribus suis ex itinere in Daniam faciundos; & summam vicies mille thalerorum Imperialium, sive Rixe Dollars, talibus personis, quas Celsitudo sua nominaverit intra sex dies, postquam eæ personæ illic appulerint, in Mercatorum, Nauclerorum, & Proprietariorum usum, ad naves suas reficiendas, & in reditum suum instruendas: quæ prædictæ summæ in partem solutionis cedent istius summæ, quæ laudo arbitrorum prædictorum continebitur. Quodque fiduciaria cautio & securitas dabitur (de cujus cautionis forma jam conventum est) à sufficientibus viris, qui respondendo pares sunt, hic Londini degentibus, sese in summa centum & quadraginta mille librarum Monetæ Angliæ obligantibus (cujus obligationis Syngrapha unà cum instrumento Ratificationis tradetur) quod restitutio, secundum quod prædictum est, fiet, quodque submissio & solutio tam viginti thalerorum Imperialium, quam summæ aliorumque, quæ, uti prædictum est, adjudicata erunt, à parte sua præstabitur; Et si à parte Dominorum Ordinum Generalium omnes vel aliquæ prædictæ conditiones non efficaciter & realiter præstentur, modo & tempore præstitutis, tunc pœna dictæ obligationis exigetur, & dicta summa centum & quadraginta mille librarum Monetæ Angliæ tali personæ vel personis solvetur, quam vel quas Celsitudo sua nominaverit, unde Mercatorum, Nauclerorum, & Proprietariorum damna resarciantur.

29. Item, cum nonnullæ lites & quæstiones inciderint inter Rempublicam Angliæ, & Regem Daniæ, ratione detentionis navium & bonorum, in priore Articulo nominatorum, atque Ordines Generales Fœderatarum Provinciarum naves & bona prædicta restituenda in se receperint, & fiduciariam cautionem pro eadem restitutione & solutione damnorum, juxta quod in priore Articulo præfinitum est, interponere consenserint, conventum, conclusum, & concordatum est, quod his ritè factis, & præstitis, omnes quæstiones, lites, injuriæ atque hostilitates inter dictam Rempublicam & Regem Daniæ, ratione dictæ detentionis, cessabunt & perpetuæ oblivioni tradentur; Ita, ut dictus Rex cum Regnis & Dominiis suis in hoc Tractatu & Confœderatione, tanquam Amicus, comprehendatur, eo modo, quo in eandem amicitiam & affinitatem cum utraque Republica restituatur, quâ prius erat ante dictam detentionem, & quasi nunquam ea intervenisset, nec non & Deputati ejus, & Legati consimili honore admittentur, quo Deputati & Legati aliorum Statuum, qui amicitiâ conjuncti sunt.

30. Item,

30. Item, conventum est, ut supra, quod Commissarii utrinque quatuor tempore, quo ratihabitiones extradendæ sunt, nominabuntur, qui ad decimum octavum Mensis Maji proximi stylo Anglico, hic Londini conveniant, qui eodem tempore instructi, atque auctoritate muniti erunt, quemadmodum hisce præsentibus instruuntur, & eâ auctoritate muniuntur, ut omnes eas injurias, eaque damna examinent & definiant, quæ Anno millesimo sexcentesimo undecimo & deinceps usque ad decimum octavum Maji Anno 1652. styli Anglici tam in Indiis Orientalibus, quam in Groenlandia, Moscovia, Brasilia, vel ubivis locorum pars una ab altera se pertulisse causatur; Et quorum omnium particularia ante præscriptum diem decimum octavum Maji prædictis Commissariis ita nominatis exhibebuntur, eâ cum restrictione, ut post præfatum diem nullæ omnino novæ admittantur; Si autem præfati Commissarii de prædictis differentiis, ita particulariter scripto exhibitis & expressis, non conveniant intra trium Mensium spatium à præfato decimo octavo Maji die numerandum, quod eo casu prædictæ differentiæ submittentur, sicut & his præsentibus submittuntur judicio & arbitrio Cantonum Helvetiæ Protestantium, qui instrumento eo, de quo simul cum hisce conventum est, requirentur, ut eo casu arbitrium illud assumant, & similes Commissarios in eundem finem delegent, ita instructos, ut post expiratos illos tres Menses intra sex proximè sequentes de iis judicium ferant, & quicquid ejusmodi Commissarii, aut major eorum pars intra prædictos sex Menses determinaverint, utramque partem obligabit, & ritè perficietur.

31. Item, conventum & conclusum est, quod utraque pars verè & firmiter observabit atque executioni mandabit præsentem Tractatum, omniaque & singula in eo contenta, & comprehensa, atque eadem ab alterutrius Populo, Subditis & Incolis observari & præstari efficaciter curabit.

32. Item, ad majorem cautelam & securitatem Pacis hujus & Confœderationis à parte Dominorum Ordinum Generalium Fœderatarum Provinciarum earumque populo sincerè & bonâ fide præstandæ, conventum & conclusum est, sicut & Domini Ordines Generales his præsentibus conveniunt, seque firmiter obligant & devinciunt, quod omnes & singuli, quos aut quem, vel ipsi vel Ordines Provinciarum, quocunque demum tempore, eligent, constituent aut præficient Capitaneum Generalem, Gubernatorem, seu Præsidem primarium, sive Stadtholder, Imperatorem Exercituum seu Militiæ in terra, vel Admirallum, seu Prætorem Classium, Navium, Copiarumve marinarum, obligabuntur & devincientur hunc Tractatum, & omnia ejus Capitula juramento confirmare, itaque sanctè & cum juramento spondere, se, quantum possint, omnia ea religiosè observaturos & executioni, quoad eos spectat, mandaturos & curaturos, ut ab aliis observentur & executioni mandentur.

33. Item conventum, conclusum, & concordatum est, quod præsens Tractatus, atque omnia & singula in eo contenta & conclusa, à dicto Domino Protectore, dictisque Ordinibus Generalibus Fœderatarum Provinciarum per Patentes utriusque partis Literas, sigillo magno munitas, debitâ & authenticâ formâ, intra quindecim dies proximè insequentes, aut citius (si fieri poterit) confirmabuntur & ratihabebuntur, mutuaque instrumenta, infra prædictum tempus, hinc

„ inde extradentur, nec non & Pax hæc, & Confœderatio ſtatim à traditis & permutatis inſtrumentis, forma & loco ſolitis publicabitur, atque omnes hoſtilitatis actus hinc inde ab eo tempore ceſſabunt.

Sequitur tenor Commiſſionis ex parte Sereniſſimi Domini Protectoris.

Olivarius Dominus Protector Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, &c. Omnibus & ſingulis quorum intereſt, & ad quos præſentes Literæ pervenerint, Salutem. Sciatis, quod cum Celſi ac Potentes Domini Ordines Generales Unitarum Provinciarum ad nos miſerint & legaverint Plenipotentiarios Suos & Legatos, ſufficienti auctoritate ad id munitos & inſtructos, qui firmam Pacem, Unionem & Confœderationem nobiſcum ineant & paciſcantur; Et nos ex pio & Chriſtiano hujus belli ſenſu malorumque, quæ inde ſequutura ſunt, non ſolum reſpectu Nationum eo involutarum, quæ omnibus Religionis & humanitatis vinculis ſibi invicem ſuccurrere & favere tenentur, ſed etiam reſpectu communis cauſæ rerumque Chriſtiani Orbis, ſedulos & ſinceros Noſtros conatus adhuc continuare cupientes, ſicut nec ex ipſis belli primordiis quicquid unquam à parte noſtra defuit, quo non modo bellum hoc componatur & finiatur, verum etiam ſincera & perpetua Pax fidaque amicitia intimiorque affinitas inter nos & prædictos Ordines introducatur & ſtabiliatur; De probitate, fide, prudentia, & circumſpectione dilectorum nobis *Henrici Laurence*, Domini Præſidis Conſilii noſtri, *Iohannis Lambert*, Majoris Generalis Exercituum hujus Reipublicæ, *Philippi Vice-Comitis Liſle*, *Gilberti Pickering*, *Bar.*[ti] *Edovardi Mountague* Armigeri, *Gualteri Strickland* Armigeri, Dominorum Conſilii noſtri ad plenum perſuaſi ipſos, vel majorem eorum partem, cæteris abſentibus aut impeditis, ex aſſenſu Conſilii noſtri facimus, conſtituimus, atque his præſentibus ordinamus veros noſtros & indubitatos Commiſſarios, Procuratores & Deputatos. Dantes & concedentes iiſdem vel majori eorum parti tenore præſentium plenariam auctoritatem, facultatem & poteſtatem, generale & ſpeciale mandatum, concludendi, paciſcendi, & ſtabiliendi pro nobis & Succeſſoribus noſtris, cum *Hieronymo van Beverningk*, *Guilielmo Nieupoort*, Conſiliario & Quæſtore Generali Septentrionalis Hollandiæ, & Penſionario Oppidi de Schiedam, *Allardo Petro Iongeſtall*, Ordinario Conſiliario in Curia Juſtitiæ pro Provincia Friſiæ, & Curatore Academiæ Franekeræ in Conſeſſu Dominorum Ordinum Generalium Uniti Belgii Deputatis, ex parte Provinciarum Hollandiæ & Friſiæ, Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis à parte Ordinum Generalium Fœderati Belgii firmam inter Nos, & prædictos Ordines Pacem, affinitatem, neceſſitudinem, amicitiam, Commercium & intercurſum, nec non concludendi & finaliter determinandi de & ſuper omnibus cauſis, litibus, & querelis, quæ inter nos & prædictos Ordines hinc inde pendere dignoſcuntur, ſub illis modis, capitulis, forma, promiſſionibus, cautionibus & ſecuritatibus, quas ad firmam Conventorum obſervationem putaverint requirendas; Et quicquid prædicti noſtri Commiſſarii cum Legatis prædictis Dominorum Ordinum Generalium convenerint, concluſerint aut con-

concordaverint, Nos bona fide promittimus, nos & Successores nostros his præsentibus firmiter obligando, id omne observare, præstare, firmum ratumque habere, quasi ipsi interessemus; In cujus rei testimonium has Literas nostras Patentes manu propria significavimus, iisque magnum Sigillum Angliæ apponi fecimus. Datæ ex Alba Aula decimo quarto die Martii $165\frac{3}{4}$.

Oliver P.

Sequitur tenor Commissionis ex parte Dominorum Ordinum Generalium.

Les Estats Generaux des Provinces Vnies du Pays-bas, A tous ceux, qui ces presentes verront, Salut. Sçavoir faisons, comme ainsi soit que nous soyons touchez d'vn juste desir & volonté de contracter & convenir avec Son Altesse le Seigneur Protecteur de la Republique d'Angleterre, Escosse, & Yrlande vne estroicte, bonne, sincere, & mutuelle Amitie, Vnion, & Alliance, pour la deffence & conservation de la liberté & franchise des deux Nations, & de la Navigation & Commerce mutuel, ensemble les interests communs, contre tous ceux, qui voudroyent entreprendre tant par Mer, que par terre, de troubler l'un ou l'autre Estat; C'est pourquoy nous desirans l'advancement de ce bon œuvre, avons trouvé necessaire d'envoyer vers saditte Altesse le Seigneur Protecteur de laditte Republicque, les Seigneurs Hieronymus de Beverningk, Guiliaume de Nieupoort, *Conseiller & Recepveur General de la Nort-Hollande, Pensionaire de la Ville de Schiedam,* Allard Pierre Jongestall, *Conseiller Ordinaire dans la Cour de Frise, & Curateur de l'Academie a Franeker, Deputéz en nostre Assemblée de la part d'Hollande & Frise, nos Ambassadeurs Extraordinaires. Et sachant, que pour faciliter leurs Negotiations a fin de les conduire au dessein & conclusion convenable aux bonnes intentions de l'un & de l'autre Republicque, & ayant besoing d'estre a ceste fin pourveus de plein pouvoir, authorité, Commission & mandement special, nous a ces causes desirants prevenir & lever toute dispute & contention, qui se pourroit mouvoir sur la suffisance & validité de leur creance & authorisation; Donnons aux dicts Seigneurs nos Ambassadeurs Extraordinaires en vertu de ces presentes, & a chascun d'eux en particulier, si par maladie ou autrement ils estoyent empeschéz d'intervenir tous trois au Traitté d'Vnion & Alliance, qui se fera plein pouvoir traitter, stipuler, convenir, accorder & conclurre avec Saditte Altesse le Seigneur Protecteur de la dicte Republicque d'Angleterre, Escosse, & Yrlande, ou avec les Seigneurs Commissaires qui seront deputés de sa part, laditte estroitte Alliance, & Amitié mutuelle entre les deux Nations, & de tout ce que sera ainsi negotié, convenu, & conclu, faire ou passer tel ou tels instruments, contracts & promesses en bonne & deüe forme, & generalement, faire en ce que dessus & en ses circomstances & dependances, tout ainsi que nous ferions si presents y estions jaçoit que la chose requist mandement plus special, qu'il n'est contenu dans ces presentes, par lesquelles nous promettons sincerement & de bonne foy avoir agreable, tenir ferme & stable a tousjonrs, tout ce qui par eux en ceste qualité sera faict, procuré, promis, convenu, & accordé en cest endroict, l'observer, accomplir, & entretenir inviolablement, sans jamais aller ny venir au contraire, directement ou indirectement en quelque sorte & maniere que ce soit, mais le tout debvoir ratifier si besoing est, & en passer lettres & instruments en la meilleure forme que faire se pourra, au contentement de Saditte Altesse le Sei-*

Sequitur Ratificatio Domini Protectoris Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, &c.

OLIVARIUS Dominus Protector Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, &c. Omnibus & ſingulis, ad quos præſentes literæ pervenerint aut ullatenus ſpectaverint, Salutem. Quandoquidem ad ſedandas diſcordias & firmam Pacem conciliandam inter Nos & Celſos ac Potentes Dominos Ordines Generales Unitarum Provinciarum Commiſſarii à parte noſtra conſtituti & delegati fuerint, plenariâ autoritate communiti ad concludendum, paciſcendum & ſtabiliendum cum Plenipotentiariis Dominorum Ordinum Generalium in eundem finem ad Nos extra Ordinem legatis, firmam Pacem, Unionem & Confœderationem; Et poſt varios congreſſus hinc inde deſuper habitos Commiſſarii noſtri prædicti, nec non Legati & Plenipotentiarii Dominorum Ordinum Generalium, benedicente Deo, in certos quoſdam Articulos & capitula Pacis, Unionis & Confœderationis convenerint & conſenſerint, quorum tenor infra ſequitur, & de verbo in verbum inſeritur, videlicet:

Idcirco nos volentes omnia & ſingula, quæ in prædictis Articulis continentur & comprehenduntur, executioni omnimodo dari, præſtari atque efficaciter adimpleri, ſeriâ & maturâ deliberatione cum Nobis & Conſilio noſtro ſuper iis habita, ea omnia & ſingula probavimus, ratificavimus & confirmavimus, & per has præſentes pro nobis & Succeſſoribus noſtris probamus, ratificamus, & confirmamus ſecundum verum, proprium & genuinum eorum ſenſum & intellectum; Spondentes & Promittentes pro Nobis & Succeſſoribus noſtris, ea omnia & ſingula, Nos ſincerè, bonâ fide, atque inviolabiliter juxta formam & contentum eorum præſtituros, obſervaturos, adimpleturos; eaque omnia & ſingula præſtari, obſervari, atque adimpleri ab aliis omnibus, quorum intereſt, efficaciter curaturos, omneſque contravenientes ſine gratiâ vel conniventiâ ſeverè punituros, omni dolo & fraude ſemotis; In quorum fidem & teſtimonium has Literas noſtras Patentes propriâ manu ſignavimus, & magno Angliæ Sigillo appenſo muniri fecimus; Datum Weſtmonaſterii decimo nono die Aprilis, Anno Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto. *Huſey.*

Oliver P.

Sequitur Ratificatio Dominorum Ordinum Generalium.

Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum, conſtare volumus omnibus & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poterit; Quoniam juſto deſiderio ac propenſa voluntate moti ſumus cum Sereniſſimo, & Celſiſſimo Domino Olivario, Domino Protectore Reipubl. Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, contrahere & inire ſtrictam, firmam, ſinceram, mutuamque Amicitiam, Unionem & Confœderationem, pro defendenda & conſervanda libertate ac jure utriuſque Nationis, nec non Navigationis & Commercii, pariterque communis cauſæ, contra quoſcunque, qui tam terra, quam mari hunc vel illum Statum turbare nitentur; Et deſiderantes hujus ſalutaris operis progreſſum, neceſſarium duxi-

„ duximus ad Sereniſſimam Celſitudinem Suam, Dominum Protectorem prædictæ „ Reipublicæ ablegare Dominos *Hieronymum de Beverningk*, *VVilhelmum de Nieu-„ poort*, Conſiliarium & Quæſtorem Generalem Hollandiæ Borealis, Syndicum „ Oppidi Schiedamenſis: *Allardum Petrum Iongeſtall*, Ordinarium Conſiliarium in ſuprema Curia Juſtitiæ Provinciæ Friſiæ, & Curatorem Academiæ Franekeræ, „ Extraordinarios Legatos noſtros ut cum altememoratæ Sereniſſimæ Celſitudinis „ Suæ Commiſſariis convenirent de ſtricta, firma, ſincera & mutua Amicitia, „ Unione & Confœderatione, utrimque colenda & obſervanda: Illi igitur, cun-„ ctis accuratè deliberatis, ventilatis & diſcuſſis, nomine utriuſque Partis, Fœ-„ dus mutuum pepigerunt & concluſerunt, nec non de peculiaribus Articulis in-„ vicem convenerunt, quorum tenor is eſt, qui hic & infrà verbotenus ſequitur „ inſertus:

„ Proinde prædictum, ac ſupra hic inſertum pacti Fœderis, atque Articulorum „ conventorum Inſtrumentum cum Sereniſſimæ Celſitudinis Suæ Commiſſariis per „ dictos Extraordinarios Legatos noſtros in ordinem redactum, in omnibus pun-„ ctis & clauſulis approbavimus & ratum habuimus, prout tenore ac vigore præ-„ ſentium illud approbamus & ratum habemus: Spondentes, Nos dictum in-„ ſtrumentum in omnibus punctis & clauſulis ſuis inviolabiliter ſervaturos ac im-„ pleturos, neque paſſuros, ut à quoquam ullo modo infringatur vel violetur. In „ quorum fidem & robur haſce per noſtri Conſeſſus Præſidem ſignari, à Graphia-„ rio ſubſcribi, & majori Sigillo noſtro muniri fecimus: Dabantur Hagæ-Comi-„ tum die viceſima ſecunda Aprilis, Anni ſupra Milleſimum, ſexcenteſimum quin-„ quageſimi quarti. *I. van Gent*,[vt.] Ad mandatum altememoratorum Dominorum „ Ordinum Generalium.

N. Ruyſch.

„ Cum in tertio Articulorum Pacis, Unionis & Confœderationis initæ, ſtabili-„ tæ & promulgatæ inter Sereniſſimum Dominum, Dominum Protectorem „ Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ; Et Dominos Ordines Generales Uni-„ tarum Provinciarum conventum ſit, Quod omnes injuriæ, ſumptus & damna, „ quæ pars una ab altera pertulit poſt $\frac{18}{28}$ Menſis Maji, Anno 1652. delebuntur at-„ que è memoria eradentur, eo modo, quo neutra dictarum partium alteri nego-„ tium faceſſet ob aliquod iſtiuſmodi damnum, injuriam aut ſumptus; Sed omnis „ & cujuſcunque eorum perfecta erit hunc in uſque diem abolitio, omneſque eo „ nomine lites actioneſque caſſæ nullæque erunt, exceptis iis deprædationibus, „ quæ in Maribus Britannicis committentur poſt ſpatium duodecim dierum, atque „ intra Maria Britannica & Promontorium S. Vincentis poſt ſpatium ſex hebdo-„ madum, & inde in Mari Mediterraneo & ad Æquatorem uſque, poſt ſpatium de-„ cem hebdomadum, atque ultra Æquatorem, poſt ſpatium octimeſtre à publica-„ tione pacis numerandum, vel immediatè poſt ſufficientem notitiam Pacis in di-„ ctis locis factam. Et cum de prædictis verbis quæſtiones nonnullæ forſitan orian-„ tur, quæ litibus & diſceptationibus anſam præbeant, Præfatus Dominus Protector, „ & præfati Ordines Generales, quo omnis controverſia tollatur, quæ occaſione „ alicujus, in prædicto Articulo contenti, accidere poterit, unanimi conſenſu

conve-

convenere & conclusere, atque his præsentibus declarant, omnibusque & singulis popularibus & subditis suis respective palam faciunt, quod immediatè post Tractatus Pacis promulgationem, quæ jam facta est, omnes hostilitatis actus ubicunque in omnibus locis, in dicto tertio Articulo expressis, & ubique alibi cessabunt, & quod omnes deprædationes, damna & injuriæ, quæ ab una parte contra alteram facta ceu commissa fuerint, post quartum diem Maji (stylo veteri) proximè sequuturum in quibuscunque locis, quorum in prædicto Articulo mentio facta est, vel alibi, tam citra, quam ultra Æquatorem, in rationum reddendarum tabulas referentur, & quæ ablata erunt post prædictum diem Maji, sine aliqua forma Processus restituentur, nec non & damna inde nascentia compensabuntur. Et quo stipulatio hæc & conventio magis innotescat, utraque pars eandem in jurisdictionibus & territoriis suis publicabit, & navibus suis bellicis aliisque, tam quæ in portu, quam quæ super Mari sunt, eandem observare firmiter mandabit. In cujus rei fidem & testimonium tam Domini Commissarii Celsitudinis Suæ, quam Legati Extraordinarii prædictorum Ordinum Uniti Belgii præsentes hasce manibus suis propriis subsignarunt. Actum 28. Aprilis, stylo Angl. Anno 1654.

He. Lawrence Pras.	*H. v. Beverningk.*
Gil. Pickering.	*VVil. Nieupoort.*
E. Mountagu.	*All. P. Iongestall.*
VVal. Strickland.	

Istis Articulis postea adjectus est alius & novus de *Inclusione* tam *Fœderatorum* quam *Amicorum*, modo ut sequitur.

Utrinque conventum & conclusum est, quod in Tractatu Pacis Unionis & Confœderationis inter Serenissimum Celsissimumque Dominum Protectorem Reipub. Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, &c. ab una parte, & Celsos ac Potentes Dominos Ordines Generales Unitarum Provinciarum ab altera; includentur & comprehendentur Cantones Helvetici Evangelici in omnibus Terris & Dominiis suis; Dux Holsatiæ cum omnibus Territoriis & Dominiis suis; Comes Oldenburgicus cum Comitatibus, Baronatibus, & Dominiis ad eum pertinentibus, Civitates Hanseaticæ, Lubeca, Brema, Hamborgum.

Dux quoque *Coerlandiæ* paulo post inter includendos utrinque admissus fuit.

Quid Angli durante Pacis Negotiatione in conceptu suo die 28. Novemb. 1653. proposito Articulo duodecimo postulaverint quoad Domum *Auriacam*, supra descriptum est.

Id quia ab Ordinibus Generalibus obtinere non potuerant, jam tamen ab Hollandia obtinuerunt; juxta Articulum, qui sequitur, separatum.

Ordines Hollandiæ & West-Frisiæ considerato & perpenso, quam benignè Deo omnipotenti placuerat Tractatum *Pacis, Unionis*, ac *Fœderis*, inter Rempub. Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ ab una, & Fœderatum Belgium ab altera parte, qui jam ab aliquo tempore in manibus fuerat, felici beare eventu, ita ut die 15. Mensis

» sis proximè præteriti per Commissarios Celsissimi Domini *Protectoris* prædictæ
» & Legatos Extraordinarios hujus Reipublicæ Westmonasterii in Anglia præfatus
„ Tractatus hinc inde fuerit conclusus, & tam subsignatione quam sigillorum mu-
„ tua appositione firmatus: In specie autem etiam animadverso, quam seriò sum-
„ medictus Protector ad stabiliendum Tractatum, Pacemque in æternum duratu-
„ ram reddendam iterum atque iterum monuerit, *Principem Arausionensem ejusve po-*
» *steros*, descendentes quippe è Domo *Stuarticâ*, si aliquando ipsi supremæ hujus
» Reipub. dignitates atque functiones deferantur, propter diversos intuitus atque
» rationes, facile magnarum simultatum atque diffidentiæ inter utranque natio-
» nem causam fore, per quam facta jam inter eas pax infirmari atque labefactari at-
„ que populus uterque in funestum ac ærumnosum bellum facile possent relabi:
„ Altememorati Ordines omnibus modis huic malo tempestive occurrere volen-
„ tes, consciptis eo fine specialiter Comitiis, maturâ habitâ deliberatione, ad de-
„ clinandum omne malum & effusionem Christiani sanguinis præpediendum, præ-
» cipue autem etiam ad tranquillandum Suæ Celsitudinis, in ea cura, animum,
» quantum in ipsis fuerit, ad colligendos reipsa dicti Tractatus fructus, eumque
» utriusque populi bono perpetuum faciendum, declararunt, uti per has declarant,
» *Sese nullo unquam tempore electuros prædictum Arausionensium Principem ullumve ejus lineæ*
» *in locum tenentem vel Admiralem suæ Provinciæ, nec assensuros, quoad suæ Provinciæ suffra-*
„ *gium, ut unquam ei Summum in Militiam generalitatis imperium conferatur.* eo fine,
„ modo formaque meliore, sese obligantes. Datum Hagæ-Comitis sub magno
» Provinciæ Sigillo, die quarto Maji 1654.

Res ea, cum vulgata fuit, nec murmure apud populum, nec contradictis apud Ordines aliarum Provinciarum caruit: Aliud Legatis, imo contrarium fuisse mandatum, jactabatur: esse contra libertatem, adstringi ad aliquem excludendum: contra principem fieri, quod contra privatum nec fiebat nec fieri poterat: melius de Repub. meritas Domos *Auriacam* & *Nassavicam*: pactum pugnare cum Unione *Vltrajectina*: vetitos esse Tractatus unius Provinciæ cum exteris, *non Consultis* aliis Provinciis. Hollandi contra, nihil à Legatis adversus mandata ab Ordinibus Generalibus accepta factum, affirmarunt; *Seclusionem* hanc esse puram Provincialem: Libera sua cuique Provinciæ esse vota, libera electionis, inclusionis, vel exclusionis jura: se solos, quod ab omnibus postulatum erat, præstitisse, id, sine quo Pax obtineri non potuisset: sibi ab reliquis gratiam eo nomine deberi: studio & amori tranquillitatis publicæ aliquid dandum. Ipse *Protector* hoc in Epistolâ illâ suâ ad Zelandiæ Ordines monitoriâ, quæ modo sequitur, innuit, cum *Seclusionem* appellat præcipuam Pacis *cautelam* & *securitatem*; item, *sine ea unquam pacisci nec debuisse nec potuisse.*

Oliva-

Olivarius Protector Reipub. Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ, &c. Celsis ac Potentibus Dominis Ordinibus Zelandiæ, *Bonis Amicis & Fœderatis nostris salutem & prosperos rerum successus.*

Celsi ac Potentes Domini Boni Amici & Fœderati.

Conventu Vestro Provinciali jam (uti accepimus) instante, Nos Christiano & Pacifico affectu commoti, ac seriò Nobiscum reputantes quantum Christiani sanguinis superiori bello inter ejusdem fidei consortes mutuò datum haustumque sit, & quanto plus adhuc sanguinis ingruente iterum bello (quod Deus avertat) dandum hauriendumque sit, Christiani officii esse censuimus, Dominationibus Vestris (utpote Nobis unâ cum Hollandis *maximè* vicinis & propter *mutuum commerciorum usum plurimis amicitiæ vinculis junctis*) hisce præsentibus amicè & sincerè exponere, Nobis dicto Fœdere Pacis nihil prius neque antiquius fore, *modo præcipua ejus cautela & securitas aliunde non labefactetur*, rescindatur, aut infringatur; quod ne ullo modo ullisve malevolorum artificiis fiat, cum Nobis majori studio ac zelo contendendum, tum Dominationibus Vestris commendandum judicavimus, quandoquidem ex fama publica multisque insuper tam Hagæ quam aliunde fide dignis nunciis admonemur, nonnullos ibi omnem lapidem movere, ut sincera & laudibilis Celsorum & Potent. Dominorum Ordinum Hollandiæ *in pace* non ita pridem inter Nos & Fœderatum Belgium factâ, *ritè colendâ, confirmandâ, & stabiliendâ*, intentio & propositum *traducatur atque intervertatur*, unde verendum est, ne omnis pactorum conventorum certitudo & *securitas* (*sine quâ* unquam pacisci nec debuissemus nec potuissemus) unâ eademque operâ nobis è manibus eripiatur, ac firma illa & perpetuò (quod faxit Deus) duratura Pax concutiatur, labefactetur, & postremò etiam, si fieri posset, omnino rumpatur, rursusq; in cruentum bellum convertatur, & erumpat in utriusque Reip. imò universæ Reip. Christianæ opprobrium & detrimentum irreparabile, tandemque, (ni Deus misericors avertat) purioris & *Reformatæ Religionis* in utraque gente & ubique gentium exterminium & ruinam. Nos verò constanter Nobis propositum habemus dictum Fœdus *Sanctè* & *Religiosè* observare, veramque & firmam amicitiam cum Celsis & Potentibus universi *Belgii* singularumq; Provinciarum Ordinibus & speciatim quoque Dominationibus Vestris perpetuò colere, nulli dubitantes quin Dominationes Vestræ unà cum Dominis Ordinibus aliarum Provinciarum pro singulari prudentiâ suâ huic nostræ justissimæ intentioni responsuræ adeoque cum dictis Dominis Ordinibus Hollandiæ obviam ituræ sint *perversis conatibus & inclinationibus eorum qui Pacem publicam propter privatum usum ac commodum fractam, & unà communem libertatem & religionis causam pessundatam*, nec non communium utriusque hostium ludibriis & insultibus obnoxiam & expositam velint, Nos quidem, uti hisce præsentibus conscientiæ nostræ satisfacere voluimus, ita etiam Deum T. O. M. pacis unicum & concordiæ authorem ex animo precamur, ut super solidæ, securæ, adeoq; duraturæ pacis & amicitiæ fundamenta omnes ac singulæ Fœderati Belgii Provinciæ non solum Nobiscum colant pacem & amicitiam, verum etiam inter se

ipsas mutuò eademque quâ creverint hactenus augescant indies, & quam diutissimè fruantur concordiâ, in quem finem Deum veneramur, ut Dominationibus Vestris *moderata & tranquilla Consilia* inspirare velit, & porrò totum hoc Pacis negocium magis magisque *in dies stabile ac firmum* reddere dignetur, ut ante omnia divino numini ejus debitus honos, puro ejus cultui ac Sacrosanctæ *Religioni Reformatæ*, quam utrique profitemur, *splendor, mari ac navigationi prisca securitas* mutuisque commerciis vetus vigor reddatur, ac postremò inter utrasque gentes antiqua, vera, & fraterna amicitia tot vinculis *Religionis, vicinitatis, & commerciorum* astricta ad Majorem Dei Gloriam & ejusdem Religionis incrementum in perpetuum coalescat, & sic avita amborum populorum *libertas* & utriusque Reip. pax & tranquillitas *contra omnes malevolorum & prava molientium machinas omnesque insultus hostiles* tam domi, quam foris inconcussa maneat; Quod benignè velit misericors ille Deus, cujus divino numini Dominationes Vestras commendamus. Dabam ex alba aula 16. Junii, styl. vet. 1654.

Vester Bonus Amicus

Olivarus P.

Corollarii loco apponendum est solennes gratiarum actioni & lætitiæ memorandæ dies fuisse utrinque dicatos. *Protector* id notum fecit modo ut sequitur.

Quis neget benedictam esse hanc Nationem, in qua tot mirabilia fecit extensa manus Dei, non sine formidine aut stupore? omnes id gentes, si quæramus, testabuntur. Revera enim tanta fuit Dei benignitas, ac si dixisset: *Anglia, tu primogenita mea ac delicium meum es inter omnes populos.* cum nullis sub toto cœlo, qui circum Nos sunt, ita egit Dominus.

Adjecto nunc novo aureæ huic amabilitatis suæ Catenæ anulo: donatâ scilicet nobis Pace cum nostris vicinis, Fœderatis Provinciis (restrictâ non tantum magnâ effusione sanguinis, sed & eo, uti confidimus, & viribus mutuis conjunctis ad nostram invicem defensionem) clamat *Dominus* ne simus ingrati. Eo fine dictus est dies secundus Junii, quo gratias agamus pro pacificâ hac benedictione, quam causam fore speramus multarum aliarum benedictionum.

Aliarum quoque Dei benignitatum ne obliviscamur. An non exsiccata fuit terra usque adeo ut famem metuerimus? Animalia bruta defectu nutrimenti & potus afflicta vidimus. Sed præter expectationem quam fœcundos in terræ gremium imbres descendisse vidimus? metus ille in tantam summæ fertilitatis & abundantiæ spem mutatus est, ut ei similem vix quisquam in hisce Regionibus senserit. Perpendamus viam qua Dominus munificentiam hanc nobis distribuit! quis venturam præviderat? Et quidem tam attemperatè statim postquam simili precibus consecrato die pluviam à Deo flagitaveramus? An non evidens hoc testimonium est.

1. Modum obtinendæ hujus gratiæ partem gratiæ potiorem esse.

2. Necdum nos à Deo depulsos, spiritum ejus nobiscum operari: esse ipsi inter nos populum quem amat; usque adeo ipsi dilectam esse hanc nationem, ut ipse

ipſe eam excitet ad nominis ſui invocationem, ad exoranda ea quæ vino & frugibus ſunt meliora. „

3. Ipſum optime noſſe quo modo & tempore votis Agricolæ reſpondeat, & ipſa bruta exaudiat; multo autem magis timentes eum, idque tempore opportuno. „

4. Poſtquam autem cœlum hoc modo enarravit gloriam Dei, terraque ei ſuâ fertilitate reſpondens; liqueſcant animi noſtri ſubmittendo ſe admirabili huic bonitati: abundent feracitate in verbis & operibus charitatis. Et quia omnes loci tempeſtiva hac pluvia fuerunt temperati: quidni & nos undequaque (ſemotis ſopitiſque omnibus litibus noſtris) alter alteri manum amicitiæ tendamus? „

5. Videndo univerſalem hanc Dei gratiam, quidni ſeparemur & avertamur univerſi à malis quæ nimis adhuc in uſu apud nos ſunt? quæ enumerare non eſt opus, utpote nimis cognita. Speramus autem verbi divini præcones, hac occaſione concionaturos, eorum facturos eſſe mentionem. Concludamus cum Davide in Pſalmo 107. „

30. Et lætati ſunt, quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum. „

31. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum. „

32. Et exaltent eum in Eccleſia plebis: & in cathedra ſeniorum laudent eum. „

33. Poſuit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſitim. „

34. Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia in habitantium in ea. „

35. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum. „

36. Et collocavit illic eſurientes, & conſtituerunt Civitatem habitationis. „

37. Et ſeminaverunt agros, & plantaverunt vineas: & fecerunt fructum nativitatis. „

38. Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis: & jumenta eorum non minoravit. „

O utinam Homo laudet Dominum pro bonitate ſua & pro factis mirabilium ſuis pro filiis hominum! „


Ordines Generales hoc modo.

Quandoquidem infinitæ Dei Omnipotentis miſericordiæ viſum fuit, labori Legatorum hujus Reipub. apud Dominum Protectorem Reipub. Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ, ita benedicere ut tandem die 15. Aprilis, proximè elapſi, inter utranque ſit concluſus Pacis, Unionis & Fœderis Tractatus, extraditâ die 2. hujus Menſis Ratihabitione debita; *Ordines* neceſſarium duxerunt diem precibus & jejunio ab omnibus ubique celebrandum edicere, tertium Menſis Junii: eo fine, ut Deo ex intimis animi penetralibus agantur gratiæ pro immeritâ benignitate quâ divina ejus Majeſtas tam clementer Fœderatas Provincias earumque Socias terras, Civitates & membra affecit, exaudiendo preces & gemitus, æſtum juſtiſſimæ iræ avertendo, utranque nationem oculis ſuæ commiſerationis reſpi- „

„ ciendo, crudele, ſanguineum Patriæque perniencioſiſſimum bellum exterminando,
„ & mutuam tranquillitatem, Pacem & concordiam reſtituendo. Deinde ut ſupplicibus & ardentibus oretur votis Divina Majeſtas, dignetur & in futurum factam beare Pacem, commodo bonoque Patriæ, & Eccleſiæ in ea Dei, ut & terrarum Civitatum, ac membrorum ei aſſociatorum, omniumque eorum quos ea res tangit: præſertim autem ut avertat faciem à peccatis utriuſque populi, & deleat injuſtitias earum omnia ea illis remittendo & accepta ferendo ſecundum magnam miſericordiam ſuam, eos adoptet in hæreditatem ſuam, ſtabiliendo in Gentem Sanctam: ut ejus munificentia & amor eos ſervet, indies magis magiſque firmet in mutua Chriſtiana charitate, corda ipſorum colligans ad Pacem ſui nominis, ad protectionem, promotionem & incrementum veræ fidei, ut eo modo Sanctum Dei nomen tanto plus honoretur & extollatur, Eccleſia *Ieſu Chriſti* ædificetur, & noſtrarum omnium animarum Salus eo plus procuretur, & ut communis noſtræ patriæ & Incolis tam Caro empta libertas conſervetur: Idcirco mandatur ut dictus dies tempeſtive notus fiat & digne obſervetur.

Laus & Gloria ſit Deo.

IN-



INDEX NOTABILIUM HISTORIÆ PACIS BELGICÆ.

Rela-

Exem-

FINIS.

